Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

P. lat. 367
4°

Dionysius

Digitized by Google

Bayerische Staatsbibliothek
<36652118640017

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS II

IN EXODUM (XX-XL), LEVITICUM, NUMEROS, DEUTERONOMIUM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXCVII

35091

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

Digitized by Google

Digitized by Google





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN EXODUM (XX-XL),
LEVITICUM, NUMEROS, DEUTERONOMIUM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCXCVII





Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

ENARRATIO
IN EXODUM
HEBRAICE VEELLE SEMOTH

ARTICULUS XL

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS CUNCTOS SERMONES HOS.

JAM datio legis describitur. *Locutusque* A *est Dominus cunctos sermones hos.* In fine præcedentis capituli scriptum est, qualiter Moyses de celsitudine montis de-
Exod. XIX, 25. scendens, recitavit populo ea quæ ibi sunt scripta. Moyse itaque inferius exsistente cum populo, locutus est Dominus verba nunc exponenda, tam Moyse quam populo audiente, dicens : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.* Quemadmodum refert Lyra, Hebræi dicunt, quod istud sit unum et primum præceptum Decalogi, per quod B affirmative præcipit Deus, ut ipse solus habeatur et colatur pro vero Deo, qui tam potenter et miraculose eduxit Israel de Ægypto. Quocirca Rabbi Paulus reprehendit Lyram, eo quod simpliciter narret prætactam Hebræorum opinionem, quasi probabiliter possit teneri, et non reprobet eam : quia si posset teneri, sequeretur secundum Rabbi Paulum, quod doctores catholici in enumeratione Decalogi deviassent a ratione. Verum hæc reprehensio est inepta, nec tenet consequentia illa : quia (ut infra pa- C tebit) etiam nostri doctores in modo numerandi, distinguendi, ac situandi decem præcepta, variis modis senserunt; nec tamen hinc sequitur, quod in hoc deviaverunt a ratione. Frequenter enim circa eamdem materiam diversæ opiniones possunt probabiliter teneri, absque errore et deviatione a ratione, quando non defenduntur cum incauta et temeraria assertione, ut patuit plenius in expositione exordii Geneseos, quod sancti doctores diversimode exposuerunt.

Deinde Rabbi Paulus reprobat præfatam Hebræorum opinionem, quia in verbis his, Ego sum Dominus Deus tuus, non ponitur aliquod verbum imperativum aut præceptivum; sed est ibi solum denuntiatio quædam, qua Deus annuntiat populo quod ipse qui loquitur, sit Deus qui eos de Ægypto eduxit. Et in isto Rabbi Paulus catholice sentit, quia et Glossa ait : Non est istud mandatum, sed significatio cujus sit mandatum. Hoc idem asserit Augustinus et alii expositores communiter. Deinceps Rabbi Paulus tangit motiva Hebræorum, dicentium verba præhabita esse primum mandatum. Primum est, quia ad omnium divinorum observantiam præceptorum, necesse est præsupponere quod ille qui jussit ea, sit Deus qui Israel transtulit ex Ægypto : quoniam fides seu præsuppositio illa,

Digitized by Google

est ratio obligandi ad servandum ipsius præcepta. Idcirco per verba hæc, Ego sum Dominus Deus tuus, dicunt affirmative juberi, quod hoc firmiter credatur. Secundum eorum motivum est, quoniam antequam aliquis possit præcipere aliis, oportet ut recipiatur ab eis pro superiore. Ideo dicunt Deum primo jussisse per verba inducta, quod ipse haberetur ab Hebræis in Deum. Sed ista motiva quamvis aliquid contineant veritatis, non tamen concludunt propositum, quia jam ante horum prolationem verborum filii Israel crediderunt, quod ille qui eos eduxit, esset verus Deus, et specialiter Deus eorum. Unde submersis Ægyptiis, cecinerunt : Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Quartodecimo quoque capitulo scriptum est, quod eis per maris fundum transductis, Ægyptiisque submersis, crediderunt Domino et Moysi servo ejus. Denique, præcedenti capitulo fassi sunt se velle esse subjectos imperio Dei, dicentes : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.

Exod. XV, 1-20. *Ibid.* XIV, 31. *Ibid.* XIX, 8.

Itaque Deus tanquam præambulum quoddam præmittens, locutus est populo Israel : Ego sum Dominus Deus tuus, qui licet sim universorum Dominus atque Deus per creationem et gubernationem, conservationem et judiciariam potestatem, tamen sum specialiter Dominus Deus tuus, quem elegi mihi in populum peculiarem, et cui nunc legem et præcepta hæc tribuo.

Consequenter exprimitur primum præceptum : *Non habebis deos alienos coram me.* Quasi dicat : Me solum pro vero Deo habebis, adorabis et coles ; omnes ceteros qui dii vocantur, refutabis adorare et colere per latriæ cultum, ita quod nec eos qui mendaciter dii vocantur, ut Jupiter, Mars, Saturnus, qui scelerati fuerunt, nec illos qui in Scripturis dii vocantur per participationem et gratiam, ut angeli et homines sancti, adorabis et coles latriæ cultu. Dæmones quoque a gentilibus dii mendaciter vocabantur. Corpora autem cœlestia, animata ponebant, sicque cœlos, stellas, planetas, vocabant deos per quamdam participationem. De quibus in primo Timæi loquitur in persona Dei Plato philosophus : O dii deorum, quorum idem pater opifexque ego ! Omnes hi possunt dii alieni vocari, in quantum per vitiosum cultum eorum homines alienantur, avertuntur et reprobantur a vero Deo ; et item, quoniam Deus jussit, ut fideles sui ab illorum cultu se alienarent ; rursumque, quia a vera deitate sunt alieni. Itaque ait : Non habebis deos alienos coram me, id est nullibi, quoniam ego ubique sum præsens, et cuncta intueor.

Non facies tibi sculptile, id est idolum aliquod ex quacumque materia, in qua sculpi potest. Et specialiter potest per idolum designari imago rei confictæ, quæ nullam exsistentiam habet, nec esse potest, quum dicat Apostolus : Idolum nihil est. *Neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra :* id est, nullam tibi formabis similitudinem per fusuram sive picturam cujuscumque rei creatæ, videlicet ad colendum aliquid tale, ita ut nec cœlestium neque terrestrium neque aquaticorum imaginem tibi formes, aut fieri facias. Hinc subditur : *Non adorabis ea neque coles,* quia nec ipsam rem creatam, nec ejus imaginem. Aliqui namque putaverunt aliquid numinis esse in ipsis idolis, statuis seu imaginibus, ut Trismegistus, qui dixit : Statuas dico animatas sensu et spiritu plenas, imbecillitatem et sanitatem hominibus facientes. Aliqui vero hoc non credentes, coluerunt deos absque imagine eorumdem. Unde Varro, Valeriusque testantur, quod antiqui Romani deos diu absque imaginibus coluerunt.

I *Cor.* VIII, 4.

Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, id est, instar amatoris seu mariti aut sponsi zelotypi, volens solus amari et coli ut Deus et sponsus a fidelibus animabus : idcirco prohibeo eis fornicari cum diis alienis, quemadmodum sponsus non vult sponsam suam alteri commisceri. Qui autem accedit meretricem, non in-

Digitized by Google

dignatur si et alter eam accedat, quia non habet ad illam amorem zelotypum qui socium et communicatorem excludit. Unde zelotes seu zelator nunc appellatur, qui sic vult solus amari, ita ut nihil secum ametur, in derogationem aut minorationem sui amoris. Sic igitur præcipit Deus se coli et honorari, ut ei dumtaxat tota mente adhæreamus, serviamus, atque vacemus, et non sit anima nostra dæmonum aut idolorum, alienorumve deorum adultera, sed Dei solummodo sponsa.

Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me. Non absolute ait, in tertiam et quartam generationem; sed addit, Eorum qui oderunt me. Verumtamen additio ista, Eorum qui oderunt me, potest referri ad id quod dixit, Iniquitatem patrum, et etiam ad filios. Sed istud bonitati et æquitati Dei derogare videtur, ut iniquitatem parentum ulciscatur in sobolem, præsertim quum per Ezechielem locutus
Ezech. xviii, 20. sit : Filius non portabit iniquitatem patris. Et per eumdem Prophetam ac Jere-
Ibid. 2, 3. *Jer.* xxxi, 30. miam : Omnis, inquit, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. Nihilo minus idem Jeremias fatetur in Threnis :
Thren. v, 7. Patres nostri peccaverunt, et non sunt; et nos iniquitates eorum portavimus. Et in
Josue vii, 11, 12. Josue leguntur filii Israel fugati, et quidam eorum occisi sunt propter peccatum Achan. Itaque circa materiam istam inveniuntur variæ auctoritates Scripturæ, quæ sibi invicem contrariari videntur. Nam
Exod. xxxiv, 7. et infra legitur, quod nunc in textu asseritur.

Sed omnium horum solutio et concordantia ex dictis patet doctorum. Nempe, ut scribit S. Thomas in secunda secundæ, quod et ex dictis Alexandri de Hales habetur : Pœna potest considerari dupliciter : Primo, in quantum pœna, et prout per eam reparatur æqualitas justitiæ, dum peccator qui peccando nimis acquievit propriæ voluntati in derogationem justitiæ, aliquid patitur contra suam voluntatem, in ipsius justitiæ recompensam : sicque
A pœna pro proprio peccato infligitur. Secundo, consideratur pœna, ut medicina peccati, non solum curativa præteriti, sed etiam præservativa futuri, conservativaque boni : et sic aliqui puniuntur sine propria culpa, sed non sine causa. Per medicinam autem non est subtrahendum majus bonum, ut minus bonum obtineatur, sed econverso. Hinc aliqui absque propria culpa in temporalibus puniuntur per damna aut infirmitates, ut probentur, humilientur, aut alio modo gratiam
B sortiantur, sicque in spiritualibus bonis crescant, aut aliquo modo misericordiam consequantur. Nunquam tamen aliquis per spiritualium subtractionem bonorum punitur, nec in vita præsenti, neque futura, sine propria culpa. Sic ergo servi et filii in corporalibus aliquando puniuntur propter parentum aut dominorum suorum peccata, in quantum secundum corpus sunt aliquid seu res quædam illorum, ita quod parentes ac domini puniuntur in illis : unde in auctoritatibus dicitur, usque ad
C tertiam et quartam generationem, quia usque ad tot generationes vivere possunt parentes. Nec istud repugnat divinæ justitiæ, quoniam Deus hoc ipsum ordinat in ipsorum, sic patientium, bonum. Auctoritates autem contra hæc allegatæ, intelliguntur de pœnis spiritualibus et æternis. Præterea Origenes solvit quæstionem hanc aliter, per patres peccantium, intelligens dæmones tentatores; per generationes, primam, secundam, tertiam et quartam, eos qui peccanti cooperantur, consentiunt, aut
D alio modo communicant.

Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea : id est, multo copiosius et protensius misereor posteris amantium me, et obedientium mihi, præsertim posteris prædestinatis. Nam ut ait Jacobus apostolus, Superexaltat misericordia judicium. Et *Jacob.* ii, 13
Psalmista : Miserationes ejus super omnia *Ps.* cxliv, 9.
opera ejus. Verumtamen in hac re attendere possumus, quam mirabilia et incomprehensibilia sint judicia Dei, quia inter-

Digitized by Google

dum immediati filii justissimorum patrum sunt pessimi, et econverso. Ecce quam sanctus vir fuit Josias, et tamen filii ejus pessimi erant. Sic et Ezechias rex sanctus, filius fuit vitiosissimi Achaz. Denique, infra discutietur de ordinatione, enumeratione et situatione Decalogi; et utrum dicta hucusque, sint ad unum præceptum spectantia, an potius sint duo præcepta.

IV *Reg.* XXII, 2; XXIII, 25, 31 *et seq.*; XVIII, 1, 3 *et seq.*

Sequitur aliud præceptum, et ut patebit, secundum in ordine. *Non assumes nomen Dei tui in vanum :* id est, nec falsum, nec sine rationabili causa jurabis per Deum. *Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra :* id est, talem tam inaniter jurantem, Deus non reputabit innoxium, sed transgressorem, damnationeque dignum ; imo decet ut nunquam sine reverentia et cordis attentione Deum nominemus, aut etiam nominari audiamus. Judæi vero affirmant hoc præcepto etiam prohiberi prolationem indebitam nominis Domini tetragrammaton, quod non licuit nominari nisi sacerdotibus, quando populum benedixerunt in templo.

Sequitur præceptum tertium : *Memento ut diem sabbati sanctifices :* id est, in sanctis operibus diem illum expendas, et divino cultui applices illum. Per quod aliorum dierum solennium, et nunc dominicæ diei jubetur celebritas. Instituit autem Dominus sabbatum, id est diem septimum, celebrari, in signum quod ipse die septimo requievit a cunctis operibus suis, et in commemorationem beneficii creationis, imo et aliorum Dei beneficiorum, quorum jugiter memores debemus esse. Propter quod præcepto huic præmittitur, Memento : quod verbum etiam ideo præmittitur, quoniam cum summa diligentia cultui est insistendum divino. Vel, ut asserit Rabbi Paulus, ideo verbum istud præmittitur, quia jam ante in descensu mannæ datum fuit istud præceptum, ut supra patuit. Recitat quoque Rabbi Paulus : Hebræi credunt quod sanctificatio sabbati præcipua, consistat in corporalibus delectationibus ;

Exod. XVI, 23 *et seq.*

A traduntque quod quilibet tenetur in illo die ter manducare, videlicet semel prandere, et bis cœnare, atque quod omnes hoc facientes, sint securi a judicio gehennæ, ut in libro eorum de sabbato, expresse habetur. Ecce quam ridiculosum et stultum est hoc.

Sex diebus operaberis, nisi in eorum aliquo aliqua solennitas occurrat, *et facies omnia opera tua :* unumquodque loco et tempore opportuno. *Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est,* id est, qui B deputatus est cultui veri Dei. *Non facies omne opus tu :* id est, nullum servile aut mechanicum, præsertim nullum opus iniquum facies tu, id est facere tibi licet, *et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum,* quia et pecora quæ laborant hominibus, voluit Deus tunc quiescere, convenienterque refici ; *et advena qui est intra portas tuas,* id est tibi cohabitat in villis, urbibus, aut domibus tuis. Et potest per advenam intelligi quicumque ad Judaismum conversus. Deinde C subjungitur ratio institutionis solennitatis sabbativæ : *Sex enim diebus fecit Deus cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Et requievit die septimo.* Quod qualiter multipliciter possit intelligi, in expositione primi capituli Genesis diffuse expositum est. *Idcirco benedixit Dominus diei sabbati,* privilegiando eum præ ceteris diebus, *et sanctificavit eum,* id est divino cultui consecravit.

Porro de expositione multiplici et plena intelligentia hujus præcepti et cetero- D rum præceptorum Decalogi, tot et tanta in aliis scripsi opusculis, imo et tanta inde habentur ubique, quod nequaquam stare intendo nunc in horum expositione hoc loco.

Honora patrem tuum et matrem tuam, imo et ceteros progenitores, spiritualesque patres ac seniores, et benefactores ac magistros, cordiali affectu, decenti affatu, reali obtemperatione atque obsequio, et si opus fuerit, etiam sustentatione. De hac re infinita quodammodo dici possent. Sub-

Digitized by Google

ditur autem merces seu ratio hujus præcepti, *ut sis longævus super terram,* id est diu ac prospere vivas in terra. Non quod istud sit finale, principaleque præmium observationis hujus præcepti, sed aliquantula retributio recte correspondens eidem : quoniam eum qui debite honorat principia suæ vitæ, puta parentes, decuit in ipsa sua vita prosperitatem et diuturnitatem sortiri, quemadmodum eum qui facit misericordiam, decet misericordiam consequi. Deus autem rudi populo veteris Testamenti temporalem promisit mercedem, ut vel sic ad obediendum alliceretur; tamen sub illa mercede subintellexit æternam ac spiritualem, quæ sola est præmium condignum actuum virtuosorum, ex caritate Dei manantium, imo et ex actuali motione Spiritus Sancti. Unde quod ait, Ut sis longævus super terram *quam Dominus Deus tuus dabit tibi,* rite exponitur de regione cœlestis patriæ. De qua fertur :
Ps. XXVI, 13. Credo videre bona Domini in terra viventium. Itemque : Beati mites, quoniam ipsi
Matth. V, 4. possidebunt terram : in qua justi sunt longævi, quia in æternum vivent in ea. Et quamvis prædicta secundum communem legem ita se habeant, quandoque tamen contingit occulto Dei judicio, quod honoratores parentum brevis et ærumnosæ sint vitæ, inhonoratores vero eorum, longævæ ac prosperæ. Quod Deus sic ordinat ad majorem obedientium felicitatem, atque ad graviorem inobedientium damnationem. Vel ex aliis abditis causis id accidit.

Præterea, post præcepta ad Dei cultum spectantia, recte ponitur immediate istud de honoratione parentum, quia post Deum sunt præcipue amandi ac honorandi. Et sicut a Deo suscipitur anima, ita a parentibus contrahitur caro ; et ipsi post Deum sunt causa præcipua sobolis suæ. Quemadmodum etiam Deus est causa omnium, sic ipsi propriæ prolis.

Sequitur quintum præceptum : *Non occides :* id est, præcipio tibi ut nullum hominem injuste, seu privata et propria auctoritate occidas, imo nec lædas, neque

A percutias. Unde per hoc præceptum prohibetur omne in personam proximi nocumentum, præter juris ordinem irrogatum, quum hoc sit contra caritatem atque justitiam. Et sicut vetatur talis occisio, ita implicite præcipitur ordinata vitæ proximorum defensio aut conservatio, loco et tempore opportuno pro posse. Istud tamen præceptum, sicut et cetera quinque sequentia, respicit proximum, quantum ad mali evitationem.

Sextum præceptum est : *Non mœchaberis.* Per quod primo et maxime adulterium, deinde omnis illegitimus prohibetur concubitus. Septimum est : *Non furtum facies.* Per quod primo et evidenter inhibetur ablatio rei alienæ occulta, domino rei invito; deinde rapina quæ fit aperte ; omnis quoque injusta detentio, ablatio, et deterioratio rei alterius. Contra quod peccant, qui debita non persolvunt : qui et obligantur creditoribus ad recompensam pro damno, quod illi ex persolutionis dilatione incurrunt, si tamen persolutionem interim exigant. Octavum : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium,* nec in judicio, nec extra judicium : per quod omnis falsa accusatio, diffamatio, detractio, atque mendacium prohibentur.

Non concupisces domum proximi tui. Hæc duo ultima præcepta, inordinatam appetitionem terrenorum restinguunt ac vetant. Et nono isto præcepto inhibetur inordinata appetitio rei utilis, intelligendo per domum, quidquid ad possessionem seu opulentiam pertinet corporalem. Decimo autem præcepto vetatur concupiscentia rei delectabilis, utpote conjugis proximi, et omnis feminæ non conjunctæ legitime, quum dicitur : *Nec desiderabis uxorem ejus.* Porro quod subditur, *Non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt,* potest quasi per supplementum referri ad nonum præceptum, ita quod ista prohibentur injuste appeti ad possidendum et utendum eis in proprio obsequio, quod est bonum utile.

Digitized by Google

Possunt quoque ad ultimum istud pertinere præceptum, ita ut intelligatur circa ea esse prohibita omnis concupiscentia bestialis et contra naturam. Verumtamen Origenes, Josephus et Hebræi dicunt, hæc ultima duo ad unum pertinere præceptum, quoniam de prohibitione utriusque concupiscentiæ loquitur textus iste permixtim, saltem secundum unam expositionem. Sed melior est Catholicorum distinctio. Nam alia est ratio boni utilis, et alia boni delectabilis; et multi inclinantur ad unum illorum, qui ad aliud non afficiuntur, quemadmodum quidam libidinosi appetunt proximi conjugem, qui tamen furtum et rapinam abhorrent. Hinc etiam dantur diversa præcepta de refrenandis concupiscentiis, et de refrenandis earum effectibus.

Insuper circa hæc Lyra recitat : Dicunt Hebræi, per hæc non prohiberi concupiscentiam, nisi aliqualiter prorumpat in actum exteriorem, videlicet concupiscentiam conjugis alienæ, nisi erumpat in osculum vel amplexum aut consimilia : cujus opinionis fuit et Josephus. Unde et quidam Catholici dicunt, quod lex vetus cohibuit manum, non animum. Sed Rabbi Paulus contra hæc scribit : Multi, inquiens, doctorum Hebræorum affirmant, per hæc prohiberi concupiscentiam alienæ uxoris aliarumque rerum, etiamsi in exteriorem actum non moveatur : et quod ita teneri oporteat, facile est probare, quum exterior actus rationem culpæ non habeat, nisi ex interiori deordinatione. Ratio quoque voluntarii, quod est origo meriti atque demeriti, primo et maxime invenitur in interioribus animæ. Denique in Deuteronomio
Deut. IX, 4. habetur : Ne dixeris in corde tuo, Propter justitiam meam introduxit me Dominus in terram hanc : per quod prava et falsa cogitatio, et item præsumptio prohibentur.
Lev. XIX, 17, 18. Sed et in Levitico scriptum est : Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Et rursus : Nec memor eris injuriæ civium tuorum. Quod vero Catholici dicunt, intelligendum est, quod lex vetus non tam evidenter et frequenter cohibet animum, sed manum, præsertim quia non ita infligit pœnas temporales pro peccatis cordis, ut operis.

Cunctus autem populus videbat, hoc est sensibiliter percepit et audivit, *voces,* id est tonitrua vel verba Dei prolata ex nube et igne. Solet autem in Scripturis visus pro quocumque exteriori accipi sensu, specialiter pro auditu, quemadmodum in Apocalypsi : Conversus sum, ut viderem *Apoc.* I, 12.
vocem quæ loquebatur. *Et lampades,* hoc est coruscantia fulgura, quæ visu proprie sumpto percipiebantur, *et sonitum buccinæ, montemque fumantem :* sicut in expositione præcedentis capituli patuit. *Et perterriti* mente, *ac pavore concussi* in corpore sensitivaque parte, *steterunt procul,* non solum non transgrediendo terminos præstitutos, sed et retrogrediendo ; *dicentes Moysi : Loquere tu nobis* ex parte Dei, *et audiemus* auribus cordis ac corporis. *Non loquatur nobis Dominus* locutione ista sensibili terrifica, et per se seu per angelicam creaturam, *ne forte moriamur* ex nimia corporalis harmoniæ immutatione, atque formidine, ex nimiaque excellentia objectorum illorum, videlicet vocum ac fulgurum atque sonituum tubæ, per respectum ad nostrum auditum et visum. Nec potest humana fragilitas talia diu sufferre sine confortatione speciali et gratiosa.

Et ait Moyses ad populum : Nolite timere immoderato timore, vel quod nunc moriemini, sicut timetis. *Ut enim probaret vos, venit Deus,* hoc est, ob hoc per creaturam subjectam sic descendit, apparuit, atque locutus est Dominus vobis, ut ostenderet non sibi omnia cognoscenti, sed vobis ipsis ac aliis, quales sitis, et ut faceret vos probatos ac timoratos. Ideo subditur : *et ut terror illius esset in vobis,* id est timor filialis vel saltem initialis, *et non peccaretis,* quoniam timor Dei retrahit hominem a peccato. *Stetitque populus de longe. Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus,* id est verticem montis ascendit, in quo fuit densissima nubes, in qua Deus per angelum apparebat, ut juxta petitionem populi mediaret

Digitized by Google

inter Deum et eos in audiendo verba Dei, A et referendo eadem ipsis.

Dixitque præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel : Vos vidistis quod de cœlo locutus sim vobis, id est, sensibiliter percepistis verba prolata ab angelo, in mea persona loquente : quæ verba in cœlo aereo sonuerunt, et cœlesti virtute formata sunt. Porro de ista materia multa leguntur Deuteronomii quarto et quinto Deut. IV, 11, 12. capitulis, ubi inter cetera scribitur : Accessistis ad radices montis qui ardebat usque ad cœlum; erantque in eo tenebræ, et B nubes, et caligo. Locutusque est ad vos Dominus de medio ignis; vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vi- Ibid. V, 23-26. distis. Et accessistis ad me omnes principes tribuum, et majores natu, atque dixistis : Ecce ostendit nobis Deus noster majestatem et magnitudinem suam; vocem ejus audivimus de medio ignis ; et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine, vixerit homo. Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim ultra audierimus vocem Dei, morie- C mur. Quid est enim omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis ?

Non facietis mecum *deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis,* id est, nulla simulacra facietis, ut illa colatis mecum, vel per cultum latriæ, sicut adorandus et colendus sum ego. Unde et Samaritani et multi de regno decem tribuum, coluerunt simulacra sua seu vitulos aureos, et cum hoc Dominum adoraverunt, sicut nunc usque faciunt Tartari. *Altare de terra facietis mihi,* id est ad meum honorem. Hoc de D altari holocausti exponitur, quia altare incensi fuit ex lignis setim, opertumque auro, ut infra habetur. In detestationem quoque idololatriæ jussit hoc Dominus, quia idololatræ de pretiosis materiis faciebant altaria ; et propter mysticam significationem, ad humilitatis commendationem. *Et offeretis super* † *illud holocausta et pacifica vestra* per manus sacerdotum. Holocausta autem dicuntur, sacrificia quæ ad Dei honorem totaliter comburebantur ; pacifica vero, quæ pro remissione peccati, aut pro gratiarum actione de beneficio dato, aut pro beneficio obtinendo offerebantur, quorum una pars exstitit sacerdotum, una offerentium, ut comederent coram Domino, et tertia ad Dei incendebatur honorem. *Oves vestras et boves,* de quibus communiter sacrificia ista fiebant. *In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei,* id est in locis specialiter deputatis ad hoc, ut in eis per sacrificia ista sit commemoratio et honoratio mei ipsius : quæ loca non fuerunt simul et semel plura, sed unus dumtaxat, in quo licuit oblatio talis, nisi forte ex dispensatione divina et causa idonea, sicut Elias obtulit in Carmelo. Successive III Reg. XVIII, 19 et seq. autem fuerunt loca illa diversa, quia primus fuit in Silo, ubi tabernaculum fuit I Reg. I, 3; II, 14. ad tempus ; deinde fuit in Nobe. Qua urbe Ibid. XXII, 19. per Saulem destructa, ut primo Regum habetur, in Gabaon est translatum; postea III Reg. III, 4. in Jerusalem tempore David, ut patet se- II Reg. VI, 6, 12, 17. cundo Regum. Verumtamen populus frequenter immolavit hinc inde in excelsis, id est locis sublimibus, prout in libris Regum et Paralipomenon recitatur : in quibus et hoc vituperatur.

Veniam ad te, per gratiæ infusionem, *et benedicam tibi,* per infusæ gratiæ multiplicationem, atque per terrenæ prosperitatis concessionem, si in cunctis obedieris mihi. Et in verbis his alloquitur Deus populum, tanquam quid unum, per Moysen. In veteri etenim Testamento temporalium bonorum affluentia promittebatur.

Quod si altare lapideum feceris mihi. Per hoc datur intelligi, quod altare de quo jam facta est mentio, poterat fieri tam de terra quam de lapidibus; sed de qualibus, subditur, *non ædificabis illud de sectis lapidibus :* id est, de lapidibus impolitis, non sculptis neque dolatis, volo id fieri. *Si enim levaveris cultrum tuum super eo,* id est, si cum ferro seu cultello præparaveris istud altare, lapides ejus secando, sculpendo, aut poliendo, *polluetur,* id est, contemptibile fiet, displicebitque mihi, eo quod factum sit aliter, quam præcepi. Cau-

Digitized by Google

sa litteralis hujus præcepti assignatur, quia A idololatræ faciebant sua altaria de saxis sectis, politis, et sculptis : ideo in illorum detestationem Deus præcepit oppositum, et quia nolebat suos ministros communicare cum idololatris in divinis. Rursus, ne Judæi per talem sculpturam inducerentur paulatim ad sculpendum atque colendum imagines. Insuper ob mysticam significationem, videlicet quod Deus vult in spirituali templo suo (quod est Ecclesia) collocari personas integras et sinceras, unitatem spiritus conservantes, et ecclesiasticam unio- B nem non violantes. Rursus, spirituale altare, est trium theologicarum virtutum connexio integra, in qua offerenda sunt Deo omnia opera bona et sacrificia militantis Ecclesiæ : quod altare fit de non sectis lapidibus, id est de tribus istis virtutibus firmis, ab invicem non divisis, nec alicui simulationi aut duplicitati adjunctis.

Non ascendes per gradus ad altare meum : cujus jussionis subjungitur ratio: *ne reveletur turpitudo tua.* Ex quo elici- C tur, quod nondum erat tunc feminalium usus, quod magis infra patebit. Verumtamen si altare fuit tam altum, quod sacerdotes illud stando non valebant attingere, poterat pedibus sacerdotum scamnum aut aliquid tale supponi, quod facta ministratione removebatur, ut Magister in historiis tangit. Unde et Lyra allegat Rabbi Salomonem, dicentem quod fiebat ibi ascensus sine gradibus in hujuscemodi casu. Fertur quoque, quod in sacris Priapi sacerdotes per gradus ascendebant altare, atque in alto stantes, verenda sua monstrabant populo discooperta. Idcirco in tam obscenorum detestationem sacrorum, Dominus dedit præfatum mandatum. Spiritualiter vero per gradus ad altare ascendere, est, in fide superbeatissimæ Trinitatis, gradum et ordinem dignitatis asserere, affirmando quod Pater major sit Filio, et Filius major Spiritu Sancto, ut Ariani dixerunt : quod qui facit, turpitudinem suæ perfidiæ infelix ostendit. Rursus, altare de terra facere, est in Christo veram carnem fateri ; et ad altare per gradus non ascendere, est in eo divinitatem veram, qua æqualis est Patri, agnoscere.

Exod. xxviii, 42, 43.

ARTICULUS XLI

DE MYSTICO HUJUS CAPITULI VICESIMI INTELLECTU.

QUEMADMODUM quinquagesimo post exitum ab Ægypto die, data est lex D Hebræis in monte Sinai ; sic quinquagesimo die post Christi resurrectionem, missus est Spiritus Sanctus primitivæ Ecclesiæ in grandi illo cœnaculo, in quo novissimam fecerat Christus Cœnam : per cujus Paracleti infusionem, evangelica lex in Apostolorum, ceterorumque credentium cordibus est firmata, atque eodem die aliis in Jerusalem prædicata et data, coruscantibus signis tanquam fulguribus, et apostolicis verbis sonantibus, velut tonitruis. Insuper, sicut Hebræis ex Ægypto salvatis data sunt decem illa præcepta immediate a Deo, id est non per Moysen, sed per allocutionem Dei ex igne et nube, tamen per angelum ; sic nobis ex mundi et vitiorum caligine per Christi adventum eductis, eadem præcepta sunt in Evangelio tradita, primo immediate a Christo Deo vero, veraciter incarnato, dicente : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaque, non serviamus ultra peccatis, nec errorum ac passionum tene-

Matth. xix, 17.

Digitized by Google

bris involvamur, nec alicujus idololatriæ immoremur caligini.

Dicitur enim unicuique nostrum : *Non habebis deos alienos coram me.* Contra hoc agit superbus, qui se ipsum facit deum sibimetipsi, atque ab aliis tanquam deus vult honorari, dum non Dei, sed sui ipsius quærit gloriam et honorem; et ita se habet ac taliter gloriatur, quasi non a Deo, sed a se ipso sit et habeat quod est, et quod habet. Magis quoque quærit sibi obtemperari, quam Deo. Nempe si videat Dei præcepta a se ipso ac aliis violari, non curat, nec contabescit, nec zelo inflammatur justitiæ zelando pro Domino, juxta illud : Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Porro, si videat se contemni, aut propria vilipendi mandata, mox furit et indignatur, ac quasi sub colore justitiæ in contemptores sui exsurgit. In tali etenim homine improbo ac perverso, viget privatus amor sui, non sancta dilectio Dei. Quocontra ait Elias : Zelo zelatus sum pro Domino. Unde et Chrysostomus protestatur : Nihil iniquius quam Dei injuriam dissimulare, et propriam vindicare. O quam multi prælati ac principes sunt hodie tales! qui subditos suos per vitiorum abrupta proficisci conspiciunt, nec dolent, neque emendant, sed silent; propriam vero inhonorationem, nec in modicis rebus perpeti queunt: ideo non sunt veri vicarii Creatoris, sed servi ac filii dæmonis.

Philipp. II, 21. — *Ps.* CXVIII, 139. — III *Reg.* XIX, 10.

Similiter contra istud præceptum peccant avari, qui magis afficiuntur ad aurum, quam ad omnium fontem bonorum, qui nummum præferunt Deo, et pro pecunia relinquunt justitiam, ac lucri amore jurant, perjurant, fallunt ac mentiuntur, judicantque perverse. Propter quod divinus Apostolus avaritiam non inepte idololatriam appellavit. Rursus, contra idem præceptum agit luxuriosus, cujus deus venter est, et gloria in pudendis, qui fœdam carnem magis quam incomparabilem et superpræstantissimam Deitatem cogitat, amat, et adipisci conatur; et breviter quicumque in

Coloss. III, 5. — *Philipp.* III, 19.

A mortali est culpa, qui creatis magis quam Creatori, vanitati magis quam veritati ac æquitati inhæret, atque in his vanis, fœdis ac vilibus rebus finem sibi constituit. Iste sibi format et eligit deos alienos, de cujus vilitate ac impietate Sapiens ait : Cor iniqui cinis est et terra; supervacua spes illius, et luto vilior vita ejus : quoniam ignoravit illum qui se finxit, hoc est, per debitum cultum non recognovit proprium Creatorem.

Sap. XV, 10.

Non facies tibi sculptile, neque omnem
B *similitudinem*, etc. Hoc præcepto jubemur cor nostrum a turpibus phantasmatibus, a sordidis phantasiis, a distractionibus, potissime orationis contemplationisque tempore, et in cunctis divinis purgare ac custodire, quatenus pura, ardente, ac stabili mente omnipotenti Deo simus intenti, ejusque opus cum debita reverentia jugiter persolvamus. *Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios.* Itaque si optamus ut anima nostra sponsa sit sui Creatoris ac Sal-
C vatoris, oportet nos ei indesinenter fidelitatem servare, nec aliquid nisi ipsum, vel propter ipsum, ac in ipso diligere, cordeque integro detestari ac fugere quidquid a mundissimis ejus amplexibus mentem avellit. Hinc sanctus Joannes apostolus loquitur : Si quis diligit mundum, non est caritas Dei in ipso. Et Jacobus sanctus : Quicumque, inquit, voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur. Caveamus ergo ne vitiorum nostrorum filios, id est imitatores, consensores, coo-
D peratores, aut quovis modo communicatores habeamus ac relinquamus : ne alios inducamus ad mala verbo, exemplo, aut opere : ne et nostra peccata in tertiam et quartam generationem visitentur a Domino, omniumque illorum peccata ac pœnæ redundent in nos.

I *Joann.* II, 15. — *Jacob.* IV, 4.

Non assumes nomen Dei tui in vanum. Hoc est quod in Evangelio loquitur Dominus : Ego dico vobis non jurare omnino. Sit autem sermo vester : Est, est; non, non. Jacobus quoque apostolus : Ante omnia

Matth. V, 34, 37. — *Jacob.* V, 12.

Digitized by Google

nolite jurare. Abjiciatur ergo detestabilis actus et pessima consuetudo, quum et in Ecclesiastico scriptum sit : Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in ea. Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non deficiet de domo ejus plaga. Nempe quum consuetudo venialium sit mortalis, quanto magis consuetudo jurandi enormiter vitiosa est atque mortifera, quum sine rationabili causa jurare sit contra divinum præceptum, ideoque ex genere suo mortale?

Eccli. XXIII, 9. 12.

A

Memento ut diem sabbati sanctifices. Itaque diebus festivis summe tenemur abstinere a vitiis : ita quod si quis tunc detrahat, fornicetur, contendat, crapulamve committat, aut acediæ præbeat in se locum, vel quodcumque mortale incidat vitium, non solum committit unum aut simplex mortale peccatum, nec tantum transgreditur unum præceptum, sed duo ad minus; et duo incurrit peccata mortalia, aut unum dupliciter vel pluribus modis mortale. Quemadmodum etiam si aliquid horum committat in sacro loco, aut cum religiosa, seu in sacris Ordinibus constituta persona. Hinc et venialia, quæ ad mortale disponunt, tunc gravantur, ac magis vitanda sunt. Denique valde pensandum est quod Dominus jubet : *Non facies omne opus tu et filius tuus, et filia tua, servus tuus et ancilla,* etc. Quo constat, quod parentes et domini domus, tunc præcipue obligantur sobolem suam atque familiam quantum congrue valent, et caritas exigit, a peccatis retrahere, admonere, et ædificare. Itaque quum sabbatum sit requies Domini, diebus celebribus conquiescat mens nostra in Deo quiete præcipua per devotionem internam, per orationes puras atque assiduas, per contemplationem sinceram, per amorem ferventem.

B

C

D

Honora patrem tuum et matrem tuam. Omnis igitur Christifidelis superioribus suis tanquam Dei vicariis debitam subjectionem, reverentiam cordialem, obedientiam exhibeat promptam.

Stetitque populus de longe, Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus. Hanc clausulam magnus et theologissimus Dionysius in libro de Mystica theologia profundissime interpretatur, intelligendo per Moysen, quemcumque virum heroicum ac perfectum, qui relictis ac supergressis omnibus sensibilibus ac intelligibilibus, imo universis creatis, atque se ipso et cunctis actibus suis, Deo per ardentissimam dilectionem unitur, intratque caliginem in qua vere est Deus. Hæc namque caligo, est æternæ, increatæ, infinitæque lucis divinæ superexcellens, incomprehensibilis et superclarissima plenitudo, abyssalis, interminabilis atque supersimplicissima magnitudo, in qua Deus esse et habitare censetur, qui ponit tenebras (id est *Ps.* XVII, 12.
infinitam hanc lucem, omnem creatarum mentium capacitatem infinite transcendentem ac superantem) latibulum suum; et ipsæ divinæ tenebræ cooperiuntur et absconduntur omni visioni ac lumini, ob incircumscriptibilem suam plenitudinem, prorsus impenetrabilem et immensam. Quum itaque mens æstuantissimo caritatis ardore succensa, Deo ita conjungitur per contemplationem theoricam et sapientiam luminosam, flammigeram, unitivam, dicitur introire caliginem, instarque Moysis ab omnibus separari. Unitur enim Deo tanquam prorsus incomprehensibili, et quoad quid est, mere ignoto: et tamen hoc ipsum sic intueri, est clarissime ac suavissime contemplari, speciesque altissima contemplationis huic vitæ possibilis. Idcirco tunc tota in lucem illam tam infinitam expanditur, increatæ veritati infigitur, superessentiali deitati et superbeatissimæ Trinitati tam radiose, amorose et proxime copulatur, quod aliud nihil advertit, nec proprium actum attendit, sed defluit a se ipsa, atque in proprium refluit fontem. Sicque in divitias gloriæ rapitur, in amoris increati immensi igne comburitur, in deitatis abyssum profundatur et absorbetur, ut videatur quodammodo esse creatum exuere, et increatum idealeque esse indue-

Digitized by Google

re : non quod substantia mutetur aut proprium esse tollatur, sed quoniam modus essendi, qualitasque vivendi deificatur, hoc est, Deo et superbeatissimæ beatitudini ejus supernaturaliter et gratiosissime assimilatur, sicque eminenter impletur illud Apostoli : Qui adhæret Domino, unus spiritus est; imo quod in Joanne loquitur

1 *Cor.* VI, 17.

A Unitas ipsa et Veritas increata Unigenitus Patris : Pater, rogo pro eis qui credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum ; ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

Joann. XVII, 20, 21, 23, 26.

ARTICULUS XLII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI PRIMI : HÆC SUNT JUDICIA QUÆ PROPONES EIS.

In veteri Testamento fit mentio de præceptis triplicibus, videlicet moralibus, cærimonialibus, et judicialibus. Præcepta moralia sunt, quæ directe pertinent ad bonos mores, et de actibus virtutum exercendis, atque de oppositis vitiis evitandis, traduntur. Et ista præcepta sunt de naturalis dictamine rationis : propter quod dicuntur quasi quædam conclusiones, ex naturali jure seu lege elicitæ. Hinc manent et obligant in evangelica lege. Porro præcepta cærimonialia appellantur, quæ tradunt specialem modum colendi Deum, quantum ad exteriorem ritum et observantiam in sacrificiis et consimilibus. Præcepta vero judicialia sunt, quæ tradunt speciales modos servandi justitiam inter homines in conversatione humana, tamen per respectum et in ordine ad veram et supernaturalem felicitatem. Et sicut præcepta cærimonialia sunt quædam determinationes et explicationes præceptorum moralium concernentium Dei cultum, et quantum ad Deum ; sic præcepta judicialia sunt quædam explicationes et declarationes seu determinationes præceptorum moralium, respicientium directionem vitæ humanæ, seu quantum ad homines. Dictum est enim, quod præcepta moralia docent et jubent Dei cultum in generali, et præcipue quantum ad actus interiores, qui sunt B credere, sperare, diligere; sed cærimonialia præcepta assignant speciales modos cultus divini in exterioribus actibus.

Denique intentio legis divinæ est, homines convenienter ordinare ac regere, tam quoad Deum, quam quoad se ipsos ad invicem : quorum utrumque est de lege naturæ seu dictamine rationis naturalis in generali. Sed oportuit utrumque determinari in speciali per certa præcepta, utpote cærimonialia ac judicialia, ut jam dixi. Et quia cærimonialia præcepta erant omni- C no præfigurativa Christi, et modi colendi Deum in evangelica lege : ideo Evangelio divulgato, cessaverunt, imo illicita atque mortifera facta sunt. Judicialia autem præcepta non erant directe et principaliter figurativa, sed conservativa æqualitatis justitiæ inter homines. Ideo quamvis sint per Christi legem evacuata, ita quod non manent obligatoria, non tamen exsistunt mortifera, quoniam possent a rege aut principe christiano, si expediret, institui, atque a subditis observari, dummodo D non instituerentur nec observarentur, in quantum et quia ad legem Moysis pertinebant, sed in quantum præsenti hominum statui convenirent. De hac materia scribit plenarie Alexander de Hales super tertium Sententiarum, et Thomas in prima secundæ.

Digitized by Google

Itaque postquam præcedenti capitulo data sunt a Deo præcepta moralia, nunc in isto capitulo dantur ab eo judicialia quædam præcepta. *Hæc sunt judicia quæ propones eis :* id est, ea quæ nunc subjunguntur, sunt judicialia præcepta, quæ ego instituo filiis Israel observanda, et quæ tu eis ex parte mei propones, et servanda præcipies.

Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi. In septimo egredietur liber gratis. Istud tripliciter potest intelligi. Primo sic : Si tu Israelita emeris atque redemeris Hebræum jam venditum gentili in servum, serviet tibi usque ad initium septimi anni, utpote jubilæi, qui est annus remissionis, ut infra patebit. Noluit autem Deus quod Hebræi venderentur in servos perpetue atque simpliciter, sed ad tempus prætactum, quoniam ipse eduxit eos de servitute Ægyptia, ut essent servi ipsius, et propter nobilitatem eorum ex Patriarchis contractam, imo et magis propter dignitatem eis collatam per dona gratiæ, et per legem divinam. Ita exponit Andreas. Secundo exponitur sic : Si emeris servum Hebræum, qui servus ante non fuit, hoc est, si emeris Hebræum ad hoc, ut sit servus tuus, serviet tibi sex annis, id est, tibi servire tenebitur, si vixerit per tot annos, nisi intervenerit jubilæus. Sic exponit Magister in historiis. Quod tamen non est intelligendum de magno jubilæo, videlicet quinquagesimo anno, sed de septimo anno remissionis. Tertio sic : Si emeris servum Hebræum ab Hebræo, serviet tibi, ut dictum est. Potuit autem venditio talis fieri tribus modis : Primo, ab ipsis judicibus Hebræis, qui Hebræum de furto convictum, nec habentem unde restitueret, vendi jusserunt ad faciendum restitutionem, ut sequenti constat capitulo; secundo, quia Hebræus ob nimiam paupertatem potuit vendere se in servum, quemadmodum in
Lev. xxv, 39. Levitico habetur, Si paupertate compulsus, vendiderit se tibi frater tuus in servum, etc. ; tertio, quoniam dominus Hebræus, servo suo Hebræo non amplius indigens, poterat eum vendere alteri Hebræo, quantum ad tempus restans usque ad septimum annum remissionis, de quo subditur : In septimo egredietur liber gratis, hoc est, ad placitum suum recedet a domino suo, liber a pristina servitute, nec aliquid dabit pro sua redemptione.

Cum quali veste intravit domum domini sui ad serviendum, *cum tali exeat,* id est æqualiter vestitus. Per quod non excluditur, quin poterat melius esse vestitus in exitu suo. Et istud pie præceptum est, ne pauper servus, male vestitus egrediens, cogeretur rursus servire pro adipiscendo vestitu. Tempus quoque quod in servitute expendit, non sibi, sed suo domino quasi vixisse videtur : ideo egredienti debuit dominus talem præbere amictum, qualem habuit quando ad serviendum intravit. *Si habens uxorem,* id est, si uxoratus fuit, quando intravit ad serviendum cum ea ; *et uxor egredietur simul* cum eo, imo et filii ac filiæ ante vel interim nati, quoniam partus sequitur ventrem. *Sin autem dominus dederit illi,* videlicet servo suo Hebræo, *uxorem* post ingressum ejus ad serviendum, *et pepererit* uxor *illa filios et filias* in servitute ; *mulier et liberi ejus erunt domini sui,* id est, in servitute manebunt. Istud intelligendum est, quando uxor illa non fuit Hebræa, sed serva simpliciter, utpote ad servitutem perpetuam obligata, quia ex alieno genere nata. Si autem fuit ancilla Hebræa, non fuit obligata ad servitutem magis quam servus Hebræus : idcirco cum suo marito ac liberis potuit libera egredi. *Ipse vero exibit cum vestitu suo,* id est solus, ita quod uxor cum sobole in servitute manebit in casu præfato.

Quod si dixerit servus, Diligo dominum meum, et uxorem ac liberos, id est, ex speciali amicitia ad dominum suum et conjugem atque prolem, voluerit in servitute manere, renuntians juri suæ liberationis ; *offeret eum dominus diis,* hoc est, sacerdotibus seu judicibus præsentabit. Dicuntur autem sacerdotes ac judices dii, id est

Digitized by Google

divini, quia per judiciariam potestatem, A et aliorum gubernationem, vicariatumque Dei, divinas proprietates participant, et Deo specialiter assimilantur, saltem in donis his gratiæ gratis datæ. *Et applicabitur ad ostium et postes* tabernaculi, juxta præceptum sacerdotum seu judicum; *perforabitque aurem ejus subula* dominus suus, in signum perpetuæ servitutis: quod signum in aure evidenter apparuit. Vel, perforatio illa fiebat ei in pœnam et confusionem, eo quod noluit uti jure libertatis sibi oblatæ, ac beneficio legis. Fiebat quoque in B aure magis, quam in alia corporis parte, quoniam per auditum didicit et percepit jus hujuscemodi libertatis. Auditus quippe, sensus est disciplinæ. *Et erit ei servus in sæculum,* hoc est, quoadusque manserit vivens, vel usque ad jubilæum forte majorem, quantumlibet distet. Nam tantum spatium solet sæculum appellari. Idem quoque intelligendum est de ancilla. Secundum Thomam talis mansit perpetue servus.

Sequitur aliud judiciale præceptum, C quod satis intricate in textu exprimitur; siquidem legislator illud describendo studuit brevitati. *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt.* Locus iste dupliciter exponitur. Primo, secundum Rabanum et Petrum Comestorem, de venditione filiæ Hebrææ in concubinam, ita quod serviret domino eam ementi in lecto: et in tali casu dominus non potuit eam expellere, sicut ancillam dumtaxat. Quod si istis objiciatur, quod venditio in concubi- D nam fuit illicita, quum omnis concubitus non conjugalis, sit in lege prohibitus, dicunt quod istud fuit permissio, non licentiatio, ita quod fuit Hebræis permissum, propter eorum libidinem aliqualiter refrenandam: quemadmodum dare extraneis ad usuras, propter eorum cupiditatem frenandam circa proprium populum; et sicut dare libellum repudii, ne crudelitatem exercerent in conjuges suas. Nec dicit hæc littera, ut fiat talis venditio, sed quid agendum sit, si fuerit facta. Secundo exponitur sic: Si quis vendiderit filiam suam in famulam, hoc est, si quis Hebræus filiam suam nondum nubilem vendat alteri Hebræo, ut serviat ei ad tempus, quatenus interim consideret mores ejus, an velit eam sibi aut filio suo accipere in uxorem, non egredietur sicut ancillæ egredi consueverunt, id est, non dimittetur a domino suo sicut dimittitur ancilla ex alia gente empta, quæ fuit ancilla simpliciter, nec egredi potuit, nisi dominus excussisset ei dentem aut oculum, ut in isto infra habetur capitulo: quod non servabatur in ancilla Hebræa; imo qui eam sic percussisset, simili pœnæ subjacuit. Huic autem expositioni magis consonare videntur sequentia.

Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerit, id est, cui vendita erat, ut ejus mores sic experiretur, ita quod ei non placet ad ineundum cum ea connubium; *dimittet eam* liberam, etiam ante septimum annum, quia non erat ei traducta finaliter ob servitutem, sed propter conjugium. *Populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam:* id est, si despexerit eam in conjugem sumere, non habebit licentiam vendendi eam populo alieno seu alicui alterius gentis, quia (ut dictum est) tenetur eam dimittere. *Sin autem,* id est, si *filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi,* id est, dotem tribuet ei, ut fieri solet puellis quæ desponsantur. *Quod si alteram ei acceperit,* id est, filio suo aliam dederit conjugem præter prædictam, quoniam unus poterat habere plures uxores, vel si istam prædictam fecerit repudiari a filio suo; *providebit puellæ nuptias et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negabit:* id est, mulieri ita abjectæ providebit suis expensis de alio viro, et necessaria ministrabit pro eo quod a filio suo est corrupta, etsi ipsa voluerit alterum sumere virum. *Si ista tria non fecerit,* id est nullum trium prædictorum, ita quod nec ipse eam accepit uxorem, nec filio suo tradidit

Digitized by Google

eam in conjugem, nec sponte voluit eam dimittere; *egredietur gratis absque pecunia,* id est, puella libere potest recedere etiam ante septimum annum, non dato aliquo pretio pro sua redemptione a servitute.

Circa hoc præceptum scribit Thomas in prima secundæ, quæstione 105 : Lex permisit quod paupertate cogente aliquis Hebræus filium suum aut filiam venderet. Imo per hunc modum poterat se ipsum vendere, in mercenarium tamen potius quam in servum, quia Hebræus non vendebatur in servitutem perpetuam. Unde in
Lev. xxv, 39, 40. Levitico habetur : Si paupertate compulsus, vendiderit se tibi frater tuus, non opprimas eum servitute famulorum, sed quasi mercenarius et colonus erit.

Sequuntur alia præcepta judicialia. *Qui percusserit hominem volens occidere.* Percussio in Scripturis veteris Testamenti accipi solet pro occisione, et ita nunc sumitur : ut sit sensus, Qui volens seu ex proposito interfecerit aliquem injuste seu contra præceptum, *morte moriatur,* id est occidatur, quia propinquus occisi poterat eum jugulare, judices quoque. *Qui autem non est ei insidiatus,* id est, qui non fuit inimicus occisi, nec ex proposito eum occidit; *sed Deus illum tradidit in manus ejus,* id est, Deus occulta æquitate permisit eum occidi ex causa nobis ignota casualiter et sine occidentis intentione. Ita exponit Glossa, ac ceteri. Per quod patet, quod talia casualia et improvisa pericula, non fiunt sine Dei permissione, nec sine rationabili causa, quum Deus moderator atque provisor actuum humanorum illa permittit. *Constituam tibi locum in quo** *fugere debeat.* Nam post hæc verba Deus ordinavit civitates refugii, ad quas confugerunt hujusmodi non spontanei homicidæ, et erant in urbibus illis usque ad mortem summi pontificis, vel quousque reconciliati fuerunt propinquis occisi. De quibus civitatibus agitur in Numeris, Deuteronomio, et Josue. *Si quis per industriam,* id est per pravam et pessimam calliditatem, *occiderit proximum suum, et per insidias,* contra justitiam et ordinem juris; *ab altari meo avelles eum, ut moriatur :* ita quod nec in tabernaculo neque in templo fuit tutatus. Propter quod versutus et artifex homicida Joab, fuit juxta cornu altaris occisus, quoniam duos viros se meliores ita occiderat. Judæi in hoc præcepto, per Proximum, intelligunt natione Hebræum, ita quod lex ista non servabatur, si Hebræus interfecisset insidiose gentilem.

* in quem

Num. xxxv, 6, 11. Deut. iv, 41, 42. Josue xx, 2, 3.

Qui furatus fuerit hominem, abducendo eum clam aut fraudulenter a propriis, *et vendiderit eum, convictus noxæ,* id est crimine ejus patefacto atque probato, seu aliter innotescente, *morte moriatur.* Circa quod dicunt expositores catholici, istud fuisse intelligendum quando venditio fuit secuta furtum, ita quod pro solo furto hominis non fuit mors infligenda, utpote quando homo furto sublatus, inveniebatur antequam vendebatur, ita quod pœna furis tunc fuit reddere duos homines ad serviendum pro uno furtim subtracto quamvis invento : quia sequenti habetur Exod. xxii, 4.
capitulo, qualiter pro aliarum rerum furto restituendum sit duplum. Aliqui vero Hebræi dicunt, quod pro solo hominis furto mors infligebatur, propter hominis ad Dei imaginem facti nobilitatem.

Qui percusserit patrem suum aut matrem, id est unum eorum aut ambos, *morte moriatur.* Istud secundum doctores catholicos et Hebræos intelligendum est non de percussione levi, sed gravi, ex qua scilicet sequitur livor sive effusio sanguinis, aut tale aliquid; et si ex proposito fiat, nisi forte quis levem parentum percussionem in consuetudinem ducat. Pro levi autem et non consuetudinata ipsorum percussione, minor morte infligenda est pœna, attamen magna, quum sceleratissimum ingratissimumque consistat, eos percutere a quibus accepta est vita, et quibus tanta reverentia debetur et gratitudo. *Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur.* Lyra dicit hoc non esse intelli-

Digitized by Google

gendum de sola, sed de consuetudinali maledictione parentum, quum pro levi eorum percussione, quæ gravior est maledictione sola, non fuerit mors infligenda. Contra quod scribit Rabbi Paulus, quod secundum Rabbi Moysen Gerundensem aliosque Hebræos, maledicenti parentibus major pœna debetur, quam eos simpliciter percutienti, quia ad maledictionem eorum multi sunt proniores, ideo magis reprimendi sunt inde. Secundo, quoniam in maledictione parentum nomen Domini vitiose assumitur, sicque in ea etiam Deo irreverentia irrogatur. Hinc reor istud fuisse intelligendum de maledictione proprie sumpta, qua quis ex proposito et aversione malitiosa imprecatur malum parentibus suis a Deo; non autem si ex quadam festinantia animi et absque deliberata malitia fecit hoc. Hinc in Ecclesiastico scriptum
Eccli. III, 18. est : Est maledictus a Deo, qui exasperat
Prov. XXX, 11. matrem. Salomon quoque : Generatio quæ maledicit patri, et generatio quæ maledicit matri. Denique Thomas in prima secundæ, quæstione 105, testatur : Lex vetus pœnam mortis in gravioribus inflixit criminibus, puta in his quibus contra Deum peccatur, et in adulterio atque incestu, in homicidio quoque et furto hominum, et irreverentia ad parentes.

Si rixati fuerint viri contra se invicem, *et percusserit alter proximum suum*, id est unus alium, *lapide vel pugno, et ille* percussus *mortuus non fuerit* cito et evidenter ex illa percussione, *sed jacuerit in lectulo*, propter ægritudinem ex illa percussione secutam; *si surrexerit* aliqualiter melioratus, *et ambulaverit foris super baculum suum*, innitendo sustentaculo ob suam adhuc durantem debilitatem; *innocens erit* a pœna homicidii *qui percusserit*. Ita etiam, quamvis ille percussus moriatur ante suam curationem. Innocens, inquam, erit in foro exteriori a pœna mortis; verumtamen apud Deum reus erit homicidii et mortis æternæ, si intendebat illum occidere, vel si ille post ambulationem præfatam rursus in lectum decidat, et ex percussione illa decedat. Cur igitur innocens est apud humanum judicium talis percussor? Dicendum, quod ex duplici conjectura. Primo, nam quando percussus partim convaluit, incertum videtur an postea ex percussione illa obierit. Forsan enim ex malo regimine, et incustodia sui aut simili occasione in languorem relapsus est ac defunctus. Secundo, nam quia percussor læsit eum pugno aut lapide, non cultello vel gladio aut simili armatura, probabile est quod non proposuit eum occidere. *Ita tamen, ut operas ejus et impensas in medicos restituat*, id est, satisfaciat medicis pro eorum laboribus et medicinalibus in illum expositis, vel reddat quod ille in medicos exposuit, et impedimentum operum percussi recompenset. Videtur tamen, quod in aliquo casu aliquid fuit dandum ad satisfaciendum pro illata læsione atque injuria, ut ex aliis locis hujus scripturæ elicitur.

Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, id est baculo aut alio instrumento læsivo, *et mortui fuerint in manibus ejus*, id est, si alter eorum aut ambo exhalaverint spiritum, mox in ipsa percussione aut protinus post hanc; *criminis reus erit*, id est, homicidii pœnam meretur, sive servus et ancilla Hebræi sint, sive gentiles, potius tamen si exsistant Hebræi. *Si autem uno die supervixerit vel duobus* servus aut ancilla post suam percussionem, *non subjacebit pœnæ*, id est, dominus qui percussit, non erit homicidii reus; *quia pecunia illius est :* id est, servus seu ancilla est res quædam domini sui, quam per pecuniam suam fecit suam, et habet eam quasi pecuniam propriam, seu loco pecuniæ pro re illa expositæ. Quod de servo et ancilla gentilibus præcipue accipitur, quia hujusmodi personæ vendebantur simpliciter et ad semper, non autem Hebræi.

Contra hanc legem quæ aliqualiter dura apparet, sic arguit Thomas in prima secundæ : Lex divina magis debet ad misericordiam provocare, quam lex humana ;

Digitized by Google

sed secundum leges humanas graviter puniuntur, qui nimis aspere affligunt servos aut ancillas. Asperrima autem videtur esse afflictio, ex qua sequitur mors. Inconvenienter ergo statuitur Exodi vicesimo primo, quod qui percusserit servum suum vel ancillam virga, si uno die supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est. Ad istud S. Thomas respondet : Circa læsiones servis illatas lex considerasse videtur, utrum læsio sit certa aut incerta. Si enim læsio certa esset, lex pœnam adhibuit : pro mutilatione quidem, servi amissionem, quia mandabatur libertate donari; pro morte autem, homicidii pœnam, quum servus in manu domini verberantis moreretur. Si vero læsio non esset certa, sed apparentiam quamdam haberet, lex nullam pœnam infligebat in proprio servo, puta dum servus percussus non statim moriebatur, sed post aliquot dies. Incertum enim erat an ex percussione mortuus esset. Denique certum est, ista intelligi de servis emptitiis. Sed in lege evangelica quæ est lex totius caritatis et pietatis, docentur servi et ancillæ esse tractandi benigne, juxta illud ad Ephesios :
Ephes. VI, 9. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes quod illorum et vester Dominus est in cœlis, et non est personarum acceptio apud Deum. In Ecclesiastico quoque dicitur :
Eccli. VII, 23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua. Et
Ibid. XXXIII, 31. rursus in Ecclesiastico : Servus fidelis sit tibi quasi anima tua, et quasi fratrem tracta illum. Porro si duri et rebelles exstiterint, agendum erit quod ait Scriptura :
Ibid. 25. Cibaria et virga et onus asino; panis et disciplina et opus servo.

Si rixati fuerint viri contra se mutuo, *et percusserit quis mulierem prægnantem,* id est, unus illorum feminam sic fecundatam verberaverit, tamen præter suum propositum, utpote virum ejus aut alium cædere volens, *et abortivum quidem fecerit,* id est, fetus conceptus et nondum animatus, fuerit ex illa percussione et mulieris perturbatione atque angustia dissipatus, *sed*

A *ipsa vixerit,* id est, mulier ex illa percussione non fuerit multum læsa nec mortua; *subjacebit damno* ille percussor, *quantum expetierit maritus mulieris, et arbitri judicaverint,* id est juxta rationabilem postulationem mariti, et juxta discretionem, censuramque judicum, secundum quorum dictamen postulatio viri est moderanda. *Si autem mors ejus fuerit subsecuta,* id est, si mulier vel fetus ejus jam animatus ex illa percussione obierit, idque evidenter possit probari; *reddet animam pro anima,* B id est, propriam vitam perdet seu occidetur pro culpa, qui vitam alterius sic exstinxit. Tamen (ut fertur) quidam Hebræi dicunt hic per redditionem animæ pro anima, non esse intelligendum pœnam mortis, sed pecuniariam pœnam secundum judicum taxationem, quia percussor non intendebat mulierem percutere, nec fetum ejus animatum occidere. Sed hoc non consonat textui.

Deinde pœna talionis subjungitur : *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum* C *pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore :* id est, qualem quis alteri læsionem, mutilationem, injuriam intulerit, talem sustinere cogetur, ut sic reparetur æqualitas justitiæ, et injuriator in vita hac corrigatur, atque de cetero reprimatur a consimilibus malis : sicque vindicativa ponitur virtus et pars justitiæ, et vindicatio talionisque pœna, sunt licitæ; sic tamen, ut non ex rancore aut prava radice, sed zelo justitiæ exerceantur, quatenus ani- D mus vindicantis non quiescat in pœna et nocumento rei, sed in emendatione ipsius, vel in bono rei publicæ, prout Alexander de Hales in Summa sua, et S. Thomas eleganter describunt. Verumtamen quidam Judæi, præsertim Rabbi Salomon, opinati sunt, quod ista pœna talionis non fuit intelligenda, ut verba hæc sonant : quia ut dicunt, pro oculo eruto non est oculus eruendus, sed pœna pecuniaria exsolvenda, prout dictaverint judices. Sed istud est contra hunc textum, et contra ea quæ

Digitized by Google

in Deuteronomio aperte scribuntur. Porro Josephus dixit, quod eruenti oculum alicujus injuste, eruendus est oculus, si ille exoculatus exegerit; si vero maluerit pecuniariam satisfactionem habere, poterit ei dare secundum sententiam judicum : et hoc probabilius sonat.

Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit, id est impotentes ad videndum, videlicet cæcos : nam sequitur, *dimittet eos liberos pro oculo quem eruit,* id est quem visu privavit. Talis enim percussor enormiter peccat : ideo justum est ut eorum privetur obsequio, quos tam inhumaniter tractat. Nam quamvis liceat domino infligere disciplinam servo emptitio, hoc tamen cum moderatione fieri debet, secundum mensuram et exigentiam culpæ. *Dentem quoque si excusserit servo suo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos,* pro dente suo. Istud quoque intelligendum est de servo et ancilla gentilibus. Si enim servo aut ancillæ Hebrææ mutilationem intulisset, ad pœnam talionis obligabatur.

Si bos cornu percusserit, id est invaserit, *virum aut mulierem, et mortui fuerint* ex læsione hujusmodi : *lapidibus obruetur* bos, non quia peccavit, in quo ratio nulla est, sed in detestationem nocumenti illati, et ne ex talis bovis adspectu gravarentur videntes; *et non comedentur carnes ejus.* Eadem de causa nec poterant vendi, sed putrefieri sinebantur. *Dominus quoque bovis innocens erit,* quia factum illud ei non poterat imputari, eo quod nihil percepit, nec præscire potuit aliquid tale impetuosum de suo bove. *Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudiustertius,* id est, si aliquoties aliquem cornu impetiit, *et contestati sunt dominum ejus,* id est, illi qui impetuositatem bovis noverunt, avisaverunt possessorem ipsius de hoc, *nec reclusit eum, occideritque virum aut mulierem ; et bos lapidibus obruetur, et dominum illius occident :* quia homicidium illud ei juste imputatur, quia non restitit imminenti periculo sicut tenebatur. *Quod si pretium ei fuerit impositum,* id est, si de voluntate propinquorum occisi, fuerit domino bovis imposita satisfactio seu pœna pecuniaria; *dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus,* id est, pro liberatione sua a morte, quidquid secundum discretionem judicum propinqui exegerint. *Filium quoque et filiam si cornu percusserit,* id est, si bos cornupeta invaserit atque occiderit prolem alicujus quantumlibet infantulum; *simili sententiæ subjacebit* dominus bovis, id est, eamdem pœnam incurret, ac si bos ejus cornupeta occiderit virum aut feminam ; bos quoque similiter lapidabitur. *Si servum ancillamque invaserit et interfecerit, triginta siclos argenti dabit domino,* id est, dominus bovis tantam dabit pecuniam domino servi seu ancillæ occisæ a bove. Quod tamen intelligitur de servo et ancilla gentilibus : quia si occidisset servum Hebræum aut ancillam Hebræam, dominus bovis promeruit mortem. Denique quod de bove cornupeta dictum est, de aliis quoque animalibus domesticis aut possessis, si fiant ita læsiva et impetuosa, videtur intelligendum. *Bos vero lapidibus opprimetur.* Similiter, quod dictum est de læsione per cornua, intelligendum reor de quacumque simili læsione, quæ fieri potest mordendo, conculcando, calcibusque cædendo.

Si quis aperuerit cisternam, id est, operculum removerit a cisterna jam facta, *et foderit* illam purgando aut profundando, aut aliam fodiendo, *et non operuerit eam,* reponendo operimentum super cisternam priorem, aut eam quam fodit de novo, non cooperiendo ; *cecideritque bos aut asinus,* vel aliud domesticum animal, scilicet ovis aut equus, *in eam ; dominus cisternæ reddet pretium jumentorum,* id est, domino animalis lapsi ac perditi satisfaciet pro damno quod passus est. *Quod autem mortuum est, ipsius erit,* id est, domino cisternæ cedet quod extrahitur. Istud intelligendum videtur, si dominus cisternæ per se ipsum fodit, aut fodienti usque ad tempus operiendi adstitit, vel de operiendo non

Digitized by Google

informavit fossorem, quem debuit super hoc admonere: alias videretur imputandum fossori. Rursus, intelligendum videtur de cisterna in loco pertransiri solito situata.

Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille, scilicet bos vulneratus, *mortuus fuerit* ex vulneratione eadem; *vendent bovem vivum* dominus bovis vivi et dominus bovis occisi, *et divident pretium ejus inter se* æqualiter. *Cadaver autem mortui* bovis *inter se dispertient,* id est æqualiter divident, ut unusquisque faciat commodum suum cum sua medietate. Nam carnes ejus poterant gentilibus vendere, quamvis non possent personaliter eas comedere, propter præceptum le-
Lev. XVII, 10 *et seq.* gis, quo prohibebantur manducare carnes animalis suffocati, aut in sanguine suo
A occisi. *Si autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudiustertius, et non custodivit eum dominus suus, reddet bovem pro bove,* id est, domino bovis occisi restituet bovem tanti valoris, ut fuit bos occisus dum vixit, vel pretium tanti valoris, *et cadaver* bovis occisi *integrum accipiet,* ad agendum cum illo commodum suum. Præterea lex ista videtur intelligenda de bobus ejusdem valoris : alioqui dominus bovis occidentis acquireret lucrum ex præfata divisione, et dominus
B bovis occisi incurreret damnum injustum, quando videlicet bos interficiens vilior esset. Quod autem de bobus dictum est, de aliis quoque animalibus, se invicem vulnerantibus, in casu consimili videtur intelligendum.

ARTICULUS XLIII

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI VICESIMI PRIMI SENSU.

S*I emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi.* Quemadmodum Judæi præcipiebantur servos et ancillas suæ nationis præ ceteris pie tractare, et septimo anno gratis relinquere, eo quod Dominus ex Ægypto eduxit Israeliticum populum, eumque suæ mancipavit servituti ; sic christiani prælati, principes ac patresfamilias, caritative ac pie habere se debent ad ministros atque ancillas christifideles, non superbe et aspernanter, quoniam Unigenitus de hoc sæculo nequam, de tenebris vitiorum, de servitute peccati, de jugo diaboli eripuit eos, et transtulit eos in regnum suæ militantis Ecclesiæ, et in mysticum corpus suum, incorporavitque eos
Rom. VIII, 16, 17. sibi, ut sint filii sui Patris, et coheredes regni cœlestis. Spiritualiter autem Hebræus servit sex annis, dum Christianus in exercitiis vitæ activæ se perfecte exercet; sed septimo liber egreditur, dum post activæ
C vitæ laborem, ad contemplativæ vitæ quietem ac libertatem perducitur. Exit autem cum veste eadem, quoniam in utraque vita eadem caritas quæ est vestis nuptialis, eadem quoque intentio perseverat. *Si* *Matth.* XXII, 11, 12.
habens uxorem, et uxor egredietur simul. Uxor istius servi, est sapientia acquisita, ex qua producit aliquos actus bonos : quæ secum debet exire, quia in contemplativa vita non est sapientia naturalis et acquisita. Operatio quoque vitæ activæ non totaliter deserenda, quia cooperatur ad spiritua-
D lem profectum. *Sin autem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui.* Dominus dat servo suo uxorem, dum supernaturalem et infusam sapientiam quæ est *Is.* XI, 2.
donum Spiritus Sancti, illi infundit, infusamve perficit, ex qua generantur actus interni et contemplativi intuitus tanquam filii, sanctæ quoque affectiones ut filiæ :

Digitized by Google

quæ omnia sunt Domini, quoniam Deo adscribenda est hujusmodi sapientia, et quidquid generatur ex ea. *Ipse vero exibit cum vestitu suo :* nam quamvis omnia ista Deo attribuuntur, nihilo minus imputantur et ei, cui infusa aut data sunt; eorumque meritis transit de via ad patriam, de infimis ad suprema.

Quod si dixerit servus, Diligo dominum meum : id est, si amore Christi maluerit in vita manere activa, ut aliis prosit, ministret et opera exhibeat pietatis; *offerat eum dominus diis,* id est, spiritualibus patribus suo tempore præsentetur, a quibus et dirigatur. *Et applicabitur ad ostium* tabernaculi, id est, in fide Ecclesiæ
Joann. x, 9. stabilietur, et Christo (qui ait : Ego sum ostium) conjungetur, ut aliquid etiam de triumphanti Ecclesia Omnipotentisque majestate et gloria contempletur. *Perforabitque aurem ejus subula :* id est, interiorem ejus auditum penetrabit stimulus compassionis, vel acumen compunctionis : quia in exercitiis vitæ activæ, necesse est aliorum onera supportare, afflictis, egenis, ac miseris condolere, ac pro quotidianis culpis compungi. *Si quis vendiderit filiam suam in famulam,* id est, gratiam et scientiam salutarem sibi concessam, aliorum directioni et informationi exposuerit de-
I Petr. iv, 10. servire, juxta illud summi Apostoli, Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum administrantes; *non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt :* quoniam reverenter et cum omni gratiarum actione suscipienda et conservanda est administratio atque instructio talis. Quod si is cui offertur, eam despexerit, non poterit eam venundare alienis, id est hæreticis subdere.

Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur : id est, qui alium ex proposito perturbaverit, et verbis duris ac pungitivis afflixerit, damnationi subja-
I Cor. viii, 12. ceat. Hoc est quod ait Apostolus : Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. *Qui autem non est insidiatus,* id est, sine proposito tale quid egerit ex infirmitate aut ignorantia, misericordiam consequi potest, et damnationem evadere. *Si quis per industriam occiderit proximum suum,* id est, calliditate vulpina traxerit innocentem ac simplicem ad peccandum ; *ab altari meo avelles eum,* id est, ingressu Ecclesiæ et sacramentorum communione reputetur indignus, tanquam seductor nequissimus. *Qui percusserit patrem suum aut matrem,* id est, spirituali aut corporali percussione prælatum aut prælatam offenderit, aut qui superioribus suis maledixerit ; *moriatur,* id est, morte damnationis æternæ dignus esse noscatur. *Qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum, moriatur.* Hominem furatur, qui Christianum ex ovili dominico et mystico Christi corpore separat, et propria iniquitate diabolo vendit, de Catholico hæreticum aut schismaticum faciendo.

Si rixati fuerint viri, etc. Hac lege redarguuntur, qui contentiosis disputationibus aut jurgiis aliis vacant, ita quod etsi non penitus perimant proximos, contra quos arguunt vel contendunt, seu eos qui audiunt, graviter tamen lædunt eosdem, ita quod caritas infirmatur in eis, ipsique per impatientiam, iram, mœrorem quasi succumbunt. *Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit :* id est, superior seu prælatus qui indiscreta et mordaci reprehensione subditos suos sic increpaverit, quod inde mox in desperationem, indignationem, invidiam, aut aliam mortalem corruerint culpam, reus est perditionis illorum. Ideo discreta, pia, et caritativa increpatio necessaria est.

Si rixati fuerint viri, disputando aut aliter contendendo, *et percusserit quis mulierem prægnantem,* id est animam spiritualiter fecundatam, *et abortivum quidem fecerit,* id est, ex illorum rixa fuerit anima ab exsecutione boni propositi, atque a fructu verbi cœlestis impedita, *sed ipsa vixerit,* manendo adhuc in radice et habitu caritatis; *subjacebit damno quantum expetierit maritus mulieris,* id est, jux-

Digitized by Google

ta sententiam Christi, vicariorumque ejus erit culpabilis, et per opera pœnitentiæ castigandus. *Si autem mors ejus fuerit subsecuta,* ita quod caritas fuerit exstincta in ea; *reddet animam pro anima,* id est, propriæ animæ damnationem meretur; *oculum pro oculo,* quoniam juxta quæ fecit, reddetur ei, secundum quod Judex testatur : Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos :* id est, qui alios male instruxerit, et intellectum eorum perverterit, indignus est eis amplius præsidere, aut verbum doctrinæ proponere. Similiter *si dentem,* id est discretionis masticationem, abstulerit ipsis.

Matth. vii, 2.

Si bos cornu percusserit virum aut mulierem : id est, si homo carnalis et bestialis sua elatione aut potestate induxerit quemquam ad culpam mortalem, damnationem incurret; *et non comedentur carnes ejus,* id est, carnalia ejus desideria nemo sequetur. *Dominus quoque bovis innocens erit :* id est, culpa illa non imputabitur prælato aut principi vel parenti hominis talis, quando ex illorum negligentia non contigit talis excessus. *Quod si bos cornupeta fuerit, nec reclusit dominus eum :* id est, si talis subditus jam ante visus est talia operari, et superiori suo constiterit hoc ipsum, nec tamen pro posse suo refrenaverit ipsum; vel, si dominus ejus, videlicet spiritus suus rationalis, motus suæ impetuositatis non repressit; culpa redundabit in eum.

Si quis aperuerit cisternam. Cisterna est profunda Scriptura divina, quæ aperitur, quando exponitur; verumtamen profundiora ejus mysteria incapacibus et indignis tegenda sunt, sicut præcipit Christus : Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas projiciatis ante porcos. Qui igitur ita non egerit, sed bos aut asinus in cisternam corruerit, id est, carnalis, hebes aut actuosus*, audiendo secreta mysteria, fuerit periclitatus et errore submersus; culpabilis erit, et rationem pro illis reddere exigetur, qui eis divina secreta incaute proposuit, nisi interim veraciter pœnitens, etiam pro illis Dei misericordiam implorare studuerit.

Matth. vii, 6.

* *acediosus.*

ARTICULUS XLIV

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SECUNDI : SI QUIS FURATUS FUERIT BOVEM VEL OVEM.

NUNC describuntur judicialia quædam præcepta, in populari convictu dirigentia vitam humanam. *Si quis furatus fuerit bovem vel ovem* proximi sui, *et occiderit vel vendiderit* quod furatus est; *quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove.* Itaque intelligenda est lex ista, quando non solum tale jumentum furtim aufertur, sed etiam venditur sive occiditur, vel in procinctu fuit ut venderetur vel interficeretur. Si autem vivens inventum fuisset tale jumentum in domo furis, non nisi duplum restituere tenebatur, ut paulo post in textu subjungitur. Circa præceptum istud multa occurrunt dicenda, quæ infra tangentur.

Porro Thomas in prima secundæ contra præceptum istud sic arguit : Pœna taxanda est secundum quantitatem culpæ, juxta illud Deuteronomii : Pro mensura peccati, erit et plagarum modus. Sed quibusdam æqualibus culpis lex inæquales statuit pœnas, videlicet pro uno bove furato reddere quinque boves, et pro una ove furata qua-

Deut. xxv, 2.

Digitized by Google

tuor oves. Ad hoc sanctus Doctor respondet : Non solum propter gravitatem culpæ, sed etiam propter alias causas gravis pœna infligitur. Primo quidem infligitur propter quantitatem peccati, quia majori peccato, ceteris paribus, major pœna debetur. Secundo, propter peccati consuetudinem, quia a peccatis consuetis homines non faciliter abstrahuntur, nisi per graves pœnas. Tertio, propter multam concupiscentiam et delectationem in peccato. Ab his enim homines non de facili retrahuntur, nisi per magnas pœnas. Quarto, propter facilitatem et pronitatem peccandi, et in peccato manendi. Hujusmodi namque peccata dum manifestantur, sunt magis punienda ad aliorum terrorem. Itaque in pœna furti lex consideravit quod frequenter accidere poterat : idcirco pro furto rerum, quæ custodiri faciliter possunt a furibus, fur reddidit duplum. Oves autem non possunt faciliter custodiri a furto, quia pascuntur in agris, propter quod contigit eas frequentius furto auferri : ideo circa eas lex auxit et duplicavit pœnam furti, præcipiens pro una quatuor reddi. Boves vero adhuc difficilius præservantur a furto, quia non possunt pasci gregatim ut oves : ideo lex præcepit pro uno bove furato restitui quinque boves.

Porro Glossa aliam tangit hujus præcepti causam : Bos, inquiens, quinque habet utilitates, quoniam immolatur, pascit, lactat, arat, et corium ad diversos usus ministrat : et ita per bovem designatur et vacca, quæ lac dat. Ovis vero quatuor habet utilitates, quoniam immolatur, pascit carnibus, lac et lanam tribuit. Sed huic causæ objici posset, quod etiam pellis ovina ad multa exstat accommoda. Præterea objici potest quod in Proverbiis Salomon ait
Prov. VI, 31. de fure : Deprehensus reddet septuplum. Ergo pro uno bove aut ove tenebatur restituere septem. Ad hoc respondetur, quod judicialia legis præcepta ex rationabilibus occurrentibus causis poterant principis auctoritate gravari, et poterant eis aliqua adjici.

Si effringens fur domum, sive effodiens, fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Istud intelligitur de fure nocturno, quem si dominus domus, vel ejus domesticus invenerit in ipsa confractione aut effossione domus, et interfecerit eum, non reputatur homicidii reus, quia timendum erat, quod venit non solum ad furandum, sed item ad occidendum. Quod autem istud de fure nocturno dicatur, innuunt verba sequentia : *Quod si orto sole hoc fecerit,* id est, furem ita deprehensum claro die occiderit ; *homicidium perpetravit, et ipse* percussor furis, *morietur* ut homicida, quia discernere potuit et satis perpendere, quod fur non venit nisi ad furandum, quum aliunde non esset suspectus.

Hanc expositionem redarguit quidam, quia etiam claro die quidam veniunt insidiose ad occidendum, quemadmodum secundo Regum legitur de filiis Rechab, qui II *Reg.* IV, 6, 7.
interfecerunt Isboseth. Ideo allegat Rabbi Salomonem, dicentem quod lex ista non solum intelligitur de fure nocturno, sed et diurno, dummodo possit haberi quod venit ad occidendum. Unde quod dictum est, Si autem orto sole hoc fecerit, dicit metaphorice intelligendum, ut sit sensus : Si tam clarum est quam clara est dies, quod fur non venit ad occidendum, ut si sit amicus aut propinquus domini domus, et tamen occiderit eum, sanguinis reus erit. Sed prima expositio multo est aptior, quia et Augustinus eam inducit, et alia translatio habet sic : Si autem orietur sol super eum, reus erit. Quo constat, quod ad litteram loquatur de sole. Augustinus quoque affirmat hoc, et in antiquis legibus sæcularibus, quibus tamen ista antiquior est, invenitur, nocturnum furem impune occidi. Insuper Rabbi Paulus circa hoc scribit : Longe videtur a sensu litterali, dicere verbum illud metaphorice debere intelligi, quoniam in judicialibus quæ tractant de actibus humanis, non oportet metaphorice loqui, sed plane. Unde et quidam Hebræorum intelligunt illud ad litteram

Digitized by Google

de fure nocturno, ut dictum est. Objectio quoque postillatoris, videlicet Lyræ, non prævalet : quoniam quod assumit, est de raro contingentibus. Lex autem loquitur de his quæ frequenter contingunt.

Præterea quæri potest, an nocturnum furem in tali casu occidens, fuerit aut sit apud Deum a culpa immunis. Videtur quod non, quum aliunde possit evadere. Item homo non potest sine peccato occidere alium, defendendo se ipsum, nisi observato moderamine inculpatæ tutelæ. Propter quod asserit Thomas in secunda secundæ, quæstione 64 : Non licet occidere alium causa defendendi propriam vitam, intendendo alterius occisionem, nisi publicam auctoritatem habenti, qui hoc refert ad bonum commune. Iterum homo tenetur plus diligere bonum animæ proximi sui, etiam inimici, quam proprium corpus, animalemque vitam : ergo non potest sine mortali culpa occidere proximum in mortali, pro conservatione suæ vitæ corporeæ. Ad istud quidam respondent, concedendo sic esse. Quod vero dicitur, tale homicidium licitum esse, intelligunt eo modo quo dicitur, licere marito occidere adulterum, quem cum sua uxore invenit turpiter occupatum, quia videlicet humana jura non vindicant illud, eo quod maritus habeat maximum incitamentum ad occidendum talem adulterum.

Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur. Istud refertur ad id quod dictum est de furante et occidente seu vendente bovem aut ovem, ut pro uno bove restituat quinque, atque pro una ove quatuor : quia si non habuerit facultatem hoc faciendi, fuit vendendus auctoritate judicum, et de pretio suæ venditionis erat restitutio facienda, quousque fieri quivit. *Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens,* id est nondum occisum nec venditum, *sive bos, sive ovis, sive asinus ; duplum restituet.* Tunc namque pie præsumebatur, quod restituere cogitavit, et minus injuste tractavit non sua. Ecce hic exprimitur asinus, quum ante non fuerit mentio facta nisi de bove et ove. Ideo Josephus probabiliter dicit, præceptum illud esse intelligendum non solum de bobus et ovibus, sed de ceteris quoque animalibus domesticis utilibus, quæ pascuntur in agris, ut capræ, asini et consimilia.

Si læserit quispiam agrum vel vineam proximi sui, id est, per se ipsum, aut per transitum seu pasturam jumentorum suorum, aut per sua vehicula seu quadrigas, vel simili modo intulerit damnum proximo suo in ejus agro aut vinea, vel simili re, puta in horto aut oliveto, *et dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena,* vel etiam non custodierit illud a tali pabulatione; *quidquid optimum habuerit in agro suo vel vinea, pro damni æstimatione restituet,* id est, de optimis fructibus suis, eorumve pretiis faciet restitutionem, secundum justam judicum æstimationem. Quod si personaliter non habeat agrum aut vineam, aliunde providebitur de recompensatione per ejus venditionem aut servitutem, vel alio modo. Recteque dicitur, de optimo, ut per hoc magis refrenetur ab hujusmodi nocumentis. *Si egressus ignis invenerit spicas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris,* id est, si aliquis ignem accenderit, et ignis ille se fundens, combusserit aliorum fructus seu possessiones; *reddet damnum qui ignem succenderit :* maxime si cum proposito ejus factum est damnum illud, imo tunc teneretur ad plus. Si autem egressus est ignis sine ejus proposito, tamen ex negligentia sua, quoniam non adhibuit custodiam debitam, adhuc tenetur ad recompensationem ; non autem si diligentiam debitam in custodiendo adhibuit, ut si ventus repente adveniens ignem diffundat. Hinc Absalom peccavit, segetes Joab succendendo ; non autem Samson, comburendo per vulpes stantia blada Philistinorum, quoniam juste hoc fecit, tanquam judex Israeliticæ plebis.

II *Reg.* XIV, 30. *Judic.* XV, 4, 5.

Consequenter ponitur lex quædam depositi : *Si quis commendaverit,* id est commiserit, *amico,* id est proximo, *pecu-*

Digitized by Google

niam vel vas in custodiam, per modum depositi, et idem de quacumque re simili ita commissa, *et ab eo qui susceperat illa* ad custodiendum, *furtò ablata fuerint; si invenitur fur, duplum reddet* deponenti: *si latet fur,* id est, ignoratur quis fuerit, *dominus domus applicabitur ad deos,* id est, is qui suscepit illa ad custodiendum, adducetur ad judices, *et jurabit quod non extenderit manum* per se, neque per alium, *in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quam in asino et ove ac vestimento,* id est, quod nihil horum ad proximum suum, scilicet deponentem, pertinentium fraudulenter tractaverit, neque abstulerit, *et quidquid damnum inferre potest,* id est, quod nihil furtive attigerit de his, quorum subtractio est damnosa domino rei; *ad deos utriusque causa perveniet,* id est, judices judicabunt inter deponentem et custodem depositi, ita quod custos per suum juramentum evadet, nisi deponens, per testimonium sufficiens possit probare oppositum. Ideo subditur: *et si illi,* videlicet judices, *judicaverint, restituet* custos depositi *duplum proximo suo,* utpote si probat per testes quod custos pejeravit, aut male tractavit deposita.

Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, id est, si quis commiserit aliquod pecus seu pecorum gregem alteri, puta pastori, ad custodiendum atque pascendum ea pro mercede danda pastori, *et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus* aliquod jumentum ita pastori commissum, *nullusque hoc viderit,* id est, pastor pecorum probare per testes nequiverit pecus sic esse mortuum, aut sublatum ab hostibus; *jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum in rem proximi sui,* id est, pastor ille jurabit se non intulisse læsionem aut damnum pecori ejus, a quo illud suscepit ad custodiam; *suscipietque dominus* pecoris *juramentum* pastoris, credendo juranti, *et ille* jurans *reddere non cogetur:* quia non potuit occurrere aut resistere

A morti, debilitationive pecorum, quæ ex naturali et inevitabili contigit causa, nec etiam valuit raptoribus pecoris prævalere. *Quod si furto ablatum fuerit* pecus, *restituet damnum domino* pecoris. Quum enim habeat mercedem a domino pecorum pro eorum custodia, tenetur eadem diligenter servare. Unde si furto auferantur, suspicio est, quod ex negligentia sua acciderit, et quamvis possit hoc absque sua negligentia evenire, tamen non statur suæ jurationi, sicut jurationi depositarii qui gratis B servavit, quia ad majorem diligentiam obligatur, eo quod mercedem pro sua custodia sortiatur. *Si comestum a bestia,* id est, si pecus devoratum sit a bestia, cui pastor resistere non valebat; *proferat* ad eum quod occisum est,* id est, cadaver pecoris sic occisi, seu partem cadaveris nondum comestam portet ad dominum pecoris, *et non restituet,* hoc est, obligatus non erit restituere damnum illud; et si nihil remansit de cadavere devorato a bestia, poterat adducere homines qui vidissent, C vel signum devorationis probare per adspersionem terræ ex cruore animalis vorati.

* deferat

Qui a proximo suo quidquam horum mutuum postulaverit, id est, aliquod jumentum acceperit a proximo suo per modum mutui ad utendum illo jumento pro commodo suo, *et debilitatum aut mortuum fuerit* illud jumentum, *domino non præsente,* id est non præsente eo qui illud concessit; roganti *reddere compelletur,* id est satisfacere domino pro hujusmodi dam- D no, quoniam utebatur animali illo pro propria utilitate. *Quod si impræsentiarum dominus fuerit,* id est, si dominus jumenti sic mutuati fuerit præsens in ejus debilitatione aut morte; *non restituet* damnum domino pecorum, qui illud taliter mutuavit pro commodo suo a domino illo, eo quod dominus adsit ad pecoris sui custodiam, nec viderit pecori suo læsionem nimiumve laborem imponi ab eo cui mutuavit jumentum; *maxime si conductum venerat pro mercede operis sui,* id est, si

dominus illud alteri accommodavit sive A commisit per locationem, quia tunc ipse locans acquirit mercedem pro animali conducto : propter quod is qui illud conduxit, non ita vehementer tenetur ad animalis custodiam, nec ad satisfaciendum pro debilitato aut mortuo obligatur, nisi illud evidenter læsisset, aut immoderate laborare fecisset, super qua re possit inquisitio fieri. Denique de hac materia scribit Thomas in prima secundæ, quæstione 105 : Hæc est differentia inter mutuum et depositum, quoniam mutuum traditur in uti- B litatem ejus cui creditur, sed depositum traditur in utilitatem deponentis : ideo arctabatur quis in aliquibus casibus magis ad restituendum mutuum, quam depositum. Deinde plura scribit ibidem de ista materia, quorum sensus jam introductus est etiam plenius, quam ibidem.

Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, inducendo eam ad carnalem copulam secum per verba, aut dona seu promissa, sive per minas aut copulatricem, vel per artes nefarias, *dormieritque* C *cum ea ; dotabit eam* dote conjugis, *et habebit eam uxorem,* nisi aliunde impedimentum eveniat. Nam subditur : *Si pater virginis dare noluerit,* hoc est, si pater puellæ quæ paulo ante fuerat virgo, non voluerit eam dare deceptori et corruptori filiæ suæ, propter improbitatem illius, vel quoniam ipse ditior atque nobilior illo est ; *reddet pecuniam* ipse deceptor, *juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt,* hoc est juxta mensuram pecuniæ aut recompensæ, quæ danda est D secundum legem pro virginis violatione. Estque modus dotis illius, ut in Deute-
Deut. xxii, 29. ronomio scribitur, pondus quinquaginta siclorum argenti. *Maleficos non patieris vivere.* Tamen maleficos occidere, non spectat ad unumquemque, sed ad principem terræ, seu publica auctoritate fungentem. Malefici autem, secundum Glossam, vocantur, qui præstigiis magicæ artis vel dia-
Exod. vii, 11,22; viii, 7. bolicis figmentis agunt, et qui magicis artibus utuntur, de quibus dictum est ante, ubi est actum de maleficis Pharaonis. Et recte post legem istam de virgine violata, de maleficis admiscetur, quia puellæ per maleficia quædam decipi solent.

Qui coierit cum jumento, morte moriatur, quum hoc sit nimis contra naturam. Unde et alibi Dominus jubet jumentum *Lev.* xx, 15.
cum illo occidi, in detestationem tanti facinoris. *Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli :* hoc est, qui alicui deorum aut idolorum exhibuerit latriæ cultum, soli Altissimo exhibendum, interficiatur. *Advenam non contristabis, neque affliges eum,* nisi forte per suos excessus id mereatur : alias singulariter pie tractandus est, quia non habet tot humana solatia, sicut indigena. *Advenæ enim et ipsi fuistis in terra Ægypti.* Ideo in vobis ipsis estis experti, quid animi sit advenis dum male tractantur ; et quod vobis tunc fieri optabatis, debetis nunc aliis facere. Istud tamen non solum præcepit Deus per Moysen his, qui ex Ægypto erant educti, sed posteris quoque eorum, qui in patribus suis in Ægypto fuerunt.

Viduæ et pupillo non nocebitis contra justitiam. *Si læseritis eos* injuste verbo aut factis vel signis, *vociferabuntur ad me* contra vos conquerendo atque vindictam optando ; vel quoniam ipsa eorum vitiosa oppressio est unum de quatuor peccatis clamantibus ante Deum, juxta illud :

Clamitat ante Deum vox sanguinis, et Sodomorum,
Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Et ego audiam clamorem eorum : id est, justum judicium eis faciendo, monstrabo me eorum injuriationem attendere : *et indignabitur furor meus contra vos percutiamque vos gladio,* id est, occidi vos faciam ; *et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli :* sicque punitio iniquitatis patrum et maritorum, aliquo modo redundabit in uxores et proles, in quantum secundum corpus sunt aliquid virorum et patrum. Per istud præceptum Dominus jubet, ut miserabilibus, desolatis, impotentibusque personis specialiter caritativi

Digitized by Google

simus ac pii, non solum non injuriando, A sed etiam condolendo ac succurrendo. Quo etenim miserabiliores exsistunt, eo inhumanius est eis injuriari, quum et afflicto non est danda afflictio. Specialiter quoque nociva est homini inordinata tristitia, quum et in Proverbiis dicatur: Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, sic tristitia nocet cordi. Quum ergo peccatum in proximum tanto sit gravius, quanto majus nocumentum ei infligit, constat quod alium contristare sit valde enorme peccatum. De hac materia copiose possent auctoritates B induci. Nam et in Deuteronomio legitur : Dominus facit judicium pupillo et viduæ, amatque peregrinum. Unde miranda est hæreticorum perversitas, qui Deum legis et Prophetarum, de quo scripta sunt ista, mentiti sunt naturaliter esse malum. Et quamvis quidam eorum concesserunt eum esse justum, non tamen bonum, quasi justitia non sit bonitas quædam ac virtus quæ habentem bonificat.

Prov. xxv, 20.

Deut. x, 18.

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, id est, ali- C cui indigenti concesseris pecuniam : quod utique faciendum est loco et tempore congruo ; *non urgebis eum quasi exactor,* id est, non repetes concessa nimis cito et importune atque ferociter, præsertim indigentia illius durante ; *nec usuris opprimes* eum, id est, non capies ab eo usuram. Per hæc verba insinuatur, quod Judæi debebant præcipue esse parati succurrere ac mutuare hominibus suæ legis ac nationis, et primo pauperioribus ac vicinioribus, deinde et aliis etiam gentilibus cum ipsis D pacifice conversantibus, præsertim conversis. Quod et nunc Christiani similiter facere debent, quum in Evangelio dicat Salvator : Mutuum date, nihil inde sperantes. Porro pro eo quod habet translatio nostra, Nec usuris opprimes eum, in Hebræo (secundum Lyram) habetur, Nec morsum pones super eum. Et per morsum designatur usura, quæ instar serpentis pungit egentem : imo quemadmodum morsus serpentis silenter mordentis, in

Luc. vi, 35.

principio non multum percipitur, postmodum vero causat inflationem, atque per totum corpus diffundit suum effectum; ita usuræ nocumentum in principio parum sentitur, sed paulatim ascendit, et magnum damnum infligit. *Si pignus a proximo tuo,* puta Judæo, *acceperis vestimentum* ipsius, *ante solis occasum reddas ei* pignus illud. Quod intelligendum est, si ille sit pauper, notabiliterque indigeat veste illa de nocte. Nam sequitur : *Ipsum enim* vestimentum *est solum quo operitur,* id est, quo indiget se operire in nocte, *nec habet aliud in quo dormiat. Si clamaverit ad me* conquerens contra te, quod tam inhumaniter gravas eum, non reddendo ei pignus illud ante solis occasum, *exaudiam eum, quia misericors sum.* Verumtamen pignus illud fuit de mane rursus accipiendum ab illo, si in die poterat eo carere, ne oblivisceretur debiti sui.

Diis, id est sacerdotibus et judicibus, *non detrahes,* id est, prohibeo tibi obloqui eis. Nam etsi detrahere cuicumque sit grave peccatum, præcipue tamen obloqui sacerdotibus atque judicibus, qui tanquam vicarii Dei, et benefactores præcipui, sunt specialiter diligendi ac honorandi. Specialiter quoque nunc exprimuntur, quoniam ratione officii sui, quod est corripere et corrigere delinquentes, solent subditorum offensam incurrere : idcirco cavendum est subditis, ne ob suam castigationem indignentur adversus illos, et ne ex indignatione aut ira, ad detractionem, murmurationem, aut consimilia mala labantur, aut superiores suos temerarie judicent. *Et principi populi tui non maledices.* Hoc specialiter accipi potest de summo pontifice et rege seu duce Israelitici populi. Nam et Paulus in Actibus applicat istud ad principem sacerdotum. Denique quod ait, Diis non detrahes, secundum Augustinum, intelligi potest etiam de Sanctis in cœlo et angelis qui dii vocantur, atque de divinis hominibus qui in terra versantur. Unde et Apostolus loquitur : Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in

Act. xxiii, 5.

I *Cor.* viii, 5.

Digitized by Google

terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi.

Decimas et primitias tuas non tardabis reddere *, id est, decimas quas ex lege teneris offerre, atque primitiva fructuum terræ, offer et persolve suo tempore indilate ministris templi. Quod qualiter sit intelligendum atque implendum, infra clarius edocetur. *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi*, id est, primum tempore inter filios tuos offeres mihi, tanquam specialiter pertinentem ad me, quia (ut dictum est sæpe) ex quo percussit Dominus primogenitos Ægyptiorum, consecravit sibi primogenitos Hebræorum. *De bobus quoque et ovibus similiter facies*, id est, primogenita eorum offeres mihi sicut et hominum, quoniam Dominus non solum hominum, sed et pecorum primogenita in Ægypto occidit, idcirco et pecorum primogenita sibi jussit offerri. Hinc quod de bobus et ovibus nunc jubetur, de aliis quoque animalibus immolaticiis est intelligendum. *Septem diebus sit cum matre sua*, id est, quodlibet tale primogenitum per septem dies cum matre sua sit et alatur, ut interim aliqualiter consolidetur in corpore, et aptius fiat ad offerendum octava die, sicut subjungitur : *die octava reddes illum mihi*. Et congrue ait, Reddes : quoniam quidquid Deo offerimus, ab ipso prius accepimus, prout primo libro Paralipomenon David fatetur : Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. (I Par. XXIX, 14.)

* offerre

Viri sancti eritis mihi : id est, hortor ut in sanctitate mihi deserviatis, seu meo cultui sitis specialiter dedicati, ad honorem nominis mei. *Carnem quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis:* hoc est, nihil manducabitis de carnibus animalis a quacumque bestia suffocati, lacerati, seu partim comesti, seu quovis modo occisi, eo quod caro talis sit ex hoc vilificata, seu aliquo modo immunda effecta. Quod tamen ob mysticam rationem mandatum est, quoniam cærimoniale fuit præceptum, videlicet ad innuendum ac præfigurandum, quod homines ab infernalibus bestiis, puta dæmonibus ac vitiis, spiritualiter interempti ac mortui, non sunt apti Christo ac ejus corpori mystico incorporari, neque ut tales possunt esse nutrimentales partes electæ Ecclesiæ; itemque, quod fideles non debeant communicare mensæ dæmoniorum, ut scribit Apostolus, Glossaque tangit. (I Cor. X, 21.) *Sed projicietis canibus* tales carnes. Judæi hoc loco per canes intelligunt gentiles, et universos qui non sunt de lege eorum ; et dicunt quod poterant carnes illas gentilibus vendere ad edendum : quos si non reperissent, poterant cadavera sic occisa projicere canibus. Loquitur autem lex ista de carnibus, quibus Judæi alias licite vescebantur.

ARTICULUS XLV

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA HUJUS VICESIMI SECUNDI CAPITULI.

S*I quis furatus fuerit bovem vel ovem*, etc. Per bovem multipliciter utilem, designatur fructuosus prælatus, qui agros cordium gregis sibi commissi acutissimo Dei verbo arat, penetrat, seminat, et fecundat. Per ovem vero exprimitur bonus, simplex, ac innocens subditus. Qui ergo furatus fuerit bovem unum, id est, Christo ac populo ejus subtraxerit unum virtuosum pastorem, eum latenter fallendo, spiritualiterque necando, seu ad vitia pertrahendo ; restituat quinque boves pro uno illo, id est, tam cordialiter et condigne pœniteat, ut quantum in se est, cupiat et

Digitized by Google

conetur quinque prælatos bonos, seu homines nondum in prælatione constitutos, Ecclesiæ exhibere, et Christo adducere veros idoneosque prælatos. Sic et qui Christo unam subtraxerit ovem, scandalizando unum pusillum seu innocentem et simplicem omni verbo credentem, tam intense super hoc doleat, ut orando, prædicando, exemplariterque vivendo, quatuor lupos convertere conetur in agnos, ita ut lupus et agnus pascantur simul. *Is.* LXV, 25. *Si effringens fur domum, sive effodiens, fuerit inventus,* etc. Fur domum effringens sive effodiens, est doctor perversus, iniquus prælatus, hæresiarcha nequissimus, qui gregem Christi conatur inficere, et subditos subvertere non veretur. Si ergo superior præsidens et præsul catholicus, talem per excommunicationis sententiam a mystico Christi corpore separaverit, mortuumque protulerit, non offendit Deum sic faciens, imo meretur. *Quod si orto* jam *sole hoc fecerit,* id est, postquam Christus sol sapientiæ in corde illius furis splenduerit, ostendendo ei suum errorem atque ad pœnitentiam eum alliciendo ; *homicidium perpetravit,* quoniam et se ipsum tam graviter peccando læsit, et alios scandalizavit, eumque qui pœnitendo justificatus est, vitiose condemnat.

Si læserit quispiam agrum vel vineam. Per agrum et vineam intelligi potest non solum quæcumque Ecclesia, sed etiam uniuscujusque anima semine verbi cœlestis sata, virtutumque fructibus decorata. Qui ergo alterius animam sive parochiam, aut alicujus prælati Ecclesiam læserit peccando in proximos, scandalizandove plurimos, et bonum commune impediendo, *et dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena,* id est, appetitum suum brutalem aut animalem hominem sibi subditum permiserit alios conturbare, donaque gratiæ in proximos dissipare ; *quidquid optimum habuerit in agro suo vel vinea, pro damni æstimatione restituet,* id est, propriis donis meritisque privatur, et superiores animæ suæ vires lædit. *Si egressus ignis invenerit spicas :* id est, si quis per fervorem suæ iræ aut impatientiæ irrefrenatæ, aut per zelum indiscretum induxerit alios ad consimilia mala, ita quod spirituales fructus collectionesque meritorum et virtutum profectus in ipsis incendit atque destruxit ; *reddet damnum,* quia obnoxius erit, aliorumque vitia ac detrimenta salutis redundabunt in ipsum, et quibus sic nocuit, prodesse tenetur. *Si quis commendaverit amico* suo *pecuniam,* etc. Hoc est, qui dona gratiæ sibi concessæ communicaverit aliis, instruendo, orando, atque ad meliora provocando, si illi dona spiritualia eis sic communicata amiserint, communicanti non poterit imputari, sed his qui aliis causa aut occasio peccandi exstiterint.

Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam. Virgo nondum desponsata, est anima naturalibus et acquisitis virtutibus integra, et instar aliorum nondum peccatis corrupta, quæ quodammodo virgo potest vocari, nondum tamen per fidem et virtutes infusas conjuncta est Sponso cœlesti. Hanc decipit, qui persuadet eidem naturalia ei sufficere ad salutem ; et dormit cum ea, qui commiscetur ei in tali errore : ideo *dotabit eam,* quoniam facit eam putare, quod spiritualiter dives sit, nulliusque egeat. *Et habebit eam uxorem,* producendo ex ea fructus et opera acquisitarum virtutum, dum eam hortatur ad talia tantum, non ad supernaturalium actus virtutum ; si tamen pater virginis dare voluerit, id est, si Deus omnium pater et conditor permiserit animam talem in errore hujusmodi detineri. Si vero illuminaverit eam, faciet eam sui ipsius sponsam ac filiam per fidem et caritatem contemplationisque gratiam.

Advenam non contristabis, eum videlicet qui ad patriam tendit cœlestem, vel eum qui extra Ecclesiam militantem peccando effectus est, et rursus per pœnitentiam redit ad eam, qui pie est recipiendus. *Advenæ enim et ipsi fuistis in terra Ægypti.* Advenæ itaque eramus, quando in hoc

Digitized by Google

sæculo nequam, vitiis atque erroribus involvebamur; sed quando per gratiæ lucem ad Pœnitentiæ sacramentum redimus, rursus cives Ecclesiæ sumus effecti : ideo esse debemus aliis diversimode delapsis caritativi et compassivi, secundum quod desuper facta est nobis misericordia magna. *Viduæ et pupillo non nocebitis.* Vidua est anima Sponsi cœlestis unione privata ; pupillus vero, qui peccando desiit A esse filius adoptivus Patris æterni. Talibus ergo non noceamus injuste, sed prodesse nitamur, reducendo eos ad iter salutis. *Decimas et primitias tuas non tardabis reddere.* Ita et nos quidquid boni egerimus, quidquid principale aut magnum apparet, Deo cum omni humilitate et gratiarum actione promptissime adscribamus. Ceterorum tropologia ex præhabitis patet.

ARTICULUS XLVI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : NON SUSCIPIAS VOCEM MENDACII.

MULTA judicialia præcepta, quæ etiam ad moralia de propinquo pertinent, nunc introducuntur ad observandum justitiam inter homines. *Non suscipias vocem mendacii,* hoc est, verbis falsis non credas, nec acquiescas, præsertim dum tibi constiterit quod sint falsa. Et summe vitanda sunt mendacia perniciosa. Quidam refert istud ad judices, ita quod per verba ista præcipitur judici, ne in foro judiciali audiat unam partem in alterius partis absentia : quia dum pars una auditur, absente alia, solet pars illa pro justificatione suæ causæ miscere multa mendacia. Sed contra hoc Rabbi Paulus scribit, quod inconveniens esse videtur hoc dicere, utpote divina lege esse prohibitum, quod judex audiat unam partem, alia non præsente. Nam quamvis sic audiat unam, non tamen credet, nisi audierit alteram. Deinde dicit in Hebræo haberi, Non feras auditum vanitatis : ut sit sensus, quod judex non debet quemquam damnare aut refutare propter famam inanem aut falsam. Verumtamen aptius reor dictum prioris. Convenientius quippe est, ut ambæ partes in judicio simul compareant, et si judex seorsum quid audiat ab una parte contra aliam, non credat, nisi altera parte audita, B nisi forte propter evidentiam facti. Unde et in Actibus fertur Apostolorum : Non est consuetudo Romanis aliquem condemnare, nisi is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque accipiat defendendi ad abluenda crimina. *Nec jungas manum tuam,* id est, cum nullo societatem et pactum inibis, *ut pro impio dicas falsum testimonium.* Imo pro nullo faciendum est hoc ; sed ideo ait, Pro impio, quoniam qui scienter cupit pro se falsum testimonium dici, eo ipso quo cupit hoc, impius est et C peccat mortaliter. Tamen ut fertur, in Hebræo habetur, Cum impio : ut sit sensus, Non asseras nec promittas te falsa testificaturum cum aliquo alio vitioso volente hoc facere.

Act. xxv, 16.

Non sequaris turbam ad faciendum malum : hoc est, non acquiescas multis quoniam multi sunt, ut ea ratione dicas, judices, aut agas aliquid contra justitiam et virtutem ; *nec in judicio plurimorum acquiescas sententiæ,* id est, in judicando non attendas ad multitudinem irrationabilem, D *ut* ob ejus tumultum et pluralitatem, *a veritate* * *devies,* hoc est, sententiam veritati contrariam proferas. Quidam enim se armant multitudine, non ratione : quibus non est consentiendum. Idcirco peccavit

* *vero*

Digitized by Google

Matth. xxvii, 24. Pilatus, multitudini cedens, Christum judicando injuste, populo satisfacere volens. Verumtamen multitudini testium stare oportet, nisi oppositum queat probari, aut judex convenienter possit evadere prolationem sententiæ, si ei constet oppositum, ut infra magis tangetur. Circa hæc scribit Lyra: Aliter exponunt Judæi hunc passum, quoniam in Hebræo habetur, Non sequaris Rabbi. Hæc autem dictio, Rabbi, æquivoca est; quia interdum significat idem quod multos, sicque accipitur, quum dicitur, Non sequaris Rabbi ad faciendum B malum, hoc est, propter majorem judicantium partem a vero judicio declinantem, non debet aliquis judicantium sequi eorum perversum judicium. Rabbi quoque significat magnos seu magistros, sicque accipitur, quum dicitur, Nec in judicio etc., et est sensus, ut nec propter eos qui majoris sunt auctoritatis in judicando, quisquam ceterorum judicantium a veritate recedat judicii : ideo inter sapientes Judæorum fuit statutum, ut qui minoris erant auctoritatis, primo inciperent C proferre sententiam, ultimoque majores, ne minores timerent a majorum sententia declinare. Quem etiam modum tenent in Universitate Parisiensi in deliberationibus suis, incipiendo ab illis qui in magisterio sunt minores.

Pauperis quoque non misereberis in judicio. Semper pium est pauperibus misereri, sed in foro judiciali et contentioso non debet judex pauperi misereri in derogationem partis adversæ, neque in jacturam justitiæ. Verumtamen, ceteris paribus, D quantum salva justitia fieri potest, debet judex esse pauperibus gratiosus et consolatorius adspectu et verbis, ne timore potentiorum vel pusillanimitate, deficiant a defensione et justa prosecutione propriæ causæ. Hinc sanctus Job recitat de se ipso:
Job xxix, 7, 11, 12, 25. Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi, auris audiens beatificabat me, eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adjutor. Quumque sederem

A quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Sicque jubetur in Psalmo : Judicate egeno et pupillo ; Ps. LXXXI, 3, 4.
humilem et pauperem justificate. Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.

Si occurreris bovi inimici tui, aut ovi erranti, reduc ad eum. Per hoc Dominus innuit, quod unus non debet contra alium ad invidiam concitari propter litem quam in foro justitiæ habent, nec ex rancore, sed zelo justitiæ unusquisque debet suam prosequi causam. Nam animalia domestica adversarii sui, quæ invenerit quis errantia, debet ad adversarium suum reducere : quod est opus pietatis et dilectionis. Unde et subditur : *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis,* asino sic relicto; *sed sublevabis cum eo :* hoc est, onus simul et asinum levabis, et onus super asinum pones, eumque odienti reduces : quod et de quolibet animali onerato et lapso intelligi debet, si quis sine periculo possit ei succurrere. Denique, ut Rabbi Moyses ait, frequenter Deus præcepit Judæis facere misericordiam brutis, ut sic assuescerent sibi invicem atque hominibus esse misericordes; erant namque crudeles. Ex isto etiam trahitur, quod intentio legis non erat, ut Judæi inimicos suos absolute odirent, videlicet quantum ad naturam seu personam eorum. Nam jussit ut benefacerent eis, et damna eorum vitarent : quod etiam fuit inimicitiæ exstinctivum, atque amoris provocativum. Hinc Thomas in prima secundæ, quæstione 105, testatur : Lex instituit, ut quantum ad aliqua, usus rerum esset communis patriæ, etiam quantum ad curam. Præceptum enim est in Deuteronomio : Non videbis Deut. XXII, 1.
ovem et bovem fratris tui errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo. Et similiter de aliis. Et hoc idem nunc jubet. Ex quibus probatur, quod eum quem lex vocat in isto capitulo inimicum et odientem, Deuteronomium nominet fratrem : sicque per fratrem et proximum, intelligit tam amicum quam inimicum.

Digitized by Google

Non declinabis in judicio pauperis : hoc est, causam pauperis judicando, non recedas ab ordine juris et æquitatis, accipiendo personam divitis aut potentis, vel causam nimium protrahendo aut refutando, quemadmodum de iniquis principibus
Is. 1, 23. in Isaia habetur : Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos. *Mendacium fugies :* ita ut nec proferas illud, nec foveas, imo pro posse prohibeas, præsertim omnè perniciosum mendacium. Os
Sap. 1, 11. enim quod mentitur, occidit animam. Quod etiam ad judices potissime pertinet : quorum est, non solum falsa et injusta non committere, sed et in aliis ea punire ratione sui officii, et quia in solio sedent justitiæ.

Insontem, id est innocentem, scilicet pium et simplicem, *et justum non occides :* quod potissime prohibetur judicibus, ne scilicet tales condemnent, aut morti adjudicent. Justi autem, qui zelo veritatis accensi, defendunt justitiam, et impietati aut falsitati resistunt, frequenter incurrunt offensam quorumdam etiam superiorum ac judicum, secundum quod dici solet, Veritas parit odium.

Circa hunc locum multa scribit Nicolaus de Lyra, quæ diligentius discutienda videntur. Siquidem per insontem intelligit eum, qui in veritate est innocens, quamvis convincatur per falsos testes. Et addit quod judex non debet illum occidere, si innocentiam ejus sciat secrete, sed debet testes diligentius examinare, ut eorum falsitas deprehendatur. Quam si sic deprehendere nequit, debet judicium ad superiorem remittere judicem. Quem si habere non potest, dicit Thomas in secunda secundæ, quæstione 64, quod in hoc casu judex non peccat, ferendo sententiam contra eum, quia judex non interficit illum, sed illi qui accusant. Deinde Lyra reprobat, tamen modeste, responsionem hanc Thomæ, dicendo : Si judex quantumcumque superior, invenire non potest viam liberandi innocentem a morte, debet prius dignitatem et officium judicandi dimittere,

A quam contra innocentem sententiam ferre : aliter peccatum non evaderet, ut videtur. Et istud probat auctoritate Augustini in libro de Libero arbitrio asserentis : Quomodo apud divinam providentiam a peccato sunt liberi, qui pro his rebus, quas oportet contemnere, humana cæde polluti sunt ? quasi dicat, Nequaquam. Porro per res quas oportet contemnere, intelligit Augustinus omnia illa, quæ homo potest invitus amittere, inter quæ est vita corporalis. Potius ergo debet judex mortem

B subire, quam innocentem occidere.

Circa hæc dico, quod responsio S. Thomæ in hac materia, vera est atque tenenda, et antiquis et solennibus doctoribus consona. Nempe, ut loco præallegato inducit Thomas, Ad judicem pertinet judicare, in quantum est publicus minister legum ac juris, et prout publica fungitur auctoritate : ideo secundum legem aut juris tenorem tenetur in judicando procedere. Hoc autem est juris, ut secundum proposita et probata sit judicans. Hinc

C quoque Alexander de Hales super tertium Sententiarum testatur, quod in tali casu judex non occidit, sed lex, idcirco non peccat. His concordat quod scribit Antisiodorensis in tertia parte Summæ suæ, dicendo : Si episcopus præcipiat sacerdoti, quod excommunicet aliquem, quem sacerdos scit innocentem, et scit quod episcopus ex odio jubeat hoc, an tenetur obedire sacerdos ? Dicimus quod antequam sacerdos excommunicet istum, debet episcopo intimare innocentiam ejus ; et si episcopus in pro-

D posito perseveret, sacerdos sine dubio obedire tenetur : aliter periret obedientia humana in ecclesiastica hierarchia. Sacerdotis namque non est cognoscere, an sententia superioris sui sit justa, an non : quia si posset cognoscere, hoc est dijudicare, posset semper dicere, Prius cognoscam, an sententia tua sit justa : sicque periret humana hierarchia, et humana obedientia. Idem dicendum est, si rex præcipiat præposito vel lictori occidere innocentem. Hæc Antisiodorensis. Porro auctoritas

Digitized by Google

Augustini prædictis non derogat. Verum A est enim, quod nequaquam sint liberi a peccato apud Altissimum, qui pro his rebus quas contemnere oportet, humana cæde polluti sunt. Sed istud in casu proposito locum non habet, quia in casu illo non polluitur judex cæde humana: idcirco quod probandum est, petitur. Verumtamen si judex zelo justitiæ mallet dignitatem atque officium resignare, quam innocentem damnare, laudabile esset; sed si superior resignationem non acceptet, obediendum est ei.

Quod si prædictis objiciatur, quia secundum ea videtur Pilatus Christum sine peccato damnasse ad mortem, quia tam *Matth.* multi testes, imo et principes sacerdotum xxvii, 12, 20. contra Christum testabantur; similiter viderentur excusandi qui Christum et sanctos martyres occiderunt ex præcepto superiorum suorum: respondetur, quod Pilatus *Ibid.* 18. sciens Christum ex invidia traditum, seque posse eum eruere, non remisit judicium ejus ad superiorem. Ad aliud Thomas respondet: Minister judicis judici obedire C non debet, si ejus sententia intolerabilem includat errorem: alias excusarentur carnifices qui sanctos martyres occiderunt. Si autem non continet injustitiam manifestam, non peccat minister ejus sententiam exsequendo: quia non spectat ad eum, superioris sui discutere sententiam; et tunc ipse non occidit innocentem, sed judex. Deus autem fidem martyrum tam evidenter probavit per sufficientia signa, quod persecutores et eorum ministri excusationem non habuerunt. Antisiodorensis D quoque affirmat, quod interfectores Christi ex fama operum Christi credere debuerunt, quod esset a Deo ac justus. Quod si dicatur, dato igitur quod inter eos quidam fuissent qui inde nihil audissent, illi non peccassent: respondet hic doctor, quod casus sit impossibilis, quoniam Christus non permisisset tales sibi injicere manus.

Præterea per justum, Lyra intelligit eum, qui justus videtur in oculis hominum, quamvis forsan sit reus mortis apud Deum, et talem non debet judex occidere. Ad quod dico, quod quamvis non debeat illum occidere, prætermisso ordine juris, tamen si novit secrete impietatem ipsius, potest se ex illa juvare notitia ad procurandum ordinate mortem ipsius per pœnas, præsertim si ille iniquus adversetur bono communi. Allegat etiam Lyra Rabbi Salomonem, dicentem: Si is qui justus putatur, sed reus est, exit de domo judicii, tanquam innocens a crimine sibi imposito, et apparuit aliquis qui velit eum probare reum, non B est audiendus adversus illum; nam quamvis ille evadat hominum manus, tamen in Dei manu permanet puniendus. Circa hoc dico, quod in hujusmodi casu, si evasio rei talis, sit bono reipublicæ periculosa, et judex probabiliter aut certitudinaliter sciat quod dignus sit morte, debet audire occurrentem accusatorem: nec valet ratio ad oppositum assignata, quia eadem ratione quilibet reus esset dimittendus, quoniam quantumcumque hominum manus evadat, tamen Omnipotentis nequit evadere manum.

Itaque insontem et justum non occides, nec permittes occidi, si convenienter poteris impedire: *quia aversor impium,* hoc est, impie judicantem abominor.

Nec accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. Per istud non prohibentur universaliter datio atque acceptio munerum, quum dicat Salvator: Date, et dabitur vobis. *Luc.* vi, 38. Et Paulus in suis epistolis munera sibi a suis discipulis missa fatetur. Salomon quoque in Proverbiis testatur: Munus abs- *Prov.* xxi, 14. conditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. Sed judicibus ista dicuntur, ne ab habentibus causas, accipiant munera ad hoc data, seu ea intentione, ut pervertant judicium, quod esset mortale peccatum: sicque verbum hoc est præceptum. Si autem judici præbeantur munera, absque aliqua pactione, tam explicita quam implicita, nec ipse accipiat ea intentione perversa, adhuc non tutum est quod accipit ea, propter causam in lit-

Digitized by Google

tera tactam ; non tamen videtur esse mortale peccatum : sicque verbum istud exstat consilium. Et sicut istud prohibetur seu dissuadetur judicibus, ita et testibus : quoniam munera excæcant prudentes, id est, ad mentis excæcationem inducunt eos, qui ante prudentes fuerunt. Siquidem ex munerum acceptione inclinatur affectus ad inordinatum amorem, tam dantis quam muneris, et emollitur contra rigorem justitiæ, et invite offendit donantem, assuescitque plura appetere munera, atque eorum amore judicare perverse. Sic quoque munera subvertunt verba eorum qui ante justi fuerunt, qui amore munerum corrumpuntur, ita quod contra veritatem et justitiam judicant, et fovent causas inju- *Is.* I, 23. stas. Hinc in Isaia habetur : Principes tui infideles, omnes diligunt munera, sequuntur retributionem. Econtra, justus judex *I Reg.* XII, 3. sanctus Samuel primo Regum ait : Si de manu cujusquam munus accepi. De quo *Eccli.* XLVI, 22. et Ecclesiasticus asserit : Pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo. Sic *Act.* XX, 33. et Paulus contestatur : Argentum et aurum aut vestem nullius concupivi. Hæc documenta et exempla, sunt judicibus testibusque pensanda ac imitanda.

Quidam exponit hæc sic : Non accipies munera etiam pro vero judicio, quoniam judex non debet justitiam vendere. Si enim judex est inferior, debet esse contentus stipendiis sibi datis a superiore. Si vero sit superior, scilicet princeps terræ, debet esse contentus suis redditibus, qui sunt stipendia sibi concessa a communitate pro observatione justitiæ. De hoc loquitur Thomas in secunda secundæ, quæstione 71 : Secundum Augustinum, judex non debet vendere justum judicium, nec testis testimonium verum. Advocatus tamen potest vendere patrocinium suum. Nam quamvis scientia juris sit bonum spirituale, attamen usus ejus fit opere corporali. Judex autem et testes sunt personæ utrique parti communes : idcirco judicibus sunt de publico stipendia laboris statuta ; testes au- A tem accipiunt stipendium sui laboris, non pretium attestatæ veritatis.

Postremo verbum istud, Ne accipias munera, secundum Glossam, sumendum est de triplici munere utpote munere manus, munere linguæ, et munere obsequii, juxta illud in Isaia : Qui excutit manus suas ab *Is.* XXXIII, 15. omni munere. Qui vero pro muneribus pervertunt judicium, aut testimonium proferunt falsum, sequuntur Judam proditorem, negotiatorem miserrimum, qui Christum pro triginta denariis vendidit. *Matth.* XXVI, 15.

B *Peregrino molestus non eris* contra justitiam, eadem ratione qua nec advenæ, viduæ, aut pupillo, ut in præcedentis articuli et capituli expositione deductum est. Si autem referatur istud ad judices, sensus est, quod judex non debet permittere, ut peregrini injuste retardentur a suo itinere, vel quod eis fiat injuria, aut quod carius ipsis vendatur. Et si habuerint causam propter injuriam eis factam, debet judex causam eorum quantum potest celeriter expedire, ne eis in terra aliena su- C per afflictionem addatur afflictio. *Scitis enim advenarum animas,* hoc est peregrinorum dispositionem interiorem, quia faciliter contristantur, *quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti :* ideo experientia vestra docere vos potest. Circa hæc scribit quidam : Peregrinus hic dicitur, transiens per terram alienam. Quod videtur non sufficienter prolatum. Quum enim dixisset, Peregrino molestus non eris, pro causa adjecit, Scitis enim advenarum animas. Quo constat, quod peregrinus nunc appel- D latur, non solum qui per alienam graditur terram, sed item qui in aliena terra moratur, præsertim quia subjungitur, Quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti : in qua certum est eos, quibus ista locutus est Moyses, diu in Ægypto mansisse.

Sex annis seminabis terram tuam propria manu, sive per alterum, *et congregabis fruges ejus* tempore messis in horrea. *Anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, et quidquid reliquum fuerit,*

Digitized by Google

comedent bestiæ agri. Ita facies in vinea A *et in oliveto tuo*. Beatus Augustinus circa hæc quærit, quid pauperes Judaici populi comedebant ex frugibus terræ ditiorum septimo anno, si terra ipsa anno septimo non seminabatur, quia de terra non seminata nil poterat accipi, in qua segetes nasci non poterant. Hinc Augustinus sensit, quod terra etiam septimo anno seminabatur, sed quæ nascebantur, non colligebantur a dominis ipsorum agrorum, imo pauperibus colligenda et edenda dimittebantur. Ideo dictum est, Septimo anno dimittes eam, B id est quæ nascuntur in ea, et requiescere facies quantum ad hoc, quod nihil deponas aut tollas de ea. Hunc sensum sequitur Glossa, quæ dicit super illud, Septimo anno dimittes eam, id est, seminabis, sed non colliges. Porro Hebræi ac Josephus dicunt, quod septimo anno, qui fuit annus requietionis, non licuit seminare, et quod ea quæ sponte nascebantur, dimittebantur pauperibus, atque quod illis superfuit, dimittebatur bestiis campi. His consentit Magister in historiis, dicens : Si quid in C septimo anno ex præteritis frugibus succreverit, comedent pauperes populi, etc. *Lev.* XXV, 2-5. His favere videtur illud Levitici : Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizetur sabbatum Domino. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam ; septimo anno sabbatum erit terræ Domino. Agrum non seres, et vineam non putabis; quæ sponte gignit humus, non metes. Huic quoque sensui consentit Andreas. Augustinus vero et eum sequentes, exponunt sic : Septimo anno D non seres, videlicet tibi. Similiter facies in vinea et oliveto, ut scilicet septimo anno non putentur neque colantur, nec fructus eorum domino vineæ et oliveti approprientur, sed pauperibus dimittantur aut communicentur. Per bestias vero agri, tam domestica quam silvestria bruta intelliguntur. Refert Josephus, quod quando Judæi istud servabant, fruges sexti anni abundabant tam copiose, quod sufficiebant pro sustentatione anni septimi et octavi.

Sex diebus operaberis, septimo die cessabis. Istud præceptum præ ceteris frequenter repetitur: cujus sensus, repetitionisque ratio, in expositione capituli vicesimi, alibi quoque hinc inde præhabiti sunt. Tamen quod dicitur hic, *ut requiescat bos et asinus tuus, ut refrigeretur filius ancillæ tuæ et advena :* non est principalis causa hujus præcepti, celebrationisque sabbati, sed secundaria, accessoria et annexa.

Omnia quæ dixi vobis, custodite in memoria et effectu, quia non sufficit unum sine alio custodire tempore opportuno. *Et per nomina externorum deorum,* id est per falsos deos seu idola, *non jurabitis, neque audietur ex ore vestro* tale juramentum seu verbum, per quod directe inducatis alios ad jurandum per exteros deos. Jurare namque est infallibilem veritatem omnia intuentem, videlicet Deum, in testem assumere. Ideo per falsos deos jurare, est eis adscribere et reverentiam exhibere, quæ Deo vero debentur. Imo sicut jurare inaniter est contra præceptum divinum, ita ordinate jurare cadit sub præcepto, et actus est latriæ : ideo soli Deo vero est impendendus, ita ut per eum ad ejus reverentiam fiat. Qualiter autem liceat ab idololatris sumere juramentum per falsos deos et idola, docet Augustinus ad Publicolam scribens, et Thomas in secunda secundæ, quæstione 98, plenius hoc exponit. Sic equidem licet hoc, sicut licet ab usurariis pecuniam sub usura accipere. Nam unus potest malo alterius uti in bonum, quemadmodum etiam Deus ex malis hominum elicit multa bona ; sed non licet idololatras ad tale inducere juramentum.

Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis, id est, quolibet anno celebriter agetis tres solennitates notabiles, unamquamque tempore suo, ad majestatis meæ gloriam et honorem. De quarum solennitatum prima subjungitur : *Solennitatem Azymorum custodias,* id est, præcipio tibi ut omni anno servetis festum paschale, in quo azymis panibus vesci debetis. Unde subjungitur : *Septem diebus*

Digitized by Google

comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, videlicet in Aprili, seu (ut alii dicunt) in Martio, prout in expositione capituli duodecimi est tractatum; *quando egressi estis* de Ægypto :* de qua exierunt quintodecimo die mensis illius qui vocatur mensis novorum : quia (ut ait Glossa) tunc colligebant messes, et eas igni torrentes ac manibus confricantes, offerebant de fructibus novis primitias Domino; de quibus parum imponebatur sacrificio, reliquum erat sacerdotis : quo facto, unicuique licuit metere. Hinc alii dicunt, quod vocatur mensis novorum, quia in crastino quintædecimæ diei fiebat oblatio de novis fructibus primo maturescentibus, ut si quis in agro aut horto suo conspiceret spicas aut ficus maturescentes, debuit eas colligere, atque in festo paschali ad templum deferre. Hinc sequitur : *Non apparebis in conspectu meo vacuus,* id est, in templo seu tabernaculo aut sacrificii loco non præsentabis te absque debita oblatione opportuno tempore facienda. Spiritualiter vero nullibi coram Dei præsentia apparere debemus, corde a virtutibus bonisque actibus vacuo : sacrificiumque laudis, orationem devotam, debitam subjectionem ac servitutem Deo ubique offerre nos congruit.

* egressus es

Exod. XIII, 4.

Et solennitatem mensis primitivorum operis tui, id est, celebritatem Pentecostes explebis, quæ fiebat quinquagesimo die post Pascha : appellaturque solennitas Primitivorum, quia in mense quo venit, puta in Junio, secundum Glossam, offerebant panes Domino de frugibus illius temporis tunc maturis, qui dicebantur panes primitiarum; *quæcumque severis* in agro,* id est, solennitatem istam Primitivorum seu primorum, præcipuorumve fructuum, granorum seu seminum, quæcumque in tuis seminaveris agris.

* seminaveris.

Deinde de observatione tertiæ solennitatis adjicitur : *Solennitatem quoque in exitu anni,* id est festum quod venit in Septembri, qui est septimus mensis apud nos, sed primus mensis anni apud Hebræos, A quantum ad temporis decursum, secundum unam opinionem, quamvis Aprilis seu Martius primus sit quoad festa : sicque festivitas veniens in Septembri, fuit in exitu anni, id est statim seu primo mense post finem et exitum anni præcedentis. Per hanc autem solennitatem, intelligi potest festum Scenopegiæ, id est Tabernaculorum, quod duravit septem diebus, et quintodecimo die Septembris incepit, in commemorationem beneficii Dei, quo eos per aridam ac sterilem terram deserti deduxit B ad terram lacte et melle manantem. Idcirco in festo hoc attulerunt ac habuerunt virides ramos, seu lignum densarum frondium, spatulasque palmarum, et salices de torrente, fructum quoque pulcherrimæ arboris, ut infra magis describitur. Et quia in tempore hujus festi erant fructus terræ collecti atque repositi, subjungitur : *quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.*

Verumtamen in veteri lege erant plures solennitates, quam istæ tres, ut infra pa- C tebit, et Thomas in prima secundæ, quæstione 102, pulchre declarat, ac suis locis dicetur; sed de his tribus, quasi præcipuis, modo fit mentio. Quid autem per festum paschale spiritualiter designetur, in expositione capituli duodecimi dictum est. Per solennitatem vero Pentecostes, præfiguratus est descensus Spiritus Sancti in Apostolos, atque in primitivam Ecclesiam Christi. Per festum demum Tabernaculorum, peregrinatio electorum in sæculo isto.

Ter in anno apparebit omne masculinum D *tuum coram Domino Deo tuo :* id est, in tribus præfatis solennitatibus, scilicet in Pascha, Pentecoste, et Scenopegia, universi mares Israelitici seminis venient ad locum cultus divini, seu templi vel tabernaculi, ut ibi repræsentent se Deo, et ejus servos se esse recognoscant, nec obliviscantur beneficiorum ipsius, neque ad idololatriam paulatim labantur. Potissimum autem apparere tenebantur in festo Paschæ. Cum habitantibus vero multum remote a loco electo seu templo (qui locus fuit Jerusa-

Digitized by Google

lem, templo ibi constructo) dispensabatur, quantum ad apparendum ibi in Pentecoste et Scenopegia. Sed quare non fuit præceptum hoc idem de feminis? Respondetur, quoniam feminas decet magis domi manere, quiescere et latere, quam multum discurrere. Item, quoniam masculinus sexus principalior est, regitque feminas : ideo viris in Dei cultu manentibus, non fuit grande periculum de idololatria mulierum. Interdum tamen feminæ comitabantur viros ex devotione, sed ibant seorsum,
Luc. II, 41. ut dici solet super illud in Luca : Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solenni Paschæ.

Non immolabis super fermento, id est, pane fermentato exsistente in domo tua, non offeres *sanguinem victimæ tuæ :* id est, agnum paschalem tunc non occides, qui fuit præcipuum sacrificium legis. Ille itaque agnus non poterat immolari, nisi
Exod. XII, 15. prius fuisset omne fermentum a domo immolantis remotum, quemadmodum in expositione capituli duodecimi habitum est diffuse. Per quod spiritualiter designatur, quod opera virtuosa debemus Deo offerre, imo et nos ipsos ei sacrificare in puritate sine admixtione malitiæ atque nequitiæ. *Non remanebit adeps solennitatis meæ usque mane,* id est, adeps animalium quæ mihi in solennitatibus offeruntur, non reservabitur usque ad diem sequentem. Poterat autem cremari circa noctem, aut in nocte super altare. Per quod designatur, quod devotionis pinguedo seu spiritualis intelligentia, sit virtutum operibus protinus conjungenda, et non separanda ab eis. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui,* id est, in templo offeres Deo ad recognoscendum quod omnia sint ab eo. Istud præceptum præhabitum est. Per quod significatur, quod et præcipua bona, operumque bonorum exordia, Deo et gratiæ ejus sint adscribenda; et rursus, quod extra catholicam Ecclesiam non sit sacrificiorum spiritualium locus, quia non placet quis Deo, nisi in ecclesiastica permaneat unitate. Materialis quoque ecclesia præcipuus locus est, in quo Deo est serviendum.

Non coques hœdum in lacte matris suæ. Contra hoc sic argui potest : Non nocet animali occiso, qualiter carnes ejus coquantur, inaniter ergo istud præcipitur. Ad hoc Thomas in prima secundæ, quæstione 102, respondet : Quamvis hœdus occisus non sentiat, qualiter carnes ejus coquantur, tamen in animo decoquentis ad crudelitatem quamdam pertinere videtur, si lac matris suæ quod ei datum fuit pro sua sustentatione, adhibeatur ad consumptionem carnis suæ. Vel dici potest, quod Dominus istud prohibuit populo suo, ne assimilaretur idololatris, qui in solennitatibus suis carnes hœdi ita coquebant ad immolandum sive ad comedendum. Porro Augustinus circa hæc multa scribit, intendens quod ad litteram non habeat convenientiam hoc præceptum. Ideo refert ad Christum, qui propter similitudinem *Rom.* VIII, 3.
carnis peccati, vocatur hœdus : sicque per verba hæc prophetabatur, quod Christus non fuit ab Herode interficiendus in lacte matris suæ, id est in sua infantia; vel fuit præceptum, ne a Judæis occideretur in lacte matris suæ, id est in die quo fuit conceptus. Quod tamen Judæi transgressi sunt, quia eodem die fuit crucifixus, quo et conceptus. Porro dies conceptionis vocatur lac matris, quia extunc in matre paratur materia lactis. Spiritualiter hœdus, id est peccator, non est coquendus in lacte matris, id est, blanditiis non est fovendus, sed acriter castigandus, si fuerit immansivus.

Josephus demum exponit sic : Non coques, etc., id est, non comedes hœdum infra octavum diem, quia adhuc parum differt a lacte ob teneritudinem suam. Rabbi Moyses vero rationabiliter asserit, quod per istud præceptum et consimilia, lex intendit Judæos ad pietatem allicere : idcirco ad bruta præcepit eos pios exsistere, ut circa homines benigniores exsisterent; erant enim crudeles. Denique Andreas ait, istud præceptum, de aliorum quoque

Digitized by Google

animalium, quæ lacte nutriuntur, carnibus esse intelligendum ; non autem de carnibus avium, quoniam non aluntur lacte, sed de materia ovi. Sicque quod prohibetur de lacte matris, intelligendum esset de communi lacte. Huic dicto Andreæ concordat quod Magister in historiis dicit : Hebræus habet, Non coques separatum in lacte matris suæ. Et est sensus, Non coques separatum a carne parentum, id est, quod per carnalem generationem conceptum et natum est, non comedes coctum cum lacte, vel cum aliquo lacteo, utpote caseo aut butyro. Quod dictum est propter aves, quæ non de carne, sed de ovis educuntur, quas in lacte coctas vel cum lacte edunt Hebræi. Nec ideo de lacte matris prohibitum dicunt, quod in alio lacte eas liceat coquere ; sed quia lac illud paratius posset inveniri cum animali, propter hoc prohibuit de omni lacte. Postremo quidam intelligunt istud dictum esse de his quæ Domino offeruntur, quasi dicatur : Non offeras hœdum vel agnum infra octavum diem, quoniam nondum comestibilis exstat, parumque differt a lacte matris.

Consequenter post legis expressionem hortatur Dominus populum ad ejus observationem per divina promissa, et in persona Moysis alloquitur populum, quatenus Moyses verba illa sic repetat plebi : *Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem præparavi tibi :* videlicet in terram promissionis, quam vobis dare disposui. Potest autem hic passus dupliciter explanari. Primo, per angelum intelligendo ipsum Josue ministrum Moysis, qui
Josue I, 2-6. Moyse defuncto factus est dux populi, introduxitque eum in terram promissam. Qui Josue angelus appellatur ratione officii, quoniam a Deo missus est filiis Israel ad annuntiandum eis Dei eloquia et præcepta ; qui et instar angelorum Deo in omnibus obedivit, ut in Josue libro legi-
Ibid. XI, 15. tur : Non præteriit de universis mandatis ne unum quidem verbum, quod Dominus jusserat Moysi. *Observa eum, et audi vo-*

A *cem ejus,* id est, tu, popule Israel, attende et sequere ipsum Josue, et ei obtempera ; *nec contemnendum putes,* quia non fuit de tribu Ruben primogeniti Jacob, nec de tribu Juda, sed fuit minister Moysis ; *quia non dimittet quum peccaveris.* Hoc patuit in Achan, quem pro suo scelere lapidari *Josue* VII, 25.
præcepit, et omnia ejus combussit, ut legitur in libro Josue. *Et est nomen meum in illo.* Per nomen Dei, in Scripturis intelligitur ipsemet Deus, juxta illud : Sit *Ps.* CXII, 2.
nomen Domini benedictum. Est itaque sen-
B sus : Ego ipse in ipso sum sicut in meo vicario, et sicut dominus et rex est in suo præcone ac nuntio. Iterum, quoniam Josue interpretatur salvator, et dictus est Jesus : quod nomen competit proprie ac naturaliter Deo, de quo scriptum est : Ex- *Habac.* III, 18.
sultabo in Deo Jesu meo. Qui et in Osee protestatur : Salvator non est præter me. *Osee* XIII, 4.
Hinc nomen Dei fuit in Josue. *Quod si audieris vocem ejus, et,* pro id est, *feceris omnia quæ loquor* ei, id est, quæ tibi per eum ac Moysen jubeo ; *inimicus ero ini-*
C *micis tuis,* videlicet Chananæis, ceterisque adversariis tuis injustis, *et affligam affligentes te,* id est eos qui tibi resistere præsumpserint. Hanc expositionem sequuntur Glossa ac Rabanus, pluresque alii.

Secundo exponuntur ista de angelo, qui per columnam nubis et ignis filios Israel antecessit, viam monstravit, protexit, qui per Moysen loquebatur ad populum. Et fuit nomen Dei in angelo illo, juxta sensum prætactum, induxitque filios Israel in terram promissionis, juxta illud Judicum :
D Ascendit angelus Domini de Galgalis ad *Judic.* II, 1.
locum Flentium, et ait : Eduxi vos de Ægypto, et introduxi vos in terram, pro qua juravi patribus vestris. Et non dimittet quum peccaveris : quia conformatus est divinæ justitiæ, nec ab ea unquam exorbitabit, ac juxta Dei imperium exercebit ultionem in transgressores. Nuntius quoque non habet dimittere injuriam domini sui, nisi in quantum sibi a domino suo committitur. Ista expositio litteralior esse videtur, quoniam Moyses audiendo hæc verba a Do-

Digitized by Google

mino, intellexit sensum eorum, et tamen A non intellexit ea dici de Josue : imo adhuc putavit se introducturum filios Israel in terram promissionis, quousque quum peccasset ad aquas Contradictionis, audivit oppositum.

Præcedetque te angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, Chananæumque et Hevæum, et Jebusæum, quos ego conteram. Non adorabis deos eorum, cultum latriæ exhibendo falsis diis aut idolis, *neque coles eos* per orationes et sacrificia; *non facies* B *opera eorum,* videlicet Chananæorum seu deorum ipsorum, id est opera placita diis hujusmodi, *sed destrues eos, et confringes statuas eorum. Servietisque Domino Deo vestro,* ei soli cultum latriæ jugiter exhibendo : qui licet sit omnium Deus jure creationis et gubernationis, est tamen specialiter vester Deus per modum frequenter expressum; *ut benedicam panibus tuis et aquis,* id est sustentaculis vitæ tuæ, seu escis et potibus, quæ per panem et aquam communiter designantur, *et auferam in-* C *firmitatem de medio tui,* id est, corporalem sanitatem tibi præstabo. *Non erit infecunda nec sterilis terra tua,* vel ut alii habent, *in terra,* id est, fecunditatem terræ nascentium et hominum ac jumentorum conferam tibi. *Numerum dierum tuorum implebo,* id est, vitam diuturnam tibi concedam.

Porro (ut tactum est sæpe) ista non sunt intelligenda, quasi hæc temporalia bona promissa, sint principale atque sufficiens meritum servitutis ac obedientiæ Deo ex- D hibitæ ; sed rudi populo ita locutus est Dominus, quatenus per temporalia ad spiritualium ac divinorum allicerentur amorem, et ad Dei obsequium. Idcirco per temporalia ista, intelligenda sunt spiritualia bona infra tangenda. Nec intelligenda sunt præinducta, quasi justis viris ac feminis Israeliticis nunquam acciderint defectus cibi et potus, infirmitas corporis, sterilitas terræ, infecunditas ventris, brevitas vitæ : constat enim oppositum in David, Elia, Jeremia, Machabæis, multisque aliis, de quibus et Elias conquestus est Domino : Prophetas tuos occiderunt; sed quia com- III *Reg.* XIX, 10. muniter præfatæ temporales prosperitates dabantur cultoribus Dei, quamvis interdum ex speciali causa, divina providentia aliter ordinavit.

Terrorem meum mittam in præcursum tuum : id est, per mirabilia quæ facturus sum, incutiam grandem formidinem cordibus Chananæorum, ita quod ex tuo adventu prosternentur timore, juxta illud Josue: Irruit in nos terror vester, et elanguerunt *Josue* II, 9. omnes habitatores terræ ; *et occidam omnem populum ad quem ingredieris,* id est quosdam, imo et valde multos de omnibus populis Chananæorum. Verumtamen multi eorum manserunt superstites, propter causas diversas, quæ in expositione librorum Josue ac Judicum sunt tangendæ. *Cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum et Chananæum et Hethæum antequam introeas.* Septuaginta transtulerunt, Emittam vespam ante te. Unde in libro Sapientiæ legitur : Misisti *Sap.* XII, 8. antecessores exercitus tui vespas. Crabro autem est musca de putrefacto cadavere nascens. Istud ergo quidam ad litteram factum dicunt, ita quod multitudo talium muscarum ac vermium sic molestaverunt præfatas gentes, videlicet multos ex eis, quod fugerunt a terra sua ante Judæorum ingressum. Alii per crabrones intelligunt timores et anxietates, quæ instar crabronum pungebant et affligebant gentes prædictas, ita quod multi ex eis fugerunt.

Non ejiciam eos a facie tua anno uno. Unde in Josue libro scriptum est : Multo *Josue* XI, 18. tempore pugnavit Josue contra reges istos. *Ne terra in solitudinem redigatur.* Quo constat, quod terra filiis Israel promissa, fuit valde magna et lata, ita quod non obstante quod filiorum Israel erant plusquam sexcenta millia virorum, terra illa fuisset pro magna parte in solitudinem redacta, nisi filii Israel fuissent plus multiplicati ad replendum eamdem interim

Digitized by Google

quod adversarii ejiciebantur ex ea. *Et crescant contra te bestiæ,* id est, feræ indomitæ multiplicentur in ea, quæ fiant nocivæ. Ideo subditur : *Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis* numero ac robore, *et possideas terram.* Nec ista intelligenda sunt quasi Deus non potuerit bestiarum illarum multiplicationem ac rabiem impedire, sed quia non vult semper omnia supernaturaliter operari, ne videatur non approbator naturalis cursus ac ordinis rerum.

Ponam autem terminos tuos, id est fines B totius terræ tibi promissæ, *a mari Rubro* ab oriente, *usque ad mare Palæstinorum* ab occidente : quod mare dicitur nunc Tyrrhenum ac Mediterraneum ; *et a deserto* Ægypti ex parte australi, *usque ad fluvium* Euphraten a parte aquilonari. Quæ tota regio quandoque vocatur Judæa. Dicuntque aliqui, quod filii Israel nunquam obtinuerunt totam hanc terram, quia sub præhabita conditione fuit eis promissa. Alii dicunt, quod circa finem regni David, et tempore Salomonis, totam aut pe- C ne totam sortiti sint. *Quia tradam in manibus vestris habitatores terræ, et ejiciam eos de conspectu vestro. Non inibis cum eis fœdus,* id est, pactum seu amicitiam non contrahas cum Chananæis ac ceteris gentibus illis, quamdiu in sua manserint infidelitate, *nec cum diis eorum,* promittendo aut concordando quod velitis eis servire, sicut in libro Judicum quidam fecisse leguntur. (*Judic.* I, passim.) *Non habitent in terra tua,* hoc est, non permittas eos tibi cohabitare, *ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum : quod tibi certe erit in scandalum.* D Periculosa namque est vitiosorum societas, præsertim imperfectis ac pronis ad vitia. Et quoniam filii Israel ista non fecerunt, sed concordiam inierunt cum Chananæis, permittentes eos secum sub tributo morari, junxerunt cum eis connubia, atque in idololatriam corruerunt.

Sensus spiritualis.

Præterea, de spirituali sensu hujus capituli dicta sunt aliqua, et modicum addi A potest, præsertim ab illo loco, *Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te.* Ubi per angelum, mystice intelligitur Christus, magni consilii Angelus, missus a Patre (*Is.* IX, 6.) ante populum christianum, qui et electos Israelitas præcessit, personaliter docens ac regens eos : in quo fuit nomen Patris, quia Filius verus est Deus, et Pater in Filio est, (I *Joann.* V, 20.) Filiusque in Patre. Quod si Christo perfecte obedierimus, erit Pater inimicus inimicis nostris, et affligentes nos, scilicet invisibiles hostes, aut etiam impios persecutores, affliget. Sic quoque Deus benedicet panibus nostris et aquis, id est, spiritualia alimenta, virtutes et dona Spiritus Sancti, ac merita multiplicabit in nobis. Infirmitatem quoque, id est læsionem peccati, tollet de medio nostri. Nec erit infecunda terra nostra, id est Ecclesia, vel ager cordis, seu caro nostra, quæ spiritui erit subjecta ac serviens in bonis operibus. Numerum etiam dierum nostrorum implebit, hoc est, dies nostros sanctis actibus faciet plenos. Plenitudinem quippe (*Ps.* LXXII, 10.) habet vita justorum, inanes vero sunt dies impiorum. (*Ps.* LIV, 24.) Viri item sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Insuper mittet terrorem suum in præcursum nostrum, ita quod invisibilibus hostibus, atque incredulis gentibus erimus metuendi, tanquam castrorum acies ordinata. (*Cant.* VI, 3.) Occidetque illos, id est, succumbere faciet, et vitia nobis subjiciet. Verumtamen non uno anno, quoniam vult ut paulatim proficiamus, et jugiter contra vitia præliemur, ne si nimia securitate et quietudine resolvi cœperimus ac tepescere, terra nostra, scilicet ager cordis aut caro, in solitudinem vitiorum redigatur, Dei inhabitatione privata, atque virtutibus spoliata. Postremo, vult Deus ut iniquorum ac carnalium hominum periculosa vitemus consortia, et omnem communionem eorum illicitam, ne cum perversis pervertamur, et rebus vanis ac fœdis et vilibus, tanquam diis ac idolis, incipiamus plus adhærere ac velle placere, quam vero Deo.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI QUARTI : MOYSI QUOQUE DIXIT, ASCENDE AD DOMINUM.

DESCRIPTIS Dei præceptis, nunc recitatur qualiter Moyses ea exposuit populo, et quomodo populus acquievit. *Moysi quoque dixit* angelus : *Ascende ad Dominum tu et Aaron.* In vicesimo narratur capitulo, qualiter populo non valente sustinere allocutionem apparitionemque Dei, solus Moyses accessit caliginem in qua erat Deus, hoc est in verticem montis Sinai, in quo fuit nubes caliginosa. Et ab illo loco usque ad istum, descripta sunt Dei præcepta, nec legitur Moyses interim descendisse. Quomodo ergo nunc dicit ei jussum, ut ascendat ad Dominum? Respondetur, quod Dominus jussit ei primo, ut descenderet ad recitandum populo divina præcepta : quo facto, rursus ascenderet, sicut nunc enarratur. Istud tamen de ejus descensu non exprimitur hic, sed ex verbis paulo post sequentibus datur intelligi.

Ascende ad Dominum tu et Aaron, *Nadab et Abiu, et septuaginta senes ex Israel, et adorabitis procul; solusque Moyses ascendet ad Dominum.* Videtur in his contradictio implicari. Nam in principio horum verborum præcipitur Moysi, ut ipse et Aaron ac ceteri jam expressi, ascendant ad Dominum; in fine autem jubetur, ut solus Moyses ascendat ad Dominum. Et respondendum, quod principium horum verborum, intelligendum est de ascensu usque ad radices seu terminos montis; finis autem, de ascensu usque ad montis cacumen. Deus autem per totum Sinai montem fuisse censetur, in quantum ibi specialiter operabatur; specialius tamen in vertice montis, in quo et mirabilius majestatem suam monstravit. Cur autem præcepit Dominus ipsum Aaron, duosque filios ejus, et

A septuaginta seniores dumtaxat, cum Moyse ascendere? Dici potest, quod Aaron jussus fuit ascendere cum Moyse, quia in ceteris specialiter affuit ei; similiter duo seniores filii ejus, quia cum eo functuri erant paulo post sacerdotio; septuaginta quoque, quoniam totidem fuerant, Deo jubente, assumendi in adjutorium Moysis pro regimine populi. Et quæri posset, an isti septuaginta fuerunt illi, de quibus in Numeris habetur, quod ad tabernaculum sint *Num.* XI, 16.
deducti. Circa quod loquitur Strabus ad
B litteram : Septuaginta (significantur) de quibus dicitur Moysi, Assume tibi septuaginta viros, de quibus Eldad et Meldad fuerunt. *Et adorabitis procul,* id est, omnes vos simul adorabitis Dominum, stando ad terminos montis, qui multum distant a vertice ejus, in quo specialiter fuit Deus per modum expositum; *solusque Moyses ascendet ad Dominum* in verticem montis, quoniam solus Moyses fuit principalis dux populi, et inter Deum populumque sequester ac legislator instrumentalis ac
C ministerialis; *et illi,* videlicet Aaron, ejusque filii, ac septuaginta, *non appropinquabunt* Domino; *nec populus ascendet cum eo* ultra terminos sibi præfixos.

Venit ergo Moyses, id est, descendit de altitudine montis. Quo patet, verum esse quod dixi, utpote Dominum primo jussisse Moysi in vertice Sinai, ut descenderet ad insinuandum populo eloquia Dei. Nam subditur : *et narravit plebi,* id est omnibus simul tam superioribus quam inferioribus, *omnia verba Domini,* id est documenta
D et cærimonialia quædam præcepta, sibi a Domino data in monte, *atque judicia,* id est præcepta judicialia, quæ in tribus

Digitized by Google

præcedentibus capitulis continentur. *Respondit que cunctus populus una voce,* id est concorditer, quum audissent Moysis relationem : *Omnia verba Domini quæ locutus est, faciemus,* id est, universa ejus præcepta implebimus, non solum præcepta affirmativa, efficaciter bona agendo, sed item negativa præcepta, mala vitando, sicut sunt illa : Non adorabis deos eorum ; et, Non inibis cum eis fœdus. Verumtamen hanc responsionem cito transgressi sunt. *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini* jam præfatos in libro, ut paulo post insinuatur, ad jugem memoriam, et aliorum instructionem. Attamen Glossa et Scholastica historia dicunt, quod scripsit universos Dei sermones præter decem verba, seu præter Decalogum, qui ei in tabulis datus est, scriptus digito Dei. Nihilo minus certum est, quod Moyses in libris suis frequenter de decem illis præceptis loquitur, et quod ipse personaliter scripsit ea in illis; et tamen ultra hoc tabulis sunt inscripta, tanquam principaliora, diligentiusque servanda.

Et mane consurgens, ædificavit altare Domino, cum adjutorio et obsequio aliorum, *ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel.* Quamvis aliqui dicant Moysen ibi ædificasse duodecim altaria, juxta numerum duodecim tribuum Israel, et in unoquoque altari titulum unius tribus fuisse conscriptum, probabilius tamen censetur, quod unum dumtaxat ædificavit altare ex duodecim lapidibus, atque in singulis singula nomina tribuum filiorum Israel scripsit. Nam et alia translatio habet sic, quod ex duodecim lapidibus unum altare constructum sit. Atque in libro Regum legitur de Elia :
III *Reg.* XVIII, 31, 32. Tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum Israel, et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini. *Misitque juvenes de filiis Israel.* Secundum quosdam, juvenes illi fuerunt præfati duo filii Aaron, sacerdotes futuri. Alii opinantur, quod fuerunt primogeniti principum Israel, quoniam primogeniti usque ad institutionem

A sacerdotii Levitici, sacerdotes fuerunt. Unde subjungitur : *et obtulerunt holocausta,* quæ ad divinæ majestatis honorem totaliter comburebantur, *immolaveruntque victimas pacificas Domino,* pro gratiarum actione, *vitulos duodecim,* scilicet unum pro qualibet tribu, vel singulos vitulos pro tribubus singulis. Et ita secundum istos, hi juvenes tanquam sacerdotes, per se Domino obtulerunt. Porro Augustinus sentire videtur, quod non ipsi immediate, sed Moyses immolavit. Etenim ait : Notandum B quod Scriptura evidenter nunc dicit Moysen sacrificasse. Quod verius reor, ita quod Moyses misit illos ad adducendum sibi materiam sacrificiorum, et quod ipsi per manus Moysis obtulerunt. At vero Lyra asserit in Hebræo haberi, Vitulos, non Vitulos duodecim; videturque ei, quod fuerunt tantum vituli duo : quod apparet non esse verum. Primo, quia sic translatio nostra hoc loco esset non vera. Secundo, quia probabile est, quod juxta numerum tribuum, fuerit numerus vitulorum. Tertio, C quia et Lyra dicit, quod fuerunt duodecim juvenes seu primogeniti duodecim principum. Unde apparet, quod unusquisque eorum obtulit seu adduxit unum vitulum.

Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, fusi ex immolatis vitulis, recepti in aliqua vasa, *et misit in crateras,* id est scyphos seu calices quosdam, vel vasa viminea ansas habentia; *partem autem* sanguinis *residuam fudit super altare:* in signum, quod ad Dei honorem sanguis D ille fuit effusus, vitulique oblati. *Assumensque volumen fœderis,* id est librum legis, in quo verba Dei conscripsit, *legit audiente populo* verba in libro descripta. *Qui dixerunt : Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus :* sicut expositum est; *et erimus obedientes* Deo ac tibi. *Ille vero sumptum sanguinem* ex crateris, in quibus sanguinem reservavit, ut faceret quod subditur, *respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis,* id est sanguis designans pactum, *quod pepigit,* id est iniit,

Digitized by Google

Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his, id est de omnibus verbis atque præceptis, quæ vobis ex volumine legi. Etenim sanguis ille fuit signum legis receptæ a populo, ac initi fœderis inter Deum et plebem. Populus enim promisit se Domino serviturum ac obediturum; Deus vero promisit populo, si hoc impleret, gratiam suam, multaque bona præcedenti capitulo scripta. Hinc et lex vocatur fœdus seu pactum, quia in ea continetur hoc fœdus, atque per dationem ac susceptionem [ejus] percussum seu initum est hoc pactum. B Denique per sanguinis adspersionem designabatur, quod sanguis violantium pactum hoc, seu transgredientium legem Dei, esset fundendus. Unde ad Hebræos ait
Hebr. x, 28. Apostolus: Irritam quis faciens legem Dei, sine ulla contradictione duobus aut tribus testibus moritur.

Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel, usque ad terminos montis Sinai, ut dictum est in principio expositionis hujus capituli, *et viderunt Deum Israel.* Exte- C riori enim visu viderunt Deum, non in suæ invisibilis et incomprehensibilis deitatis natura, sed in forma quadam assumpta seu humana effigie: quod totum ministerio angeli in Dei persona apparentis, creditur factum. Sic autem Deum videndo, viderunt eum interiori visione per gratiosam illuminationem et fidem, clarificatam majestatem ipsius aliqualiter contemplando. *Et sub pedibus ejus.* Ex quo elicitur, quod in forma humana apparuit, ad præfigurandum quod homo futurus erat. Itaque D sub pedibus ejus apparuit *quasi opus lapidis sapphirini,* id est similitudo quædam sapphiri, quæ est cœlestis coloris. Idcirco subjungitur: *et quasi cœlum quum serenum est.* Hanc similitudinem formavit in aere angelus; et erat quasi scabellum sub pedibus apparentis, habens cœliformem claritatem et sapphirinum colorem cœlestem; videbaturque ex sapphiro peracta. Habuit autem hujusmodi claritatem atque colorem: primo, ad significandum

A puritatem et tranquillitatem Dei in semetipso; secundo, ad innuendum quod populus Deum colens, debeat præ ceteris claritate virtutum splendere, et conversationem in cœlo habere.

Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam. Per missionem manus Domini super quemquam, designatur hoc loco occultatio, qua Deus alicui se abscondit, seu non manifestat, ita quod missio manus ejus, est quasi medium quoddam occultans unum ab alio. Unde infra Dominus loquitur Moysi, ostensionem divini vultus petenti: Quumque *Exod.*
transibit gloria mea, ponam te in foramine xxxiii, 22, 23.
petræ, et protegam te dextera mea donec transeam; tollamque manum meam, et videbis posteriora mea, etc. Sicque loquitur Scriptura de Deo, quasi de homine, qui dum vult alicui se aut alium occultare, ponit manum suam super oculos illius. Porro, per eos qui de filiis Israel recesserant procul, intelligitur populus qui remansit in castris, vel saltem non ascenderunt cum Moyse et Aaron usque ad radices montis. Est itaque sensus: Nec super eos, etc., Deus non occultavit se penitus a filiis Israel, qui longe abierunt et manserunt a monte, ita quod et ipsi viderunt majestatem Dei in præfato ejus effectu seu similitudine sapphirina, vel alio modo. *Videruntque Deum* secundum modum prædictum, clarius tamen Moyses et exsistentes cum ipso, quam populus de longe manens. Tamen ut fertur, Hebræi dicunt hanc esse litteram veram: Nec super dominos filiorum Israel misit manum suam, id est, Deus non abscondit se a principibus tribuum. Sicque populus Dominum non vidisset, sed principes plebis. *Et comederunt ac biberunt,* id est, cum spirituali jucunditate epulabantur post visionem tam gratiosam, exhilarati de ea, quia non erat terribilis ut illa, qua viderunt et audierunt Deum de medio ignis. Unde per visionem hanc hilarem Deus monstravit, quam gratum exstitit sibi quod filii Israel legem sic receperunt, et obedire sunt pacti.

Digitized by Google

Consequenter describitur major confirmatio et repetita ratificatio legis. *Dixit autem Dominus ad Moysen : Ascende ad me in montem, et esto ibi :* quasi dicat, Multis diebus mansurus es in superioribus partibus montis; *daboque tibi tabulas lapideas* duas, quas dicunt Hebræi de sapphiro effectas, *et legem ac mandata quæ scripsi,* id est legem et decem præcepta moralia, quæ tibi oretenus dedi, daboque tibi nunc scripta in tabulis : in quibus dicitur lex scripta fuisse, quia in eis scripta fuerunt decem principalia legis præcepta. Præterea tabulæ illæ per angelum, in Dei persona apparentem atque loquentem, formatæ sunt et inscriptæ : ideo digito Dei dicuntur mandata decem in eis conscripta; et quod Dominus dixit, Quæ scripsi, intelligi potest, quod vel nunc scripta erant in tabulis, vel cito scribenda, quoniam in Scripturis sæpe loquitur Deus de futuris per modum præteriti, propter certitudinem veritatis. *Ut doceas eos,* scilicet filios Israel, qui quum viderint mandata hæc tam solenniter ac deifice scripta in tabulis, plus attendere ea merito debent.

Surrexerunt Moyses et Josue minister ejus. Ex hoc verbo elicit Glossa, quod Josue interfuit his qui cum Moyse ascenderunt ad terminos montis : quod etiam Augustinus testatur, dicitque ipsum Josue comprehensum et intellectum sub nomine Moysis, quoniam fuit specialissimus et inseparabilis ejus minister. Itaque surrexerunt a terminis montis, ut ascenderent altius. Attamen quidam ait quod Josue ivit cum Moyse usque ad terminos montis, et ibi fixit tabernaculum ad manendum quousque rediret Moyses de cacumine montis : quod non videtur dictum idonee. Jam enim Moyses fuit in terminis montis, quando Dominus dixit ista ad eum, et Josue fuit ibi cum eo secundum Augustinum ac alios. Idcirco Magister in historiis ait : Moyses assumpto Josue, tantum transivit terminos; iterumque dimisso Josue in quadam planitie montis, solus ascendit ad verticem. *Ascendensque Moyses in montem Dei,* id est in ipso procinctu ad ascendendum, *senioribus ait : Exspectate hic.* Alia littera habet, In campestribus. Itaque sensus est : Exspectate in loco isto, puta circa terminos montis et in castris, *donec revertamur ad vos. Habetis Aaron et Hur vobiscum.* Quia Hur, ut dictum est, creditur fuisse maritus Mariæ sororis Moysis, fuitque unus seniorum, et præcipuus inter eos. *Si quid natum fuerit quæstionis,* id est aliqua grandis querela seu difficilis causa, quam me præsente mihi proponeretis expediendam, *referetis ad eos,* id est, eis determinandum proponetis, quia post me, sapientia, ætate, auctoritateque præminent, et mihi nunc eos substituo ac meos vicarios facio. Itaque Moyses commisit senioribus regimen populi in facilioribus causis; Aaron vero et Hur, quasi totius plebis senioribus præfecit.

Quumque ascendisset Moyses quasi ad montis cacumen, relicto Josue in præfata planitie, *operuit nubes montem, et habitavit gloria Domini super montem Sinai,* id est, majestas Dei se manifestavit ibidem per effectum præclarum, videlicet per nubem et ignem, seu gloriosus Dei effectus apparuit ibi, *tegens illum nube sex diebus,* id est, nubes tamdiu operuit montem : non quod postea cito recessit, sed præsentia illa nubis per sex dies exprimitur, ad insinuandum quod tamdiu Moyses fuit ibidem, antequam vocaretur ad colloquendum cum Domino in vertice montis. *Septimo autem die vocavit eum de medio caliginis,* id est de medio nubis illius, quæ ex una parte sua erat caliginosa, et in ea Dominus morabatur; sicque ex ea vox Dei procedere sentiebatur : quod totum supra cum suis rationibus magis expositum est. *Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israel :* id est, præfatus effectus gloriosissimi Dei, videlicet tota nubes illa cum qualitatibus suis, in una parte sui similis fuit igni splendido ac ardenti, quoniam in parte sua suprema fuit clara et luminosa, ita quod radii fulgidi

Digitized by Google

videbantur ex ea in altum conscendere : quod filii Israel undique conspexerunt. In expositione quoque nonidecimi, vicesimique capituli patuit, quod super montem apparuit vere ac fuit non solum nubes,
Exod. xix, 18; xx, 18. sed et maximus ignis, qui videbatur ad cœlum usque conscendere.

Ingressusque Moyses medium nebulæ, id est in ipsam nubem densissimam nebulosam, *ascendit in montem,* id est in montis cacumen ; *et fuit ibi* cum Domino sine cibo et potu corporeo, *quadraginta*
A *diebus* artificialibus, *et quadraginta noctibus :* ad præfigurandum et consecrandum tempus abstinentiæ quadragesimalis. Confortabatur autem tam supernaturaliter et gratiose intus a Domino, quod non indiguit corporeo alimento. Sed et mens ejus fuit tam intensissime occupata circa divina, quod actio naturalis caloris in humidum radicale, actionesque virium vegetativarum, remittebantur in eo quammaxime. Propter quod facilius caruit cibo, potuque.

ARTICULUS XLVIII

SPIRITUALIS ELUCIDATIO EJUSDEM CAPITULI VICESIMI QUARTI.

M*OYSI quoque dixit.* Per Moysen quicumque prælatus excellens significatur. Per Aaron, ejusque filios ac septuaginta seniores, intelliguntur inferiores prælati, sibi invicem condecenter subordinati. Itaque per hoc quod Moyses et Aaron ejusque filii et septuaginta seniores primo jubentur ascendere ad terminos montis, et ibi ad tempus manere in loco eodem et situ æquali, datur intelligi, quod prælati, quantumlibet magni, debent se suis inferioribus ac subjectis in aliquibus humiliter conformare, eosdemque actus virtutum cum illis peragere, atque inter eos libenter consistere, sicut suis discipulis dixit Sal-
Luc. xxii, 27. vator : Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Paulus quoque apostolus :
I *Thess.* ii, 7. Parvuli, inquit, facti sumus in medio vestri. Præsidens igitur nunquam assumere cornua audeat, sed quod est scriptum, im-
Eccli. iii, 20. pleat : Quanto major es, humilia te in om-
Act. xvii, 27, 28. nibus. *Et adorabitis procul.* Quamvis Deus non longe sit ab unoquoque nostrum, quia in ipso vivimus, movemur et sumus ; tamen in vita hac adoramus eum procul, tum quia ab ejus perfectione infinite deficimus, tum quia a patria Beatorum, in qua ipse potissime est, longe distamus :
B propter quod vir sanctus cum suspirio exclamavit, Heu mihi, quia incolatus meus *Ps.* cxix, 5.
prolongatus est ! tum quia magna obscuritate involvitur omnis actio, qua Deum nunc colimus, præsertim comparatione claritatis actuum, quibus in patria colitur Deus a Sanctis. Videmus namque per speculum I *Cor.* xiii, 12.
in ænigmate ; et quasi pannus menstruatæ *Is.* lxiv, 6.
sunt nostræ justitiæ. Job quoque tricesimo sexto asseritur : Omnes homines vident *Job* xxxvi, 25.
Deum, unusquisque intuetur procul. *Solusque Moyses ascendet ad Dominum.* Præ-
C latus quippe quanto dignioris est auctoritatis, tanto majoris debet esse perfectionis. Propter quod dicit Gregorius : Prælatus sit actione præcipuus, et præ cunctis contemplatione erectus. Solius quoque prælati est Deum accedere, tanquam qui mediator sit inter Deum et creditum sibi gregem. *Et illi non appropinquabunt, nec populus ascendet cum eo.* Qui enim nondum exercitati sunt in via purgativa, in exercitiis vitæ activæ, in refrenationibus desideriorum carnis ac motuum animæ, ad actus
D viæ illuminativæ, ad contemplationis acumen nondum idonei sunt.

Venit ergo Moyses, et narravit plebi omnia verba Domini. Sic prælatus et præ-

Digitized by Google

dicator debet omni tempore opportuno A plebem accedere, et eam instruere de pertinentibus ad salutem ; specialissime vero de his, quæ ipsa tenetur scire secundum exigentiam suæ vocationis, et contra vitia quæ plus regnant in populo. Alioqui ignorantia gregis et cetera vitia ejus, redundarent in negligentem pastorem, seu prædicatorem insulsum. *Responditque cunctus populus una voce : Omnia verba Domini faciemus.* Sic omnis subditus debet verba prædicationis, instructionis, ac correptionis cum omni affectu gratanter audire, B humiliter respondere, ac plenum habere propositum obediendi in omnibus. *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini.* Sic quicumque superior debet se fructuose jugiter occupare, sermones conscribere, libros sacros acquirere. Sapientiam enim omnium antiquorum exquiret sapiens. Et rursus in Ecclesiastico scriptum est : Sapientiam scribe in tempore vacuitatis.

Eccli. XXXIX, 1. *Ibid.* XXXVIII, 25.

Et mane consurgens. Non enim debet qui præest, superfluum somnum admittere, aut torpori locum præbere, sed tanto C sollicitior ac vigilantior esse, quanto obligatur ad plura ac altiora, quanto gravius ei instat judicium, et quo pluribus præest. *Ædificavit altare ad radices montis.* Spirituale altare est fides, sine qua nil Deo acceptabiliter immolatur, seu caritas in qua necesse est omnia opera meritoria fieri. Hoc altare debet, qui præest, in cordibus subditorum construere ad radices montis, id est in Christi humilitate ac fundamento. *Misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta* et victimas. Per D juvenes Israelitas, intelliguntur fideles omni virtutum vigore florentes, agiles, et robusti in gratia Dei. Tales ergo sunt dirigendi ad orandum, ad sacrificandum, ad elaborandum pro aliorum reconciliatione atque salute. *Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis,* etc. Per hoc ideo præfiguratum est, quod prælati et sacerdotes evangelicæ legis consecratum Christi sanguinem in calice suscipiunt in altari. Interdum etiam populo in calicibus tradiderunt potandum, quamvis hoc modo omissum sit atque prohibitum, propter periculum effusionis vitandum. Denique sanguis Christi vere est sanguis fœderis, quod pepigit nobiscum, videlicet pactum evangelicæ legis, sicut in Cœna consecrans dixit : Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti. *Luc.* XXII, 20.

Ascenderuntque Moyses et Aaron, etc. Sic dum prælatus ac subditi spiritualiter concorditerque proficiunt, Deum contemplari merentur : sub cujus pedibus vident *quasi opus lapidis sapphirini,* quia in infimis Dei effectibus intuentur relucentias quasdam sapientiæ, omnipotentiæ, bonitatisque ejus. Tunc quoque comedunt et bibunt panem vitæ et rivos sapientiæ, corpus et sanguinem Salvatoris, virtuosisque actibus ac variis charismatibus Spiritus Sancti reficiuntur. *Dixit autem Dominus ad Moysen : Ascende ad me in montem, daboque tibi* duas *tabulas lapideas,* etc. Sic unusquisque superior ac prædicator debet frequenter ad Deum conscendere in montem, hoc est in verticem intellectus, et ad superiores suæ animæ vires, abstrahendo se a sensibilibus ac exterioribus rebus, ad vacandum Deo per mentis excessum, ut sic instruatur a Domino per unctionem et illuminationem divinam, de utriusque Testamenti sacris solidisque Scripturis, et juxta illustrationem sibi desuper factam doceat plebem Dei, ex interiore fervore et efficacia vitæ loquendo. *Ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait : Exspectate hic,* etc. Sic plane quando prælatus ex rationabili causa recedit ad tempus a grege sibi commisso, debet esse sollicitus, ut grex ille interim salubriter gubernetur, et providere eidem de condigno vicario, custodibusque fidelibus, subditisque committere, ne interim inter se corrixentur, sed causas et quæstiones referant ad præpositum eis vicarium, aut alios superiores, nec ab invicem sint discordes. Ceterorum spiritualis explanatio innotescit ex dictis circa nonumdecimum, vicesimumque capitulum.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI QUINTI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : LOQUERE FILIIS ISRAEL.

QUONIAM filii Israel non erant jugiter circa montem Sinai permansuri, sed per loca diversa profecturi, præcepit Dominus Moysi facere tabernaculum, in quo ei post recessum a monte Sinai appareret ac loqueretur, quemadmodum interim in monte apparuit. Nunc ergo describitur, qualiter Dominus tabernaculum fieri jussit. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias,* hoc est, ut unusquisque eorum ad gloriam meam apportet et conferat pretiosiora quæque ex quibusdam rebus quas possidet, ex quibus tanquam ex materiis construendum est tabernaculum, vasaque ejus et cetera ad ipsum spectantia. Vel, Ut tollant mihi primitias, id est, ab aliis accipiant talia dona hi quibus committetur, ut colligant et recipiant ea ab offerentibus. *Ab omni homine qui offert ultroneus, accipietis eas,* id est, primitias illas seu dona præcipua levabitis a cunctis Hebræis, qui sponte, non coacte, obtulerint eas : quatenus tabernaculum, in quo Deo sponte ac devote serviendum est, ædificetur ex materiis pretiosis sponte et devote oblatis. Nec enim coacta servitia complacent Deo.

Hæc sunt autem quæ accipere debetis ab offerentibus tu, o Moyses, et quos loco tui constitueris ad suscipiendum quæ offerentur : *Aurum, et argentum, et æs,* quorum usus ad diversa necessarius erit, ut infra patebit : quod etiam infra clarebit de aliis materiis quæ sequuntur : *hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum.* Quod Magister in historiis sic exponit : Id est sericum hyacinthini, purpurei, coccineique coloris. Alii sic, et satis redit

A in idem : Hyacinthum et purpuram, id est lanam et sericum coloris hujusmodi ; coccumque bis tinctum, id est lanam ac sericum rubei coloris : quæ materia bis tingebatur, ut rubedo ejus fieret major. *Et byssum,* hoc est linum molle et candidum, quod in Ægypto potissime reperitur. *Et pilos caprarum, et pelles arietum rubricatas :* quarum lana, secundum Josephum, fuit colore rubeo tincta : quæ pelles Parthicæ appellantur, quoniam Parthi excogitaverunt eas sic colorari, ut in Scholastica

B fertur historia. Quidam dicunt quod erant frunitæ, et inde rubeæ erant. *Pellesque hyacinthinas,* id est hyacinthino perfusas colore, qui colori assimilatur sapphiri. Porro aliqui dicunt in Hebræo haberi, Pellesque taxonum : et secundum eos, sunt pelles animalium varios colores habentium. *Et ligna setim.* Setim quandoque significat montem, aliquando regionem, interdum arborem, et ita nunc sumitur. Estque lignum illud imputribile, incombustibile atque levissimum. Quod forsan

C in aliquibus eremi locis repererunt, aut secum tulerunt, aut aliunde procuraverunt. Tamen circa hoc recitat Lyra historiam Rabbi Salomonis, dicentis quod Jacob patriarcha præcognovit in spiritu posteros suos tabernaculum in solitudine constructuros : ideo ipse Ægyptum ingressurus, tulit illinc radices et semina arborum setim, plantavitque eadem in Ægypto, et filiis suis jussit, ut egredientes Ægyptum, tollerent ligna hæc secum. Hoc forsitan ficticium poterit reputari, nisi aliunde te-

D stimonio fulciatur authentico. *Oleum ad luminaria concinnanda,* id est paranda atque fovenda seu componenda. Cinnus

Digitized by Google

namque est compositio quædam ex diversis mixturis. Inde dicitur concinno, id est compono, secundum Strabum. *Aromata in unguentum,* id est, ad hoc ut ex eis fiant unguenta ad unctiones sacerdotum ac sacrorum vasorum; *et thymiama* * *boni odoris,* quod fiet ex aromatibus illis. *Lapides onychinos.* Onyx quippe pretiosus est lapis. Inde dicuntur lapides onychini. *Et gemmas ad ornandum ephod,* in quo erant duo onychini, *ac rationale,* in quo erant duodecim gemmæ, quarum una exstitit onyx sive onychina. Ista infra plenius exponentur; ideo non oportet hic immorari, neque præcurrere.

* *thymiamata*

Facientque mihi filii Israel *sanctuarium,* id est tabernaculum : quod recte sanctuarium appellatur, quia tot sancta continebantur ac fiebant in eo, fuitque domus ac mansio Sancti Sanctorum. Propterea subditur : *et habitabo in medio eorum,* id est in tabernaculo isto, quod secum portabunt, et inter eos manebit. Habitavit quoque Deus in medio eorum, puta in cordibus sibi placentium. *Juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, et omnium vasorum in cultum ejus :* id est, tabernaculum istud et vasa ejus fient juxta formam seu similitudinem eorumdem, quam tibi in hoc monte monstrabo, sive per imaginariam visionem, ut aliqui dicunt, sive ad oculum per descriptionem in materia quadam, sicut Ezechiel descripsit et pinxit Jerusalem. Istud Dominus exprimit, primo in generali, infra autem in speciali, qui et qualiter facient ista.

Ezech. IV, 1.

Sicque facietis illud, utpote tabernaculum, et quæ spectabunt ad illud. *Arcam de lignis setim compingite,* id est formate. Incipit autem Moyses descriptionem in speciali ab his quæ fuerunt in tabernaculo, quorum unum exstitit arca, deinde de tabernaculo ipso, tertio autem de atrio ejus : juxta ordinem collocationis. Nam post deportationem, primo collocabant arcam, ubi tabernaculum erat figendum. Josephus vero recitat econverso, videlicet

A secundum ordinem compositionis, quoniam primo factum est atrium, deinde tabernaculum, tertio quæ erant in eo. Verumtamen aliqui dicunt, Josephum sequi ordinem collocationis, Moysen vero ordinem compositionis. *Cujus longitudo habeat duos et semis cubitos,* id est duos cubitos ac medium ; *latitudo cubitum* unum *et dimidium; altitudo cubitum similiter ac semissem,* id est unum cubitum cum dimidio, ita quod a fundo arcæ usque ad summum ejus, fuit spatium unius cubiti atque dimidii. Circa

B hæc scribit venerabilis Beda : Quæritur, cujus quantitatis sit cubitus iste. Et respondet ex Josepho, quod duos palmos contineat. Unde in Scholastica fertur historia, quod Moyses nunc loquatur de cubito humano, qui continet pedem cum medio, non de cubito geometrico, qui major est multum. *Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris,* id est, aureis laminis eam operies ac ornabis per totum, intrinsecus atque forinsecus.

Faciesque supra, id est in superiori par-

C te arcæ, *coronam auream per circuitum* arcæ, in parte ejus prædicta. Denique, sicut arca non erat rotunda, sed quadrata, facta instar scrinii sine pedibus : ita et ista corona, quadrata exstitit, non rotunda, facta ad modum oris seu labii, sicut in mensis et scacariis fieri solet ; et elevata fuit super aureum operculum arcæ, per spatium circiter trium digitorum. Et vocatur corona, quia per totum arcæ gyrum quadratum extendebatur, quemadmodum corona rotunda ambit caput. *Et quatuor*

D *circulos,* id est annulos, *aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos : duo circuli sint in latere uno, et duo in altero.* Erant in arca bini circuli, per utrumque latus longitudinis ejus, totum lignum arcæ penetrantes. Erantque duo circuli in parte arcæ anteriori, et duo in parte posteriori, qui quatuor annuli, erant quasi immobiliter arcæ infixi.

Faciesque vectes de lignis setim, et operies eos auro, id est aureis laminis. *Inducesque* ipsos vectes *per circulos qui sunt*

Digitized by Google

in arcæ lateribus, ut portetur in eis. Facti sunt itaque ibi duo vectes deaurati, quorum unus ducebatur per duos circulos ex uno latere arcæ, secundum longitudinem ejus ; alter, per alios duos annulos ab alio latere arcæ per longitudinem ejus. Siquidem circuli erant versus superiorem arcæ partem sub ejus corona, ut Josephus sentit. Quidam tamen imaginantur, quod vectes pergebant secundum † longitudinem arcæ. Quatuor vero sacerdotes portabant arcam et contenta in ea super humeros suos, per vectes, duo ante, et duo retro, quando castra mutabant loca. *Qui* vectes *semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Vectes namque semel per circulos positi, non extrahebantur de cetero, nisi forte ad reparandum aliquid in eis confractum. Vectes autem aliarum rerum deportandarum extrahebantur de circulis, deportatione jam facta.

Ponesque in arca testificationem quam Hebr. IX, 4. *dabo tibi,* id est tabulas testamenti, videlicet duas tabulas, in quibus decem mandata erant digito Dei scripta, in testimonium quod filii Israel legem acceperunt a Domino. Nihilo minus, ut ait Petrus Comestor, cuncta in arca reposita, dici possunt in testificationem ibi locata. Nam Exod. XVI, 33, 34. posita est ibi urna aurea plena manna, in protestationem quod pane illo cœlesti aliti erant a Domino in deserto. Tabulæ quoque, in testimonium quod Dominus legem naturalem, in cordibus hominum quasi sopitam, reparavit eis in scriptis. Virga Aaron, in testimonium quod electus fuit a Rom. XIII, 1. Deo in præsulem, atque quod omnis potestas a Deo sit. Deuteronomium quoque legis, in testimonium pacti, quo dixerunt : Exod. XIX, 8. Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus. Unde et in Deuteronomio Moyses ait Deut. XXXI, 26. Levitis : Tollite librum hunc, et ponite eum in latere arcæ fœderis, ut sit ibi contra te in testimonium. Hinc arca ista, vocata est Arca testamenti seu testimonii. Ob hoc etiam Tabernaculum testimonii dictum est. Et item idcirco, quoniam causæ agebantur ante fores ipsius, puta in porticu.

A *Facies et propitiatorium de auro mundissimo. Duos cubitos et dimidium tenebit longitudo ejus, et cubitum ac semissem,* id est, cubitum unum cum medio habebit *latitudo* ejus. Ex quo constat, quod propitiatorium erat tantæ longitudinis ac latitudinis, sicut arca. De spissitudine vero seu altitudine propitiatorii, textus non loquitur. Hoc propitiatorium quidam dicunt fuisse opertorium arcæ ; alii, quod fuit aurea mensa, seu tabula altius posita, et super arcam levata, ac sustentata seu tenta B a Cherubim duobus in extremitatibus ejus : ita quod tabula illa erat quasi sedile Dei, et operculum arcæ quasi scabellum ipsius. Porro qui dicunt propitiatorium fuisse contiguum arcæ et ejus operculum, dicunt opertorium illud fuisse Dei sedile ; pavimentum vero tabernaculi, situm ante arcam, fuisse scabellum ipsius.

Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies, per manus artificum, *ex utraque parte oraculi.* Cherubim illi non erant fusi, sed percussionibus malleorum ad forC mam suam producti : quorum unus stetit in una extremitate oraculi seu propitiatorii, alter in altera, seu ex utraque parte oraculi, puta in duobus anterioribus angulis ejus, qui introeuntibus illud erant anteriores. Ideo subditur : *Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, et operientes oraculum.* Hi duo Cherubim expandebant alas suas ita, quod alæ eorum se invicem contingebant : sicque alæ eorum non erant extentæ prorsus diD recte in altum, sed oblique, et per hoc operiebant quodammodo ipsum oraculum, et latus ejus utrumque. *Respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium.* Per quod patet, quod respexerunt se invicem non directe, seu penitus ex adverso, sed suas facies ad oraculum divertebant aliquantulum ad latus. *Quo* propitiatorio seu oraculo *operienda est arca.* Quod qualiter dupliciter exponatur, jam claruit. *In qua pones testimonium quod dabo tibi.* Hoc est quod paulo ante jam dictum atque ex-

Digitized by Google

positum est : Ponesque in arca testificationem, quam dabo tibi.

Inde, id est de propitiatorio, *præcipiam et loquar ad te, supra propitiatorium,* scilicet quod juxta præhabita, fuit quasi thronus Dei super illud sedentis, et inde dedit responsa præceptaque Moysi ; *ac de medio duorum Cherubim,* qui stabant ex utraque parte arcæ, ita quod Dominus inter Cherubim residebat ; *qui erunt super arcam testimonii :* vel quia Cherubim stabant super operculum arcæ, secundum unam opinionem ; vel quamvis starent super pavimentum tabernaculi in extremitatibus arcæ, tamen eminebant supra arcam, et altiores ea fuerunt. Itaque, inde loquar ad te, *cunctaque mandabo per te filiis Israel.* Hinc namque vocabatur Oraculum, quia Dominus inde proferebat eloquia sua : quæ dicuntur oracula, quia orationibus impetrantur, atque orantibus dantur. Dicebatur quoque Propitiatorium, quoniam Dominus inde suam propitiationem Moysi manifestavit, pietatis responsa dedit, et gratiam fudit.

Quæritur, cujus figuræ fuerunt Cherubim illi. Dicunt aliqui, quod instar pulchrorum puerorum seu juvenum erant dispositi. Josephus vero ait, quod erant formati instar avium ab hominibus nunquam visarum, quas Moyses dixit sibi ostensas in sede Dei per visionem, qua imaginarie vidit Deum quasi in solio quodam sedentem.

Facies et mensam de lignis setim. Ista fuit mensa propositionis, non aurea mensa, quæ fuit oraculum. Nam subditur, De lignis setim. *Habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum* unum, *et in altitudine cubitum ac semissem :* ita quod distabat a terra per spatium unius cubiti atque dimidii. Habuit enim quatuor pedes, per quos elevabatur a terra tam alte, videlicet per tres palmos. De spissitudine autem hujus mensæ non loquitur littera, sed aliqui opinantur, quod fuerat quatuor digitorum. *Et inaurabis eam auro purissimo,* id est, aureis laminis utramque

A superficiem ejus operies, imo et pedes ipsius.

Faciesque illi, videlicet mensæ, *labium aureum per circuitum* mensæ totius, quæ secundum Josephum erat proxime Delphica, id est fere rotunda. At vero labium istud dicitur fuisse aurea lamina lata, affixa spissitudini mensæ per gyrum, quemadmodum fieri consuevit in scacariis, quæ ex utraque parte labium habent. *Et ipsi labio* facies et affiges *coronam interrasilem, altam quatuor digitis.* Cujus coro-

B næ una pars super mensam eminebat, ne posita super eam, deciderent ; alia pars ejusdem, pendebat inferius ad mensæ decorem, secundum quosdam. Corona hæc interrasilis appellatur, quasi reticulata, seu instar retis facta, utpote interpolata cælaturis, ac plana. Opus enim interrasile dicitur, quod habet quasdam sculpturas, et spatia intermedia plana, quasi rasa. *Et super illam* coronam, facies et affiges *alteram coronam aureolam.* Ista, ut ex nomine aureolæ trahitur, fuit minor, quam

C alia illa corona : nescitur tamen, quantum vel qualiter superposita fuit, et utrum plana seu interrasilis fuit. Porro, secundum Hebræos, cælaturæ prioris coronæ, erant quasi imagines regum Juda, et tot fuerunt, quot fuerunt reges a David usque ad Sedeciam. Coronam autem aureolam dicunt prophetice additam, ad præfigurandum divisionem regni Israelitici in duo regna, ita quod corona aureola designavit regnum decem tribuum : quod fuit superius regno Judæ, quantum ad hoc quod

D populosius fuit ; sed regnum Juda fuit dignius illo, idcirco signatum est per priorem ac majorem coronam.

Præterea aliqui dicunt, quod labium illud seu lamina illa aurea, fuit duodecim digitorum in latitudine, ita quod pars ejus affixa spissitudini mensæ, fuit in latitudine, quatuor digitorum ; pars autem ejus eminens mensæ, etiam tantæ latitudinis fuit ; et quod pars illa, vocetur corona aureola. Partem quoque labii sub mensa descendentem, dicunt continuisse reliquos

Digitized by Google

quatuor latitudinis digitos : quam vocant coronam auream. Sed istud non videtur textui consonare nec veritati : quia juxta hoc dictum, labium illud et utraque corona fuissent unum corpus continuum, nec corona aureola fuisset minor quam aurea : sicque labio non fuisset aurea corona affixa, nec aureola fuisset facta immediate super auream ; imo inter eas mediasset latitudo quatuor digitorum, sculptura quoque solum fuisset in parte quæ erat sub mensa.

Quatuor quoque circulos aureos præparabis, et pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes *. In quolibet etenim pede mensæ, fuit annulus unus immobiliter ibi fixus in medio pedis, in quo erat parva concavitas, per quam annulus fuit immissus. *Subter coronam erunt circuli aurei :* nam erant versus superiores pedum partes, modicum sub inferiori corona ; *ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari :* quæ portabatur per duos vectes. Unus etenim vectis per duos annulos ponebatur. *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et circumdabis* eos *auro ad subvehendam mensam,* quando castra pergebant ad alia loca.

* *pedes ejus*

Sequitur de quatuor generibus vasorum. *Parabis et acetabula,* id est vasa, in quibus examinabatur per gustum ipsum acetum, an esset aptum adhiberi in sacrificio Dei. Sed quoniam nunquam aut raro de oblatione aceti fit mentio, alii legunt Acceptabula, quæ dicunt fuisse vasa, in quibus examinabantur materiæ sacrificiorum, an essent aptæ atque idoneæ, ut ex eis fierent Deo oblationes acceptæ, videlicet simila et incensum. *Ac phialas :* in quibus præconsiderabatur vinum, quod examinatur non solum gustu, sed et visu, considerando ejus colorem. Fertur quod phialæ erant vitreæ, unde et a ὑάλη Græce, quod dicitur vitrum Latine, nomen sumpserunt ; erantque in fundo angustæ, et superius latæ. *Thuribula :* in quibus thus prævidebatur et offerebatur ; erantque duo thuribula, in quibus ponebatur incensum super panes propositionis : unum incensum in uno thuribulo super sex panes ; aliud super alios sex. *Et cyathos :* qui erant minores angustioresque phialis, cum quibus cyathis vinum fundebatur super altare pro hostiæ libamento, vel (ut aliqui dicunt) in cyathis oleum fundebatur. *In quibus offerenda sunt libamina :* quia de his quæ offerenda erant, sacerdotes primo portiunculas acceperunt, et posuerunt in vasis prædictis ad prægustandum, libando, id est parum gustando, de singulis. Quæ libamina seu portiunculas, dicit sanctus Moyses offerenda, id est de offerendis sumenda. Vel ideo dicit, In quibus offerenda sunt libamina, quoniam filii Israel primo obtulerunt sacerdotibus portiunculas illas in vasis præfatis, ad examinandum ea modo præfato. *Ex auro purissimo :* quia ex auro purissimo facta sunt vasa hæc, phialis demptis, ut dicunt.

Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper, id est in omni tempore opportuno. De his panibus in Levitico plenius continetur. Erant autem duodecim, de simila, valde mundi, qui in die sabbati mane ponebantur recentes et calidi super mensam, manseruntque ibi usque ad mane sabbati subsequentis, et tunc tollebantur, et a solis sacerdotibus edebantur. At alii panes totidem ponebantur ibidem. Ponebantur autem in mensa altrinsecus, scilicet unus contra alium. Et dicebantur panes propositionis, quoniam coram Domino sic disponebantur in memoriam duodecim tribuum Israel sempiternam. Hinc et mensa in qua taliter ponebantur, mensa propositionis vocata est. Porro panes illos quidam dicunt fuisse figuræ quadratæ, parte altera longiori. Alii ferunt, quod erant rotundi.

Sequitur de materia, formatione, figura, et ornatu candelabri. *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo.* Ex hoc videtur, quod candelabrum factum sit non opere fusorio, sed tunsionibus malleorum ; quod item ejus materia, ex qua fuit, purissimum aurum exstitit. Cui contrariari

Digitized by Google

videtur, quod Josephus asserit, quod candelabrum fusile fuit. Qui etiam sentire videtur, quod candelabrum fuerit ferreum: quod et Magister in historiis sequitur, ut apparet. Ad hæc quidam respondent, quod candelabrum non erat fusile, quantum ad hastile et brachia ejus, sed quoad scyphos, calamos, sphærulas ac lilia : quod non videtur posse salvari, quia ut infra patebit, in littera hujus capituli habetur oppositum. Magister quoque in historiis protestatur, quod hastile candelabri basi infixum, ferreum fuit, supervestitum laminis vel calamis aureis geniculatis, id est nodosis, et idem dicit de brachiis candelabri. Cetera vero quæ erant in eo, fuerunt de auro purissimo, ut infra clare habetur. Istud autem, quod hastile et brachia candelabri fuerint ferrea, auro vestita, dicitur salvando Josephum, dicentem quod candelabrum fusile fuit. Sed melius atque securius potest dici, quod totum candelabrum fuit ex auro purissimo ac ductile. *Hastile,* id est stipitem *ejus* tendentem directe in altum, *et calamos, scyphos et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia :* omnia, inquam, hæc facies. Calamus pro canna nunc accipitur, scyphus pro vasculo : tamen nunc sumitur quasi pro duobus simul junctis, vel pro uno cum suo operculo, qui instar nucis se habet. Sphærula dicitur parva sphæra seu circulus, vel parva rotunditas volubilis, prout fieri solet in cathedris et in arcis. Lilia vero sunt flores recurvi ac noti.

Deinde exprimitur qualiter ista prodierunt ex hastili. *Sex calami egredientur de lateribus* hastilis candelabri, *tres ex uno latere, et tres ex altero. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos,* id est, in quolibet sex calamorum erunt tres scyphi ; *sphærulæque simul et lilia,* hoc est sphærulæ liliis junctæ totidem, ita quod inter duos scyphos erat sphærula una, unumque lilium ; *et tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul et lilia. Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt*

A *de hastili,* id est, præfati sex calami, qui ex utroque latere hastilis egredientur, fient, atque dispositi ac ornati erunt, ut dictum est. *In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum :* per candelabrum intelligitur nunc ipsum ejus hastile, quod fuit principalior pars candelabri, in quo hastili erant quatuor scyphi ; *sphærulæque* erunt *per singulos* scyphos, *et lilia,* sicut expositum est. *Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca,* id est, duæ sphærulæ erunt sub duobus calamis egredientibus B de hastili : et hoc ita habebit se per tria loca, quum sint sex calami, qui faciunt tria paria calamorum, sub quorum parium unoquoque duæ sunt sphærulæ, seu unum par sphærularum. Ideo subditur : *Qui,* scilicet calami, *simul sex fiunt,* hoc est, tot habentur, *procedentes de hastili uno,* id est de ipso stipite candelabri per modum præhabitum. *Et sphærulæ igitur, et calami ex ipso erunt,* hoc est, ex hastili procedent ; *universa ductilia de auro purissimo.*

C *Facies et lucernas septem,* quæ aureæ erant, *et pones eas super candelabrum :* ita quod in summitate cujuslibet calami, ponebatur una lucerna supra supremum scyphum seu caput calami, qui scyphus erat sedes lucernæ ; una quoque lucerna stabat in summitate hastilis candelabri. *Ut luceant ex adverso.* Uno enim ex latere hastilis procedebant tres calami, procedentes in altum non recte, sed oblique, quousque pertingebant ad altitudinem ipsius hastilis. Similiter procedebant tres D calami ex alia parte hastilis seu stipitis, sicque tres flammæ trium lucernarum unius partis ac lateris, respiciebant ex adverso flammas aliarum trium lucernarum. *Emunctoria quoque,* hoc est instrumenta, seu forcipes, facta ad emungendum et exstinguendum licinia lucernarum seu lampadum ; *et ubi ea quæ emuncta sunt, exstinguantur,* videlicet vasa in quibus ponebatur aqua, ut in ea exstinguerentur partes illæ lychni combustæ, ne malum odorem aut fumum causarent : quæ vasa, exstinctoria voca-

Digitized by Google

bantur; *fient de auro purissimo.* Erant quoque ibidem septem infusoria, scilicet aurea vascula, quibus oleum lucernis, hoc est lampadibus infundebatur. Quot autem ibi fuerunt emunctoria, et quot exstinctoria, textus non exprimit; sed reputatur probabile, quod tot, quot et infusoria seu lucernæ.

Omne pondus candelabri cum universis vasis suis, id est instrumentis attinentiisque præfatis, *habebit talentum auri purissimi.* Circa hoc in Scholastica historia dicitur: Tria habebant talenta: Minus seu minimum, habebat quinquaginta libras, quod fuit institorum; medium, septuaginta, quod fuit civium; maximum, centum viginti, quod erat sanctuarii: et ita habebat talentum auri ad pondus sanctuarii.

A Lyra quoque circa hoc scribit: In Hebræo habetur, centenarium auri; et Rabbi Salomon dicit, quod erat centum viginti librarum, secundum pondus Coloniense. Sed quoniam pondera multum variantur per regiones et tempora, aliqui dicunt, quod determinate et certe scire non possumus, quantum fuerit pondus auri illius, quamvis constet quod exstitit valde magnum, præsertim si et hastile ac brachia seu calami sex erant de auro, ut littera videtur prætendere.

B *Inspice, et fac,* id est, arcam et cetera jam prædicta fac fieri, *secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est:* quod ego nunc tibi demonstravi, et menti tuæ tam memoriter ac complete impressi, ut nihil hujus ostensionis obliviscaris.

ARTICULUS L

DE SPIRITUALI, MYSTICO ATQUE MULTIPLICI INTELLECTU HUJUS CAPITULI VICESIMI QUINTI.

De spirituali ac mystico, imo ac multiplici intellectu hujus capituli, et capitulorum sequentium, a sanctis Patribus doctoribusque catholicis, tot et tanta sunt scripta, ut non videatur necessarium immorari hujusmodi expositionibus in hoc loco: ideo non nisi perpauca tangere atque perstringere nunc intendo.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias. Per Moysen legislatorem Judæorum, intelligitur Christus legislator Christianorum; Christiani quoque, qui Deum per fidem et sapientiam contemplantur, per filios Israel designantur. Itaque Christianis præcipit Christus, ut tollant primitias Domino, hoc est, Deo plene attribuant, devote adscribant, et ejus mancipent venerationi ac cultui, quidquid præstantius est in eis, tam de donis naturæ, quam de charismatibus gratiæ, de bonis quoque fortunæ, et

C de habitibus acquisitis, et de omni actione virtuosa ac meritoria. Omnia quippe ista a Deo sunt, et de ipsis, ac in ipsis, atque per ipsa honorandus, amandus, colendus est Deus. Denique Deus, ad litteram, jussit sibi offerri primitias, quoniam justum decentissimumque consistit, ut de omni specie ac natura offerantur ei præcipua, tum propter reverentiam majestatis divinæ prorsus immensæ, tum in recognitionem liberalitatis ac beneficiorum ipsius, tum ut debitum gratitudinis impleamus, et gra-
D tum ac sanctum Abel, qui obtulit meliora, non ingratum ac impium Cain, qui immolavit pejora, sequamur. *Ab omni homine qui offert ultroneus, accipietis eas.* Hoc est quod ait Apostolus: Non ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. II *Cor.* IX, 7.
Itaque cum omni alacritate et agilitate virtutum offeramus, ministremusque Deo, recognoscentes, quod nihil condignum

Digitized by Google

ei rependere valeamus. Imo quum omnia A nobis præcepta impleverimus, ex vera humilitate dicamus : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Nam et merita nostra, Dei sunt dona. Quid enim habes quod non accepisti?

Luc. XVII, 10. I Cor. IV, 7.

Hæc sunt autem quæ accipere debetis : aurum, et argentum, et æs. Per aurum intelligitur fides, quæ per dilectionem operatur : quæ grata est Deo, et spiritualis ædificii fundamentum consistit. Vel aurum istud est pretiosissima caritas, de qua in Apocalypsi Dominus loquitur : Suadeo tibi B emere aurum ignitum, probatum, ut locuples fias. Quod sui ipsius humili resignatione, vera obeditione, oratione assidua emitur. Auro quoque donum sapientiæ splendens atque prænobile denotatur. Per argentum sermo divinus, donum scientiæ, prudentia in rebus humanis datur intelligi. Per æs, patientia in adversis, virtus constantiæ, fortitudo animi rite accipitur. *Hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum.* Per hyacinthum, qui aerei et cœlestis perhibetur coloris, significatur spes regni cœlestis, conversatio pura ac cœliformis. Per purpuram, quæ regum est vestis, incessus per regiam viam, non declinando ad dexteram vel sinistram, hoc est ad aliquam vitiosam extremitatem. Purpura quoque, quæ rubei est coloris, martyrium signat. Per coccum bis tinctum, conversatio aliquid habens de perfectione vitæ contemplativæ, et aliquid de eminentia vitæ activæ, qualis potissimum esse debet prælatorum vita, exprimitur. Per byssum, castitas corporis, puritas mentis, conscientiæ nitor. *Pilos caprarum, et pelles arietum rubricatas, pellesque hyacinthinas.* Per pilos caprarum, vestis pœnitentialis seu asperitas vitæ ; per pelles arietum rubricatas, exterior apparatus exemplaris, honestus, seu imitatio passionis dominicæ ; per pelles hyacinthinas, resplendentia interioris puritatis foris apparens, intelliguntur. *Et ligna setim,* id est incorrupta et integra corda. *Oleum ad luminaria concinnanda,* id est opera pietatis

Galat. V, 6. Apoc. III, 18.

ad aliorum ædificationem, ac propriarum virtutum fomentum seu conservationem. *Aromata,* id est virtuosæ famæ odorem. *Unguentum,* id est devotionis dulcedinem. *Et thymiama boni odoris,* id est orationem ferventem, quæ dirigatur ad Deum sicut incensum. Unde in Apocalypsi : Ascendit fumus aromatum de orationibus Sanctorum ante conspectum Dei. *Lapides onychinos,* id est robusta fidei argumenta, *et gemmas,* id est virtutes cardinales præclaras ac lucidas, *ad ornandum ephod ac rationale,* id est personas in sacris Ordinibus constitutas, præsertim prælatos ac præsules, quos oportet præcipue esse paratos ad reddendum omni poscenti rationem fidei christianæ ac spei, omnique prudentia, justitia, temperantia ac fortitudine præfulgere, quatenus omnes ædificentur et informentur in eis : qui bene signantur per ephod et rationale, quæ sunt vestes sacerdotales.

Ps. CXL, 2. Apoc. VIII, 4.

Facientque mihi sanctuarium. Ex prædictis quippe virtutibus ædificatur Deo in C anima mansio gratiosa : imo et ipsa Ecclesia regeneratur, augetur, et ædificatur ex his, in qua habitat Deus nobiscum atque in cordibus nostris. Nam et unusquisque debet se ipsum Deo sanctuarium, templum seu tabernaculum per præfatas virtutes, earumque actus, efficere ac præbere. *Juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi,* id est ad imitationem triumphantis Ecclesiæ, seu cujuscumque civis superni, quoniam Ecclesia militans instar triumphantis disposita est. Et unusquis- D que fidelis angelicæ vitæ puritatem ac obedientiam debet, juxta suæ vocationis exigentiam, sequi. Unde Joannes in Apocalypsi : Vidi, inquit, Jerusalem novam descendentem de cœlo.

Ibid. XXI, 2.

Arcam de lignis setim compingite. Per arcam intelligitur mundissima Christi humanitas, ex sanctissimis corpore et anima constans, cujus vires et membra instar lignorum setim imputribilia erant, quoniam vitiorum putredine nunquam infici potuerunt. Rursus, sicut in arca continebantur

Digitized by Google

Hebr. IX, 4. tabulæ legis, virga Aaron, et urna aurea A
habens manna, ut dicitur ad Hebræos ; ita
in Christo homine fuerunt plenissime designatæ, per tria illa, videlicet utriusque Testamenti scientia, potestas prælatica, refectio gratiarum. Porro, per arcam Isidorus intelligit Ecclesiam, ex personis fidelibus, mente et corpore incorruptis, seu spiritualiter integris, adunatam. Potest item per arcam intelligi templum Dei in superioribus viribus animæ contemplativæ : quæ arca ex lignis setim, id est intellectu deiformiter illuminato, voluntate ve- B
hementer accensa, memoria in cœlestibus stabilita, construitur, in qua tota superbeatissima Trinitas libenter moratur. *Cujus longitudo habeat duos et semis cubitos; latitudo cubitum et dimidium ; altitudo* quoque tantumdem. Ad litteram ista magnitudo suffecit arcæ ad continendum ea, propter quæ continenda est facta. Spiritualiter vero per duos cubitos atque dimidium longitudinis arcæ, significatur tam increata quam creata longanimitas Salvatoris. Per dimidium vero longitudinis cu- C
bitum designatur, quod non solum patiens ac longanimis fuit, quosdam misericorditer convertendo, sed etiam justus, multos juste derelinquendo. Propter quod dixit :
Joann. XII, 31. Nunc judicium est mundi. Per cubitum latitudinis, exprimitur caritas circa Deum ; per dimidium, caritas ad homines : quæ utraque in Christo fuit plenissima. Per altitudinem, sublimitas contemplationis in ipso, ita ut per cubitum altitudinis accipiatur celsitudo contemplationis animæ Christi circa increatum objectum ; per me- D
dium cubitum altitudinis, apex suæ contemplationis circa objecta creata.

Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris. Per quod designatur, quod Christi humanitas fuit plenissime decorata omni charismate divinorum, caritatis ardore, sapientiæ claritate ; et foris, exemplarissima conversatione, incomparabili maturitate, eloquentia, signis, prodigiis, gratiisque diversis. Ecclesia quoque multipliciter donis prætactis ornata est. *Faciesque supra coronam auream per circuitum :* quoniam Christus gloria et honore *Ps.* VIII, 6.
est coronatus. De quo prædixit Psalmista :
Posuisti in capite ejus coronam de lapide *Ps.* XX, 4.
pretioso. Fuit enim rex et summus sacerdos, et gloria beatificæ fruitionis ab incarnationis exordio adimpletus, imo tota capacitas suæ animæ, donis gratiæ fuit prorsus impleta. *Et quatuor circulos aureos :* per quos quatuor Evangelistæ notantur : qui per vectes circulis inductos, id est per discipulos suos sibi incorporatos et affectuosissime junctos, hoc est per propriam ac discipulorum suorum prædicationem, arcam Dei, videlicet Christum, circumduxerunt per quatuor mundi plagas.

Facies et propitiatorium de auro mundissimo. Christus omni perfectione et gratia penitus plenus, per duo seu pauca plene significari non potuit, sed per diversa est figuratus. Nam et ipse per propitiatorium est expressus. Ipse equidem est advocatus I *Joann.* II,
noster, et propitiatio pro peccatis nostris. 1, 2.
Pater quoque de ore et per os ejus dedit nobis responsa, præcepta et documenta, juxta quod scriptum est : Novissime die- *Hebr.* I, 1, 2.
bus istis locutus est nobis in Filio. Unde et Filius protestatur : Sicut docuit me Pa- *Joann.* VIII,
ter, sic loquor. Meaque doctrina non est 28 ; VII, 16.
mea, sed ejus qui misit me. Præterea quæri potest, qualiter arca operiebatur propitiatorio, si per utrumque Christus significatur. Et respondendum, quod Christus in quantum Deus, texit, protexit, et rexit se ipsum secundum quod homo est.

Duos quoque Cherubim aureos. Per quos designatur, quod omnes Sancti Christo ministrant, et universi deserviunt ei, secundum quod ait : Videbitis angelos ascenden- *Ibid.* I, 51.
tes et descendentes super Filium hominis.
Apostolus quoque : Adorent eum omnes *Hebr.* I, 6.
angeli Dei. Per hoc demum quod Cherubim se mutuo adspexerunt, innuitur, quod sancti angeli se invicem clarissime noscunt ac intuentur, et summam sortiuntur concordiam atque inviolabilem pacem. Attamen se viderunt vultibus in propitiatorium versis, quoniam multo directius, de-

Digitized by Google

lectabilius ac amorosius intenti sunt Verbo æterno, in quod prospicere insatiabiliter, infastidiabiliterque desiderant, quam sibi invicem. Insuper, quod Cherubim ex utraque parte oraculi stabant, et illud tegebant, signatum est quod universi angelici spiritus majestati Creatoris ad contemplandum, obediendum, laudandum semper præsentes sunt, et Christo obsequium, obumbrationem, adsistentiam exhibere paratissimi erant. Propter quod dixit: Possum rogare Patrem, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum. Quumque in deserto esset cum bestiis, angeli ministrabant ei. Hinc alas extenderunt ad invicem Cherubim super oraculum seu propitiatorium. Rursus, per duos Cherubim in propitiatorium respicientes, intelliguntur duo Testamenta, Christum concorditer prædicantia et intuentia : quia quod in uno eorum denuntiatur in ipso Christo complendum, in alio recitatur in ipso completum. Gratia namque et veritas per Jesum Christum facta est, ut Joannes habet.

Matth. xxvi, 53. *Marc.* i, 13. *Joann.* i, 17.

Facies et mensam de lignis setim. Per mensam exprimitur Christus, seu sacra ipsius doctrina, atque Sacramenti altaris exhibitio veneranda. Ipse enim cibus est et cibator, ipse refectio salutaris. In qua mensa sunt quatuor pedes, qui sunt quatuor sensus Scripturæ. Duo quoque cubiti longitudinis ejus, sunt longanimitas et perseverantia, vel æternitas suæ deitatis, atque perpetuitas suæ humanitatis. Cubitus latitudinis, caritas ejus, quæ et inimicos intra se comprehendit, quoniam et pro inimicis suis se obtulit, precemque fudit. Cubitus altitudinis, est sublimitas sapientiæ, contemplationisque ejus ; dimidius vero altitudinis cubitus, scientia qua creata cognoscit. *Et inaurabis eam :* quoniam omni gratiarum decore, et caritatis ac sapientiæ venustate est Christus ornatus ; imo et Evangelium, sed et Ecclesia ejus. *Faciesque illi labium aureum per circuitum.* Per hoc designantur munda ora ac pura documenta ecclesiasticorum Doctorum ac Patrum, præsertim beatissimorum

A Apostolorum. *Et ipsi labio coronam interrasilem* auream, *et super illam, alteram coronam aureolam.* Per auream coronam significatur beatitudo æterna, essentialeque præmium, quod sancti prædicatores merentur, aliisque denuntiant ac promittunt, si fide et opere fuerint christiani. Hæc corona interrasilis appellatur, quoniam diversi diversimode eam, videlicet cum majori, minorive ornatu adipiscuntur. Porro per aureolam, accidentale specialeque præmium designatur, quod potis-
B simum sanctis martyribus, et virginibus in quibus fuit propositum perpetuæ continentiæ, et doctoribus, datur : quod et in visione humanitatis Christi et ceterorum civium supernorum, creatarumque rerum consistit.

Parabis et acetabula ac phialas, thuribula et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo. Per hæc quatuor genera vasorum templi, designatur quadruplex differentia ecclesiasticarum personarum : per acetabula, in quibus offere-
C batur acetum, intelligendo viros rigorosæ conversationis, seu omnes actibus pœnitentiæ deditos ; per phialas, quæ magnæ erant capacitatis, perfectos, contemplativos ac sapientes, in quibus dona gratiæ copiose augentur ; per thuribula, eos qui operibus misericordiæ redolent, atque alios delectant ac refovent ; per cyathos autem, incipientes atque pusillos : in quorum omnium cordibus sunt Deo offerenda spiritualia sacrificia, orationes, vota ac lacrimæ. *Et pones super mensam panes pro-*
D *positionis in conspectu meo semper.* Per duodecim propositionis panes, recte accipiuntur duodecim sancti Apostoli, seu documenta et exempla eorum, quæ semper coram Deo sunt fidelibus proponenda in Christi et Ecclesiæ mensa ; duodecim quoque virtutes morales : quibus omnibus nutriuntur fideles, potissimum idonei sacerdotes.

Facies et candelabrum ductile. Per candelabrum potest intelligi Christus, qui ait : Ego sum lux mundi. Qui ductilis fuit, quo- *Joann.* viii, 12.

Digitized by Google

niam secundum humanitatem assumptam, summe dirigibilis et infallibiliter ductus est a Spiritu Sancto, et persecutionum pœnarumque ictibus ad resurrectionis gloriam est perductus. *Hastile ejus et calamos, scyphos et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia.* Hastile Christi, est crux ejus, qua vicit et prostravit adversarios humanæ salutis. Calami sunt libri Scripturæ canonicæ novi Testamenti, seu prædicatores atque discipuli ejus. Scyphi sunt calices. Sphærulæ sunt reditiones cordium ad proprium fontem, quæ dum convertuntur ad eum a quo condita sunt, quasi circulum seu sphærulam faciunt. Lilia vero sunt actus humilitatis, quæ instar humilitatis redolent, et ad propriam parvitatem reflectuntur. Omnia ista profluxerunt a (Luc. xxii, 27.) Salvatore, qui in medio discipulorum se collocavit, atque ad partem utramque sua dona diffudit. *In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi,* id est quatuor Evangeliorum doctrinæ, ex quibus potantur fidelium animæ in Christo. In quibus doctrinis sunt sphærulæ, quoniam docent reditionem mentis in Deum, sicut in motu circulari fit reditus ad punctum egressionis. *Et lilia,* id est opera humilitatis ipsius Domini Salvatoris. In calamis autem singulis fuerunt tres scyphi, quia in unoquoque vere fideli est cognitio summæ Trinitatis, notitia simplicis deitatis, et fides dominicæ incarnationis. Vel tres scyphi, sunt calix passionis, calix pœnitentiæ, calix consolationis internæ : quibus pia unaquæque mens potanda est, ita ut Christi passionem sectetur, in pœnitentiæ actibus exerceatur, sicque ad consolationis divinæ gustum pertingat.

Facies et lucernas septem, et pones eas A *super candelabrum.* Per septem lucernas seu lampades ardentes, intelliguntur septem dona Spiritus Sancti, quæ nunquam informia sunt, sed caritate formantur. Et plenissime fuerunt in Christo, qui juxta Zachariam prophetam est lapis, in quo (Zach. iii, 9.) sunt oculi septem. Quod plenius exprimens Isaias : Requiescet, inquit, super eum Spi- (Is. xi, 2.) ritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, etc. Per *emunctoria* intelliguntur verba correptionis fraternæ, et disciplinæ justæ correctionis, per quæ superflua re- B secantur. Per exstinctoria vero, patientia et emendatio eorum qui corripiuntur : qui dum suam correptionem atque correctionem gratanter ac patienter suscipiunt, seque emendant, turbidum fumum et vitiorum fœtorem præscindunt.

Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Sic et nos universa quæ agimus, exercere debemus secundum Christi doctrinam, jussionem et operationem, qui universorum electorum, omniumque virtutum præclarissimum est C exemplar in monte, hoc est in Ecclesia seu altitudine evangelicæ doctrinæ, vel contemplationis sublimitate, nobis propositum et ostensum.

Postremo, per mensam itemque candelabrum, Ecclesia, imo unaquæque ecclesiastica persona devota desuper illustrata, potest intelligi, in quantum spiritualiter reficit alios salutaribus documentis, et virtutum exemplis, ac Spiritus Sancti septenario decoratur, habens in se duodecim Apostolorum doctrinam, ac conversationis D eorum et miraculorum notitiam. De istis pertranseo, quoniam in Glossa, aliisque diversis tractatibus copiose habentur, et alibi multa inde conscripsi.

Digitized by Google

ARTICULUS LI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEXTI : TABERNACULUM VERO ITA FIET.

POSTQUAM descripta sunt quædam in tabernaculo contenta, nunc tabernaculum ipsum describitur. *Tabernaculum vero ita fiet.* Tabernaculum fuit templum quoddam, sanctuariumque portatile, seu domus Deo dicata, cujus tectum non fuit cameratum et elevatum, sed planum juxta morem Palæstinorum, fuitque quatuor operimentis opertum, de quibus nunc agitur. Quorum primum factum fuit de cortinis, in quibus quadruplex color fuit, vel potius ipsæ cortinæ fuerunt primum operimentum. Unde nunc dicitur : *Decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies* fieri per manus artificum. Itaque quælibet cortinarum istarum, facta fuit ex quatuor istis materiis, quarum quælibet proprium habebat colorem : quæ materiæ ac colores circa principium expositionis litteralis capituli præcedentis sunt expositi. (*Exod.* xxv, 3, 4.) Fuerunt autem cortinæ variatæ, id est diversimode decoratæ depictione florum ac picturarum : et hoc, opere plumario, id est facto per acum. Nam pluma uno modo pro acu accipitur ; atque ut sentit Augustinus, varietas illa picturarum per acum est facta. Aliqui tamen, etiam Hebræi, affirmant quod per texturam sit facta. *Longitudo cortinæ unius, habebit viginti octo cubitos ; latitudo quatuor cubitorum erit :* quia sic requirebat conveniens opertio tabernaculi per cortinas. *Unius mensuræ fient universa tentoria,* id est, præfatæ decem cortinæ, erunt longitudinis latitudinisque ejusdem. Porro cortinæ hæ, dictæ sunt etiam vela, et item tentoria, quia operiebant tabernaculum instar tentorii. *Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo,* id est, pariter consuentur seu filo jungentur, ut reddant unam cortinam magnam, habentem in latitudine viginti cubitos, quum unaquæque earum sit latitudinis quatuor cubitorum. *Et aliæ quinque nexu simili cohærebunt,* id est, ceteræ quinque cortinæ eodem modo jungentur.

Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari, id est, in latere uno unius illarum duarum cortinarum magnarum, ex quinque cortinis constantium : in latere, inquam, usque ad summum ejus ; similiter in latere uno alterius magnæ cortinæ, ut duæ illæ magnæ cortinæ possint conjungi per ansas et circulos. *Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte,* id est, unaquæque earum in latere suo habere debet tot ansulas, *ita insertas* cortinis, *ut ansa contra ansam veniat,* id est, ansa unius cortinæ directe veniat et contingere possit ansam alterius, *et altera alteri possit adaptari,* id est convenienter connecti. Porro ansa dicitur auris, per quam sporta seu vas portatur, et cortina cortinæ connectitur. Inde ansula, utpote ansa parva. *Facies et quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela jungenda sunt.* Hi etenim circuli inserebantur ansulis, et duæ ansulæ uno aureo circulo colligabantur, sicque vela cortinarum, id est duæ grandes cortinæ præfatæ, consociabantur. *Et unum tabernaculum fiat,* id est unum completum totius tabernaculi operimentum. Quo constat, verum esse quod Magister in historiis asserit, ipsas cortinas quandoque tabernaculum appellari. De modo autem operturæ tabernaculi per velum seu operimentum illud totale, duplex est opinio, ut tangetur.

Digitized by Google

Sequitur de operimento secundo. *Facies et saga cilicina undecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum tabernaculi*. Saga enim ponebantur super cortinas. Sagum vero vocatur asper pannus, seu vestis facta de pilis caprarum, de quibus et cilicia fiunt. Hinc saga cilicina vocantur. Pilique illi primo filabantur, deinde texebantur. *Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos :* et ita duobus cubitis longius fuit sagum cortina; non tamen fuit latius ea. Nam subditur : *et latitudo quatuor. Æqua erit mensura sagorum omnium :* ita quod universa ejusdem longitudinis ac latitudinis essent, quemadmodum dictum est de cortinis. *E quibus quinque junges seorsum,* id est, ex quinque sagis facies unum sagum magnum, sicut de quinque cortinis facta est una magna; *et sex sibi mutuo copulabis,* id est, ex sex reliquis sagis similiter facies unum grande, ea (ut dictum est) connectendo seu consuendo; *ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices*. Media quippe pars ejus, hoc est duo cubiti latitudinis sagi unius, ponebatur replicata in orientali tabernaculi parte, ad operiendum capita columnarum in introitu tabernaculi situatarum, quæ capita cubitum unum tenebant, sicque operimentum illud sagorum ex replicatione prædicta tabernaculo tenacius adhæreret. Alii vero duo latitudinis cubiti erant in opposita tabernaculi parte.

Facies et quinquaginta ansas in ora, id est latere, *sagi unius, ut conjungi cum altero queat*. Nam unum horum duorum magnorum sagorum, alteri nectebatur per ansas et circulos æneos, prout de cortinis jam patuit. Ideo subditur : *et quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur,* id est cum alio magno sago. *Facies et quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur ansæ,* id est quinquaginta torques seu circulos æreos, per quos ansæ duorum magnorum jungantur sagorum, ita quod duæ ansæ uno circulo æneo colligabuntur, sicut ansæ cortinarum aureo torque, ut dictum est; *ut unum ex omnibus* A *operimentum fiat,* id est, ex omnibus sagis sic copulatis, resultet et habeatur unum totius tabernaculi tegmen totale.

Quod autem superfuerit in sagis, quæ parantur tecto, id est, quæ fient ad operiendum tectum tabernaculi, *id est sagum unum quod amplius est,* id est ultra denarium cortinarum, quæ decem fuerunt. Saga autem undecim fuerunt, sicque numerus sagorum excessit numerum cortinarum in uno hoc sago. Itaque quid de illo debuit fieri, subditur : *ex medietate ejus operies* B *posteriora tabernaculi,* id est, retro et post parietem occidentalem pendebit, et extendet se ultra operturam cortinarum duobus circiter cubitis. *Et cubitus ex una parte pendebit,* id est, cubitus sagi totius ex una tabernaculi parte, extendetur ultra operturam totius cortinæ per cubitum unum; *et alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine,* id est, alius sagi cubitus pendebit ex alia parte tabernaculi tantumdem ut primus : qui cubitus longitudinem cortinarum excedit ex parte utraque tantum, C ut dictum est. *Utrumque latus tabernaculi protegens*. Hoc referendum videtur ad id, Quod autem superfuerit ex medietate ejus : quia medietas illa, videlicet duo cubiti hinc et hinc ultra cortinas descendentes, operiebant partes seu latera tabernaculi, non operta cortinis. Unus enim cubitus ex uno latere operuit partem illam, alter ex alio.

Sequitur de aliis duobus tabernaculi operimentis. *Facies et operimentum aliud tecto* tabernaculi *de pellibus arietum ru-* D *bricatis ; et super,* id est ultra, *hoc operimentum* facies *rursus aliud de hyacinthinis pellibus* ad tectum operiendum. Sicque videtur, quod duo ista operimenta solum operuerint tabernaculi tectum : de qua re infra dicetur. Extremum itaque operimentum fuit de pellibus hyacinthinis, qui aerei atque cœlestis exstant coloris. Unde (ut Josephus scribit) stupor invasit multos a longe adspicientes, quia colorem illum in nullo putabant differre a cœli colore.

Digitized by Google

Consequenter tabernaculi constructio describitur, quantum ad ejus materiam atque formam. *Facies et tabulas stantes,* id est erectas, *tabernaculi de lignis setim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant,* id est, quælibet tabula erit decem cubitorum in longitudine; *et in latitudine* habeat *singulos et semissem,* id est, quælibet erit lata spatio cubiti unius cum dimidio. De spissitudine autem earum non loquitur textus, sed expositores communiter sequuntur Josephum, protestantem quod spissitudo cujuslibet tabulæ fuit quatuor digitorum. Tamen (ut recitat Lyra) Rabbi Salomon dixit, quod spissitudo unius exstitit cubiti. Quod satis reprobat ipse qui recitat. Sic enim tabernaculum fuisset nimiæ ponderositatis ad portandum. *In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula* una *alteri tabulæ connectatur.* Per incastraturas Josephus et eum sequentes, intelligunt cardines. Porro secundum alios, incastratio tabularum fit, dum una concavatur in sua extremitate, et altera attenuatur, quatenus attenuata infigatur concavatæ in sua concavitate. Aliqui vero dicunt, quod incastratio est insertio tabulæ in tabulam facta per medios clavos. Nam et in Scholastica fertur historia: Jungebantur sibi mutuo tabulæ incastratæ, ne rimula esset ibi, aut inæqualis planities parietis. *Atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur,* in longitudine, spissitudine, incastraturis.

Quarum viginti erunt in latere tabernaculi *meridiano, quod vergit ad austrum.* Istæ etenim tabulæ sic conjunctæ ac situatæ, constituerunt australem tabernaculi parietem. *Quibus quadraginta bases argenteas fundes.* Basis vocatur, quod tabulæ seu columnæ ad sustentandum supponitur. *Ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.* Quælibet namque tabula duas habebat bases: unam in uno angulo seu extremitate sui, aliam in alio angulo, secundum expositores. Incastratura seu cardo [erat] ex utraque parte inaurata, et in basibus erant foramina, in quibus

A cardines suscipiebantur ac claudebantur. Itaque sub utroque cornu tabulæ exstitit una basis; vel (ut quidam imaginantur) una sub angulis tabularum duarum. Sed qualiter tunc fuissent ibi quadraginta bases? *In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit,* id est tendit, *ad aquilonem, viginti tabulæ erunt, quadraginta habentes bases argenteas:* quoniam paries aquilonaris fuit omnino æqualiter dispositus et formatus sicut paries meridianus. *Binæ bases singulis tabulis supponentur.*

B *Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas.* Harum sex tabularum tanta fuit longitudo, latitudo et spissitudo, quanta et aliarum: ex quibus constabat paries occidentalis, habens in longitudine cubitos novem. *Et rursum alias duas, quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.* Istæ duæ tabulæ non erant latitudinis tantæ ut ceteræ, quoniam unaquæque earum habebat in latitudine cubitum medium; erant tamen in longitudine et spissitudine ceteris æquales. Itaque una harum

C duarum, fuit erecta in uno latere seu extremitate parietis occidentalis; altera vero, in alio illius parietis latere. Quum enim sex tabulæ prædictæ, non implerent nisi novem latitudinis cubitos, dimidius cubitus ab utraque parte vacuus apparebat. Ideo tabula uno cubito lata, per medium secta est, et inde sunt factæ duæ tabulæ semicubitales: quæ utrinque partibus illis oppositæ, clauserunt et impleverunt duos illos semicubitos vacuos, parietemque occidentalem compaginaverunt et conjunxe-

D runt aliis duobus parietibus collateralibus. *Eruntque sibi conjunctæ a deorsum usque sursum:* erant enim aliis tabulis junctæ per totam altitudinem parietis; *et una omnes compago retinebit:* id est, una generali connexione omnes tabulæ erunt proportionabiliter mutuo copulatæ. *Duabus quoque tabulis, quæ in angulis ponendæ sunt,* utpote prædictis duabus semicubitalibus tabulis, *similis junctura servabitur:* quia sic erunt conjunctæ tabulis proximis, quemadmodum ceteræ sibi invicem con-

Digitized by Google

nectentur. *Et erunt simul tabulæ octo :* id est, in pariete occidentali erunt in toto tabulæ octo, videlicet sex de quibus facta est mentio, et duæ præfatæ semicubitales. *Bases earum argenteæ* erunt *sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis.* Quælibet enim tabula habuit juxta prædicta duas argenteas bases, quibus innitebatur et immittebatur, sed utraque tabula semicubitalis habuit bases duas. Denique tabulæ parietum in superiori parte jungebantur uncinis, unoquoque uncino tabulas duas jungente, ac summitates earum intrante : quod etiam significatur per verba illa præhabita, Eruntque sibi conjunctæ a deorsum usque sursum, et una omnes compago retinebit : pro quo (ut fertur) in Hebræo habetur, Erunt conjunctæ super caput uncino.

Facies et vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, et quinque alios in altero, et ejusdem numeri ad occidentalem plagam : id est, in quolibet pariete tabernaculi, videlicet australi, aquilonari ac occidentali, erunt quinque vectes, vel (ut aliqui dicunt) totidem vectium ordines : qui vectes immittebantur per medium parietum, inter superiorem inferioremque partes eorum, ad continendum fortissime ad invicem, ipsasque parietum tabulas, ne vi ventorum, aut alia commotione concuterentur parietes. Ideo subditur : *Qui,* scilicet vectes, *mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum,* videlicet per totum tabulatum a principio parietis usque ad finem ejus per transversum parietum. *Ipsas quoque tabulas deaurabis,* id est, auro operies, *et fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant.* Cuilibet equidem tabulæ erant affixi et immissi tres annuli, per quos vectes imponebantur ad continendum tabulata : *quos* vectes *operies laminis aureis.*

Deinceps describuntur duo vela, quæ ad tabernaculum pertinebant. *Facies et velum de hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario.* De

A eisdem materiis sunt factæ cortinæ, sicut in principio hujus capituli, continetur, ubi et ista exposita sunt. *Et pulchra varietate contextum.* Unde secundum Josephum, omnes flores quos gignit humus, fuerunt in eo depicti, cum aliis quoque picturis, quos inserere poterant artifices præter animalium formas. *Quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim* factas ; *quæ deauratæ erunt, et habebunt capita aurea et bases argenteas.* Has columnas dicit Josephus fuisse tabulas instar aliarum formatas, æqualiter a se distantes, inter quas fuerunt tres angusti ingressus. Denique istæ columnæ fuerunt intra tabernaculum, inter Sanctum et Sanctum sanctorum, ante quas velum pendebat ad prohibendum adspectum eorum, quæ in Sancto sanctorum continebantur. Quod etiam velum fuit quadrum omnino, habens cubitos decem, quoniam altitudo tabernaculi erat decem cubitorum, similiter latitudo ipsius. *Inseretur autem velum per circulos* aureos, per quos trahi possit ac retrahi tempore opportuno. Erant autem super capita quatuor columnarum suppositi duo vectes decem cubitorum, a pariete ad parietem protensi, quibus annuli immittebantur. *Intra quod* velum *pones arcam testimonii,* scilicet intra Sancta sanctorum, *quo et sanctuarium, et sanctuarii sanctuaria dividentur :* id est, eodem velo divisa erunt seu distincta ab invicem, locus tabernaculi qui vocatur Sanctum, et locus ejus celebrior atque sanctior, qui Sancta sanctorum est dictus. *Pones et propitiatorium super arcam testimonii in Sancto sanctorum.* Quid sit propitiatorium, et qualiter fuit superpositum arcæ, in expositione præcedentis capituli est expressum. *Mensamque extra velum :* id est, mensam propositionis pones in loco tabernaculi, qui Sanctum vocatus est ; *et contra mensam,* videlicet ex opposito pones, *candelabrum in latere tabernaculi meridiano. Mensa enim stabit in parte aquilonis.*

Facies et tentorium, id est velum, *in introitu tabernaculi, de hyacintho et pur-*

Digitized by Google

pura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario. Sicque fuit ex eisdem materiis cum velo prædicto, quamvis non scribatur tanta varietate ornatum ut illud. *Et quinque columnas deaurabis lignorum setim :* id est, quinque columnas ex lignis setim formabis, quæ ante sanctuarium stabunt versus orientem in introitu ejus ; *ante quas ducetur tentorium :* id est, velum istud pendebit ante illas columnas in ingressu tabernaculi, quod versus orientalem plagam non habebat parietem, sed loco parietis habuit velum istud, ut cunctis pateret ingressus. *Quarum* columnarum *erunt capita aurea, et bases æneæ.* Sicque differebat velum istud ab alio, quoniam illud pendebat ante quatuor columnas, et fuit intra tabernaculum, habuitque bases argenteas. Istud pendebat ante quinque columnas, etc., super quas etiam fuit vectis, cui per circulos aureos fuit hoc velum insertum.

Postremo, de modo operturæ tabernaculi per quatuor sua operimenta præfata, diversi diversimode sunt locuti. Strabus etenim ait : Cortinæ ita operiebant tectum tabernaculi, ut et per latera ejus descenderent, terram tamen non tangerent. Saga autem tectum et latera operiebant, et terram tangebant. Pelles vero rubricatæ ac hyacinthinæ tectum tantum operiebant, nec ad latera declinabant. Hinc ait et Beda : Decem cortinæ sibi invicem copulatæ, per transversum operuerunt tabernaculum totum ; et descendentes per latera, uno cubito distabant a terra : et quoniam simul junctæ, quadraginta cubitos continebant, longitudinem tabernaculi, quæ erat triginta cubitorum, tegebant. Reliquorum vero decem cubitorum quinque pendebant ad latus occidentale, alii quinque descendebant ante aperturam, quæ fuit ad orientem. Saga quoque superponebantur similiter tabernaculo per transversum. Et quia triginta cubitorum fuerunt, per latera descenderunt usque ad terram, sicque cubitum cortinis non velatum velabant ; sed quoniam ex transverso quadraginta cubi-

A tos habuerunt, longitudinem tabernaculi triginta cubitis tegebant. De quatuordecim vero residuis cubitis, septem descenderunt ante partem orientalem, et septem ante partem occidentalem. Josephus autem, quem in isto sequitur Origenes, dicit cortinas tegere totum tabernaculum, et descendere juxta latus occidentale usque ad terram ; introitum vero non tegi aliqua parte cortinarum, quum proprium haberet velum. Similiter de sagis ait totum tabernaculum operiri absque introitu.

B Verum his objicit Magister in historiis, quia secundum dicta istorum, extrinseca pars sanctuarii plurimum pretiosa et speciosa, non apparebat, nec ulla pars cortinarum quæ circa tabernaculum defluebat. Imo secundum Bedam, pretiosum tentorium seu velum quod erat ante introitum, non apparuit. Sic quoque frustra factæ fuissent tam speciosæ. Sed ad istud idem respondet, quod cortinæ et saga forsitan funibus circa tabernaculum extendebantur, æreisque paxillis funes colligaban-
C tur. Nam et infra legitur, tabernaculum habuisse paxillos, atque in modum tecti dependentis circumquaque attollebantur, ut et tabernaculum undique posset videri et circuiri ab ingredientibus sub cortinis.

Insuper in Scholastica fertur historia : Non est quæstio, id est dubitatio, de pellibus arietum rubricatis ac pellibus hyacinthinis, quia superiora tantum tegentes, ad latera non descenderunt, sed circumligatæ fuerunt funibus et paxillis æreis terræ affixis. Verumtamen Lyra dicit probabilius
D esse, quod duo hæc operimenta descenderunt ad terram, non sôlum in tribus tabernaculi partibus, quemadmodum cortinæ et saga, sed etiam pependisse ante velum quod in introitu tabernaculi erat, ut Josephus ait. Attamen Josephum secundum istud non dicere, satis constat ; nec ratio valet quam allegat, dicendo : Ad hoc erant ut repellerent vim ventorum ac imbrium. Erant enim ibi et pro aliis causis, ut patuit. Et alia duo operimenta ac velum præfatum, et aliud de quo dicetur, satis

Digitized by Google

poterant vim ventorum imbriumque repellere. Dicit equidem Josephus, velum quod pendebat in ingressu tabernaculi ante quinque columnas, ut dictum est, non nisi usque ad medietatem columnarum descendisse, et eas texisse per cubitos quinque; reliquos vero quinque cubitos, ad sacerdotum patuisse ingressum. Super hoc autem affirmat aliam cortinam laneam superpositam ibi fuisse, pertingentem usque ad terram, quæ funibus per annulos ducebatur ac retrahebatur, ut in diebus festis retracta, adspectum tabernaculi exhiberet; aliis vero diebus superducta, prohiberet adspectum, præcipue quum tempus nubilum videbatur. Cujus cortinæ textura exstitit fortis, et facile sustinebat laborem. Insuper in ingressu templi similem dicit fuisse cortinam appensam. Recitat etiam, quod sicut in utraque tabula descripta fuerunt quinque præcepta, ita decem cortinas simul junctas, tempore opportuno disjungi consuevisse, ut quinque cortinæ simul in utraque manerent simul * : quatenus ministri templi cum populo hoc cernentes, admonerentur semper de observatione Decalogi per tabulas sic distincti.

* parte

ARTICULUS LII

ELUCIDATIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI VICESIMI SEXTI.

VERBA explanati capituli adeo mystica sunt, ut et Judæi littera sola contenti, fateantur ea magnarum divinarumque rerum esse significativa. Nam et Josephus contestatur : Tabernaculi compositionem Deus, non homo, ita disposuit, quoniam si quis velit hæc considerare sine invidia, inveniet singula horum ad formam rerum divinarum peracta. Abditum namque, id est Sanctum sanctorum, quod soli pontifici licuit introire, figurabat cœlum Deo et angelis attributum. Sanctuarium vero, quod in duplo majus erat, designat mare et aridam, cunctis gressibilibus communia, quemadmodum illa pars sacerdotibus erat communis; cortinæ, cœlum sidereum; saga, aquas, quæ sunt supra firmamentum; pelles rubricatæ, cœlum empyreum in quo sunt angeli; pelles hyacinthinæ, cœlum superius, ubi Deus super omnia. In quatuor coloribus dicit Josephus significari quatuor elementa. Per byssum, terram, quia de terra est, et primum terrenum, viridemque habet colorem. Per purpuram, mare, quoniam ex marinis tingitur conchis. Per hyacinthum, aerem. Per coccum, ignem, quoniam igneum sortitur colorem. Per mensam, annum seu tempus. Per duodecim panes propositionis, duodecim menses. Per coronam quatuor digitorum, annum solarem quatuor temporum. Per aureolam, annum lunarem. Per septem candelabri lucernas, septem planetas.

Præterea de hac materia scribit S. Thomas in prima secundæ, quæstione 102 : Sicut in unitate templi vel tabernaculi repræsentabatur unitas Dei seu Ecclesiæ; sic in distinctione templi seu tabernaculi, repræsentabatur distinctio eorum quæ Deo subjecta sunt, ex quibus in Dei venerationem consurgimus. Distinguebatur autem tabernaculum in duas partes : in unam, quæ vocabatur Sancta sanctorum, et erat occidentalis; et in aliam, quæ dicebatur Sancta, et erat ad orientem. Et iterum ante tabernaculum erat atrium. Hæc ergo distinctio duplicem habet rationem : unam, secundum quod tabernaculum ordinatur ad Dei cultum. Sic namque diversæ partes mundi, in distinctione tabernaculi figura-

Digitized by Google

bantur. Nam pars illa quæ dicitur Sancta sanctorum, figurabat sæculum altius, quod est spiritualium substantiarum; pars autem quæ dicitur Sancta, exprimebat mundum corporalem. Ideo Sancta a Sanctis sanctorum quodam velo distinguebantur: quod fuit quatuor distinctum coloribus: per quos (ut dictum est) quatuor elementa intelliguntur: per quæ incorporales substantiæ nobis velantur. Idcirco in Sancta sanctorum solus et summus sacerdos et semel in anno intravit, ut designaretur, quod finalis perfectio est, ad sæculum illud altius introduci. In tabernaculum vero exterius, hoc est in Sancta, introibant sacerdotes quotidie, non autem populus, qui solum ad atrium accedebat: quoniam ipsa corpora, seu sacrificia corporalia populus percipere potest; ad interiores autem eorum rationes, soli sapientes per considerationem attingere queunt. — Porro, secundum rationem figuralem, per exterius tabernaculum, quod dicitur Sancta, significatur status veteris legis, ut ait Apostolus ad Hebræos, quia ad illud tabernaculum semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes. Per interius autem tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, significabatur vel cœlestis gloria, vel spiritualis status evangelicæ legis, quæ est inchoatio quædam gloriæ. Ad quem statum Christus nos introduxit: quod significabatur per hoc, quod summus sacerdos semel in anno solus intravit in Sancta sanctorum. Velum autem significavit occultationem spiritualium rationum in veteribus sacrificiis. Quod velum quatuor coloribus erat ornatum: bysso, ad significandum carnis puritatem; purpura, ad significandum passiones quas Sancti sustinuerunt pro Christo. Coccus bis tinctus, præsignavit caritatem Dei et proximi. Hyacintho significatur cœlestium meditatio. Ad statum vero veteris legis, aliter se habuit populus, et aliter sacerdotes. Populus enim corporalia sacrificia quæ offerebantur, in atrio considerabat; sacerdotes vero considerabant rationes sacrificiorum,

Hebr. IX, 6.

A habentes fidem magis explicitam de mysteriis Christi: ideo intrabant in exterius tabernaculum, quod etiam quodam velo distinguebatur ab atrio: quoniam quædam erant velata seu ignota populo circa Christi mysteria, quæ sacerdotibus erant nota, non tamen erant eis revelata tam plene, ut in novo postea Testamento, ut tangitur ad Ephesios. Hæc Thomas.

Ephes. III, 5.

Qui iterum loquitur: Eorum quæ in templo continebantur, reddi potest ratio litteralis et figuralis. Litteralis, per relationem ad cultum divinum. Et quia per B Sancta sanctorum significabatur altius sæculum, ideo in Sanctis sanctorum tria continebantur: videlicet arca testamenti, in qua fuit urna aurea habens manna, virga Aaron, et tabulæ Decalogi, [duo Cherubim, et propitiatorium]. Per quæ signantur tria in altiori sæculo exsistentia: scilicet Deus per propitiatorium, quoniam Deus invisibilis, incomprehensibilisque consistit: ideo non fiebat ei aliqua similitudo in tabernaculo illo, sed propitiatorium erat quasi sedes C ipsius, et arca velut scabellum pedum ipsius. Per Cherubim vero signati sunt angelici spiritus exsistentes in cœlo. Per arcam vero, rationes omnium quæ aguntur in sæculo isto: quæ rationes quasi clausæ sunt, et continentur in cœlis, quemadmodum rationes effectuum clauduntur in suis causis, et rationes artificiatorum in eorum artifice. Plura de his scribit ibidem Thomas.

Præterea, totum tabulatum tabernaculi, fuit in longitudine triginta cubitorum, et in latitudine decem; et locus qui dicitur D Sancta sanctorum, continebat decem cubitos in longitudine, totidemque in latitudine. Locus vero vocatus Sanctum, habebat cubitos viginti in longum, et decem in latum. Itaque per tabernaculum Moysis, quod de loco ad locum in eremo portabatur, Ecclesia militans designatur, quæ in sæculo isto peregrinatur ac tendit ad patriam, nec diu in eodem permanet statu. Quemadmodum autem tabernaculo facta sunt quatuor operimenta, ita Ecclesia nunc quatuor tegitur ac firmatur subsidiis contra ventos

Digitized by Google

tentationum, imbres tribulationum, ac flumina adversitatum : id est protectione divina, angelica custodia, ecclesiasticorum prælatorum ac prædicatorum præsidentia, ac propriæ rationis per divina charismata decoratæ judicio. Possunt quoque per decem cortinas, decem præceptorum observationes, corda fidelium custodientes, intelligi. Porro per undecim saga cilicina, rite accipiuntur peccatores ac pœnitentes, qui in quantum divina præcepta transgressi sunt, recte per undenarium numerum, qui a denario primum recedit, notantur. Per B connexionem autem operimentorum tabernaculi, spiritualis conjunctio credentium per fidem, caritatem, ceterasque virtutes exprimitur.

Facies et tabulas stantes tabernaculi. Per tabulas stantes sumuntur fideles, quorum sursum sunt corda : ex quibus ædificatur Ecclesia, sicut ex tabulis asseribusve tabernaculum illud fiebat. Quarum duæ bases, sunt Apostoli et Prophetæ, seu utriusque Testamenti Scripturæ, quibus innituntur ac sustentantur fideles : qui C et dono sapientiæ ac caritatis ornati pulcherrime deaurantur. Insuper, per columnas, viri contemplativi, perfecti ac stabiles A intelliguntur, præsertim virtuosi prælati, idoneique doctores, qui ceterorum imperfectum pie supportant, illosque fulciunt et confortant. Quarum columnarum capita aurea erant, quia hujusmodi viri mentem habent pretiosissima dilectione, ac splendidissima contemplatione fulcitam. *Mensam pones extra velum in latere aquilonis.* Mensa est Scriptura sacra, quæ extra velum locatur, dum fidelibus cum clara expositione proponitur. Verumtamen in aquilonis stat latere, quoniam in ænigmate cognoscimus, atque in cunctis adversis et tribulationibus patientiam observare docemur. Candelabrum demum stabat in latere meridiano, quoniam Christus qui est summum luminare Ecclesiæ, nunc quiescit in plenitudine lucis supernæ, atque in summo totius caritatis fervore. Ecclesia quoque quæ juxta præhabita per candelabrum designatur, nunc in caritatis ardore, et salutaris sapientiæ splendore, quantum ad nobiliorem electioremque suam portionem, versatur, atque in Domino commoratur. In Glossa autem spiritualis hujus capituli expositio multum diffuse exprimitur : ideo brevitati studens, celeriter ista pertranseo.

ARTICULUS LIII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : FACIES ET ALTARE DE LIGNIS SETIM.

NUNC describuntur quæ extra tabernaculum erant. *Facies et altare de lignis setim.* Quæ imputribilia et incremabilia perhibentur. Ideo congruebant huic altari, quoniam ignis jugiter erat in eo. Fuit tamen intus et foris opertum ære seu æneis laminis. *Quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est quadrum,* id est, quadratum erit ; *et tres cubitos in altitudine.* Ideo tempore ministerii sacerdotalis seu sacrificationis, D aliquid fuit suppositum pedibus sacerdotum, ut in expositione vicesimi capituli plenius dictum est. *Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt :* id est, ex ipso altari procedent in quatuor superioribus angulis ejus quatuor cornua recurvata, secundum quosdam, ut in eis quatuor annuli essent, quibus quatuor catenæ insererentur, in quibus suspendebatur craticula ærea. Alii dicunt, quod cornua illa erant directe in altum tendentia, tanquam po-

Digitized by Google

melli ad altaris decorem. *Et operies illud ære.*

Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres. Lebetes erant vasa in quibus reponebantur cineres, qui in altari manserunt ex sacrificiorum concrematione. Ideo vasa ista dicuntur facta in usus altaris, id est ad quemdam usum seu actum, qui ad expletionem immolationis quæ in altari fiebat, necessarius fuit. *Et forcipes :* qui requirebantur ad ignem construendum seu confovendum. Forceps quippe est instrumentum fabrile, quo tenetur ferrum ad fabricandum, vel titio ad ignem meliorandum. *Ac fuscinulas :* quæ sunt instrumenta, per quæ coqui extrahunt de caldario carnes. Unde primo Regum habe-
1 *Reg.* II, 14. tur : Quidquid levabat fuscinula, accipiebat puer sacerdotis. *Et ignium receptacula.* Receptacula ista, fuerunt instrumenta seu vasa, in quibus ponebantur prunæ ardentes manibus sacerdotum sumptæ de igne præfati altaris : quas prunas deferebant sacerdotes in tabernaculum, ad cremandum super altare incensi seu thymi-
Exod. XXX, 7, 8. amatis, ipsum suave thymiama mane et vespere, ut infra continetur. *Omnia vasa,* videlicet instrumenta præfata, *ex ære fabricabis.*

Craticulamque in modum retis æneam facies, *per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones super* arulam altaris. Eritque craticula usque ad altaris medium.* Hæc namque craticula ferrea, instar retis facta, habebat in quatuor angulis suis quatuor annulos æreos, quibus inserebantur quatuor catenæ æreæ, quæ appendebantur prædictis quatuor cornibus altaris, ad hoc per recurvationem aptatis, ut una tenet positio : sicque in illis catenis appendens craticula, descendit usque ad altaris medium intra ipsum, quia altare concavum fuit, et ejus concavitatem intravit craticula. Quos, videlicet quatuor annulos æneos, exsistentes in quatuor craticulæ angulis, pones super arulam altaris. Arula est instrumentum seu vas, in quo ponitur ignis. Unde in Jeremia habetur, quod arula posita fuit ante Joachim regem plena prunis. Craticula autem fuit super arulam sita. Et super craticulam ponebantur sacrificia, ad Dei honorem in odorem suavitatis cremanda ; atque per foramina craticulæ, ignis exsistens in arula calefecit et incendit sacrificia craticulæ superposita. *Facies et vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis, et induces per circulos,* hoc est, vectes hos per æneos circulos inseres circulis consimilibus ; *eruntque* in inferioribus angulis *ex utroque latere altaris ad portandum* ipsum altare, dum castra movenda sunt.

* subter

Jer. XXXVI, 22.

Ex his evidenter habetur, quod in altari illo fuerunt annuli octo : quatuor in parte ejus superiori, in quibus suspendebatur craticula ; et quatuor in parte ejus inferiori, secundum modum jam positum : idcirco non valet, quod quidam dicit hujus oppositum. In textibus quoque veteribus et correctis habetur, Super arulam altaris; non, Subter, etc. Verumtamen quidam circa hunc passum magnam inducunt difficultatem, et diversas de ista materia opiniones, quæ in Scholastica historia et ejus glossa diligenter narrantur. Et alius circa hæc intricationem inserit. Sed quoniam res non videtur nunc ponderis tanti, et præinducta expositio litteræ consonat, brevitati studens pertranseo.

Non solidum, sed inane et concavum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est : id est, altare istud intus non erit repletum mole terrena, sed concavum, caruitque operimento et fundo, ita quod terra fuit pro fundo eidem. Dicebatur quoque altare holocausti seu holocaustorum, non quod sola holocausta offerebantur in eo, imo et alia sacrificia immolabantur, videlicet hostiæ pacificæ, et pro peccato ; sed quoniam holocaustum fuit dignius sacrificium quod offerebatur ibidem. A digniori autem nomen imponi solet.

Consequenter describitur locus vulgi. *Facies et atrium tabernaculi.* Hoc atrium fuit extra et ante ingressum tabernaculi,

Digitized by Google

siti versus occidentem: sicque atrium fuit A ab oriente, respectu tabernaculi; eratque atrium sub divo, id est sub aere absque operimento, quasi magna platea. *In cujus* atrii *plaga australi contra meridiem,* id est respiciente directe versus meridionalem cœli plagam, *erunt tentoria de bysso retorta,* id est cortinæ de bysso mollissima, juxta longitudinem atrii, utpote centum cubitorum. *Centum cubitos unum latus* atrii *tenebit in longitudine,* videlicet latus australe; *et columnas viginti,* per quas cortinæ extendebantur, *cum basibus totidem* B *æneis,* in quibus figebantur et sustentabantur columnæ; *quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea,* id est, columnæ habebunt argentea capita, propriasque sculpturas. Distabant autem columnæ ab invicem spatio quinque cubitorum, et super columnas circuli erant, quibus inserebantur cortinæ a parte utraque. Siquidem atrium fuit clausum ex utroque latere columnis, in quibus cortinæ pendebant. *Similiter et in latere aquilonis* ipsius atrii *per longum erunt tentoria centum cubitorum,* id est C cortinæ in tantum extensæ, quæ invicem erant consutæ seu junctæ, *columnæ viginti, et bases æneæ ejusdem numeri, et capita earum,* scilicet columnarum, *cum cælaturis suis argentea :* sicut expositum est de latere australi.

In latitudine vero atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos. Præfatum enim atrium fuit in latitudine quinquaginta cubitorum : quæ latitudo fuit ab austro ad aquilonem, atque lateraliter respexit ad occidentem; et D ita fuerunt ibi tentoria seu cortinæ per quinquaginta cubitorum spatium tensæ sive diffusæ, quoniam utramque latitudinis extremitatem tangebant. *Et columnæ decem,* in quibus pendebant cortinæ per latum, *basesque totidem* sustentantes ipsas columnas. Juxta quem sensum de opposito latere subditur: *In ea quoque atrii latitudine, quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt: in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uni deputabuntur, columnæque tres et bases totidem.* Ista tentoria seu cortinæ quindecim cubitorum, et tres columnæ ac totidem bases, deputantur ac pertinent ad spatium unum laterale ipsius introitus atrii, de quo statim dicetur. Vel sensus est, quod cortinæ quindecim cubitorum, appensæ tribus columnis infixis totidem basibus, erant ex una parte cortinæ viginti cubitorum, per quam fuit ingressus in atrium. Similiter ex alia parte illius cortinæ, fuit cortina quindecim cubitorum. Tota namque latitudo spatii ante atrium, fuit quinquaginta cubitorum; et cortina illa media, fuit viginti cubitorum: ideo ex utraque parte ejus fuit cortina quindecim cubitorum, ut sic tota illa latitudo clauderetur ac tegeretur cortinis. Et juxta hunc sensum subjungitur de tentoriis quindecim cubitorum, et tribus columnis, ac totidem basibus, pertinentibus ad oppositum spatium laterale præfati introitus atrii. *Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnas tres, et bases totidem.*

Consequenter de formatione introitus subditur: *In introitu vero atrii, fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario.* Et ita fuit ex quatuor pretiosis coloribus illa cortina totaliter, quum ceteræ fuerint unius coloris, et de eadem materia, puta de bysso. *Columnas habebit quatuor cum basibus totidem.* Illæ quatuor columnæ stabant in medio laterum, quibus cingebatur hinc inde atrii latitudo, atque in eisdem columnis pendebat præfata cortina pulchra et pretiosa, quæ faciliter per circulos poterat trahi ac retrahi pro ingressu et exitu populi. Cortinæ quoque hinc inde pendentes, factæ erant (ut fertur) opere reticulato, ita quod plebs extra atrium stans, poterat per foramina intueri sacrificia, quæ fiebant per manus sacerdotum in atrio. *Omnes columnæ* quatuor jam præfatæ, scilicet *atrii, per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, et basibus æneis.* Columnæ autem, ut infra patebit, ferreæ erant. *In*

Digitized by Google

longitudine occupabit, id est continebit, *atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta.* Istud jam dictum est. *Altitudo quinque cubitorum erit:* quia columnæ habuerunt altitudinem quinque cubitorum, et tam alte pendebant cortinæ, quæ usque ad terram circiter pertingebant. *Fietque de bysso retorta,* quantum ad suas cortinas, id est, cortinæ atrii erunt de bysso, ut patuit. *Et habebit bases æneas.*

Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus et cærimonias, tam paxillos ejus quam atrii, ex ære facies. Per vasa tabernaculi ac atrii, intelliguntur vasa seu instrumenta requisita ad exsecutionem eorum, quæ ad Dei cultum et observantias cærimoniales spectabant, sicut patellæ quædam, cavillæ, martelli, lebetes, etc. Paxilli vero tabernaculi ac atrii erant parvi pali fixi in terra circa tabernaculum ac atrium ejus, videlicet juxta bases columnarum. In quibus paxillis figebantur per funes ipsæ cortinæ tabernaculi ac atrii, ne impulsu ventorum aut tempestatum concuterentur. Itaque omnia ista jussit Deus ex ære produci.

Postremo Dominus jussit Moysi de provisione luminarium tabernaculi, dicens : *Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum,* id est expressum de fructibus arborum illarum, *purissimum,* id est non admixtum amurcæ, sed clarum et optimum, *piloque contusum :* quia hoc mundius est, quam quod molis exprimitur ; *ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii.* Per lucernam intelliguntur
Exod. xxv, 37. nunc septem lucernæ seu lampades, quæ in candelabro erant, prout capitulo vicesimo quinto habitum est. Quæ accendebantur de vespere, et usque ad mane lucebant. Porro in dies tres luxisse leguntur. Lucebit autem lucerna *extra velum quod oppansum est testimonio.* Candelabrum namque stabat extra Sancta sanctorum in eo tabernaculi loco, qui dictus est Sanctum, seu tabernaculum exterius. Et ita velum fuit oppansum, id est extensum seu appensum, inter Sanctum sanctorum, et tabernaculum illud exterius, quod nunc testimonium nuncupatur. Quod totum in expositione præcedentis capituli contentum est plenius. Et Exod. xxvi, 31-33 et 35.
extra velum illud ardebant lucernæ. *Et collocabunt eam Aaron et filii ejus,* hoc est, ipsis ex officio competet lucernas illas accendere atque componere, *ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum :* hoc est, observantia ista cultus divini continuabitur, durante statu veteris Testamenti, per posteros Aaron filiorumque ejus; *a filiis Israel,* a quibus generabuntur et successionem accipient, dum a prioribus et senioribus posteriores jugiter orientur. Vel ideo addit, A filiis Israel, quoniam sacerdotes Leviticæ stirpis, pro communi totius populi Israelitici salute, et pro primogenitis omnium tribuum, exercuerunt sacerdotale officium et accensionem lucernarum. Denique, quia in omnibus potiora ac præstantiora Deo sunt offerenda, ac ejus cultui applicanda, ideo jussit oleum olivarum purissimum, piloque tusum, in tabernaculo suo pro lucernarum fomento imponi. Siquidem oleum olivarum propriissime oleum appellatur, et purius nobiliusque consistit, quam oleum nuceum, lineum, myrtinum, sive raphaninum. Voluit autem Dominus in templo et tabernaculo lampades semper ardere eisdem ex causis, quibus nunc vult in ecclesiis eas lucere.

Digitized by Google

ARTICULUS LIV

DE INTELLECTU MYSTICO EJUSDEM CAPITULI VICESIMI SEPTIMI.

F*ACIES et altare de lignis setim.* Per istud altare extra tabernaculum in atrio constitutum, insinuatur, quod etiam laicorum et bonorum conjugalium ac sæcularium hominum orationes, vota ac hostiæ, Deo acceptæ sunt. Fuit autem altare hoc quadrum, habens in longitudine et item in latitudine cubitos quinque, ad designandum, quod eos quorum opera et sacrificia Deo placent, oporteat esse justos, imo quatuor virtutibus cardinalibus decoratos, sed et quinque sensuum custodes ac refrenatores. Itemque, ut sint tam lati in caritate, quam alti sunt in ceteris donis Dei. Habuit etiam hoc altare tres cubitos in altitudine, quia fideles oportet esse ad divina erectos per trium theologicarum actus virtutum. *Cornua autem per quatuor angulos, ex ipso erunt.* Per cornua in Scripturis, aliquando designatur superbia, juxta illud Amos : Væ qui dicitis, Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ? Quandoque dignitas regia, ut in Daniele et in Apocalypsi frequenter. Interdum publica denuntiatio veritatis, ut in Luca : Erexit cornu salutis nobis. Nunc itaque per cornua altaris hujus, possunt intelligi ecclesiasticæ prælaturæ et dignitates, ac potestates præsidentiales populi christiani, per quatuor mundi plagas diffusi, seu libera denuntiatio evangelicæ veritatis. Per quæ quatuor cornua populus Dei prævalet adversariis suæ salutis divina virtute. *Et operies illud ære,* quia fideles debent undique esse firmati virtute constantiæ, atque insuperabili fortitudine animæ.

(*Amos* vi, 14. — *Dan.* vii, 24; viii, 21, 22. — *Apoc.* v, 6; xiii, 1. — *Luc.* i, 69.)

Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres. Per lebetes intelliguntur corda humilium, qui cineres, id est propriæ fragilitatis, defectuositatis, ac mortalitatis prædicationes, doctrinas et considerationes libenter audiunt atque suscipiunt. Per *forcipes,* quibus ignis melioratur ac struitur, intelliguntur qui per verba sua ignita, virtuosaque opera, ignem amoris in cordibus proximorum accendunt, conservant et conflant. Per *fuscinulas,* quibus extrahuntur carnes, rite accipiuntur idonei præsidentes ac prædicatores, qui exemplariter conversando, diligenter corripiendo et castigando, desideria expellunt carnalia a subditorum ac audientium anima. *Et ignium receptacula.* Per quæ intelliguntur corda docilia, quæ spiritualium desideriorum exstant capacia. Quidam autem sic indurati sunt, et carnalibus affectibus ita oppressi, ut quidquid eis dicatur, nequaquam ignium Spiritus Sancti receptacula fiant, sed ignibus dæmonum, flamma libidinis, avaritiæ æstu, et iræ ardore inflammantur facillime. *Omnia vasa ex ære fabricabis,* quoniam universos fideles virtutum vigore oportet constare.

Craticulamque in modum retis æneam. Per istam craticulam, super quam ponebantur carnes assandæ, intelligi potest patientia sancta, cui ceterarum actus virtutum sunt applicandi et superponendi, ut igne exercitationis perficiantur, et Deo bene decocti, jugiter offerantur, ne etiam igne tentationum et adversitatum exstinguantur ac destruantur. Hæc craticula super arulam altaris ponitur, dum divinæ dilectionis fervori patientia ipsa innititur, ac divini amoris intuitu omne adversum æquanimiter patitur : sicque omnia opera bona caritatis inflammantur incendio, ut digna appareant in conspectu divino. *Facies et vectes altaris.* Per quos virtuo-

Digitized by Google

si prædicatores signantur, qui occultanda claudunt mysteria, et quæ cunctis sunt prædicanda, ubique evangelizant : sicque altare circumferunt, id est, fidem et doctrinam Evangelii, in qua omnia sunt Deo offerenda, divulgant. *Non solidum, sed inane et concavum facies illud.* Est ergo quædam mala soliditas, id est repletio vitiosa, et firmatum peccandi propositum. Est et quædam bona inanitas, quæ est evacuatio cordis ab omni sorde et labe vitiorum interiore.

Hoc præterea advertendum, quod tabernaculum, altare, vectes et alia quædam, de lignis setim fieri jussa sunt : ad insinuandum, quod fideles qui fructuosæ arbores appellantur, ex quibus Ecclesia construitur, debeant sic esse stabiliti in Domino, ut nullo vitiorum lædantur aut putrefiant incendio, quantumcumque inter carnales ac impios conversentur, quemadmodum ligna setim vicino igne altaris hujus non cremabantur. Quod secundum Hieronymum non debet incredibile æstimari, quum et genus ligni, nomine amianton, aut ligno simile, quanto plus arserit, tanto mundius inveniatur. Ligna quoque paradisi fiunt puriora urendo.

Facies et atrium tabernaculi. Per atrium tabernaculi, quod ipso tabernaculo multo longius ac latius fuit, sed tamen bassius, designatur, quod pusilli, imperfecti et incipientes, ac sæculares et laici, sunt multo plures, quam virtuosi, perfecti, ac spirituales; non tamen tam alti sunt, sed bassiores : quoniam ad contemplandum divina, se nequeunt sublimiter elevare. *In introitu vero atrii, fiet tentorium cubitorum viginti.* Per id tentorium pretiosum et magna colorum venustate ornatum, sacramentum Baptismi potest intelligi, quum illud sit janua sacramentorum, et regeneratio prima in Christo: in quo Baptismo universa delentur peccata, et cunctæ infunduntur virtutes. Quod et quatuor habet columnas, dum quatuor Evangeliorum comprobatur doctrinis, imo ex lege et Prophetis, ex Evangelio et epistolis apostolicis roboratur. *Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis.* Per columnas atrii, intelliguntur hi qui inter sæculares sunt altiores et perfectiores. Qui argenteis laminis debent esse vestiti, hoc est, virtute prudentiæ, veritate sermonis, ac vitæ activæ operibus debent omnino fulciri. Capita vero eorum, videlicet corda, oportet esse argentea, id est fide splendida ; basesque æneas, ut firmissima habeant fidei fundamenta.

Postremo, per *oleum olivarum,* donum pietatis, devotio mentis, cordis pinguedo accipitur. Ex his namque fit unusquisque lucerna lucens et ardens, ipsaque caritas confovetur, lux sapientiæ augmentatur, exemplaris conversatio radiat multis, et templum Spiritus Sancti (quod est anima virtuosa, seu adunatio vere fidelium) coram Deo coruscat. Et hoc *extra velum,* quum dicat Salvator : Sic luceat lux vestra coram hominibus. *Et collocabunt eam Aaron et filii ejus :* quoniam ad prælatos ac sacerdotes pertinet dirigere, illuminare, disponere alios. *Usque mane,* hoc est quousque a præsentis vitæ tenebris liberemur, atque ad æternæ claritatis exordia perducamur. Ideo additur : *Perpetuus erit cultus,* quia in his exercitiis virtuosis oportet nos perseverare usque in finem, quousque finiamus hanc vitam.

Matth. v, 16.

Digitized by Google

ARTICULUS LV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI OCTAVI : APPLICA QUOQUE AD TE AARON FRATREM TUUM.

De ornamentis ministrorum sanctuarii, A præsertim pontificis, agitur in hoc loco. Quocirca pensandum quod in prima secundæ, quæstione 102, scribit Thomas : Totus exterior cultus Dei ad hoc præcipue ordinatur, ut homines Deum intus in reverentia habeant. Hoc autem habet humanus affectus, ut communia et indistincta ab aliis, minus revereatur ; ea vero quæ aliquam excellentiæ discretionem ab aliis sortiuntur, magis miretur ac venere-tur. Hinc consuetudo inter homines inolevit, ut reges et principes, quos oportet in B reverentia haberi a subditis, pretiosioribus vestimentis utantur, et ampliores ac pulchriores habitationes possideant. Hinc quoque oportuit, ut quædam specialia tempora, speciale tabernaculum, specialia vasa, speciales ministri, ac specialia eorumdem ornamenta, ad Dei cultum ordinarentur, ut per hæc, hominum corda ad specialem Dei reverentiam excitarentur. Itaque de ornamentis sacerdotum atque pontificum agitur modo.

Applica quoque ad te, hoc est, ex ceteris C tibi assume ac junge, *Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio,* id est de societate ac numero, *filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi :* hoc est, ad meum honorem, non ad propria commoda, finaliter sacerdotali utantur officio Aaron et quatuor filii ejus, videlicet *Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar, filii Aaron :* verumtamen non in eodem gradu aut dignitate æquali, quoniam inter eos solus Aaron factus est pontifex ; et filii ejus, sacerdotes effecti, ministraverunt eidem. *Faciesque,* D hoc est, per manus aliorum fieri jubebis, *vestem sanctam,* id est consecrandam, divinoque cultui deputandam, *Aaron fratri tuo,* non solum secundum carnem, sed et secundum fidem et religionem, *in gloriam et decorem,* hoc est, quæ ei sit gloriosa, et decorativa ipsius, imo et posteris ejus cedat in gloriam et honorem, finaliter vero tendat ac ordinetur ad meæ gloriam majestatis, atque ad cultus seu servitutis meæ decorem. Porro, quod ait, Vestem sanctam, non est intelligendum dumtaxat de veste una, sed potius de vestium quadam congerie, et pontificalium ornamentorum universitate, ita quod singulare ponitur pro plurali.

Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, id est spirituali dono ac gratia prudentiæ, quæ circa artificialia versatur. Et quod ait, Quos replevi, videtur de futuro per modum præteriti dictum. Nam post istud inter Deum Moysenque colloquium, videntur repleti hac arte, ut infra magis patebit. His ergo loqueris, id est præcipies, vel hos replevi prudentia, *ut faciant vestes Aaron.* Non ait, vestem, sed vestes : quo constat verum esse quod dixi. *In quibus sanctificatus,* id est ad meum cultum ei injungendum aptatus seu consecratus, quia non nisi in divino officio utetur his vestibus, *ministret mihi* in tabernaculo, et intra Sancta sanctorum, exhibendo ac prosequendo sacerdotalis ac pontificalis officii actus.

Hæc autem erunt vestimenta quæ facient artifices fratri tuo : *Rationale et superhumerale, tunicam et lineam strictam, cidarim et balteum.* Primo ponuntur ista in generali, deinde tractatur de eis in speciali. *Facient fratri tuo Aaron et filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi, vesti-*

Digitized by Google

menta sancta. Nam ut infra patebit, aliquæ vestium harum, et aliarum infra exprimendarum, fuerunt propriæ pontifici, aliæ autem communes ei et ceteris sacerdotibus. *Accipientque aurum et hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum,* id est, artifices accipient istas materias a filiis Israel offerentibus eas, ad faciendum ex eis ornamenta præfata.

Facient autem superhumerale, id est vestem pontificalem sic dictam, humerosque præsertim tegentem, *de auro et hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta.* Nomina ista in expositione capituli vicesimi quinti sunt explanata. *Opere polymito,* id est vario, quasi guttis distincto, ita quod superhumerale erit hujusmodi opus, utpote diversis coloribus et figuris ornatum, non tamen animalium, sed florum et hujuscemodi rerum. Dicitur quippe polymitum, a *poly,* quod est pluralitas, et *mitos,* quod est gutta. *Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant.* Superhumerale hoc, fuit manicis carens, vestis quadrata, unaque pars longitudinis ejus pendebat retro, operiens dorsum ; alia pars ante pependit, et pectus operuit. Sicque oræ laterum humeralis, jungebantur in lateribus sacerdotis uncinis et aureis annulis, seu nodulis. *Ipsa quoque textura et cuncta operis varietas,* id est superhumerale, seu ejus contextus atque varietas, quantum ad suam materiam, *erit ex auro et hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta,* id est ex panno de filis harum quinque specierum contexto, videlicet de filis factis ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, et bysso retorta, pulchra varietate distinctis et intermixtis.

Sumesque duos lapides onychinos : de quibus dictum est in expositione capituli vicesimi quinti. Tamen secundum Josephum, erant sardonyces ; secundum Septuaginta vero, smaragdi. *Et sculpes in eis nomina filiorum Israel,* hoc est nomina duodecim Patriarcharum qui fuerunt filii Jacob, vocati alio nomine Israel. *Sex*

Exod. xxv, 7.

A *nomina in lapide uno, et sex reliqua in lapide altero secundum * ordinem nativitatis eorum.* Sex etenim nomina seniorum filiorum, erant in gemma illa exsistente in dextero humero ; et sex reliqua, in onychino exsistente in sinistra parte superhumeralis, quæ sinistrum humerum operiebat, ut Josephus narrat. *Opere sculptoris et cælatura gemmarii sculpes eos nominibus filiorum Israel,* id est, onychinos istos facies sculpi artificio viri scientis sculpere et cælare, seu exarare, prout ad gemmarium B spectat, hoc est ad eum qui operatur de gemmis et in eis ; erant autem sculpti provincialibus litteris lingua Hebræa : onychinos, inquam, *inclusos auro atque circumdatos.* Postquam enim nomina eis per sculpturam inscripta fuerunt, includebantur operiebanturque auro. *Et pones in utroque latere superhumeralis,* id est unum onychinum in dextera parte superhumeralis superius, alium in sinistra ; *memoriale filiis Israel,* hoc est, onychini sic locati, erunt pontifici pro memoriali ad profe- C ctum populi sui. *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum suum,* juxta sensum inductum, *ob recordationem,* id est, ut memor sit filiorum Israel ad orandum pro ipsis, vel Patriarcharum ad imitandum eorum virtutes ; et item ut Deus videns pontificem sic portare nomina illa juxta divinum præceptum, recordaretur filiorum Israel in bonum, exaudiendo pontificem pro ipsis orantem.

* *juxta*

Facies et uncinos ex auro. Sunt autem D uncini, instrumenta ad attrahendum sive tenendum. *Et duas catenulas auri purissimi, sibi invicem cohærentes, quas inseres uncinis.* Circa hoc scribit Beda : Uncini isti, erant in supremis angulis superhumeralis fabre affixi. Catenulæ autem non in superhumerali, sed in rationali, hoc est in superioribus ejus angulis, videntur fuisse annexæ per aureos annulos : ut dum pontifex induebatur, catenæ ex rationali pendentes annecterentur uncinis superhumeralis ; sicque utraque vestis sibi in-

Digitized by Google

vicem firmiter cohæreret : et hoc infra A magis patebit.

Hæc de superhumerali in textu contenta sunt. Quæ ut clarius intelligantur, sciendum quia (ut tactum est) superhumerale fuit vestis quadrata, altera parte longior, non habens manicas, sed aperturam superius, per quam imponebat pontifex caput suum, cujus vestis latitudo texit pontificis humeros. Porro una pars longitudinis ipsius superhumeralis, retro pendens et dorsum operiens, pertingebat usque ad renes, ita ut supercingi potuit ; altera demum B pars ante pendebat, operiens pectus. Habuit quoque vestis hæc aperturam in pectore quadram, ad magnitudinem palmi, cui aperturæ rationale inserebatur. De quo subjungitur.

Rationale quoque judicii facies opere polymito, juxta texturam superhumeralis, id est ex eisdem materiis, ex quibus et superhumerale, videlicet *ex auro, hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta :* unde et eorumdem fuit colorum cum superhumerali. *Quadrangulum erit* C *et duplex,* id est duplici textura firmatum, seu ex panno duplicato formatum, ut facilius portet pondus gemmarum, secundum Glossam. *Mensuram palmi habebit, tam in longitudine, quam in latitudine;* ut præcise impleret aperturam superhumeralis præfatam. Cur autem dictum sit rationale judicii, mox dicetur. *Ponesque in eo quatuor ordines lapidum* pretiosorum : hoc est, duodecim gemmas per quatuor lineas subordinatas, seu congruo ordine sitas. *In primo versu,* id est tractu seu linea, *erit* D *lapis sardius, et topazius, et smaragdus:* quæ tres gemmæ stabunt in longum distinctæ quasi in acie ; *in secundo* versu erunt, *carbunculus, sapphirus, et jaspis; in tertio, ligurius*, achates, et amethystus; in quarto, chrysolithus, onychinus, et beryllus.* De proprietatibus harum gemmarum aliquid inseretur sequenti articulo. *Inclusi auro erunt per ordines suos,* postquam fuerint sculpti nominibus. *Habebuntque nomina filiorum Israel,* per sculpturam sibi inscripta. *Duodecim nominibus cœlabuntur singuli lapides,* utpote *nominibus singulorum per duodecim tribus,* hoc est nominibus duodecim Patriarcharum, ex quibus duodecim tribus natæ sunt. Denique trium seniorum Patriarcharum nomina, erant impressa et sita in linea superiori ; deinde in linea infra posita, aliorum trium nomina ; sicque deinceps secundum ordinem generationis ipsorum.

* *lyncurium*

Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo. Istæ sunt catenæ, quæ paulo ante dicebantur catenulæ. *Et duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate,* hoc est in duobus exterioribus angulis, seu extremitatibus ejus. *Catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus.* Catenæ etenim istæ innectebantur annulis illis per fistulas aureas, et extendebantur usque pontificis scapulas, super quas immittebantur ac inserebantur duobus uncinis aureis, firmiter infixis superhumerali, ut sic hæc duo ornamenta sibi fortius cohærerent. Ideo subditur : *Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis, quod rationale respicit. Facies et duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis,* id est in aliis duobus angulis ejus ; *et in oris, quæ e regione sunt superhumeralis, et posteriora ejus adspiciunt,* id est in præfatis duobus angulis, ex opposito correspondentibus angulis superhumeralis duobus. Siquidem in quatuor angulis rationalis, erant quatuor annuli aurei, correspondentes quatuor annulis in superhumerali insertis ; atque per annulos illos pariter stringebantur superhumerale ac rationale cum ligaminibus hyacinthinis, quæ transierunt per annulos illos. *Nec non et alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali, et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis, vitta hyacinthina, ut maneat junctura fabre-*

Digitized by Google

facta, et a se invicem rationale et superhumerale nequeant separari. In inferiori namque parte rationalis, erant et alii annuli duo aurei in utroque latere ejus; in posteriori quoque superhumeralis parte, duo aurei annuli illis correspondentes fuerunt: per quos rationale et superhumerale constringebantur in utroque latere sacerdotis, quadam ligatura hyacinthina per annulos transeunte.

Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur sanctuarium, id est tabernaculum, præsertim quando intrabit Sancta sanctorum ad deprecandum seu immolandum. *Memoriale coram Domino in æternum:* sicut expositum est de duobus onychinis, quos portavit in superhumerali. Circa quod loquitur Glossa: Tribus de causis Aaron nomina Patriarcharum inter sacrificia semper in humeris et in pectore tulit. Primo, ut ipse fidem et vitam Patriarcharum cogitaret sectari. Secundo, ut duodecim tribuum ex Patriarchis natarum, in orationibus et sacrificiis memor esset. Tertio, ut populus scripta in veste præsulis patrum nomina videns, sedulo curaret, ne a patrum suorum meritis recedens, ad errorum contagia declinaret. Hinc et Magister in historiis scribit: Portavit gemmas ob recordationem trium, quorum unius populus memor esset, ipse vero duorum: ut scilicet populus videns nomina patrum suorum, satageret ne a virtute priorum degeneraret; sacerdos vero recordaretur fidem et vitam sequi Patriarcharum; itemque, tribus ex illis natas, Deo orationibus et sacrificiis commendaret.

Pones autem in rationali judicii Doctrinam et Veritatem. Dicunt aliqui, quod ornamentum hoc vocatum sit rationale judicii: quia in eo scripta erant duo hæc nomina, Veritas et Doctrina. Cui dicto videtur concordare quod in textu subjungitur: *quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino:* quoniam tempore orationis et oblationis in sanctuario, præcipue debuit doctrinam Scripturæ et veritatem vitæ atque justitiæ habere in mente. *Et gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper,* id est, causam salutis Israeliticæ plebis coram Deo assumet, et pro ipsis sollicitus erit, pensando judicium Dei quod imminet eis. Porro Augustinus circa hæc fatur: In qua re vel in quo metallo positæ erant super rationale Demonstratio (id est doctrina) et Veritas, invenire difficile est. Fabulantur tamen Judæi lapidem fuisse, cujus color mutaretur ad prospera vel adversa filiis Israel imminentia: quamvis intelligi possint nomina ista litteris imposita rationali.

Insuper Lyra, secundum Josephum, inquit: Doctrina et Veritas exstitit quidam fulgor procedens ex lapidibus rationalis, designans Deum placatum, prosperumque responsum ac exauditionem precum pontificis. Sed Rabbi Salomon asserit, quod erat nomen Domini tetragrammaton, positum sub lapidibus in rationali: cujus nominis virtute manifestabatur veritas de interrogatis, dum pontifex Dominum consulebat. Unde et rationale perhibet factum de panno duplicato, ut inter duos pannos illos nomen Domini tetragrammaton includeretur. Verumtamen auctor Scholasticæ historiæ positionem Josephi verius recitat: Josephus, inquiens, dicit, gemmam quæ in dextero humero pontificis gerebatur, tanto splenduisse fulgore, quod et procul positis apparuit radius ejus dum sacrificium Deo complacuit. Egressuris vero filiis Israel ad prælium, si Deus cum eis erat, splendor in lapidibus rationalis apparuit, ut omni fieret multitudini manifestum, Deum eis adesse ad auxiliandum. Rursus in eadem fertur Historia: Tradunt Hebræi, in medio rationali quadrum lapidem magnitudine duorum digitorum fuisse, in quo secundum coloris mutationem perpendebant, utrum Deum haberent placatum vel offensum.

Denique Josephus refert, præfatum rationalis atque alterius gemmæ splendorem, cessasse per annos ducentos antequam

Digitized by Google

scripsit hæc, quum Deus moleste ferret A legis transgressionem. Scripsit autem Josephus ista, videlicet librum Antiquitatum, tempore Vespasiani et Titi, ad Vespasiani (ut fertur) instantiam. Verumtamen huic ultimæ recitationi Josephi Rabbi Paulus contradicit, asserens rationale judicii, in quo fuit Doctrina et Veritas, defuisse Judæis toto tempore templi secundi : et ita non solum per annos ducentos ante Josephi conscriptionem defecisset splendor præfatus. Recordor quoque (ni fallor) quod Lyra quodam in loco narrat, quinque no- B tabilia secundum Hebræos, defecisse templo secundo, videlicet a Zorobabel ædificato, quæ in primo templo a Salomone constructo, fuerunt : videlicet arca fœderis, divina responsa, ignis continuus in altari, unctio regum, Doctrina et Veritas. Quid horum sit verius, certum non habeo. Nam et illud de mutatione lapidis in medio rationali, Augustinus nominat fabulam Judæorum. Fabulatio tamen quandoque in bono accipitur.

I *Esdr.* III, 8.

Sequitur de tertio ornamento ac vesti- C mento pontificis. *Facies et tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,* id est ex filis hyacinthi. Et dicitur tunica superhumeralis, id est ipsius superhumeralis, a quo realiter differebat, quoniam pontifex super hanc tunicam immediate induit superhumerale. Vel (ut loquitur Beda) ita vocatur ad differentiam interioris tunicæ lineæ. *In cujus medio supra erit capitium,* id est, vestis hæc hyacinthina in superiori sua parte habebit aperturam, per quam intrabit pontificis caput, dum induit D eam : quæ etiam poderis appellatur, quia talaris erat, et pedes tangens. *Et ora per gyrum ejus textilis* erit, scilicet opere plectili facta. Et dicitur textile, quod faciliter texitur. *Sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur.* Hæc tunica, ut legitur, habuit circa collum in extremitatibus manicarum oras fortiter contextas, ex diversis coloribus et lapidibus pretiosis. Et, ut in Scholastica recitatur historia, de duabus incisionibus seu partibus fuit facta, consuta super humeros, atque per latera in modum dalmaticæ facta, manicas ejusdem coloris habens assutas, capitium habens non ex transverso super scapulas, sed in longum sectionem habebat a pectore usque ad medium scapularum : cui aperturæ, ne turpiter appareret, assuta fuit vitta, quæ super scapulas hinc et inde nastalis adstringebatur, id est parvis aureis nodis, quibus capitium tunicæ super humeros firmabatur utrinque.

Deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica, scilicet malogranata, *facies ex hyacintho et purpura, et cocco bis tincto, et bysso retorta, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum, et malum* sit *punicum,* id est, pomum illud similitudinem habeat pomi granati. *Rursumque aliud tintinnabulum aureum et malum punicum.* Ista tintinnabula et ista pomella pendebant pro fimbriis in margine seu extremitate inferiori tunicæ hyacinthinæ, situata inter se modo intercalari, ita quod inter duo mala punica, erat unum tintinnabulum, et econtra. Atque ut in historiis ait Magister, tintinnabula erant septuaginta duo, totidemque malogranata. *Et induetur * ea Aaron* successoresque ejus *in officio ministerii* pontificalis, *ut audiatur sonitus* tintinnabulorum, *quando ingreditur et egreditur sanctuarium, et non moriatur,* id est, non subito percutiatur plaga mortis tanquam transgressor præcepti, si istud non fecerit.

* vestietur

Facies et laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris Sanctum Domino, id est, nomen Domini tetragrammaton, facies per cælaturam scribi in ea. Circa hoc scribunt Beda et Petrus Comestor : In lamina scriptum erat, Aioth Adonai, id est, Sanctum nomen Domini, scilicet tetragrammaton : quod ineffabile dicitur, non quia dici non possit, sed quia rem ineffabilem significat. Quod his litteris Hebraicis scribitur, HE, IOD, HE, VAU. Quæ sonant, Principium vitæ passionis iste : quod est, per passionem ejus, quem præ-

Digitized by Google

figurat hic sacerdos, recuperabitur vita in A Adam perdita. Verumtamen salva reverentia horum doctorum, illa non censetur fuisse ratio, cur nomen illud ineffabile dicitur, quia rem ineffabilem significat : sic enim omnipotens, æternus, immensus, et multa consimilia dicerentur ineffabilia nomina Domini. Sed alia hujus est ratio, Exod. vi, 3. quæ in expositione sexti capituli continetur. *Ligabisque eam vitta hyacinthina.* Vitta nunc sumitur pro infula, qua caput sacerdotis ligatur. Ligabatur ergo hæc lamina cum hujusmodi vitta, ne moto pon- B tifice, agitaretur hinc inde : imo cum filis hyacinthinis alligabatur mitræ seu tiaræ pontificis. Unde subjungitur :

Et erit super tiaram, imminens fronti pontificis. Pendebat namque in fronte ipsius. Hinc in Scholastica historia dicitur : Aurea lamina ad modum dimidiæ lunæ facta, arcuationemque sursum habens, et in medio aureum annulum, aureo inserebatur uncino, qui tiaræ insertus erat. *Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt et sacrificaverunt filii Israel* C *in cunctis muneribus et donariis suis :* id est, pontifex assumet orationem et immolationem pro remissione peccatorum filiorum Israel, pro quorum remissione ipsi offerent et sanctificabunt, id est, divino cultui deputabunt, quæcumque ex rebus sibi concessis oblaturi et dedicaturi sunt Deo per manus sacerdotum, aut sponte daturi.

Erit autem lamina semper in fronte ejus, id est omni tempore opportuno, videlicet quando suum exercet pontificale D officium ; *ut placatus sit ei Dominus,* id est, ne ei irascatur ut prævaricatori, si istud neglexerit, atque ut Deus eum gratiose exaudiat. Insuper juxta Bedam, aurea lamina sacratior fuit ceteris indumentis et ornamentis pontificis : quoniam sicut divina potentia omnibus supereminet creaturis, ita oportet ut nomen ejus ceterum pontificis transcendat ornatum, et velut cuncta sanctificans, eximiam teneat sedem. Denique, quamvis jam dictum sit, quod lamina aurea fuit instar mediæ lunæ formata, habens cornua sursum, aliqui tamen scribunt oppositum, affirmantes quod fuit facta ad modum coronæ, non tamen coronæ completæ ; et quod protendebatur solum ab aure, transiens super frontem.

Stringesque tunicam bysso, id est, tunicam ex bysso factam, strictam arctamque facies ; vel stringes eam, id est, ad corpus stricte aptabis, bysso, id est balteo byssino, ut quidam exponunt. Sicque per tunicam intelligitur linea stricta, de qua in principio capituli mentio facta est. Sacerdos enim et etiam pontifex primo induebatur feminalibus, secundo sindone byssina, duplici seu dupla per totum, quæ subucula vel camisia appellatur, super quam balteo cingebatur, et tiara byssina. Tiara seu mitra hæc facta de bysso, fuit simplex, quæ et sacerdotibus competebat, facta per modum modici calamanci vel cassidis parvæ, medietatem verticis parum excedens : quæ cum vitta ligabatur sub mento sacerdotis, nuditatem colli operiente, et mitram quæ et pileum nuncupatur, fortiter tenente, ne laberetur de sacerdotis capite in sanctuario ministrantis. *Et tiaram byssinam facies, et balteum opere plumarii,* id est acu facti. Plumarium namque, ut patuit, dicitur opus acu peractum. Istud exponitur de balteo exteriori, qui ex eisdem coloribus materiisque constabat, ex quibus superhumerale et rationale, stringens superhumerale cum tunica hyacinthina : cujus baltei extrema ornate fimbriata, in anteriori parte pendebant.

Porro filiis Aaron, scilicet sacerdotibus, *tunicas lineas parabis,* videlicet sindones byssinas duplas per totum, de quibus jam dictum est ; *et balteos :* hoc de cingulis sacerdotum exponitur, quæ tamen et pontificibus communia erant. Hinc in Scholastica historia ex Josepho recitatur : Cingebatur, scilicet pontifex seu sacerdos, balteo lato latitudine quatuor digitorum, sic reticulato, ut quasi pellis viperea, quam exuit vipera seu coluber æstate seu senectute, contexta floribus coccineis, purpureis ac

Digitized by Google

A hyacinthinis, videretur. Stamen tamen tantum byssinum erat, id est fila in longum protensa in baltei hujus textura. Fimbrias quoque (ut fertur) habuit de auro, aliisque coloribus pulchra varietate ornatas. *Ac tiaras :* quod de tiaris byssinis (de quibus jam dictum est) sumitur. *In gloriam et decorem :* eodem proportionabiliter sensu, quo supra in isto dicebatur capitulo, Facies vestem sanctam in gloriam et decorem.

Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, et filios ejus cum eo. Circa hoc loquitur Beda, quod hæc tria ultima ornamenta, B competebant filiis Aaron; alia prædicta, soli Aaron præsuli. Unde et Glossa: Omnibus, inquit, his vestiendus erat Aaron et filii ejus, sed distincte : ita ut ipse Aaron omnibus his uteretur; filii autem ejus, his tribus quæ eis adscripta sunt, quum dicitur, Porro filiis Aaron, etc. Verumtamen expositores communiter dicunt, sicut et Thomas in prima secundæ, et auctor Scholasticæ historiæ, quod sacrorum octo indumentorum, quatuor communia erant pontifici ac sacerdotibus; C alia autem quatuor, soli competebant pontifici. Sed istud faciliter concordatur, quoniam paulo post de feminalibus subditur, quæ inter quatuor indumenta sacerdotum connumerantur. Quod Beda non negat. *Et cunctorum,* videlicet tam Aaron, quam filiorum ipsius, *consecrabis manus* oleo consecrationis, ut infra habebitur. *Sanctificabisque illos,* id est, ad divina applicabis, mancipabis ac purificabis per modum infra ponendum, *ut sacerdotio fungantur mihi.*

Facies et feminalia linea, id est bracas D de bysso, quæ et femoralia nuncupantur; *ut operiant carnem turpitudinis suæ:* quæ
1 Cor. xii, 23. Apostolus inhonesta corporis nominat, quia in illis motus inhonesti molestius sentiuntur, fomes gravius sævit, et major contra spiritum rebellio invenitur; *a renibus usque ad femora.* Quum enim per pedes induerentur feminalia ista, ascendebant usque ad lumbos, et ibi fortiter stringebantur, infra autem pertingebant ad femora. Ex verbis autem textus elicitur, quod Aaron et filii ejus propriis manibus feminalia induebant, cetera Moyses induit eos. Nempe quum dictum est, Vesties his omnibus Aaron et filios ejus, adjunctum est, Facies et feminalia linea, ut operiant, etc. Hoc etiam asserit Glossa. *Et utentur eis Aaron et filii ejus, quando ingrediuntur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare* holocaustorum, vel thymiamatis seu incensi; *ut ministrent in sanctuario,* id est, in tabernaculo officia sua exerceant, orando et immolando pro populo; *ne iniquitatis rei moriantur,* id est, ne juste occidantur plaga divinæ justitiæ, si istud præceptum omiserint. *Legitimum sempiternum erit Aaron et semini ejus post eum,* id est, præceptum istud erit tam pontifici quam sacerdotibus jugiter observandum, quamdiu lex vetus suum habuerit cursum, tanquam lege divina firmiter institutum.

Itaque (sicut ex dictis colligitur) octo erant sacerdotalia indumenta, videlicet vestis seu tunica linea stricta, tunica hyacinthina, superhumerale, rationale, balteus, tiara, lamina aurea, feminalia linea, quibus omnibus pontifex utebatur. Sacerdotes vero utebantur quatuor horum, videlicet feminalibus, tunica linea, balteo et tiara. Porro tiara ista a cidari seu mitra pontificali multum erat distincta. Jam quippe expressum est, qualiter tiara ista fuerit disposita. Cidaris autem pontificalis exstitit hyacinthina, quæ in capite pontificis ponebatur supra tiaram præfatam, et circumdata fuit aureo circulo tribus ordinibus, super quam ab occipite erant depicti aurei flores plantagini similes. A fronte autem stabat flos aureus similis herbæ. In superiori vero ejus planitie ex omni parte in circuitu ejus usque ad summitatem ipsius, quæ in acutissimum tendebat cacumen, stabant particulatim per loca aurea malogranata cum spinosis extremitatibus fabrefacta. Supra frontem vero pendebat aurea lamina, prout Magister istud in historiis ex Josepho narrat, Glossa quoque ex Beda.

Digitized by Google

Præterea advertendum, quod Lyra affirmat decem fuisse sacerdotalia vestimenta, quorum quatuor communia erant sacerdotibus atque pontifici, alia sex dicit fuisse propria pontifici, scilicet tunicam hyacinthinam, superhumerale, rationale, balteum, mitram hyacinthinam seu cidarim, et auream laminam. Et in isto allegat ac sequitur Josephum, præsertim quoniam Josephus fuit de genere sacerdotum, mansitque in Jerusalem durante templo ac ministerio sacerdotum, sicque pluries vidit ornamenta eorum, propter quod certius potuit ea describere. Hinc ait et Beda : Josephus, qui stante adhuc templo et legali observantia, vixit, quum esset de genere sacerdotum, potuit omnem modum sacerdotalis ornamenti non solum legendo, sed etiam videndo cognoscere. Itaque secundum Josephum, fuit duplex balteus, unus sacerdotum, alter pontificis ; duplex quoque tiara, una sacerdotum, alia vero pontificis. Verumtamen his contradicit Rabbi Paulus, et ait : Josephus non est in hoc loco tenendus, etiamsi sit de genere sacerdotali : contradicit enim textui manifeste ; nam vestes pontificales sunt tantum octo, prout ponuntur in prima secundæ, quæstione 102.

Circa hæc verba Rabbi Pauli reor dicendum, quod Josephus non contradicit textui manifeste, imo nec occulte sive implicite. Nam dato quod aliqua de ornamentis his A dicat, quæ Moyses in textu non scribit, ex hoc tamen non sequitur quod Moysi contradicat, præsertim quum Moyses alia esse non neget, nec cum exclusione loquatur. Deinde valde probabile est, quod pontifex habuit tiaram alterius dispositionis, quam sacerdotes minores : similiter quod alterius dispositionis habuerit balteum unum. Rursus, sicut ex præinducta hujus capituli expositione jam patuit, littera potest juxta Josephi intentionem exponi. Siquidem postquam Moyses dixit in isto capitulo, B Facies laminam de auro purissimo, et erit super tiaram imminens fronti pontificis ; addidit, Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis et balteos ac tiaras. In quibus satis videtur innuere, distincte se loqui de tiara pontificis, et de tiara sacerdotum. Similiter postquam circa principium hujus capituli dixit, Hæc erunt vestimenta quæ facient Aaron fratri tuo, rationale et superhumerale, tunicam et lineam strictam, cidarim et balteum ; tandem circa finem capituli nunc adjecit, Filiis Aaron tunicas C lineas parabis et balteos. Sicque de illorum balteis distincte locutus est. Postremo dici potest, quod illi qui ponunt octo ornamenta sacerdotalia, nominant ea in genere, non in specie ultimata, ita quod nomine baltei intelligunt zonam utramque : similiter nomine tiaræ, utramque mitram. Beda quoque, Glossa, et Scholastica historia, Josepho consentire monstrantur.

ARTICULUS LVI

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI VICESIMI OCTAVI INTELLECTU.

De mystica horum significatione et figuratione ac ratione, doctores multa conscribunt, de quibus S. Thomas in prima secundæ, quæstione 102, fatetur : In istis ornamentis designabatur dispositio orbis terrarum, quasi pontifex suo ornatu atque D vestitu testaretur, se esse ministrum Creatoris universorum. Unde in libro Sapientiæ habetur : In veste poderis Aaron, descriptus erat orbis terrarum. Nam feminalia linea, similiter tunica linea stricta, figurabant terram ex qua nascitur linum ; circumvolutio

Sap. XVIII, 24.

Digitized by Google

baltei, Oceanum qui ambit terram. Tunica A hyacinthina suo colore significabat aerem: per cujus tintinnabula designabantur tonitrua; per malogranata, coruscationes. Per superhumerale multiplici varietate ornatum, monstrabatur cœlum sidereum. Per duos onychinos, duo hemisphæria, seu sol et luna. Per duodecim gemmas, duodecim signa zodiaci : quæ gemmæ erant positæ in rationali, ad innuendum quod in cœlestibus continentur rationes omnium terrenorum, juxta illud in Job : Numquid nosti ordinem cœli, aut pones rationem ejus in B terra? (Hinc quod in medio exstitit ornamentum, pulchre vocatum est rationale. Ratione enim cuncta sunt plena, et cœlestibus cohærent terrena, imo et ratio terrenorum, et temporum, et caloris ac frigoris. † Duplex quoque intra utraque temperies ex cœli cursu ac oratione descendunt.) Per cidarim significatum est cœlum empyreum; per laminam auream nomine Dei inscriptam, ipse Deus omnibus præsidens. — Spiritualiter demum, per ornamenta hæc designantur virtutes mini- C strorum, quibus quatuor sunt necessaria. Primum est castitas, quæ per feminalia et opertionem turpitudinis designatur. Secundum est puritas vitæ, quæ per tunicam lineam figuratur. Tertium, moderatio discretionis, quæ notatur per cingulum. Quartum est rectitudo rationis, quæ exprimitur per tiaram caput tegentem. Porro, pontifices debent ultra hæc habere adhuc alia quatuor. Primo, jugem Dei memoriam per contemplationem, quod innuitur per auream laminam, nomen Dei in fronte habentem. D Secundo, piam et fortem supportationem infirmitatum populi eis commissi, quod per superhumerale monstratur. Tertio, indesinentem caritatis sollicitudinem pro populo, habendo eumdem in corde atque visceribus mentis descriptum. Quarto, conversationem cœlestem per opera perfectionis, quod significatum est per tunicam hyacinthinam. Unde et tunicæ hyacinthinæ tintinnabula adjunguntur aurea in extremitate, per quæ divinorum explicatur

Job xxxviii, 33.

doctrina, quæ cœlesti pontificis conversationi est conjungenda. Adjuncta sunt quoque mala punica, per quæ unitas fidei, et pacis unitas, atque concordia in bonis operibus designatur, quia sic cauta debet esse doctrina, ut per eam fidei et pacis non rumpatur unitas. Hæc Thomas.

Præterea, juxta mysticum sensum, per applicationem Aaron filiorumque ejus monstratur, quod ministri altaris in evangelica lege, et omnes in sacris Ordinibus constituti, tantum debent plebem in omni virtute et exemplaritate transcendere, quanto altioris sunt prælationis aut ordinis, et quo pluribus præsunt, ut sint separati a vita communi, et veri mediatores inter Deum et plebem.

Insuper, per sacerdotalia ornamenta Mosaicæ legis, præfiguratus est omnis decens ornatus, variusque vestitus præsulum, sacerdotum, ac ceterorum Ecclesiæ ministrorum in divino obsequio evangelicæ legis. Possunt quoque per decem vestes, decem præcepta intelligi, per quorum observantiam homo pulcherrime decoratur ac vestitur in anima. Per superhumerale etiam caritas, quæ patiens est et omnia sustinet, designatur; vel ipsa misericordiæ, pietatisque virtus, qua aliena onera portantur ut propria. Et per duos onychinos superhumeralis intelliguntur fides et spes, si per superhumerale intelligatur caritas; vel discretio et recta intentio, si per superhumerale accipiatur misericordiæ virtus seu pietas. Itaque, sicut legalis pontifex tam in onychinis superhumeralis, quam in duodecim gemmis rationalis, scripta portavit nomina duodecim Patriarcharum ob recordationem; sic evangelicæ legis antistites in cordibus suis, et in virtutibus cordium suorum, designatis per duodecim gemmas, spiritualiter scripta habere debent nomina duodecim Apostolorum, ut virtutum apostolicarum sint memores ad sectandum, et item, ut orent pro universis populis christianis, spiritualiter natis ex semine seu doctrina, prædicatione et institutione beatissimorum Apostolorum. Cur

I Cor. xiii, 4, 7.

Digitized by Google

autem in quolibet onychino scripta erant sex nomina Patriarcharum, in qualibet vero gemma rationalis duodecim nomina eorumdem, nisi quod pastor ac pontifex amplius sollicitari ac recordari debet pro salute populi sui, in interioribus viribus et exercitiis mentis, quam in exterioribus possit? Insuper gemmæ circumdatæ sunt auro, quia cunctarum actiones virtutum dono sapientiæ debent condiri ac decorari.

Per connexionem autem sacerdotalium ornamentorum ac vestium designatur, quod in ministris Ecclesiæ debet esse firma atque præcipua virtutum ac donorum connexio, quarum contemperatura, est pulcherrimus sanctissimusque vestitus eorum qui in sacris sunt Ordinibus positi. Per tintinnabula demum, in inferiori parte pontificalis amictus pendentia, insinuatur, quod pontifices et pastores debent indesinenter plebes sibi commissas per prædicationem sonoram, distinctam, dulcisonam informare, pigros excitare, ferventes in Domino exhilarare, verbo ac fama salubriter resonare. Quod vero tintinnabulis interposita et admixta fuerunt mala granata, præfiguravit, quod verbis, documentis ac famæ debeant virtuosa opera correspondere, misceri ac jugiter circumponi : imo decet unumquemque plus abundare operibus, quam doctrinis. Postremo, per hoc quod Deus tam seriose præcepit, ut pontifex et seniores sacerdotes carnem turpitudinis suæ tam longe ac late cooperirent, evidenter præsignatum est, quod sacerdotes et inferiores ministri in sacris Ordinibus constituti, potissimum præsules, debeant in omni mentis et corporis castitate sua explere officia, spiritualiter conversari, atque ab omni impuro affectu, obscenoque actu penitus abstinere : alioqui mortis rei, æterno peribunt interitu.

Præterea in hoc loco de proprietatibus gemmarum, hoc capitulo expressarum, aliquid tangi potest, ad intelligendum quid aptius designetur per eas. Quemadmodum autem quædam gemmæ in quibusdam proprietatibus conveniunt, ita interdum per A eamdem diversæ virtutes, atque aliquando per diversas gemmas eadem intelligitur virtus. Itaque eo ordine quo in textu expressæ sunt, aliquid tangam.

In primo versu erit lapis sardius, et topazius, et smaragdus. Sardius lapis est rubei coloris, qui inter gemmas vilior reputatur. Nam præter fulgorem non scitur notabilem habere utilitatem, nisi quod eo præsente, onyx seu onychinus, qui nocivas habet proprietates, nocere non valet. Onychinus quippe seu onyx, lapis est qui B in India et Arabia dicitur reperiri, permixtum in se habens colorem ad similitudinem unguis humani. Lapis iste collo appensus, aut digito junctus, fertur timorem ac tristitiam excitare, lites multiplicare, et commovere ad rixas. In pueris excitat salivam superfluam ac nocivam. Specularem habet naturam et politam, ita quod instar speculi repræsentat imagines. Potest ergo per sardium patientia designari, quia per patientiam lis, tristitia, rixa, imo et quidam timor, excluduntur. Topazius est C pretiosissimus lapis ex virentium genere, omni colore resplendens, præcipue tamen aureo atque æthereo, maxime dum solis tangitur radio; omnium gemmarum superat claritatem, nulla gemma purior in adspectu : quam si polire tentaveris, obscuratur; si suæ naturæ eam reliqueris, clarior demonstratur. Maxima quoque et amplissima fertur gemmarum, in tantum quod statua quatuor cubitorum de ea legitur facta. Hæc (ut scribitur) valet contra lunaticam passionem, tristitiam sedat et D iram, restringit sanguinis fluxum, contra noxios motus ac phrenesim valet, ferventes undas compescit, et contra subitaneam fertur mortem valere. Hanc gemmam potissimum reges amant, nec ea quidquam in suis thesauris pretiosius arbitrantur. Per quam caritas quæ omnes virtutes virtualiter comprehendit, intelligi potest. Smaragdus est gemma in viriditate omnes herbas et frondes excellens, cujus viror in sole aliqualiter obumbratur : nulla gemma sculpentium oculis gratiosior ea asseritur. Col-

Digitized by Google

lo appensus, curat morbum caducum; sua viriditate conservat ac roborat visum. Si extendatur ac poliatur, instar speculi reddit imagines, gignitque radium, cujus virore tingit aerem circumfusum, motus restringit lascivos, memorem facit, contra dæmonum illusiones atque phantasmata valet, febrem quoque ex putrefactione in venis ortam, fertur repellere. Hæc gemma in Scythia, regione propter frigus inhabitabili, dicitur inveniri, et a gryphis custodiri, ita quod nulla gens audet rapere eas, præter eam quæ unum dumtaxat oculum habet in fronte, quæ per bella contra gryphos, solet smaragdos acquirere. Sed et tempestates aereas fertur hæc gemma a portante eam avertere. Per quam mansuetudo, virtus gratissima, potest intelligi.

In secundo, carbunculus et sapphirus et jaspis. Carbunculus est gemma plurimum pretiosa, clarius fulgens in nocte quam die, radiosque emittit ut carbo ignitus. Per quam fortitudo quæ in adversis maxime declaratur, intelligi valet. Sapphirus est gemma sereno cœlo in colore simillima, splendens ut firmamentum, quæ in Libycis reperitur arenis : visum confortat, refrenat libidinem, restringit sudores, vegetat corpus ; fertur quoque discordias reconciliare, sanguinis fluxum restringere, tumores et inflaturas sedare, venenum expellere ; tollit invidiam, expellit timorem, facit audacem, parat victoriam, mitem facit ac humilem et benignum. Hinc gemma gemmarum vocatur. Per quam donum sapientiæ designatur. Estque gemma ista castitatis amatrix. Caste igitur vivat qui ipsam gestat, ne impediatur virtus ipsius. Jaspis est viridis ac lucentis coloris, multosque alios intermixtos sortitur colores, cujus efficacia est, febres hydropisimque repellere : juvat parturientem, fugat phantasmata, inter pericula facit hominem tutum, incantationibus maleficiisque resistit, sudorem sanguinemque compescit, fluentem luxum debilitat, visumque acuit, atque in argento magis quam in alio fertur valere metallo. Per quem temperantia videtur accipi posse.

A *In tertio, ligurius*, achates et amethystus.* Ligurius gemma est ex lyncis inguine seu urina inter arenulas generata, cujus virtus est attrahere paleas : valet contra dolorem stomachi, fluxum ventris atque ictericam passionem refrenat. Per quam stabilitas seu constantia mentis in Deo insinuatur. Achates gemma est, quæ fertur augere divitias, excitare amorem, gratum ac placentem efficere, vires et facundiam perhibetur præbere; sed et vitam dicitur prolongare, et contra morbum caducum ac

* *lyncurium*

B venenum valere. Estque coloris punicei, et reperitur in littore Oceani. Hanc gemmam dicitur aquila a longinquis afferre, et nido suo imponere, ne quid suis queat pullis nocere. Per quam liberalitas denotatur. Amethystus inter gemmas purpureas obtinere asseritur principatum, colore purpureo violaceoque permixtus, tanquam rosa nitens ac leniter fundens quasdam flammiculas. Valet contra ebrietatem, tollit pravam cogitationem, vigilem facit, et bonum dat intellectum. Per quam gemmam, prudentia seu discretio significatur.

C *In quarto, chrysolithus, onychinus et beryllus.* Chrysolithus gemma est, fulgens ut aurum, et ut ignis scintillat, mari quoque in colore est similis. Dæmones fertur terrere atque fugare. Juvat contra timores nocturnos, melancholiamque minuit. Per quam præclarissima virtus justitia rite accipitur. De onychino dictum est. Porro beryllus limpidi et aliqualiter pallidi est coloris, similis aquæ a sole percussæ. Conservat amorem conjugii, medelam tribuit oculis, calefacit manum tenentis; contra pericula hostium et contra lites reddit invictum ; contra vitia hepatis valet, et contra eructationes atque suspiria, et ad bonitatem confert ingenii. Per quam gemmam, timor Dei filialis, consolatio spiritualis, gratitudo seu pœnitentiæ virtus intelligi potest.

D At vero gemmarum harum saltem quarumdam, diversæ sunt species : idcirco in diversis locis quandoque quasi diversa de his gemmis leguntur. Posset demum circa hæc quæstio moveri difficilis, unde et qua-

Digitized by Google

liter sit in lapidibus his vis tanta, præsertim ut in spiritualem et rationalem substantiam sic agant et imprimant, vitia pellant, virtutesque ingerant. Non enim ex sola elementarium qualitatum varia con-

A temperatione potest hoc esse. Quocirca nonnulli dixerunt aliquid quintæ essentiæ illis inesse. Quod dictum resolutionem requirit. Verum hæc quæstio alibi habet tractari.

ARTICULUS LVII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI NONI : SED ET HOC FACIES.

QUALITER pontifex et inferiores sacerdotes, Deo jubente, sint consecrati, nunc recitatur. *Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento,* id est, de grege seu multitudine vitulorum accipe vitulum unum. Hoc quidam sic glossat : Tolle vitulum in memoriam expiationis peccati Aaron pro fabricatione vituli. Quod non censetur congrue dictum : tum, quoniam nondum commiserat Aaron hoc peccatum, quando Dominus jussit istud ; tum, quia memoria est præteritorum, non futurorum. Melius itaque dicitur vitulus assumptus et immolatus in expiationem aliarum ipsius Aaron culparum, et propter mysticam causam, articulo sequenti introducendam. *Et arietes duos immaculatos,* id est non monstruosos, sed in naturalibus bene dispositos. Certumque est, quod et vitulus debuit esse immaculatus, eo quod animalia maculata Deo offerri non licuit. Ista autem immaculatio, non est intelligenda de immaculatione velleris, sed membrorum et carnis. Potest etiam dici, quod vitulus offerebatur, non solum pro Aaron culpa, sed et pro peccatis filiorum ipsius. Siquidem in Levitico ubi describitur exsecutio eorum quæ nunc præcipiuntur, vitulus iste
Lev. VIII, 2. vocatur absolute oblatio pro peccato. Arietes vero offerebantur pro eis, secundum quod alia quædam sacrificia fiebant in lege pro gratiarum actione, aut pro beneficiis impetrandis, aut pro salute vel pace.

B Aliqui tamen dicunt, quod unus arietum horum offerebatur in memoriam obedientiæ Abrahæ, qui pro Isaac arietem obtulit ; alter in memoriam agni paschalis in exitu ab Ægypto oblati. Sed juxta hanc rationem potius, ut apparet, Dominus præcepisset accipi unum arietem, unumque agnum.

Panesque azymos, utpote non fermentatos, ad insinuandum quod vita sacerdotum debeat esse sincera, non admixta fermento I *Cor.* v, 8.
malitiæ neque nequitiæ. Quod item in detestationem idololatriæ jussum est, quoniam
C sacerdotes idolorum panes fermentatos offerebant in fanis. *Et crustulam absque fermento.* Crustula est genus panis, absque fermento in similitudinem crustulæ indurati, oleoque conspersi. Ideo sequitur : *quæ conspersa sit oleo.* Sicque per crustulam significabatur, sacerdotes esse debere desiccatos ab humore atque mollitie concupiscentiæ, ac sanctæ devotionis perfusos pinguedine. *Lagana quoque azyma, oleo lita.* Laganum appellatur panis latus ac tenuis, non conspersus oleo, sed linitus.
D Crustula autem dicitur conspersa oleo, quoniam in pistratione farinæ non aqua dumtaxat, sed oleum etiam ponebatur. Laganum vero aliqui vocant panem in patella frixum, alii pastam in calida aqua coctam. Sicque linitio olei fuit vel frictio illa, vel protractio facta cum digito tincto in oleo super laganum. *De simila triticea cuncta facies :* hoc est, omnes panes hi materialiter fiant ex hujusmodi simila,

Digitized by Google

quæ est delicatissima tritici farina. Itaque sicut animalia immolanda, ita et panes hi debuerunt esse elegantis dispositionis, ut in omnibus Deo offerantur præstantiora. *Et posita* hæc genera panum *in canistro offeres* Deo in recognitionem, quod omnia victualia sunt ab eo.

Vitulum autem et duos arietes, et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii, id est extra tabernaculum juxta ostium ejus in atrio, ubi erat holocaustorum altare. *Quumque laveris patrem cum filiis suis aqua.* Lavit enim Moyses manus ac pedes Aaron, filiorumque ejus, ut dicunt expositores. Lyra tamen allegat Rabbi Salomonem, dicentem quod non intelligatur de corporis lotione : quod verum non est, nisi forte dicere velit, quod totum eorum corpus non lavabatur. Verumtamen in Levitico
Lev. VIII, 6. habetur absolute, quod lavit eos, non dubium quin corporaliter. Per quod figurabatur, quod sacerdotes debent intus esse purificati ac Deo reconciliati, antequam ad suorum exsecutionem officiorum accedant. *Indues Aaron vestimentis suis,* scilicet sacerdotalibus et pontificalibus ornamentis, *id est linea,* scilicet stricta, *et tunica* hyacinthina, *et superhumerali et rationali.* Istud præcedenti capitulo plenius continetur, atque expositum est. *Quod constringes balteo. Et pones tiaram in capite ejus, et laminam sanctam super tiaram, et oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur.* Solus etenim pontifex ungebatur in capite. Materia hujus unctionis, infra exprimitur; forma autem et figura ipsius, in textu tacentur. Aliqui vero affirmant, quod unctio illa incepit a capite, et fiebat cum digito consecrantis tincto in unctione, descendens ad palpebras.

Filios quoque illius applicabis, id est, tibi adjunges, ita ut possis eos induere, *et indues eos tunicis lineis, cingesque balteo, Aaron scilicet et liberos ejus.* Istud totum capitulo præcedenti expositum est. *Et impones eis mitras.* Qualiter diversimode fu-

[A] erint mitrati summus sacerdos et inferiores, habitum est in expositione præcedentis capituli. *Eruntque sacerdotes mei * religione perpetua :* omni videlicet tempore * mihi
durationis veteris legis duratura. Vel dicitur religio illa perpetua, quia christianam religionem usque in finem mundi duraturam præfiguravit. *Postquam initiaveris,* id est consecraveris, *manus eorum :* vel secundum Augustinum, postquam potestatem consecrandi et immolandi ac sanctificandi eis tradideris. Dicuntque aliqui, quod ma-
[B] nus inferiorum sacerdotum ungebantur. Alii dicunt oppositum, quum nec hic, nec alibi Scriptura hoc dicat. Tamen ut infra patebit, de sanguine hostiæ, unctionisque oleo fiebat permixtio quædam, qua sacerdotes et eorum vestes adspergebantur. Illam quoque adspersionem dicunt posse quamdam unctionem vocari.

Applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonii : puta ad ostium ejus, ut dictum est, in atrio. *Imponentque Aaron et filii ejus manus super caput illius :* ad
[C] insinuandum et confitendum, quod pro peccatis eorum vitulus immolaretur. Quod tamen mysticum aliquid magnum significavit, sicut tangetur. *Et mactabis eum in conspectu Domini, juxta ostium tabernaculi testimonii :* quia animal offerendum occidere, fuit sacerdotis officium, quod Moyses exercuit in consecratione Aaron, filiorumque ejus. *Sumptumque de sanguine vituli pones super cornua altaris digito tuo :* faciendo ibi linitionem ex sanguine, ad demonstrandum quod ad pla-
[D] candum Dominum majestatis, cui in illo altari sacrificia offerebantur, sanguis ille fuit effusus. *Reliquum autem sanguinem fundes super * basim ejus,* id est apud in- * juxta
feriora altaris, ubi erat receptaculum seu canale, in quod sanguis hujusmodi fundebatur, per cujus foramina sanguis defluxit in terram. *Sumes et adipem totum qui operit intestina, et reticulum jecoris :* reticulum jecoris, est pinguedo quædam instar retis formata ; *ac duos renes, et adipem qui super eos est, et offeres incensum*

Digitized by Google

super altare : hoc est, ista combures et A offeres in altari holocausti, in atrio tabernaculi. Hæc etenim voluit Dominus sibi offerri et comburi, nec manducari : de quorum omnium et consimilium rationibus litteralibus ac spiritualibus, infra tractabitur. Hæc siquidem in Levitico plenius describuntur. *Carnes vero vituli et corium,* hoc est pellem, *et fimum, combures foris extra castra,* id est tentoria et habitacula Israel, *eo quod pro peccato sit* vitulus ipse oblatus. Idcirco corpus ejus sic comburendum est, ad innuendum quod vitiorum B congeries cum suis occasionibus et circumstantiis sit omnino vitanda, repellenda ac destruenda.

Unum quoque arietem de duobus præfatis, *sumes, super cujus caput ponent Aaron et filii ejus manus* suas, ad protestandum quod per manum Moysis offerunt Domino arietem istum, in holocaustum ad summæ reverentiam majestatis. *Quem quum mactaveris, tolles de sanguine ejus, et fundes circa altare.* Non dicit, Super altare, sed Circa, videlicet circa basim ip- C sius, ad designandum quod quidquid divinæ obtulerimus majestati, ineffabiliter minus est eo, quo ipsa superdignissima est. *Ipsum autem arietem* jam mactatum, videlicet corpus ejus exanime, *secabis in frusta ; lotaque intestina ejus ac pedes, pones super carnes concisas. Et offeres totum arietem in incensum super altare :* videlicet in holocaustum, quod totum comburebatur, ad ostendendum quod homo se totum debet Deo, atque se totum ejus obsequio ac amori debeat mancipare. *Oblatio* D *est Domino,* id est ad ejus honorem exhibita, *odor suavissimus victimæ Domini :* id est, oblatio ista seu vapor et incensio ejus, est placentissima Deo, non ex parte operis operati, quod in se nullam habuit sanctitatem, acceptabilitatem ac gratiam, quum fuerit quid irrationale ; sed ex parte operis operantis, hoc est ex fide, devotione et obedientia offerentis, et maxime, in quantum oblationem Christi in ara crucis præfiguravit. Porro, ut in Scholastica fertur historia, gentiles ab hostibus vincendis hostiam, atque ab hostibus victis victimam nuncupabant : Hebræi vero a loco offerendi, hostiam vocaverunt, quoniam juxta ostium offerebatur ; victimam vero a vinciendo, quoniam animal offerendum, vinctum adducebatur.

Sequitur de hostia pacifica, quæ pro gratiarum actione ac dono desuper impetrando offerebatur. *Tolles quoque arietem alterum, super cujus caput Aaron et filii ejus ponent manus :* ut ostendant se consentire oblationi, et cooperari offerenti, atque eorum hanc esse oblationem, quam Deo devote offerrent. *Quem quum immolaveris, sumes de sanguine ipsius, et pones super extremum dextræ auriculæ Aaron et filiorum ejus, et super pollices manus eorum ac pedis dextri.* Itaque extremum dextræ auriculæ pontificis ac sacerdotum tangebatur cum sanguine, ad designandum quod eorum aures deberent jugiter esse apertæ ad audiendum, ad suscipiendum, ac ad implendum divina præcepta de hostiis immolandis ac ceteris observandis. Conformiter tangebantur pollices manus dextrique pedis, ad figurandum quod semper deberent esse parati ad opera legis, et ad gressus virtutum ac spiritualem processum. Magis quoque pars dextera quam sinistra, sic sanguine tingebatur : quoniam principalia Deo sunt dedicanda. *Fundesque sanguinem* oblati arietis *super altare per circuitum :* ad declarandum quod Dominus universorum hostias pacificas et vota nostra gratiarumque actiones non despicit. Hanc autem oblationem obtulerunt Aaron ac filii ejus, Deo gratias referendo, quod eos præ ceteris ad tanta elegit officia, et item ut dona gratiæ eis conferret, per quæ eadem officia digne exsequerentur.

Quumque tuleris de sanguine qui est super altare, et de oleo unctionis, ea pariter admiscendo, *adsperges Aaron et vestes ejus, filios* Aaron *et vestimenta eorum :* ad insinuandum quod nisi obicem ponant, intus adspergantur a Domino beneficiis gra-

Digitized by Google

tiæ copiosæ. *Consecratisque ipsis,* scilicet A Aaron et filiis ejus, *et vestibus, tolles adipem de ariete* sic oblato, *et caudam, et arvinam quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris, et duos renes, atque adipem qui super eos est,* id est pinguedinem intestina operientem, *armumque,* id est humerum, *dextrum* arietis hujus, *eo quod sit aries consecrationis,* hoc est immolatus in consecratione pontificis ac sacerdotum. Propter quod in isto ariete exstitit speciale, quod cremabatur; in aliis namque cessit in partem sacerdotum. *Tortamque panis* B *unius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini; ponesque omnia super manus Aaron et filiorum ejus:* quasi ipso facto dicens ad eos, Accipite potestatem sumendi ista a populo ad offerendum ac reficiendum. *Et sanctificabis eos,* aptando et auctorizando eos hoc ritu ad exsequenda sua officia; *elevans coram Domino* ea, quæ posuisti super manus Aaron filiorumque ejus. Et aliqui dicunt, quod Moyses elevavit manus Aaron et filiorum C ipsius, simul cum rebus his positis super manus ipsorum, quasi Deum exorans, ut oblationes ac ministrationes ipsorum de cetero haberet acceptas. *Suscipiesque universa de manibus eorum,* ad explendum sacerdotale officium pro ipsis, sicut subjungitur: *et incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio ejus est.* Ista namque fuit pacifica hostia, propter quod una ipsius pars incendebatur totaliter ad Dei honorem, alia vero pars cessit in usum D et cibum sacerdotis. Unde adjungitur:

Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron: hoc est, pectus arietis oblati in consecratione Aaron, accipies; *sanctificabisque illud elevatum coram Domino,* hoc est, quum pectus illud coram Deo elevaveris, in signum quod ei oblatum est, et ut devotionem offerentis acceptet, itemque ad designandum quod sapientia, quæ per pectus signatur, omnibus eminet; *et cedet in partem tuam:* nam in isto sacrificio Moyses sacerdotis fungebatur officio. *Sanctificabisque et pectusculum consecratum et armum, quem de ariete separasti, quo initiatus,* hoc est consecratus, *est Aaron et filii ejus; cedentque in partem Aaron et filiorum ejus.* Istud non potest intelligi de eodem numero pectusculo, eodemque armo, seu dextro humero, quos obtulit Aaron et filii ejus, offerendo arietem in hostiam pacificam; nec unus aries habuit duo pectuscula, duosque dexteros humeros. Armus quoque illius arietis jussus fuit cremari. Ideo sensus est, quod pectus et armus sacrificiorum hujusmodi postea offerendorum a populo, cedent in refectionem pontificis et sacerdotum sub eo. Propter quod subditur: *jure perpetuo,* id est institutione divina ac lege hac mea, *a filiis Israel,* hoc est a sacrificiis eorum pacificis; *quia primitiva sunt, et initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino:* id est, pectus et armus hostiarum pacificarum, sunt partes præcipue * in usum sacerdotum deputandæ. *præcipuæ

Vestem autem sanctam qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, hoc est, ei succedent per temporum intervalla in pontificali officio; *ut ungantur in ea* oleo unctionis in capite, *et consecrentur manus eorum* ad peragendum pontificale officium: de cujus consecrationis modo jam dictum est. Sed quum multa, utpote octo vel decem, fuerint indumenta pontificis, de quo vestimento intelligitur istud? Et respondendum, quod non de uno dumtaxat, sed de omnibus pontificalibus vestibus ejus. Quod probatur ex eo, quod in Numeris Dominus ait ad Moysen: Tolle *Num.* xx, 25, 28. Aaron et filium ejus. Quumque spoliasset Aaron vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus. Itaque ponitur hic singulare pro plurali. *Septem diebus utetur illa, qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus.* Non est hoc intelligendum, quod successor ipsius Aaron tantum septem diebus usus sit habitu pontificali, imo quamdiu vixit usus est eo tempore opportuno, sed

Digitized by Google

quod primis septem diebus continue usus A est eo. Unde Magister in historiis loquitur : Semel induti, septem diebus non deposuerunt vestes sanctas, nec de atrio tabernaculi sunt egressi. *Et qui ingredietur tabernaculum testimonii, ut ministret in sanctuario.* Certum est, quod non solum sacerdos summus, sed inferiores quoque sacerdotes ingrediebantur tabernaculum seu sanctuarium, hoc est primam ejus partem, quæ dicitur Sanctum, vel Sancta, ad ministrandum Deo ibidem : idcirco per tabernaculum nunc intelligitur Sanctum B sanctorum, videlicet pars tabernaculi præcipua, in qua exstitit arca, ubi semel in anno pontifex introivit. Verumtamen quosdam sui officii actus fecit in tabernaculo exteriori, seu Sancto : et quantum ad hos actus, potest de tabernaculo isto exponi.

Arietem autem consecrationum * [* consecrationis] *tolles,* hoc est, arietem qui in consecrationibus immolatur tanquam pacifica hostia, sumes, seu sumi præcipies de loco suæ mactationis, *et coques,* id est parari facies *carnes ejus in loco sancto,* puta in taber- C naculi atrio; *quibus vescetur Aaron et filii ejus :* qui offerent hostiam talem, cujus tertia pars cessit in usum sacerdotum offerentium eam. *Panes quoque qui sunt in canistro, in vestibulo,* hoc est atrio, *tabernaculi testimonii comedent,* quia sunt panes sacerdotibus deputati ; *ut sit placabile sacrificium,* id est, hostia illa pacifica Deo complaceat, dum circa eam servantur quæ lex præcepit, nec per transgressionem offerentis sit offensiva ; *et sanctificentur offerentium manus,* id est, manus sacerdo- D tum offerentium opus virtuosum exhibeant ; vel manus populi qui per sacerdotes obtulit Deo, sancte egisse inveniantur, dum universa legitime fiunt. *Alienigena non vescetur ex eis,* id est carnibus et panibus illis oblatis, *quia sancta* * [* sancti] *sunt,* id est per oblationem sacrata, et ministris Dei appropriata, solisque filiis Aaron dedicata. *Quod si remanserit de carnibus consecratis, sive de panibus usque mane* sequentis diei, *combures reliquias igni,* id scilicet quod sacerdotibus superfuit. *Non comedentur* die sequenti, nec a sacerdotibus propter prohibitionem, neque ab aliis propter consecrationem. Ideo additur : *quia sanctificata sunt.* Sic et de agno paschali fuit præceptum, de cujus rei causa præhabitum est, et infra dicetur.

Omnia quæ præcepi tibi, facies super Aaron et filiis ejus : id est, sic eos consecrabis ac vesties ac informabis, quemadmodum nunc mandavi, nec quidquam horum omittes. Nam sicut in novo Testamento aliqua sunt de necessitate atque essentia sacramentorum, aliqua vero de bene esse et solennitate ipsorum, ita fuit in veteri Testamento de sacramentis ipsius. *Septem diebus consecrabis manus eorum,* videlicet Aaron, filiorumque ejus : id est, quotidie semel per unam hebdomadam ; imo, ut Josephus protestatur, omnia jam prædicta, sic fuerunt diebus sex sequentibus iterata, sicut prima die fuerant facta. Aliqui autem dicunt, oblationes et sacrificiorum positiones super manus Aaron ac filiorum ipsius, non autem unctiones, fuisse reiteratas. Unde subjungitur : *et vitulum pro peccato offeres per singulos dies* unius hebdomadæ, tempore consecrationis pontificis ac sacerdotum, *ad expiandum,* id est placandum, seu pium sibi faciendum ipsum Dominum.

Mundabisque altare quum immolaveris expiationis hostiam : id est, altare holocausti dispones ad suam unctionem et sanctificationem, immolando super illud quotidie una hebdomada hostiam pro peccato. Sicque altare mundabatur, non a sorde et impuritate, sed a minoratione suæ sanctificationis completæ. *Et unges illud in sanctificationem,* id est ad hoc, ut per unctionem habeat sanctificationem : de qua unctione habetur sequenti capitulo. *Septem diebus expiabis,* id est purgabis et Deo placitum facies, *altare* holocausti, *et sanctificabis* illud, dedicando ipsum ad cultum divinum, quia per unam hebdomadam reiterabatur immolatio et consecratio hæc altaris ; *et erit sanctum*

Digitized by Google

sanctorum, id est valde sanctum per unctionem, et comparatione eorum quæ Deo non dedicantur, sed in communem proveniunt hominum usum. Itaque sanctum sanctorum non sumitur hic pro loco tabernaculi, in quo fuerat arca. *Omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur :* id est, qui ordinate illud accesserit, ex hoc applicationem quamdam ad Deum sortietur ; imo se ipsum adstringet ad mundandum et sanctificandum cor suum, ut dignus sit ministrare circa altare, quod solis sacerdotibus licuit tangere.

Hoc est quod facies in altari, id est, sequens sacrificium facies super illud quotidie exhiberi : *Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum mane* facies offerri ibi, *et alterum vespere.* Istud fuit juge sacrificium, in quo offerebantur quotidie duo agni anniculi, id est non plus quam unius anni, seu infra annum unum a die octava nativitatis eorum, quoniam infra octavum diem offerri non poterant. Offeres quoque cum agno anniculo, *decimam partem similæ conspersæ oleo tuso,* id est per pilum expresso seu trito : quod oleum mundius præstantiusque consistit, et in pistratione similæ infundebatur pro pane fiendo. Mensura demum determinata similæ hujus, non exprimitur hic, sed
Num. xv, 4. ex Numeris cognoscitur, quod fuit decima pars ephi : de qua mensura in expositione quintidecimi capituli dictum est. Porro de mensura olei hujus, in textu nunc dicitur, *quod habeat mensuram quartam partem hin.* Hin est genus mensuræ quæ vocatur sextarius. Mensuræ autem et pondera, secundum diversitatem locorum ac temporum, variantur : idcirco determinatam eorum quantitatem pro certo non scimus, nisi super hoc certa habeamus documenta experientiarum aut sensationum. *Et vinum ad libandum,* id est ad offerendum super altare, *ejusdem mensuræ* cum oleo, *in agno uno,* id est, cum uno agno anniculo ista sunt pariter offerenda. Sacrificium autem de materiis liquidis, ut de vino et oleo, proprie appellatur libatio seu libamen. *Alterum vero agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, et juxta ea quæ diximus, in odorem suavitatis.* Iste enim alter agnus anniculus, offerebatur in sacrificium Deo, eodem modo et ritu, seu cum eisdem materiis ac mensuris, quibus offerebatur alius agnus de mane.

Sacrificium est Domino Deo, oblatione perpetua in generationes vestras, id est quotidiana per omne tempus veteris Testamenti, *ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino.* Ibi enim in atrio juxta altare holocausti, fiebat jugis oblatio ista. *Ubi constituam et loquar ad te.* In loco enim sacrificii dedit Deus responsa, præceptaque Moysi. *Ibique præcipiam filiis Israel.* Nam ibi per Moysen atque per summos pontifices direxit præcepta ad Israelitas. Unde in Levitico ac sequentibus libris frequenter habetur : Locutus est Dominus Moysi ad ostium tabernaculi : Præcipe filiis Israel. Ibi quoque sæpe locutus est Moysi et Aaron simul, deinde Eleazaro.

Et sanctificabitur altare in gloria mea, hoc est, altare holocausti sanctificabo per gloriosum potestatis meæ effectum, prout sequenti capitulo tangitur. Et Levitici nono habetur, quod ignis de cœlo descendit Lev. ix, 24.
super altare illud, quando ea quæ nunc præcepta leguntur, exsecutioni mandata sunt. *Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi :* hoc est, tam ipsum tabernaculum quam altare thymiamatis, quod in ipso est, dedicabo, apparabo et appropriabo cultui meo per consecrationem, et per divina opera quæ ibi facturus sum. Quod qualiter factum sit, infra, ac in libris sequentibus evidenter narratur. *Et habitabo in medio filiorum Israel,* id est in cordibus devotorum Israelitarum per magna et specialia gratiarum charismata. Quamvis itaque filii Israel pro majori parte fuerint mali, hæc tamen denominatio adscribitur generaliter populo illi, propter partem ipsius. *Eroque eis Deus :* hoc est, speciale eorum regimen,

Digitized by Google

providentiamque habebo, præcipua gratiæ dona conferam eis, et colar ab ipsis. *Et scient* per experientiam beneficiorum meorum, *quia ego Dominus Deus eorum* specialiter, qui omnium sum Dominus Deus generali dominio, *qui eduxi eos*, seu patres eorum, *de terra Ægypti, ut manerem inter illos*. Hoc sonat, quasi in terra Ægypti A non habitaverit inter ipsos. Sed intuendum quod de medio infidelium transtulit Dominus populum suum, ut populus inde subtractus, Deo plenius vacaret in solitudine, deinde in terra promissionis, utpote a prava societate hominum infidelium segregatus, inter quos a Dei obsequio multipliciter impediebatur. *Ego Dominus Deus ipsorum.*

ARTICULUS LVIII

DE SPIRITUALI HUJUS VICESIMI NONI CAPITULI SENSU.

PER hoc quod Dominus jussit ipsum Aaron ac filios ejus ante eorum consecrationem in sacerdotes, offerre diversa, quæ exprimuntur in littera, deinde lavari, et sacerdotalibus vestibus indui : designatur, quod ad sacros Ordines promovendi, præsertim ad sacerdotium ac præsulatum, debeant prius in se ipsis motus carnales ac bestiales, qui per vitulum atque arietem designantur, exstinguere, et eos ad Dei honorem mactare ; per opera quoque satisfactoria Deum sibi reconciliare, et insuper a quotidianis culpis per contritionem ac C confessionem purgari ; imo et bona opera, quæ per panes signata sunt, exercere : quæ opera devotionis pinguedine, quæ oleo significatur, oportet condire, ita ut ex interna sinceritate, quæ per triticeam similam intelligitur, oriantur : sicque sacerdos spiritualiter mortificatus, reformatus, lotus et exercitatus, debet progredi ad altare, sacerdotalia induere ornamenta, et sacrificare Patri æterno unigenitum Filium ejus.

Insuper, per Aaron pontificem præfiguratus est Christus ; per vitulum vero D indomitum, gentilis populus recte exprimitur ; per duos arietes immaculatos, populus qui sub lege naturæ, et item plebs quæ sub lege scripta Deo servivit, accipiuntur. Per hoc ergo quod Aaron vitulum unum ac duos arietes immolavit, B præmonstrabatur, quod Christus in sua passione reconciliavit ac obtulit Deo Patri tam gentiles, quam eos qui in lege naturæ ac lege scripta fuerunt. Pro omnium enim salute se obtulit. Quid vero per indumenta pontificalia ac sacerdotalia expressa in textu, spiritualiter intelligatur, in expositione mystica præcedentis capituli patuit.

Porro, quod sacerdotes ac pontifex pro se ipsis hostias obtulerunt, hoc præmonstravit, quod sacerdotes evangelicæ legis non tantum pro aliis, sed et pro se ipsis debeant Sacramentum altaris offerre. Sed et sanguinem Christi debent per devotam commemorationem superponere extremo auriculæ suæ dextræ, pollici quoque dextræ manus ac pedis, ut semper sint ad obediendum Deo promptissimi, et passioni dominicæ grati ; veloces quoque ad audiendum verbum Dei, ad exercendum quæ justa sunt, ad incedendum viam justitiæ, atque ad imitandum vestigia Salvatoris.

Postremo, per juge sacrificium Dominus Jesus pulchre significatur, qui licet semel oblatus sit in consummatione sæculorum, tamen ut in Apocalypsi conscriptum est, ab origine mundi passus est per efficaciam *Apoc. XIII, 8.* suæ subventionis, et offertur quotidie in altari. Ad vesperam quoque, videlicet circa mundi occasum, et Antichristi tyrannide omnia obscurante, non cessabit ex toto

Digitized by Google

offerri. Quod autem cum agnis illis anniculis, Christum innocentissimum significantibus, simul offerebatur panis ex simila conspersa oleo factus, et vinum : quid aliud figuravit, nisi quod Christus sub A specie panis et vini fuerat jugiter immolandus, et indesinenter nunc immolatur? Verum de sacrificiorum legalium mystica significatione, in expositione Levitici plenior erit tractatus.

ARTICULUS LIX

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI : FACIES QUOQUE ALTARE AD ADOLENDUM THYMIAMA.

De constructione, materia, forma, con- B secratione altaris thymiamatis, et de oblationibus quæ fiebant in eo, nunc agitur. *Facies quoque altare ad adolendum thymiama,* id est ad hoc, ut adoleatur seu cremetur in eo thymiama sive incensum; *de lignis setim,* quæ imputribilia et incremabilia perhibentur ; *habens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, id est quadrangulum, et duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent :* hoc est, in angulis superioribus hujus altaris eminebunt seu prominebunt aliquæ ejus partes, C quasi lignea quædam cornua, vel tanquam pomelli pro decore altaris. *Vestiesque illud auro purissimo,* hoc est, aureis laminis operies illud foris, *tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum,* qui erant ex tabulis seu asseribus ligni præfati. Siquidem altare hoc concavum erat atque portatile : sicque per quatuor partes, instar scrinii habebat parietes ligneos qui deaurabantur. *Et cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum.* Per coronam hanc intelligitur quædam elevatura, D seu labrum aliquantulum elevatum super altaris planitiem per gyrum ipsius, vel ad ipsius venustationem, vel ne supra altare posita, faciliter possent decidere, prout Exod. xxv, 11, 25, 27. istud in expositione vicesimi quinti capituli plenius est expressum. *Et duos annulos aureos sub corona per singula latera* hujus altaris, *ut mittantur in eos vectes,* id est, vectes ponantur per annulos, *et ita altare portetur,* quando loca tabernaculi sunt mutanda progredientibus filiis Israel.

Circa hæc scribit Lyra : Expositores nostri communiter dicunt, quod in cornibus altaris pendebat craticula in modum retis facta, in qua ponebantur carbones vivi, in quibus thymiama incendebatur. Hebræi vero dicunt, quod ibi non erat craticula, et quod in patella de altari holocaustorum deferebantur carbones ardentes, et in eadem patella cremabatur thymiama. Istud quoque rationabilius reputat Lyra. Per foramina namque craticulæ cecidissent cinerum favillæ super altare. Sed istud non videtur textui concordare, in quo sicut jam patuit, continetur, Tam craticulam ejus. Ad quod Lyra respondet, in Hebræo haberi, Tam tectum ejus. Ego autem credo, Hieronymum in transferendo ab Hebraica veritate non recessisse, et nomen illud Hebræum, pro quo transtulit Craticulam, esse fortassis æquivocum; nec inconveniens reputatur, si aliquid tenuissimorum cinerum super altare illud ruisset. *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et inaurabis.*

Ponesque altare thymiamatis *contra velum quod ante arcam pendet testimonii.* Sanctus Hieronymus et Hebræi ac Josephus, dicunt istud altare situm fuisse non intra Sancta sanctorum, sed in Sanctis seu exteriori tabernaculo, ex opposito ve-

Digitized by Google

li quod dividebat illas tabernaculi partes. A Pendebat autem velum illud ante arcam testimonii, *coram propitiatorio,* quod eminebat arcæ, et eam operuit. *Quo* propitiatorio *tegitur testimonium,* id est arca testimonii, vel tabulæ testamenti, quæ tamen nondum erant in arca, imo nec factæ erant, quando hæc Dominus locutus est Moysi. *Ubi loquar tibi.* Nam propitiatorium fuit quasi sedes Dei, et inde egrediebatur interdum vox Dei loquentis cum Moyse. Verumtamen beatus Augustinus videtur sentire, altare istud intra Sancta san- B
Hebr. IX, 4. ctorum stetisse, quum et thuribulum aureum fuerit ibi, ut dicitur ad Hebræos. Sed prior expositio verior reputatur, nisi forte Augustini intentio fuerit, quod istud altare ob suam dignitatem dictum sit sanctum sanctorum, ut infra patebit, sicque communionem habuerit cum Sanctis sanctorum, ac per hoc nomine ac dignitatis participatione fuit intra Sancta sanctorum.

Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans : id est, super altare hoc C Aaron et filii ejus thymiama incendent, quod suaviter redolebit, ut infra patebit. Fuit quippe ex speciebus aromaticis valde suavibus confectum et mixtum. *Mane quando componet lucernas, incendet illud.*
Exod. XXV, 37. Ut enim in expositione vicesimi quinti capituli patuit, in tabernaculo fuit candelabrum, supra quod erant septem lucernæ seu lampades, quæ omnes ardebant de nocte. Mane vero quatuor exstinguebantur, et tunc thymiama incendebatur. *Et quando collocabit eas ad vesperum.* Tunc enim qua- D tuor illæ lucernæ rursus accendebantur, et ita pontifex eas disposuit, et accendit per se aut per inferiores ministros : tunc, inquit, *uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras,* id est jugiter offerendum per successiones Israelitarum, durante Testamenti veteris statu et cursu. Denique, secundum Thomam in prima secundæ, litteralis ratio hujus incensi fuit, quatenus in tabernaculo esset odor suavis contra odorem non bonum, qui in atrio tabernaculi causabatur ex mactationibus animalium, et combustionibus holocaustorum. Ex quo apparet, verum non esse quod aliqui dicunt, quod in ipso altari de mane non cremabatur nisi thus, vespere autem thymiama : quod et ex verbo sequenti probatur. *Non offeretis super eo thymiama alterius compositionis,* id est, super altare istud incensi non immolabitis nisi thymiama et sacrificium unius commixtionis : quæ qualis fuerit, in fine hujus narratur capituli. *Nec oblationem et victimam, nec libabitis libamina.* Per oblationem, intelligitur immolatio facta de rebus non virentibus ac aridis ; per victimam, immolatio de animalibus ; per libamen, immolatio facta de materiis liquidis. Itaque nullum horum licuit in altari incensi offerri, sed ad altare holocausti hæc pertinebant.

Et deprecabitur Aaron super cornua altaris semel per annum : id est, pontifex cornibus altaris innitendo, adstando, aut se applicando, orabit semel in anno, puta in die expiationis, quæ est decima dies Septembris, pro populo; *in sanguine* ejus, *quod oblatum est pro peccato :* id est, cornua altaris incensi tingendo sanguine hirci ac vituli, qui tunc pro peccato populi offerentur. *Et placabit super eo in generationibus vestris,* id est, ista agendo reconciliabit vobis Deum. *Sanctum sanctorum erit Domino :* id est, altare istud incensi seu sacrificium ejus erit valde sacratum, juxta sensum, quo in præcedenti capitulo altare holocausti, sanctum sanctorum vocatum est. Quod tamen huic altari convenit magis quam illi, quoniam sanctius in tabernaculo fuit. Istud autem in cornibus hujus altaris agebat summus sacerdos post egressum suum ex Sanctis sanctorum, ut Lev. XVI, 18.
in Levitico scribitur.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Quando tuleris summam filiorum Israel, id est, determinate scire volueris, quot sint viri in populo Israelitico, et numerum illum acceperis ; *juxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis*

Digitized by Google

Domino : id est, unusquisque eorum dabit certam pecunialem summam pro ereptione vitæ suæ a mortis periculo, quod ei immineret, nisi istud impleret et pecuniam istam offerret Deo pro animæ suæ salute. Quod fiet juxta numerum Israelitarum, videlicet quantumcumque multi exstiterint. *Et non erit plaga in eis, quum fuerint recensiti,* id est numerati, si istud servaverint, nisi forte aliunde plagari meruerint. Circa hoc scribit Beda : Hujus præcepti oblitus est David, quando populum numeravit, ideoque plagam ipsi populo numerando procuravit. Verumtamen fuit et alia causa percussionis et plagæ illius, utpote quoniam ex quadam elationis vanitate movebatur ad populi numerationem. *Hoc autem* quod sequitur, *dabit omnis qui transit ad numerum,* hoc est, qui vicesimum annum attigerit : *Dimidium sicli juxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet.* Siclus quo utebantur in templo, habebat (ut Josephus narrat) quatuor drachmas, et drachma continebat obolos quinque. Fuit autem et aliud genus sicli, quo utebantur vulgares. *Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero a viginti annis et supra, dabit pretium. Dives non addet ad dimidium* * nihil *sicli, et pauper non * minuet :* hoc est, unusquisque offeret æque multum in casu isto; ne divites pauperibus se præferrent, atque ut ex numero dimidiorum siclorum sciretur multitudo virorum numeratorum. *Susceptamque pecuniam quæ collata est a filiis Israel,* scilicet summam pecuniæ oblatam ab Hebræis recensitis, *trades in usus tabernaculi testimonii,* hoc est sacerdotibus et ministris templi seu tabernaculi, pro expensis necessariis ad faciendum præfatam oblationem pro peccatis populi, et cremationem incensi. Nam quæ pro communitate fiebant, de communitatis sumptibus exhibebantur. *Ut sit monumentum eorum coram Domino, et propitietur animabus eorum.*

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Facies et labium æneum cum basi A *sua ad lavandum.* Labium hoc, fuit vas magnum lavatorium, formatum ut concha grandis, cujus basis fuit fundus seu concavitas ejus : quod tertio libro Regum dicitur luter, et etiam labrum vocatur. *Ponesque illud inter tabernaculum testimonii* (III Reg. vii, 38.) *et altare.* Ponebatur enim in atrio tabernaculi inter ostium ejus et altare holocaustorum. *Et missa aqua,* hoc est, in lavatorium istud fusa aqua, *lavabunt in ea Aaron et filii ejus* eorumque posteri *manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt* B *tabernaculum testimonii.* Similiter quando et egredientur ad populum, *et quando accessuri sunt ad altare* incensi, quod fuit in tabernaculo. Et hoc fuit, dum accepturi erant sacras vestes ad sacrificandum seu adolendum incensum. Ideo subditur : *ut offerant in eo thymiama Domino :* quod agebant bis quolibet die, ut patuit; *ne forte moriantur,* id est, ne propter transgressionem hujus præcepti, subito puniantur per mortem non solum corporalem ac temporalem, sed etiam condemnentur. C Et additur, Forte, quoniam in Dei liberrima potestate est pœnam justam infligere, et misericorditer parcere, indulgere, aut differre. *Legitimum sempiternum erit ipsi et semini ejus,* hoc est, præceptum istud erit jugiter observandum Aaron et filiis ejus, eorumque posteris *per successiones.*

Ex dictis eliciunt quidam, quod sacerdotes nudis pedibus ingrediebantur et exibant tabernaculum. Per oblationem vero thymiamatis, quidam intelligunt hic thurificationem, quæ fuit consummatio quæ- D dam sacrificii immolati : nam fuit signum devotionis offerentium. Et sicut præhabitum est, sacrificia illa non erant Deo accepta, nisi ex offerentium fide et devotione. Propter quod ad Hebræos asseritur : In priori quidem tabernaculo, hoc est in anteriorem tabernaculi partem, semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. (Hebr. ix, 6.) Præterea, per lotionem manuum ac pedum pontificis et sacerdotum, significabatur purificatio actionum et affectionum illorum.

Digitized by Google

Sequitur de compositione et effectu olei unctionis. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Sume tibi aromata electæ smyrnæ,* vel, ut alii habent, myrrhæ primæ et electæ, *quingentos siclos,* loquendo de siclo qui viginti obolos habet, de quo nunc dictum est. Circa hoc ait Beda : Smyrna Græce, Latine dicitur myrrha, quæ est arbor in Arabia quinque cubitorum, cujus virgulta Arabes exurunt, ut melius pullulent atque fructificent. Ex quorum odore incurabiles morbos contraherent, nisi fumo storacis occurrerent. Alii quoque dicunt, quod myrrha est aromatica arbor, cujus gutta seu lacrima duplex est : una per modum sudationis emanans, quæ melior est, et prima myrrha vocatur ; alia per corticis incisionem, et nominatur myrrha secunda. *Et cinnamomi medium, id est ducentos quinquaginta siclos.* Cinnamomum, secundum Glossam, est virgultum duorum cubitorum, in India vel Æthiopia nascens, in modum cannæ, subtiles ac replicatos calamos habens, nigri cinereive coloris, qui fracti, reddunt visibile spiramentum. Atque ut alii dicunt, duplex est cinnamomum : unum, quod nihil aut modicum habet odoris ; aliud magis aromaticum, cortexque ejus pretiosior fertur quam lignum. Unde et utrumque per se ponderatur. *Calami similiter ducentos quinquaginta siclos.* Calamus est arbor, virgultum, seu species aromatica juxta Libanum, et bonum reddit odorem. *Casiæ quoque quinquaginta * siclos.* Casia est arbor aromatica robusti corticis, purpureis foliis, habens cinnamomi virtutem, sed inferiori gradu potentiæ. *In pondere sanctuarii,* quo in tabernaculo et templo utebantur ministri, quod a pondere vulgari differebat. *Et olei de olivetis,* videlicet olei olivarum, non nucum, neque raparum, *mensuram hin,* hoc est sextarii : de qua mensura dictum est præcedenti capitulo.

quingentos

Exod. XXIX, 40.

Faciesque unctionis oleum sanctum, id est ad divina ordinatum, *unguentum compositum opere unguentarii,* hoc est per omnium horum commixtionem, prout unguentarii, utpote artifices in compositione et commixtione unguentorum periti, facere solent. *Et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum et utensilia ejus, altaria thymiamatis et holocausti :* quorum unum fuit altare thymiamatis, et alterum holocausti ; *et universam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet.* De omnibus istis a capitulo vicesimo quinto et deinde, est dictum. *Sanctificabisque omnia* ista, consecrando et aptando ea ad cultum divinum. Et facile est pensare, quod non ungebantur per totam superficiem suam, sed digito tincto in oleo, fiebat in certis partibus quædam linitio. *Et erunt sancta sanctorum,* id est valde sancta, præsertim comparatione rerum non consecratarum, quæ in communem hominum veniunt usum. Aliter autem interior pars tabernaculi dicta est Sancta sanctorum, sicut ex præhabitis constat. *Qui tetigerit ea, sanctificabitur,* id est, qui idoneus fuerit aliquid horum contingere, ex hoc quamdam sortietur sanctificationem seu ordinationem, habitudinemque ad Deum. Vel sensus est, quod ministri volentes tangere ea, prius sanctificare se debeant. Verumtamen non licebat quibuslibet tangere, imo nec cernere arcam.

Aaron et filios ejus unges, videlicet ipsum Aaron in capite suo ac manibus, filios autem ejus in manibus tantum, ut aliqui dicunt. Alii vero opinantur, quod filii Aaron non ungebantur hoc oleo puro, sed quod adspergebantur quadam commixtione facta de oleo isto et sanguine animalis oblati : unde in expositione præcedentis capituli dictum est plenius. *Sanctificabisque eos,* id est, taliter consecrabis, *ut sacerdotio fungantur mihi.* Augustinus vero videtur sentire, quod ungebantur hoc oleo. Nam ait : Oleo illo quo cuncta peruncta sunt, etiam sacerdotes ungebantur, ut sacerdotio fungerentur.

Filiis quoque Israel dices : Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi, id est ordinandum et expendendum in rebus divinis,

Digitized by Google

non applicandum usui hominum, *in generationes vestras. Caro hominis non ungetur ex eo,* id est, nemo corpus suum ex tali unctione unget aut liniet. Aliqua autem pars corporis regum atque pontificum, aut etiam sacerdotum ungebatur ex eo : quoniam sublimes personæ in tantis officiis constitutæ, erant divinæ, et vicarii Dei, atque inter Deum et homines ceteros medii. *Et juxta compositionem ejus non facietis aliud,* id est, ex eisdem materiis, præsertim in tali proportione acceptis, non facietis aliquam unctionem in usus humanos. Ex aliis autem rebus et speciebus poterant fieri unctiones humanæ ; imo, ut aliqui arbitrantur, ex eisdem materiis in alia proportione assumptis : quod certum non reor. *Quia sanctificatum est,* id est, oleum istud ad divina dumtaxat est ordinatum ; *et sanctum erit vobis,* id est in tanta veneratione habendum, ut non præsumatis illud humanis usibus applicare. *Homo quicumque tale* oleum *composuerit, et dederit ex eo, alieno,* id est homini extraneo vel cuicumque cui illicitum est eo uti, *exterminabitur de populo suo,* id est, mortem merebitur, imo et peccando mortaliter, societate privabitur electorum.

Sequitur de compositione thymiamatis. *Dixitque Dominus ad Moysen : Sume tibi aromata,* id est materias boni odoris, videlicet *stacten,* id est myrrham electam et primam, induratam, secundum expositores ; *et onycham,* id est ostream parvam dulciter redolentem, quæ magnitudinem habet unguis humani, et alio nomine ungula nuncupatur ; *et galbanum boni odoris.* Secundum Glossam, galbanum seu galbanus est succus ferulæ boni odoris, et nascitur in Syria optimum : cartilaginosum est et minus lignosum, cujus odore fugantur serpentes. Alibi legitur quod sit

A lacrima cujusdam herbæ, similis ferulæ, grana habens ut faba, et ut granum fabæ glutitum, medetur tussi ; subvenit quoque conquassationi lapsi de alto, epilepticis utiliter adhibetur, fumigio serpentes excludit ; oleo mixto perunctum, vim serpentis non admittit ; oleo splendido mixtum, a serpentibus comestum, necem infert eisdem ; dolorem dentium, si apponatur, tollit. Antiquitate vero et aliis ex causis amittit bonum odorem. Ideo littera exprimit, Galbanum boni odoris. *Et thus lucidissimum :* utpote impermixtum, seu non

B admixtum resinæ, per quam sua puritas obfuscatur. *Æqualis ponderis erunt omnia,* id est quatuor species istæ.

Faciesque thymiama compositum opere unguentarii : ad unguentarium quippe pertinet, unguenta et thymiama componere ; *mixtum diligenter et purum :* ea namque quæ Deo offeruntur, et ejus cultui mancipantur, debent esse præcipua ; *et sanctificatione dignissimum,* id est aptissimum applicari in Dei obsequio seu consecrari.

C *Quumque in tenuissimum pulverem universa* hæc quatuor *contuderis,* id est in mortariolo comminueris, *portes* * *ex eo,* scilicet thymiamate sic permixto, *coram testimonii tabernaculo,* id est ante altare incensi, ut tempore opportuno crematur super altare ; *in quo loco apparebo tibi,* loquendo tecum ibidem quandoque. *Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. Talem compositionem non facietis :* id est, præcipio ne faciatis talem mixturam *in usus vestros* ex eisdem speciebus et pari

D proportione acceptis, *quia sanctum est Domino,* juxta sensum de oleo unctionis inductum. *Homo quicumque fecerit simile* thymiama seu mixturam, *ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis,* id est, tolletur de terra viventium.

* *pones*

Digitized by Google

ARTICULUS LX

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI TRICESIMI INTELLIGENTIA.

PER altare incensi, in ipso tabernaculo constitutum, congregatio perfectorum signatur, qui in ipsa Ecclesia virtutibus fragrant, et bonus sunt odor Dei : in quibus sunt sacrificia laudis divinæ, vota sancta, flamma amoris, dulcedo orationis. Ideo hoc altare constitutum est ex lignis setim, quoniam congregatio talis ex personis mente indivisis, et vitiorum putredinem non recipientibus, constat. Est quoque quadrangulum, id est æqualitate justitiæ perornatum, atque virtutibus comproportionatum : habens longitudinis cubitum unum, utpote spei longanimitatem ; et unum latitudinis cubitum, id est caritatis extensionem ; duos vero in altitudine, quoniam Deum contemplantur viri perfecti, tam per visibilia quam per invisibiles ejus effectus. Vel unus altitudinis cubitus, est contemplatio Dei ex lumine naturali et sapientia acquisita ; alter cubitus, contemplatio supernaturalis ex fide et dono sapientiæ infusæ. Denique altare istud minus fuit altari holocaustorum, quia perfecti pauciores sunt imperfectis. *Cornua ex ipso procedent.* Prælaturæ namque et ecclesiasticæ potestates ac auctoritates, ad tales viros potissimum spectant. *Vestiesque illud auro purissimo.* Corda equidem perfectorum, sincera puritate ornantur tam in se ipsis quam in interioribus actibus suis, in verbis quoque et factis. *Faciesque ei coronam aureolam per gyrum.* Per coronam aureolam, potest intelligi timor Dei filialis, vel præclarissima virtus justitiæ, quum
Eccli. I, 22. in Ecclesiastico scriptum sit : Timor Dei, corona justitiæ. Viri autem perfecti, jugiter timorati ac justi in omnibus esse nituntur. *Et duos annulos aureos sub corona.* Hi annuli sunt virtus misericordiæ et donum pietatis, seu exhibitio operum misericordiæ corporalium, et exhibitio spiritualium misericordiæ operum, per quæ viri virtuosi feruntur ad alios mediantibus vectibus qui annulis inseruntur, id est recta intentione ac vera discretione, per quas opera misericordiæ rectificantur ac moderantur.

Ponesque altare contra velum quod ante arcam pendet testimonii. Hoc velum est obscuritas fidei, mortalitas carnis, distantia quoque inter viam et patriam. Perfecti itaque in hoc statu ante hoc velum sunt positi, ita quod velum istud mediat inter Christum et eos, quia dum sunt in II Cor. V, 6.
corpore, peregrinantur a Domino, et contemplantur per speculum in ænigmate. I Cor. XIII, 12. *Et adolebit incensum super eo Aaron :* id est, Christus pontifex summus, corda perfectorum accendet et excitabit ad orationes ardentes, ad incensa votorum, ad suavissimos caritatis ac pietatis affectus. *Quando componet lucernas :* id est, septem dona Spiritus Sancti in mente ornat et actuat, mane ac vespere, utpote in exordio conversionis seu virtuosæ conversationis, et in fine ipsius ; imo et in motu gratiæ prævenientis, ac complemento gratiæ consummantis : nempe qui incipit, ipse consummat. *Non offeretis super eo thymiama alterius compositionis,* id est infectionem carnalium desideriorum, aut appetitum laudis humanæ, neque orationes inordinatas, in quibus vel temporalia spiritualibus præferuntur, vel saluti contraria postulantur, aut de propriis meritis nimis præsumitur. *Et deprecabitur Aaron super cornua altaris semel per annum in sanguine.* Dominus ac Salvator jugiter interpellat pro nobis. Verumtamen specialiter semel in

Digitized by Google

anno, hoc est in anniversario suæ fructuosissimæ passionis die, in ipso parasceve sancto, in quo sanguinis sui pretio specialissima gratiarum munera impetrat ac largitur suis fidelibus. Ipse enim, in quantum mediator et advocatus, postulare impetrareque dicitur; atque ut Deus, exaudit et confert.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Quando tuleris summam filiorum Israel, dabunt singuli pretium pro animabus suis. Per Moysen Dominus Jesus designatur. Itaque dum Salvator vasa misericordiæ sibi assumit, et eos ad spirituales dirigit pugnas contra invisibiles hostes, singuli dare tenentur pretium, id est humilem confessionem, veramque obedientiam pro suarum animarum salute, ita ut omne bonum Deo adscribant, et juxta præ-
II *Tim.* II, 5. cepta ipsius viriliter prælientur, quia non coronatur, nisi qui legitime certaverit. *Susceptamque pecuniam trades in usus tabernaculi :* id est, universa opera fidelium virtuosa, ad commune bonum Ecclesiæ, et in generalem ejus thesaurum sunt referenda, ut sibi mutuo suffragentur, et particeps sit unusquisque omnium timentium Deum, quia per caritatem omnibus omnia communicantur.

Facies et labium æneum. Per labium istud, Confessionis sacramentum, contritionisque aqua et examinatio conscientiarum recte intelliguntur, in quibus in sacris Ordinibus constituti, potissimum sacerdotes, lavare, purgare et decorare se debent, antequam alicujus sacri Ordinis exsequantur officium, et præsertim antequam corpus et sanguinem Salvatoris consecrare, offerre ac sumere audeant. Et sicut in labio æneo erant specula quædam mulierum per *Exod.*
gyrum, in quibus considerabant sacerdo- XXXVIII, 8.
tes, an sufficienter loti consisterent; sic sacerdotes ac ministri Ecclesiæ in Scripturis et conversatione Sanctorum intueri ac conspicere debent, an aliqua culpæ macula in ipsis remanserit.

Insuper per oleum unctionis potest intelligi contemperatio quatuor cardinalium virtutum in corde, seu quatuor Evangeliorum instructio ordinatissima : quo oleo omnia nostra ungenda sunt et condienda. Porro per thymiama designatur fervens oratio, in qua humilitas, caritas, fides et latria debent, tanquam quatuor aromaticæ species, concurrere ac misceri. Nec oleo ac thymiamate isto honorandus, colendus, fovendus est aliquis, nisi Deus, cujus honor et gloria in omnibus sunt quærenda, atque in quo dumtaxat gloriari oportet ac licet, universa et singula bona ei cum gratiarum actione et humilitate semper attribuendo.

ARTICULUS LXI

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI PRIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

MODO describitur, qualiter Deus jussit præfata præcepta executioni mandari. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Ecce vocavi ex nomine,* id est, nominatim vocare decrevi, et nunc voco, atque ad tanta opera exsequenda eligo, vel potius electum ostendo, *Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda.* Quis fuerit iste Hur avus Beseleel, et quis iste Beseleel, diffuse tractatum est supra in expositione
capituli septimidecimi, quia ut ibi proba- *Ibid.* XVII,
tum est, Hur ille fuit maritus Mariæ soro- 10.
ris Moysis. *Et implevi eum spiritu Dei,* id est donis Spiritus Sancti, videlicet sapientia et intelligentia et scientia.

Consuetudo Scripturæ est, ut qui dicitur spiritu Dei repleri, intelligatur donis gratiæ gratum facientis impleri. Sapientia au-

Digitized by Google

tem et scientia interdum designant specialia Spiritus Sancti dona, ad gratiam gratificantem spectantia, quæ sine caritate non habentur, ut quum loquitur Isaias : *Is.* xi, 2. Requiescet super eum spiritus sapientiæ, etc. Interdum vero designant dona gratiæ *I Cor.* xii, 8. gratis datæ, ut quum ait Apostolus : Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ. Denique sapientia proprie pertinet ad divina et increata, scientia ad creata. Verumtamen, quoniam in hoc loco, mox ut dictum est Implevi eum spiritu Dei, adjectum est, *sapientia et intelligentia et scientia in omni opere ad excogitandum fabre,* id est artificialiter et industriose, *quidquid fieri potest ex auro et argento et ære et marmore et gemmis et diversitate lignorum;* sapientia, intelligentia et scientia videntur nunc sumi, prout pertinent ad dona gratiæ gratis datæ, et prout versantur circa objecta creata. Sicque per hoc quod Dominus ait, Implevi eum spiritu Dei, non designatur per hæc verba impletus donis pertinentibus ad gratiam gratum facientem, sed donis præfatis ad gratiam gratis datam spectantibus. Nihilo minus reor, virum illum ad tanta exsequenda electum, fuisse virtuosum et gratia gratificante ornatum, præsertim quando ad ista agenda vocatus est, quamvis postea peccavit cum ceteris, ita quod terram promissionis intrare demeruit. Nam et super illud, Vocavi ex nomine, dicit Glossa interlinearis, Tanquam mihi carum et notum.

Itaque dicitur, Implevi eum spiritu Dei, id est donis Spiritus Sancti, de quibus subjungitur, Sapientia, intelligentia, et scientia in omni opere. Omnis etenim sapientia, omnis intelligentia atque scientia, sunt a Deo, sive per infusionem, sive per acquisitionem et studium. Quamvis autem ista scientia fabrilis possit naturaliter obtineri, videtur tamen vir iste supernaturaliter per habitus infusos edoctus, ad faciendum ea quæ divinitus jussa sunt fieri, præsertim opera tam invisa. Sed qualiter distinguuntur modo hæc tria, sapientia,

A intelligentia et scientia? Posset quis dicere, quod sapientia refertur nunc ad ea quæ fabrefieri queunt ex metallis, de quibus ait, Quidquid fieri potest ex auro et argento et ære; intelligentia vero ad ea quæ ex lapidibus fieri valent, de quibus subjungitur, Marmore et gemmis; scientia autem ad ea quæ fiunt ex lignis, de quibus adjectum est, Et diversitate lignorum. Verumtamen aptius arbitror, tria hæc referri ad unumquodque operum horum, ita ut dicatur Beseleel impletus sapientia ad facien- B dum omnia ista, in quantum intellexit spirituales rationes, cur ista sic essent formanda ad Dei honorem; intelligentia quoque, quantum ad actuales considerationes acutas et practicas circa agenda, vel quantum ad introductionem formarum et compaginationum; scientia vero, quantum ad habitualem notitiam, seu quoad discernendum ac præparandum materias.

Dedique, id est, dare decrevi et nunc do, *ei socium,* id est adjutorem et cooperatorem, tamen minus peritum, *Ooliab fi-* C *lium Achisamech de tribu Dan,* cui etiam dedi sapientiam, intelligentiam et scientiam circa prædicta, sed non in tanta perfectione. Porro tribus Juda fuit præstantior et regalis, quam in multis Deus præhonoravit, quoniam incarnari ex ea elegit. Tribus autem Dan quasi vilior reputabatur. Attamen Deus non solum ex nobiliori, sed item ex viliori unum elegit artificem, quia abjecta mundi non despicit Dominus, nec *I Cor.* i, 28 est apud eum personarum acceptio, nec *Rom.* ii, 11 ejus voluntas est ut major contemnat mi- D norem. *Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta quæ præcepi tibi :* id est, cunctis prudentibus artificibus artem fabre agendi infudi vel auxi, ut omnes simul sumpti, faciant cuncta quæ fieri jussi, et unusquisque eorum cooperetur juxta traditam sibi prudentiam. Quæ autem omnia agere debeant, subditur : *Tabernaculum fœderis, et arcam testimonii, et propitiatorium quod super eam est, et cuncta vasa tabernaculi, mensamque et vasa ejus, candelabrum purissimum cum va-*

Digitized by Google

sis suis, et altare thymiamatis et holocausti, et omnia vasa eorum, labium cum basi sua, vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti et filiis ejus, ut fungantur officio suo in sacris, oleum unctionis et thymiama aromatum in sanctuario. Omnia quæ præcepi tibi, facient. Omnia ista in præcedentibus capitulis habita sunt atque exposita.

Consequenter Deus seriose resumit præceptum de sabbati observatione, ne forte filii Israel æstimarent se posse in sabbato aliquid exercere circa prædicta, præsertim quoniam ad Dei cultum fiebant. Aliqua etiam addit circa præceptum hoc, et clarius illud exponit. *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Videte ut sabbatum meum custodiatis,* id est, diem sabbati meo cultui specialiter deputatam celebretis ; *quia signum est inter me et vos,* id est speciale argumentum atque indicium, quod mei cultores estis, et legem a me datam habetis ; *ut sciatis* per practicam notitiam et præcepti mei custodiam, *quia ego Dominus qui sanctifico vos,* id est, ad meum cultum specialiter vos applico, et mentis sanctitatem confero his qui obediunt mihi perfecte. *Custodite sabbatum meum : sanctum est enim vobis :* id est, ad vestram salutem et sanctificationem illud vobis injunxi, quamvis ad majestatis meæ honorem et gloriam referam hoc. *Qui polluerit,* id est violaverit et inhonoraverit, *illud, morte moriatur.* Nam corporaliter occidebatur, si transgressio ejus palam innotuit, seu probari testibus potuit. Moriebatur quoque in anima, peccando mortaliter. *Qui fecerit in eo opus* servile ac lege prohibitum, *peribit anima illius de medio populi sui,* quia in æternum damnabitur, nisi forte pœniteat. *Sex diebus facietis opus ; in die septimo sabbatum est, requies sancta Domino. Omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. Custodiant filii Israel sabbatum, et celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me et filios Israel,* id est præceptum seu fœdus pacis ac amicitiæ, duraturum per omne tempus veteris Testamenti : imo et in novo Testamento permanet celebratio sabbati spiritualiter et æquivalenter; *signumque perpetuum,* etc., quia ego sum Deus eorum, et ipsi populus meus.

Dedit quoque Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai, id est, postquam locutus est Moysi omnia hucusque descripta a capitulo vicesimo inclusive, *duas tabulas testimonii lapideas :* in quibus continebantur decem præcepta, per quæ Deus protestatus est, esse se Deum, legislatorem ac judicem Hebræorum, per quorum etiam observantiam præceptorum populus testabatur realiter se esse populum Dei ; *scriptas digito Dei.* Angelus quippe in persona Dei apparuit Moysi, et exaravit scripturam tabularum illarum : de quibus in expositione sequentis capituli plus dicetur.

Juxta spiritualem intelligentiam, per Beseleel ejusque socium, intelliguntur boni et electi prælati, quos instruit Deus, qualiter ex hominibus diversorum morum, donorum ac proprietatum, debeant Deo construere unam particularem Ecclesiam, domum ac plebem, quæ per dona gratiæ ac virtutes sit concors atque unanimis. Sicque per aurum possunt intelligi, qui ingenio et naturali sapientia pollent ; per argentum, qui facundia et inferiorum rerum scientia fulgent ; per æs, qui fortitudine atque constantia decorantur ; per marmor, qui inconcussam habent patientiam ; per gemmas, qui occultis ac specialibus donis, habilitatibus, dispositionibus perornantur ; per diversitatem lignorum, hi qui multiplici fructuositate et utilitate resplendent : qui omnes in eisdem observantiis ecclesiasticis ac religiosis per regimen sapientis pastoris communicant. Imo per Beseleel potest intelligi Christus, cujus animam Deus Trinitas præ universis et singulis implevit omni sapientia, intelligentia atque scientia in omni opere ecclesiasticæ ædificationis, ad excogitandum qualiter variis modis, artificiosisque viis homines in prædictis donis differentes, Sensus spiritualis.

Digitized by Google

possent converti, concordari, atque in unam compagem Ecclesiæ redigi. Cujus socius potest chorus Apostolorum intelligi. Per ceteros vero eruditos ac desuper illustratos, ceteri prædicatores ac præsidentes idonei, quorum est verbo et opere, orationibus et exemplis Ecclesiam, potissimum
Ps. LXVII, 7. sibi commissos, ædificare, ita ut habitent unius moris in domo. Quos Deus vocat ex
A nomine, quia non ingerunt semetipsos ad onus prælationis. Per hoc demum, quod Deus unum de tribu Dan ad tanta agenda elegit, præfigurabatur, quod multos secundum carnem ignobiles fuerat in lege evangelica promoturus ad spirituale sui ædificium populi. Nam et piscatorem constituit suum generalem, summum ac plenum Vicarium super totam Ecclesiam.

ARTICULUS LXII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI SECUNDI : VIDENS AUTEM POPULUS QUOD MORAM FACERET MOYSES.

QUAM necessarium fuerat populo tradi præcepta cultus unius Dei, constat ex his quæ in isto scribuntur capitulo, quia tam cito ad idololatriam corruerunt. *Videns autem populus quod moram faceret Moyses descendendi de monte,* id est, quod tamdiu tardaret redire a cacumine montis Sinai ; *congregatus adversus Aaron.* Recte ait Scriptura, Adversus Aaron, quoniam congregatio illa fuit ad rem ipsi Aaron valde nocivam, et forte per modum adversantium et comminantium coram eo consurrexerunt. *Ait* populus : *Surge, fac nobis deos qui nos præcedant. Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Josephus refert, quod quidam eorum dixerunt Moysen comestum a bestiis, alii translatum a Domino, alii sanæ mentis cum Deo philosophantem, alii vero dixerunt se nescire quid ei interim contigisset, et cur tantam faceret moram. Atque secundum Glossam, putabant eum interiisse, aut aliquid ei accidisse, ut non posset reverti. Porro in Scholastica historia fertur : Excusant se Hebræi, dicentes quod Elohim, non tantum deos, sed etiam dominos sonat, et dicunt illos petisse solum duces itineris. Rabbi Paulus etiam scribit : Populus non petivit ab Aaron ut
B faceret eis deos ad colendum, sed solum ad ducatum itineris. Sed stulta videtur excusatio ista, quum littera jam testetur eos vitulum adorasse.

Dixitque ad eos Aaron : Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. Mirum quod Aaron tam cito acquievit sceleratissimæ petitioni illorum. Ad quod respondetur, quod Scriptura omnia non exprimit quæ contigerunt. Unde nec Aaron tam cito acquievit, ut littera sonare videtur. Com-
C muniter enim dicitur, quod Hur, quem Moyses simul cum Aaron præposuit populo loco sui, restitit petitioni illorum, atque redarguit illos, et quod eum ideo occiderunt ; vel, ut aliqui dicunt, spuendo in ejus faciem, suffocaverunt. Quo viso, metuens Aaron, acquievit. Verumtamen Rabbi Paulus reprobat dictum illud de occisione ipsius Hur, tum quia Scriptura hoc recitasset tam virtuosum et exemplare opus Hur hujus, tum quoniam Aaron interfectionem illius pro sua excusatione allegas-
D set, tum quia Moyses reprehendisset populum de homicidio tam nefando. Verum (ut tactum est) Scriptura multa etiam valde notabilia recitare omittit ; et si Aaron excusasset se per ipsius Hur interfectio-

Digitized by Google

nem, accusasset proprium imperfectum, quia et ipse idem potius debuit tolerare, quam tam dire peccare. Glossa etiam protestatur, quod Aaron non audebat resistere, quia sciebat populum pronum ad occidendum.

Quæri potest, cur Aaron potius petiit sibi afferri aureas inaures, quam aliud aurum. Ad quod Glossa et alii concorditer dicunt : Rem difficilem postulavit ac jussit, ut illos a proposito revocaret. Hinc Augustinus : Intelligitur Aaron difficilia præcipere, ut hoc modo illos ab intentione revocaret. Aurum etenim inaurium, purius cariusque consistit. Alii quoque dicunt, quod æstimavit uxores, filios ac filias non faciliter permissuros, ut ornamenta sua tollerentur ab eis, ex avaritia et curiositate.

Fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron. Erant enim ad malum pronissimi. *Quas quum ille accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum conflatilem.* Opus fusorium atque conflatile appellatur, quod per liquefactionem et ignem ad aliquam formam perducitur. Istud autem fecit Aaron, id est, fieri jussit seu fecit per quosdam artifices. Alii tamen dicunt, quod solum projecit inaures in ignem, et opere dæmonum conflatus sit vitulus. Unde Aaron infra se excusans : Projeci, inquit, aurum in ignem, et egressus est hic vitulus. Textus tamen apertissime dicit, quod Aaron opere fusorio fecit hoc. Lyra quoque refert in Hebræo haberi, Formavit in stilo. Circa quod quidam Hebræi affirmant, quod cum stilo pinxit in tabula similitudinem vituli, tradens artificibus, ut juxta hoc facerent. Sed cur potius fecit eis simulacrum vituli, quam alterius rei ? Respondetur, quoniam taurum, bovem seu vitulum, in Ægypto cum Ægyptiis adoraverunt.

Dixeruntque : Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. O quanta amentia, quam infinita stultitia, quam enormis ingratitudo, opera summi omnipotentisque Dei, tam præclara et antea nunquam visa, adscribere idolo ! et Dei, cujus beneficia tot et tanta erant experti, tam cito, tamque faciliter oblivisci ! Sed cur de uno idolo loquebantur pluraliter, Hi sunt dii tui ? Ad hoc quidam respondet, quod ad reverentiam idoli hoc fecerunt, quemadmodum magnæ personæ de se loquuntur, Nos præcipimus. Sed quamvis excellentes personæ ita loquuntur, non tamen proprium nomen, nec nomen suæ dignitatis aut officii pluraliter exprimunt. Non enim dicunt, Nos Guillelmi reges, Nos Ruperti episcopi; sed, Nos Guillelmus rex, Nos Rupertus episcopus. Nec subditi dicunt de principe suo aut prælato, Isti sunt reges nostri ; vel, Hi sunt præsules nostri. Ideo dici potest, quod ex consuetudine modi loquendi idololatrarum, ita locuti sint, vel plurale pro singulari sumpserunt. Siquidem secundo Esdræ libro habetur : Quum fecissent sibi vitulum conflatilem, (II *Esdr.* IX, 18.) et dixissent, Iste est deus tuus qui eduxit te de Ægypto, fecerunt blasphemias magnas.

Quod quum vidisset Aaron. Hic sumitur Videre pro Audire. Quum enim audisset verba præhabita, fecit quod subditur : *ædificavit altare coram eo,* videlicet vitulo, quem (ut fertur) statuerunt in loco erecto. Non ex proprio corde fecit hoc Aaron, sed vel importuna ac improba gentis instantia, et timore violentiæ sibi inferendæ, nisi sic faceret, vel ut pronitatem impiæ plebis hac occasione aliqualiter ab actu idololatriæ retardaret, puta tamdiu, quousque constructum esset altare ; alias mox adorassent simulacrum : imo nonnulli affirmant, quod propriis manibus fecit altare, ut sic ab idololatria eos retardaret diutius, et quousque Moyses reverteretur, quem speravit breviter reversurum, et illos ab idololatria penitus repressurum. *Et præconis voce clamavit : Cras solennitas Domini est,* id est, crastina die, non hodie, offeretur sacrificium idolo huic, quod professi estis esse deum ac dominum vestrum, dicendo : Isti sunt dii tui, Israel, etc. Sicque per solennitatem Domini videtur Aaron intellexisse celebritatem idoli

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN
Digitized by Google

facti, non veri Dei : non quod Aaron æsti- A maverit idolum esse deum aut dominum, sed juxta falsam idololatrarum opinionem locutus est, illis ex timore se conformando in modo loquendi.

Surgentesque mane, quasi ferventes ad idololatriæ actum : quemadmodum vere devoti solent in magnis festis surgere mane ad honorem ejus cujus festivitas agitur ; *obtulerunt holocausta et hostias pacificas :* holocausta, videlicet ad honorem simulacri ; pacificas hostias, ad impetrandum prosperum ducatum ab idolo, in quo B
I Cor. x, 7. aliquid numinis esse putabant. *Et sedit populus manducare et bibere :* id est, sacrificiis immolatis, quasi divinis peractis officiis, posuerunt se ad sedendum, ut ederent ac potarent coram simulacro ad ejus honorem de immolatis eidem ; *et surrexerunt ludere,* id est idolum adorare, quod fatuissimo ludo consimile est ; vel ludere, id est ad chorizandum atque cantandum coram simulacro, vel in circuitu ejus ad venerationem ipsius, prout in Ægypto viderunt ac didicerunt.

Locutus est autem Dominus ad Moysen: Vade de cacumine montis, *descende* ad tibi commissos ; *peccavit populus tuus,* id est creditus tibi, qui per idololatriam a me aversus est, atque indignus vocari populus meus, *quem eduxisti de terra Ægypti. Recesserunt cito de via quam ostendisti eis,* id est de cultu unius Dei, et de observantia præceptorum ipsius ; *feceruntque sibi,* id est ad suam confusionem atque interitum, *vitulum conflatilem, et adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt :* D *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Circa hoc verbum, Descende, quidam scribit : Descende, a tua scilicet dignitate et gloria, quoniam sicut dignitas et gloria prælati consistit in bonitate subditorum, juxta illud Joannis in
III Joann. 4. tertia sua Canonica, Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulantes ; ita dejectio sui honoris, in illorum perversitate consistit. Circa hoc dico, quod quando ex aliqua culpa prælati contingit subditorum ejus subversio, hoc ad ejus indignitatem dejectionemque pertinet, alias non. Præfata autem Judæorum perversitas ex Moysis culpa non contigit, idcirco nec suam dignitatem ex ea amisit.

Rursumque ait Dominus ad Moysen : Cerno quod populus iste pro majori parte, præsertim qui modo idololatravit, *duræ cervicis sit,* id est indocilis, incorrigibilis, durus corde et valde indomitus. *Dimitte me,* id est, orando non resistas debitæ ultioni, *ut irascatur furor meus,* id est rigor justitiæ meæ, *contra eos, et deleam eos* de superficie terræ per interfectionem ; *faciamque te in gentem magnam,* id est, magno te præficiam populo, seu alios multos convertam et regam per te. Unde alibi Dominus ait ad Moysen : Te autem faciam Num. xiv, 12.
principem super populum majorem quam hic est. In his verbis loquitur Deus more et affectu humano. Atque dicendo, Dimitte me, insinuat sibi posse resistentiam fieri, præsertim a virtuoso et fervente prælato.
C Innuit quoque omnipotentiam suam quodammodo posse teneri ac vinci precibus sinceræ ac ardentissimæ caritatis. Propterea Isaias conquerens dixit : Non est qui Is. lxiv, 7.
consurgat ac teneat te. Et per Ezechielem Dominus testatur : Quæsivi virum qui in- Ezech. xxii, 30, 31.
terponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam, et non inveni ; et effudi super eos indignationem meam. Hinc ait Gregorius : Quid est Dominum dicere servo suo, Dimitte me, nisi deprecandi ausum præbere ? quasi dicat, Pensa quantum apud me valeas ; et cognosce quia obtinere poteris quidquid pro plebe exoras.

Moyses autem orabat Dominum Deum suum : qui quamvis sit omnium Dominus Deus jure creationis atque dominii generalis, specialiter tamen fuit Dominus Deus Moysis, ut declaratum est sæpe ; *dicens : Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine tua magna et in manu robusta ?* quasi dicat, Non decet te

Digitized by Google

benignissimum Deum implacabiliter tuæ A plebi irasci, quamvis utique juste irascaris eisdem. *Ne, quæso, dicant Ægyptii,* id est, rogo ne deleas populum tuum, qui tuus est saltem creatione et speciali vocatione, ne Ægyptii dicant : *Callide,* id est fraudulenter, *eduxit eos* ex Ægypto, *ut interficeret in montibus,* id est in montuoso deserto, in locis secretis, quasi impotens dare eis terram promissam, *et deleret eos de terra. Quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuo-* B *rum,* id est, per effectum ostende te misericorditer memorem meritorum sanctorum Patriarcharum istorum, *quibus jurasti per temetipsum, dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, et universam terram hanc dabo semini vestro :* quasi dicat, Quum tu sis prima et immutabilis Veritas, decet juramentum tuum impleri; *et possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum,* id est, in tantum ab effectu justitiæ suæ se C temperavit, quod non intulit impiis illis tam grave malum pœnæ, ut fuerat comminatus, dicens, Et deleam eos. Denique, sicut sanctus testatur Gregorius, ideo quoque tam cito placari dignatus est Dominus, quia prævidit quam districte Moyses zelo Dei fuerat ejus injuriam, idololatriamque ulturus.

Et reversus est Moyses de monte, implens quod Dominus ei præcepit, Vade, descende; *portans duas tabulas testimonii in manu, scriptas ex utraque parte.* D Ex quo videtur, quod quælibet tabula fuit in utraque superficie sua litteris exarata, ita quod eadem verba continebantur in parte utraque. Vel, secundum quosdam, in uno latere tabulæ continebantur duo præcepta cum medio, totidemque in latere alio, sicque de lateribus alterius tabulæ. Porro secundum Josephum, in qualibet tabula scripta erant quinque præcepta. Quod et Petrus de Tarentasia affirmat super tertium Sententiarum. Aliqui tamen dixerunt, quod in una tabula non fuit nisi una scriptura, et quod illa fuit ex utraque parte æque legibilis. Quod fuisset miraculosum, quoniam littera in uno latere scripta, apparet in alio latere figuratione opposita. Sed istud non videtur textui consonare : siquidem apertissime ait, Scriptas ex utraque parte. Si autem opinio illa esset vera, non fuissent tabulæ scriptæ, nisi in una parte utriusque earum. Cur autem scriptæ erant in quolibet latere, nisi ut Dei mandata legerentur in eis tam ab his qui stabant ex una parte versus eas, quam ab illis qui situ opposito ipsas respiciebant? Item ad insinuandum, quod ad utriusque Testamenti populum pertinebant. *Et factas opere Dei,* id est angelico ministerio. Nam angelus in Dei persona loquens, apparens ac jubens, tabulas illas formavit atque inscripsit. *Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.*

Audiens autem Josue, qui (ut dictum est) mansit circa medium montis, et Moysi descendenti occurrit, imo quotidie observavit reditum ejus, *tumultum populi vociferantis* ex inani lætitia, *ait ad Moysen : Ululatus pugnæ auditur in castris.* Audivit enim voces illorum confuse, et putavit quod pugnarent contra se invicem. *Qui respondit : Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam.* Moyses quippe ex divina revelatione cognovit quid esset : ideo addit, *sed vocem cantantium ego audio,* id est cantum chorizantium coram simulacro.

Quumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros. Iratusque valde zelo justitiæ, quum choros seu choreas idololatrarum vidisset : nam visa fortius movent, quam quæ sola relatione noscuntur; *projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radices montis.* Non ex immoderantia passionum creditur hoc fecisse, sed potius zelo æquitatis, reputans impiissimam plebem adspectu et lectione tabularum tam venerandarum indignam. Unde et Dei instinctu hoc creditur factum, ad præsignandum mysteria in articulo sequente tangenda. *Arripiensque vitulum, combussit et*

Digitized by Google

contrivit in pulverem : vitulum namque aureum per ignis calorem fecit resolvi, et massam ejus malleo aut per alia redegit in minutissimas partes. In quo tamen et alii ei impenderunt obsequium. *Quem* pulverem *sparsit in aquam,* quæ decurrebat ex monte, *et dedit ex eo potum filiis Israel,* id est ex aqua illa pulveribus auri mixta, quatenus ex potu illo Deus manifestaret aliquod signum sensibile in his qui fuerant rei. Circa quod ait Glossa : Tradunt Hebræi, quod filii Israel bibentes aquam pulvere vituli infectam, qui idololatriam commiserunt, colorem seu pulverem auri præferebant in barba, quo signo cognoscebantur. Quidam vero dixerunt, quod potus ille fuit reis nocivus, causando in eis inflationem atque languorem, quemadmodum aqua zelotypiæ in muliere adultera, aliis autem dulcis. *Num.* v, 27.

Dixitque ad Aaron : Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum ? id est, Quid tibi forefecerunt homines isti, vel, quam tibi vim intulerunt, quod cooperatus es eis ad perpetrandum idololatriam, faciendo eis hoc idolum, quæ idololatria est quodammodo gravissimum scelus ? Porro, quod Aaron fuit in causa ista culpabilis, noverat Moyses ex revelatione divina. Unde in Deuteronomio Moyses refert : Adversus Aaron Dominus vehementer iratus, voluit eum conterere. *Deut.* IX, 20.

Cui ille respondit : Ne indignetur dominus meus. Aaron conscius sibi de malo, humiliter se excusat, veniamque precatur, et fratrem suum dominum vocat. Nam et principalior et sanctior eo fuit, tanquam totius Israelitici populi legislator, ductor ac princeps. *Tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum,* videlicet ad inferendum vim atque injurias, si eorum voluntati improbæ resistatur. Quasi dicat : Ad ista compulsus sum, nec ex proprio motu hæc feci. *Dixerunt mihi : Fac nobis deos qui præcedant nos. Huic enim Moysi qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi : Quis vestrum habet aurum ?* Scriptura hæc breviter recitat gesta. Aaron enim dixit non solum hæc verba, sed et alia prænarrata, videlicet : Tollite inaures, etc. Et forte primo proposuit eis de auro, ut saltem ex avaritia renuerent aurum dare. Quumque offerrent se paratos ad dandum aurum, proposuit eis de inauribus aureis, ut vel sic retraherentur. *Tulerunt et dederunt mihi* pro simulacro producendo ; *et projeci illud in ignem.* Aaron suam culpam pro posse extenuat, metuens ultionem, ideo ait, Projeci, quasi simpliciter projecisset, quum tamen opere fusorio inaures aureas produxerit in similitudinem vituli. Verumtamen quidam dixerunt, quod Aaron projecit aurum in ignem ut consumeretur, non ut inde simulacrum formaretur : quod prædictis non consonat ; nec per hoc iram populi evasisset, sed amplius inflammasset. *Et egressus est hic vitulus,* id est fusorio opere ex auro resoluto formatus, non sola operatione diaboli, ut quidam dixerunt. Scriptura enim utriusque Testamenti, formationem vituli adscribit tam Aaron quam populo. Nam et Stephanus protomartyr ait : Vitulum fecerunt in illis diebus, et lætabantur in operibus manuum suarum. *Act.* VII, 41. In Psalmo quoque cantamus : Vitulum fecerunt in Horeb, et adoraverunt sculptile. *Ps.* CV, 19. Circa quod dicunt expositores, quod vitulo per fusionem in formam redacto, decoraverunt simulacrum illud sculpendo.

Denique veritas prædictorum roboratur verbis Augustini, dicentis : Compendiose locutus est Aaron, non affirmans quod ipse vitulum formaverit, sed ut exierit fusilis vitulus. An excusationis causa, ac timendo, mentitus est, tanquam in ignem projecerit aurum periturum, atque ipso id non agente, forma exierit vituli ? Quod ideo non est credendum, quia nec veritas hujus rei latere poterat Moysen, cum quo Deus loquebatur, nec de mendacio redarguit Aaron fratrem suum. Ex quo etiam comprobatur, quod verba illa, Egressus est hic vitulus, non protulit Aaron ad insinuan-

Digitized by Google

dum quod præter suam intentionem vitulus ille exisset, ut quidam exponit. Sic enim fuisset mentitus, cujus contrarium asserit Augustinus. Nec dicendum est, quod hoc dicendo, mentitus sit: non quod oporteat eum a mendacio excusare, quem constat gravius excessisse, sed quoniam scivit opus suum ac vitium Moysen non latere.

Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus: nudatus etenim fuit populus ille idololatra, protectione et ope divina propter scelera sua. Fuit item nudatus, id est manifestatus, quia per exteriorem idololatriam suam, interior ejus impietas, qua idololatriam ante concepit, fuit aperta. Quod enim aperitur, dicitur nudari, quum et Apostolus dicat: Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Et in Ecclesiastico scriptum est: Nudare amici commissum, desperatio est animæ infelicis. Vel, magis ad litteram, Moyses populum vidit nudatum ab ornamentis suis præfatis, aureisque jocalibus. Unde subjungitur: *Spoliaverat enim eum Aaron,* id est, populo abstulit ornamenta hujusmodi, non violenter, sed ea postulando pro fabricando vitulo. Ideo subditur: *propter ignominiam sordis,* id est propter ignominiosum ac sordidum idolum producendum, quod nomine ignominiæ ac sordis exprimi solet in veteris Testamenti Scripturis, ob excessivam idololatriæ enormitatem ac fœditatem. Unde et supra, quo scriptum est, Surrexerunt ludere, in Hebræo fertur haberi, Surrexerunt illudere: quia videlicet idolorum cultura, est sacrilega divinæ majestatis irrisio, quantum est in ipsis idololatris, quamvis veraciter dicat Scriptura, Deus non irridetur, quia non fallitur, nec quispiam potest ei nocere. *Et inter hostes nudum constituerat,* id est, præfato modo nudavit populum illum in medio ceterorum, qui sceleris hujus non fuerunt participes, imo detestabantur et oderant idololatras illos, in quantum tales, ac paulo post occiderunt eosdem.

Hebr. IV, 13.

Eccli. XXVII, 24.

Galat. VI, 7.

Et stans in porta castrorum, id est in una extremitate atque introitu tentoriorum. In porta quoque solebant proferri judicia. *Ait: Si quis est Domini, jungatur mihi,* id est, qui per virtutem et zelum justitiæ ad Dominum pertinent, atque de tanta Dei injuria dolent, accedant me. *Congregatique sunt ad illum omnes filii Levi.* Ex hoc sequi videtur, quod nullus Levitarum fuerit particeps idololatriæ hujus. Quod et quidam concedunt, quum tamen jam dictum sit, quod Aaron Levites præcipuus in hoc scelere consors exstiterit. Unde et Lyra hic reprobat Rabbi Salomonem, dicentem quod nullus de filiis Levi fuit in vituli fabricatione culpabilis. Verumtamen Rabbi Paulus defendit opinionem Rabbi Salomonis, dicens omnes antiquos Hebræorum expositores esse illius opinionis: non quod unusquisque Levitarum fuerit absque culpa circa vituli productionem et adorationem, quantum ad hoc quod non restiterunt, secundum quod debuerunt, formationi adorationique vituli; sed quod non consenserunt mente, ita quod nec mentis consensu, nec opere idololatraverunt, nec tunc, nec postea unquam. Ad quod probandum Rabbi Paulus allegat Rabbi Moysen Ægyptium, asserentem: Quamvis populus Israel pluries idololatravit, Levitæ tamen nunquam idololatraverunt.

Sed miror super his verbis, quum quarto libro Regum scriptum sit, quemadmodum Achaz rex quum vidisset altare Damasci, misit Uriæ sacerdoti exemplar ejus, exstruxitque Urias sacerdos altare, præcepit quoque Achaz Uriæ: Super majus altare offer holocaustum matutinum et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis. Certumque est, quod Achaz fuit idololatra vitiosus. Similiter in Jeremia habetur: Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? Insuper secundo libro Machabæorum narratur, quemadmodum Jason frater Oniæ pontificis, pontificatu adepto, misit trecentas didrachmas argenti in sacrificium Herculis; et rursus quod Jasone inducente, sacerdotes jam non circa altaris officia dediti erant, sed contempto templo et sacrificiis neglectis, festinabant participes

IV Reg. XVI, 10, 11, 15.

Jer. II, 8.

II Mach. IV, 19.

Ibid. 14.

Digitized by Google

fieri palæstræ et præbitionis ejus injustæ, et in exercitiis disci. Verum quis dicere posset, librum Machabæorum non esse in canone. Præterea in Judicum libro scriptum est, qualiter tribus Dan coluit idolum Michæ. Posueruntque sibi sculptile, et Jonathan filium Gersam, filii Moysis, et filios ejus, sacerdotes in tribu Dan. Michas quoque idololatra dixit : Nunc scio quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis sacerdotem. Qui fuit Levites, ut in libro Judicum legitur : imo filii Moysis hominis Dei, in filiis Levi numerati sunt, quia et Moyses fuit de tribu Levi. Idcirco non video dictum illud Hebræorum posse salvari ; nec apparentiam habet, quod inferiores Levitæ magis declinaverunt idololatriam, quam sacerdotes atque pontifices de tribu Levi. Præterea minorem videtur habere colorem, quod Rabbi Paulus hic addit, videlicet Levitas, prout a sacerdotibus distinguuntur, non fuisse participes criminis crucifixionis Christi, præsertim quum juxta doctores, multi Scribæ et Pharisæi ex illorum fuerint numero.

Judic. XVIII, 30.

Ibid. XVII, 13.

Sed juxta hæc manet quæstio, qualiter omnes filii Levi fuerint congregati ad Moysen, si quidam illorum circa vituli conflationem erant culpabiles. Ad quod aliqui responderunt, quod omnes congregati narrantur, juxta modum loquendi, quo aliquid adscribitur toti, quia convenit parti ejus majori ac principali, juxta quem modum in libro Judicum legitur : Egressi sunt omnes filii Israel, et congregati quasi vir unus. Et tamen habitatores Jabes Galaad non fuerunt ibidem, prout in Judicum libro describitur. Amplius, dici posset, quod perpauci de Levitis fuerunt in crimine illo consortes. Quod autem modicum est, pro nihilo reputatur. Interim addi potest, quod ex quo Levitæ mente non consenserunt, nec adoraverunt simulacrum, idcirco pœnitendo veniam faciliter procuraverunt, sicque contritione præmissa, in adjutorium Moysis confluxerunt.

Ibid. XX, 1.

Ibid. XXI, 8.

Quibus ait : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponat vir gladium super femur A *suum,* id est, unusquisque vestrum se accingat ad prælium. Potest autem nomine gladii quodlibet bellicum instrumentum, præsertim secativum ferreumque, intelligi. Nam et Ezechieli loquitur Dominus : Accipe tibi gladium radentem pilos. *Ite et redite de porta usque ad portam,* id est de uno exercitus hujus introitu seu extremo usque ad aliud, *per medium castrorum* considerando undique noxios ; *et occidat unusquisque* vestrum, *fratrem et amicum et proximum suum,* id est, sine personarum B acceptione occidite reos, quantumcumque vobis propinqui et cari exstiterint. Sed ex hoc apparet, quod etiam quidam Levitæ fuerant occidendi, et per consequens in idololatria illa rei : quod tamen prædictis non derogat. Nihilo minus aliquis dicitur frater variis modis, videlicet fide, religione, amicitia, communione naturæ, et sanguinis propinquitate et consanguinitate, imo et qualibet convenientia in proprietate, in societate, actione, aut culpa. Hi autem qui occidebantur, erant C amici occidentium, quantum ad ipsam naturam seu pristinam conversationem.

Ezech. V, 1.

Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysis. Cecideruntque in die illo, quasi viginti tria millia hominum. Alia littera habet, Quasi tria millia hominum, et ita, ut fertur, Hebraica veritas habet. Quocirca aliqui pro concordia dicunt, quod principales in idololatria illa, fuerunt circiter tria millia, et illos exprimit alia littera, veritasque Hebraica ; aliorum vero qui communicaverunt in crimine illo, fuerunt tot D interfecti, quod usque ad viginti tria millia circiter devenerunt. Aliqui autem dicunt, quod occisi gladio fuerunt circa tria millia ; alii autem fuerunt alio modo plagati a Deo, ut infra tangetur. *Et ait Moyses* Levitis ad se reversis post interfectionem idololatrarum : *Consecrastis manus vestras hodie Domino,* id est, Deo placitas et ejus voluntati obedientes fecistis eas per actum justitiæ ; *unusquisque in filio et in fratre suo.* Ex hoc multum apparet, quod aliqui Levitarum occisi fuerunt. *Ut detur*

Digitized by Google

vobis benedictio, id est, dona gratiæ dentur seu augeantur, ac multiplicentur in vobis merito tantæ justitiæ. A

Facto autem die altero, locutus est Moyses ad populum : Peccastis peccatum maximum, id est, divinam legem transgrediendo, commisistis gravissimam impietatem, honorem Deo debitum transferendo in idolum. Quæri potest, quibus Moyses dixit hæc verba. Qui enim gravissime peccaverunt, jam interfecti fuerunt. Respondetur, quod frequenter toti communitati adscribitur, quod a parte ejus committitur. Nec etiam B omnes fuerunt occisi, qui in idololatria illa fuerunt culpabiles, sed qui gravius peccaverunt in ea, utpote ex proposito et mera malitia. *Ascendam ad Dominum,* id est ad montis hujus cacumen, in quo Deus specialiter esse et habitare se monstrat, *si quo modo eum quivero deprecari pro peccato* * *vestro,* id est ad hoc, si forte potero, vel ut aliquo modo valeam vobis impetrare veniam sceleris tanti ab eo. Et loquitur Moyses per hunc modum : Primo, ad insinuandum enormitatem hujus facino- C ris ; secundo, ad innuendum difficultatem obtinendi remissionem ejusdem ; tertio, ad designandum libertatem Dei ad exaudiendum, atque propriam incertitudinem de sua exauditione, seu quantum, quando, et qualiter erat exaudiendus.

* scelere

Reversusque ad Dominum, ait : Obsecro, id est, propter propriam tuam bonitatem exaudiri rogo, nam *peccavit populus iste :* quod dicitur despective, zelo justitiæ ; *peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos :* in quibus verbis ponitur plurale D pro singulari, ut tactum est. *Aut dimitte eis hanc noxam,* scilicet idololatriam istam cum vitiis ei annexis, et in ea inclusis. Larga etenim pietas non dimidiat veniam, nec unum mortale sine alio indulget. *Aut si non facis,* id est, si eis non ignoscis hoc crimen, *dele me de libro tuo quem scripsisti,* id est de libro vitæ seu numero prædestinatorum. Non ex impetu, perturbationeve animi dixit hoc Moyses, sed ex ardentissimæ caritatis impulsu, et ex oc-culta familiaritate ac confidentia ad Deum. Et item quasi per modum hyperbolicæ locutionis, qua frequenter aliquid dicitur per excessum sine mendacio ad insinuandum magnitudinem affectionis seu causæ, juxta quem modum ait Apostolus ad Romanos : Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. Vel, ut aliqui scribunt, dixit hæc verba eo modo, quo oravit Salvator : Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum. In qua oratione Christus expressit dispositionem inferioris partis animæ suæ, qua naturali horrore mortem refugiebat, quum tamen secundum superiorem animæ portionem cuperet pro mundi salute pati. Sic Moyses et Paulus tantum erant affecti ad Judæorum salutem, quod secundum animæ inferiorem partem malebant quodammodo deleri de libro vitæ, et separari a Domino, quam Judæos perire, quum tamen secundum superiorem rationem absolutamque voluntatem intellectualem, ita non vellent. Ex familiaritate quoque et confidentia, proveniente ex sincerissima caritate, et longa seu grandi experientia bonitatis caritatisque Dei circa se, ita locuti sunt, tanquam certi quod Deus eos de libro vitæ non deleret.

Rom. IX, 3.

Matth. XXVI, 39.

Quocirca multa inquiri possent, videlicet quid sit liber vitæ, et qualiter possit quis inde deleri, et cujus vitæ dicatur liber ille : quæ omnia alibi magis habent determinari. Breviter tamen tangendo, liber vitæ proprie appellatur, firma et certa memoria, seu notitia prædestinatorum in Deo, seu electorum in mente divina conscriptio : qui liber est ipsa prædestinatio Dei. Dicitur autem aliquis dupliciter scriptus in libro vitæ. Primo, secundum æternam prædestinationem, sicque omnes electi, et ipsi dumtaxat in libro vitæ sunt scripti ; alio modo secundum præsentem justitiam, et sic omnes in caritate exsistentes, in eo sunt scripti. Et qui ita ibi sunt scripti, dicuntur inde deleri dum peccant mortaliter. At vero liber vitæ dicitur liber vitæ gloriæ, ad quam prædestinati

Digitized by Google

electi sunt. De hac materia super episto- A lam ad Romanos plenius scripsi.

Cui respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, id est, mortalem culpam inciderit ad irreverentiam meam, præponendo mihi vana, creata, caduca, *delebo eum de libro meo,* id est de libro vitæ : delebo, inquam, secundum præsentem justitiam, quia non recognoscam eum ut talem, felicitatis capacem, neque ad me pertinentem ; si tamen electus est, manet scriptus quantum ad præscientiam et prædestinationem æternam. Unde et ipsum Moysen, quando ad B aquas Contradictionis per incredulitatem peccavit, Deus de libro suo delevit secundum præsentem justitiam ; pœnitentem autem denuo scripsit in eo, hoc est, inter suos, ut talem, recognovit. Hinc aliqui dicunt, quod nullus deletur de libro vitæ, quantum ad præordinationem prædestinatoris ; sed solum, quantum ad prædestinationis effectum, dum gratiam et caritatem amittit. Itaque per hæc verba Deus respondit verbis Moysis, quibus dixit, Aut dele me, etc. Deinde respondet ei quoad hoc C quod dixit, Dimitte eis hanc noxam. *Tu autem vade, et duc populum istum quo locutus sum tibi,* id est ad terram promissionis. Quasi dicat : Non sic vindicabo impietatem eorum, ut statim et omnino deleam eos, sed pœnam mitigabo ac differam, eosque introducam ad terram promissam, nisi adhuc demeruerint aliunde. *Angelus meus præcedet te,* id est, ductor vester erit, sicut fuit hucusque. Quod cur dicatur, et qualiter intelligendum sit, circa principium sequentis capituli exponetur. D

Ego autem in die ultionis, hoc est extremi judicii, in quo fiet ultio consummata ac generalis universæ iniquitatis, interim non vindicatæ plenarie : quæ dies, antonomastice dies ultionis vocatur ; *visitabo* per debitam punitionem, *et hoc peccatum eorum,* in eis qui non pœnituerint veraciter in hac vita, quos constat esse damnatos : ideo in die judicii augebitur eorum supplicium, quando et in corporibus resumendis de cetero æternaliter torquebuntur. Sed quia subjungitur, *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli,* scilicet pro adoratione ipsius, *quem fecit Aaron;* videtur nunc per diem ultionis, intelligendus dies, in quo Deus ultra punitionem per Levitas factam, adhuc plagavit eos qui in idololatria peccaverunt, per mortalitatem et pestem. Quum enim dixisset, In die ultionis visitabo et hoc peccatum, protinus quasi expositorie subditur, Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli. Quasi dicat Scriptura : Ex quo ita comminatus est se visitaturum illud peccatum, ideo percussit populum pro illo excessu.

Circa hæc recitat Lyra, quod Hebræi increduli per diem ultionis intelligunt tempora adversitatum et infortuniorum, quæ Judæis postea acciderunt, præsertim tempus captivitatis hujus per Romanos eis inflictæ. Additque Lyra, quod aliqui expositores catholici in hoc cum Hebræis conveniunt, quod per diem ultionis intelligunt captivitatem Babylonicam vel Romanam. Deinde reprobat istud : Primo, quoniam juxta Scripturas veteris Testamenti, Deus visitat iniquitatem patrum in filios et nepotes, usque in tertiam et quartam generationem, nec ultra. A tempore autem adorationis vituli, usque ad Babylonicam captivitatem, valde multæ generationes fluxerunt, et multo plures usque ad captivitatem Judæorum sub Vespasiano ac Tito. Secundo, quoniam Christus in Evangelio docet captivitatem a Romanis illatam Judæis, ideo factam, quia non receperunt eum, sed crucifixerunt. Circa hæc advertendum, quod super illud, Ego in die ultionis, Glossa interlinearis ait : Romanæ captivitatis, vel generalis judicii. Similiter super illud in sequenti capitulo, Semel ascendam in medio tui, et delebo te, *Exod.* ait Glossa : Babylonicam captivitatem vel xxxiii, 5. Romanam, vel ultimi judicii vindictam minatur. Idem in Scholastica historia continetur.

Circa hæc dico, quod doctores catholici, per diem ultionis intelligentes captivitatem Judæorum, a Babyloniis aut Romanis

inflictam, valde differunt ab Hebræis doctoribus : Primo, quia fatentur principalem causam captivitatis Babylonicæ fuisse scelera Judæorum, qui illis fuerunt temporibus, prout in Jeremia ceterisque Prophetis habetur. Similiter principalem causam captivitatis Judæorum sub Romanis, affirmant fuisse, quod regem Messiam non receperunt, sed occiderunt. Porro Rabbi Salomon et alii perfidi Judæorum doctores asserunt, causam captivitatis eorum sub Romanis, non esse quod peccaverunt in Christum, sed vituli adorationem, aut alia quædam. Atque ut Rabbi Paulus conscribit, hoc ipsi malitiose confingunt, quoniam nolunt fateri, quod causa captivitatis et destructionis factæ per Titum et Vespasianum, quæ acerbissima fuit, et omnes præcedentes in ignominia et duratione excedit, facta sit in ultionem occisionis Messiæ.

Secundo, quia doctores præfati catholici non intendunt asserere quod captivitas Babylonica aut Romana inflicta sit propter adorationem conflatilis vituli, vel quod Deus crimen illud ulciscatur in Judæis nunc captis, nisi eo modo, quo omnia vitia reproborum dicuntur in eorum universitatem atque congeriem redundare. Ponit namque Scriptura duplicem hominum generationem : unam, bonorum et electorum ; aliam, malorum ac reproborum. Et docet quod sicut virtuosi actus justorum sibi invicem communicantur, ita quod merita eorum in se invicem redundant, quoniam per caritatem connexi sunt et unum mysticum corpus exsistunt ; propter quod ait vir sanctus, Particeps ego sum omnium timentium te, etc. ; de qua etiam generatione cantamus, Hæc est generatio quærentium Dominum : sic vitia atque demerita iniquorum in se invicem redundare dicuntur, et communi damnatione dispereunt, sicut sunt unum corpus, et civitas una diaboli. Hinc Christus dixit Judæis : Ecce ego mitto ad vos Prophetas, et ex illis occidetis, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram,

Ps. cxviii, 63. *Ps.* xxiii, 6. *Matth.* xxiii, 34, 35.

A a sanguine Abel justi, etc. Unde et in Luca protestatur : Amen dico vobis, requirentur hæc omnia a generatione ista. *Luc.* xi, 51.

Insuper dici potest, quod Deus dicendo Judæis illis idololatris, Semel ascendam in medio tui, et delebo te ; itemque, Ego in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum : non solum minatur illis incredulis, qui tunc erant, sed etiam sub nomine eorum universis successoribus eorum perversis, ita quod comminatio illa in diversis diversimode ac diversis temporibus est B impleta : sicque doctores isti catholici possunt salvari, nec tam faciliter sunt negandi.

Insuper quæritur circa prædicta, cur Aaron qui vitulum illum specialiter fecisse fertur in textu ; qui et coram vitulo ædificavit altare, et præconis voce clamavit, Cras solennitas Domini est ; ad quem etiam Aaron Moyses vere locutus est, Quid tibi hic fecit populus, ut induceres super eum peccatum maximum : cur, inquam, ultionem præfatam evasit. Circa hoc loquitur C Augustinus : Novit Deus cui parcat usque ad commutationem, qua noscit eum in melius commutari ; et cui parcat ad tempus, quamvis præsciat eum in melius non mutari ; et cui non parcat, ut mutetur in melius ; et cui non parcat, ita ut nec mutationem ejus exspectet. Inscrutabilia sunt enim judicia ejus, et investigabiles viæ illius. Alii autem dicunt, quod ideo, quoniam ex quadam coactione et timore mortis fecit quæ dicta sunt. *Rom.* xi, 33.

Nunc quæritur de ordinatione Decalogi, D videlicet quot præcepta scripta fuerunt in qualibet tabula. Ad quod Augustinus respondet, quod tria prima, ad Dei cultum directe spectantia, et ceteris principaliora, scripta erant in tabula prima : unde et præcepta primæ tabulæ nuncupantur. Cetera septem ad proximum pertinentia, in tabula secunda : propter quod præcepta tabulæ secundæ appellantur. Hunc modum ordinandi et situandi præcepta Decalogi, sequuntur Isidorus et Richardus de S. Victore, multique alii. Lyra vero refert, quod

Digitized by Google

secundum Rabbi Salomonem et doctores Hebraicos, quinque fuerunt scripta in tabula una, et quinque in tabula alia. Cui recitationi contradicit Rabbi Paulus, affirmans quod secundum doctores Hebraicos fuerunt tantum quatuor præcepta in tabula prima, et cetera sex in secunda. Hebræi vero aliter distinguunt decem præcepta, quam Augustinus, prout in expositione vicesimi capituli dicebatur. Sed recitatio Lyræ verior æstimatur. Constat namque, quod etiam Josephus ponat in qualibet tabula quinque præcepta. Magister quoque in historiis dicit : Josephus et Hebræi in utraque tabula ponunt quinque. Attamen esse potest, quod quidam Hebræi dicant, secundum quod Rabbi Paulus refert; sed præfata positio apud Hebræos solennior invenitur. Magister autem in historiis breviter tangit quamdam Augustini ac Josephi concordantiam, dicens : Forte quia Augustinus tria prima præcepta voluit pertinere ad dilectionem Dei, et septem alia ad dilectionem proximi, propter dignitatem potius quam propter scripturam dixit tria primæ tabulæ, et septem secundæ, quemadmodum dicere consuevimus homines primæ classis et secundæ.

Præterea Petrus de Tarentasia, super tertium Sententiarum, distinctione 37, scribit : Josephus Judæorum fidelis historiographus, dicit quod quinque erant in una, totidemque in alia. Deinde Petrus addit : Scripturam præceptorum in tabu- A lis contingit dupliciter ordinare. Primo, secundum ordinem rei gestæ, et sic ordinat Josephus : quia ad litteram quinque erant inscripta tabulæ primæ, et quinque secundæ. Secundo, secundum ordinem rei gerendæ, et sic ordinat Augustinus, ponens in prima tabula tria, et septem in secunda; et etiam Origenes, qui ait, quod quatuor continebantur in prima, et sex in secunda. Nam horum uterque ponit in prima tabula per appropriationem, et non per proprietatem, præcepta ordinantia in B Deum, quæ primo ac principaliter sunt gerenda seu exercenda; in secunda vero, ordinantia in proximum. Illa tamen, Origenes posuit esse quatuor; ista, sex : ut in expositione vicesimi capituli plenius est expressum. His concordat Bonaventura super tertium Sententiarum.

Postremo, circa præhabita quæri potest, an idololatria sit gravissimum peccatum absolute loquendo. Ad quod plenarie respondere, prolixum est : quoniam secundum diversas considerationes ac varios C gradus ac modos, unum peccatum dicitur gravius alio, prout Alexander de Hales in Summa sua, et Thomas in prima secundæ, magistraliter docent. Interdum quippe peccata in Spiritum Sanctum dicuntur esse gravissima, interdum occisio Christi, quandoque infidelitas : imo aliqui dicunt, quod absolute loquendo, odium Dei sit peccatum gravissimum. Horum determinationem, brevitati studens, transilio.

ARTICULUS LXIII

DE SPIRITUALIBUS DOCUMENTIS ATQUE MYSTERIIS HUJUS CAPITULI TRICESIMI SECUNDI.

MORALITER docemur ex capituli hujus exordio, quam periculosa sit gregi boni pastoris absentia, etiam si adsit vicarius competens. Moyse quippe absente, et moram redeundi agente, plebs Israel ad D idololatriam est dilapsa, ad gulam quoque et rebellionem contra prælatum, atque ad chorizandum. Prælatus ergo plebi sibi commissæ studeat semper adesse, ac pastoraliter præsidere, pensans pretiositatem

Digitized by Google

crediti sibi thesauri, videlicet animalium A rationalium Christi sanguine redemptorum. Quod si interdum oportuerit eum abesse, festinet pro posse reverti, et interim de idoneo provideat vicario, qui vita, scientia et ætate aptus ac potens sit custodire, gubernare, ac pascere oves Christi.

Surge, fac nobis deos qui nos præcedant. Per impios illos idololatras designantur omnes iniqui ad vitia proni, qui spem suam avertunt a Deo, et facili occasione in hominibus seu rebus caducis magis quam in Deo confidunt; sicque creaturis magis B quam Creatori altissimo inhærentes, alienos sibi faciunt deos, quibus et inaniter innituntur. Eorum quoque sequuntur ducatum, dum quo carnalia et terrena alliciunt, mentaliter aut etiam corporaliter gradiuntur. Omne etenim mortale peccatum, est idololatria quædam et fornicatio spiritualis : quia per illud mens creata a vero Deo avertitur, dæmoni jungitur, et transitoriis ac caducis magis, quam summo et incommutabili bono, cohæret. *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* C Ecce qualiter ex uno vitio aliud generetur, ita quod idem est culpa et pœna culpæ. Specialiter quoque ex gula oriuntur diversa enormiaque peccata. Nam ventre satiato, et corpore laute refecto, cor mox ad inania relaxatur : spiritualia fastidit exercitia et interna, fabulari, jocari, cachinnari, chorizare, otiari, et tandem luxuriari delectat. Qui igitur tot peccata cupit evadere, immoderantiam, lauticinia, diversitatem cibi ac potus devitet.

Locutus est autem Dominus ad Moysen : Vade. D Per hoc primo instruimur, quod prælatus debet tempore opportuno exercitia contemplationis interrumpere, atque ad tempus suspendere, et ad sibi commissos accelerare, ac debitum sui officii exhibere eisdem, quum Dominus dicat : Vade, id est, a contemplatione ad actionem procede, a quiete occupationis internæ, ad sollicitudinem et occupationem externam ac pastoralem, descende. Secundo, per hoc verbum docemur Dei esse præceptum, ut quum transgressi fuerint subditi, præsidens mox festinet ad corripiendum, corrigendumque eos : quia si dormiat disciplina, sævit, augmentatur, putrescit impunita nequitia. *Peccavit populus tuus.* Ecce quod peccando desinimus esse populus Dei. *Ait Dominus ad Moysen : Cerno quod populus iste duræ cervicis sit.* Videamus ne et nos tales reputemur a Domino. Non simus indociles, pertinaces, inobedientes. Nempe qui mentis est duræ, corruet in mala. Et *Prov.* xxviii, 14.
quasi scelus idololatriæ est, acquiescere I *Reg.* xv,
nolle. 23. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* In hoc verbo patet rigor divinæ justitiæ, qui per furorem exprimitur, ad insinuandum vehementissimam suæ districtionis punitionisque severitatem, potissime in futuro. In eodem etiam verbo insinuatur immensitas pietatis divinæ, quia quum Deus omnipotens sit, tamen fatetur hominem sibi posse resistere, seque caritate et precibus quodammodo posse ligari ac vinci. Eodem verbo docemur, quantum beneficium Dei sit, virtuosum habere prælatum, et quantum possit prælatus idoneus apud misericordiam Dei pro salute gregis commissi. Nec his obstat, quod sanctus Job ait : Deus, cujus iræ nemo resis- *Job* ix, 13.
tere potest. Iræ etenim Dei tantum potest homo virtuosus resistere, quantum vult Deus, non amplius.

Moyses autem orabat Dominum Deum suum. Hoc exemplo instruuntur prælati, quam ferventer debeant sibi commissos diligere, etiamsi offendant; quam item ferventer atque fideliter teneantur pro ipsis orare, præsertim dum enormiter excesserunt. *Vidit vitulum et choros; iratusque valde, projecit tabulas.* Ecce quam mirabiliter in bonorum cordibus prælatorum vigent caritas Dei, amor proximi, pietas compassionis, zelusque æquitatis. Præsidens ergo ita condoleat lapsis, et oret pro eis, ut tamen Dei inflammetur amore ac zelo justitiæ, reisque increpationem, informationem, et debitam castigationem impendere non omittat. *Et confregit eas.* Per quod, secundum Augustinum, magno my-

Digitized by Google

sterio figurabatur, quod vetus Testamentum A fuerat abolendum, et novum instituendum. Atque ut ait Lyra, per tabularum confractionem significata est evacuatio legalium in Christi adventu. Nec valet quod contra hoc objicit Rabbi Paulus, videlicet quia in tabulis illis continebatur Decalogus qui manet in evangelica lege. Nam tabulæ illæ, totam veterem legem sua inscriptione virtualiter repræsentabant et commemorabant.

Ponat vir gladium super femur suum. Per hoc datur intelligi, quod prælati ac præsidentes debent se ipsos ac suos coad- B jutores spiritualibus armis armare, excitare, accendere, ad vitia debellanda, ad corrigendum excessus, ad reformandum destructa. Penset omnis qui præest, quod sanctus Moyses, qui quam ardentissime dilexit sibi commissos, [ita] quod propriæ salutis quasi oblitus, oravit aut illis ignosci, aut se de libro vitæ deleri : tantum abhorruit carorum impietatem, quod eam tam terribiliter vindicavit, nec tantorum interemptionem, putavit condignam tanti criminis expiationem. Vigeant ergo in pastore paterna compassio ac zelus justitiæ. Discretio quoque contemperandi et exercendi, ut oportet, utrumque mansuetudine irriget et confortet justitia. Omnis negligentia, torpor, et timor inutilis abjiciantur.

ARTICULUS LXIV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI TERTII : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS.

CONSEQUENTER plenius describitur, C qualiter Dominus reconciliatus sit plebi paulatim. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Vade, ascende de loco isto.* Qualiter Dominus dicit Moysi secum in monte exsistenti, Ascende ? Respondetur, quod non solum præcepit ei abire ab altitudine montis, sed a loco illius deserti tendere ad terram promissam, quæ situ altior fuit deserto illo. Ideo ait, Ascende *tu et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam.* Si D Deus placatus jam exstitit populo, cur non ait, Tu et populus meus quem eduxi ? Respondet Augustinus, quod nondum facta fuit reconciliatio plena, sed inchoata : et quoniam filii Israel paulo ante dixerunt, Moysi qui nos eduxit de Ægypto, nescimus quid acciderit, ei, quasi homini, suam liberationem attribuentes ; ideo Dominus proportionabiliter de eis locutus est, ad insinuandum imperfectionem eorum. *Et mittam præcursorem tui angelum.* Hoc est quod circa finem præcedentis capituli dixit : Angelus meus præcedet te. *Ut ejiciam Chananæum, et Amorrhæum, et He-* *Exod.* xxxii, 34. *thæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, et intres in terram fluentem lacte et melle.*

Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es. Hoc quidam exponit sic : Non ero vobiscum per miraculorum operationem, sicut antea fui. Cui expositioni videtur obviare, quod Dominus ait sequenti capitulo : Videntibus cunctis, fa- *Ibid.* xxxiv, 10. ciam signa quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus, ut cernat populus iste, in cujus es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. Porro Rabbi Paulus præfatam quoque expositionem redarguens, exponit sic, quod Deus ultra non esset in populo illo per solitam residentiam inter illos, et per eminentiam gratiæ consuetæ. Cui expositioni repugnat, quod Deus cito post hæc multo solennius

Digitized by Google

Num. xxxv, 34. habitavit in tabernaculo facto juxta Moysis jussionem, in medio filiorum Israel, quam ante, prout in libro Numerorum probatur: quoniam in profectionibus duodecim tribuum Israel, in circuitu tabernaculi ad orientem, occidentem, austrum et aquilonem gradiebatur. Unde libro secundo Regum Dominus protestatur : Ambulavi in (II *Reg.* vii, 6, 7.) tabernaculo et in tentorio per cuncta loca, quæ transivi cum omni Israel. Idcirco quod ait, Non ascendam tecum, videtur esse comminatio, non assertio, præsertim quum sequenti legatur capitulo Moyses exorasse: Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum. (*Exod.* xxxiv, 9, 10.) Respondit Dominus : Ego inibo pactum. Imo in isto capitulo infra habetur: Ait Moyses: Si non tu ipse præcedis nos, ne educas nos de loco isto. Dixit autem Dominus : Et verbum istud faciam. Itaque quod dixit, Non ascendam tecum, comminatio fuit, vel assertio, nisi pœniterent.

Sed quid est quod subditur, Non ascendam tecum, populus enim duræ cervicis es, *ne forte disperdam te in via?* Ex quo sequi videtur, quod expediebat eis quod Dominus non ascenderet cum ipsis : quia si cum eis ascenderet, forte disperderet eos propter eorum duritiam. Respondetur, quod ascensus Dei cum eis, fuit eis ex una parte periculosus, propter eorum pronitatem ad vitia: quia si cum eis ascenderet solita beneficia impendendo, et ipsi ingrati, perversi, ac rebelles efficerentur, gravius eis immineret periculum ex ultione justitiæ Dei præsentis. Ex alia vero parte ascensus Dei cum eis per beneficia consueta, fuit ipsis valde desiderabilis et amandus, imo per se appetibilis atque expediens eis fuit; periculosus vero per accidens, puta si abuterentur donis gratiæ præsentiæ Dei. Ideo subditur : *Audiensque populus sermonem hunc pessimum,* hoc est valde malum, loquendo de malo pœnæ, quia comminatorius fuit et justæ vindictæ prænuntius; *luxit* sua deplorando peccata, et metuendo destitutionem gratiosæ protectionis atque præsentiæ Dei; *et nullus ex more indu-*

A *tus est cultu suo,* hoc est cultioribus vestimentis ac ornamentis, quatenus ipso suo habitu pœnitentiam demonstrarent ac mœstitudinem cordis. Præterea, Augustinus exponens hæc, ait : Deus est cum justis, visitando et miserendo ac confortando; cum impiis vero, ulciscendo ac puniendo. Itaque ait : Non ascendam tecum, hoc est, cum hominibus istis esse non possum, ut vindicem, propter te, nec ut confortem et visitem, propter eos. Mittam ergo saltem angelum meum.

B *Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere filiis Israel.* Dominus nunc parum dulcius loquitur, quam ante, quasi misertus plorantibus. Non enim ait ad Moysen, Dic populo tuo; sed, filiis Israel. Verumtamen quoniam Dominus quos amat, arguit et castigat, subjungitur : *Populus duræ cervicis es,* id est irrefrenatæ contumaciæ, et (*Hebr.* xii, 6.) difficulter corrigibilis ac pertinax, juxta illud Isaiæ : Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ænea. (*Is.* xlviii, 4.) *Semel ascendam in medio tui, et delebo te,*

C hoc est, tandem una vice puniam te perfecte. Quod intelligi potest, ut comminatorie et sub conditione prolatum, videlicet, nisi se emendarent. Vel accipi potest de hac Judæorum extrema captivitate ac desolatione, quia frequenter in Scripturis sub nomine populi alicujus, præsertim Israelitici, intelliguntur diversæ partes ejus quæ diversis fuere temporibus, ut in præcedentis expositione capituli dictum est plenius.

Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi. Deposuerunt ergo

D *filii Israel ornatum suum a monte Horeb.* Hoc Glossa et Magister in historiis, multique alii exponunt de minori tabernaculo, in quo ante constructionem tabernaculi majoris Moyses loquebatur cum Domino, et cum senioribus populi tractavit consilia, ac populum judicavit. Quod tabernaculum stetit prope radices montis Sinai inter montem et populum : quod Dominus jussit removeri a monte sancto, quasi indignans, et plebem cum suo ornatu seu tabernaculo, quo ornabatur, a loco suæ

Digitized by Google

habitationis, puta a monte, elongari præcipiens. Et quod ait, Sciam, exponendum est, sciri faciam, quid faciam tibi, id est, qualiter te tractabo : non quod hoc alias ignoraverit, sed quia per talem eorum humiliationem volebat probare ac demonstrare qualiter se haberent, et quid sibi fieri mererentur. Deposuerunt ergo ornatum, id est tabernaculum illud a monte Horeb, ponentes illud in loco a monte remoto. Huic autem expositioni objicitur, quod in textu mox sequitur : *Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul,* id est remote a tentoriis populi, quod de præfato tabernaculo certum est dici. Sicque scriptura hæc loquitur de præfato plebis ornatu, et de tabernaculo isto quasi de rebus diversis. Hinc aliqui dicunt, quod in susceptione legis seu decem præceptorum a Deo, de qua re dictum est capitulo vicesimo, principales in populo ornabant se quibusdam coronis, quasi spiritualiter desponsandi a Sponso cœlesti. Et hæc ornamenta jussi sunt a suis removere capitibus, quia ad idololatriam corruerunt. Qui autem vult præfatam expositionem defendere, dicere potest hæc verba, Moyses quoque, etc., exponenda sic esse : Moyses eumdem Hebræorum ornatum, qui alio nomine tabernaculum nuncupatur, removit a monte Horeb seu Sinai, consentiendo et cooperando ad translationem illam tabernaculi de loco ad locum factam per populum. Sicque quod dicitur, Moyses quoque, etc., est quasi confirmatio et declaratio præcedentis sermonis.

Vocavitque nomen ejus Tabernaculum fœderis, id est tabernaculum in quo Dominus fœdus seu pactum pacis ac amicitiæ contulit ac iniit ad plebem per Moysen, ut infra habebitur. Ibi etiam dabantur judicia inter contendentes, confœderativa et pacificativa eorum. Unde subjungitur : *Et omnis populus qui habebat aliquam quæstionem,* id est causam et controversiam, *egrediebatur* de tentorio suo *ad tabernaculum fœderis extra castra,* id est

A quod situm fuit separatim a tentoriis, quia in tabernaculo illo judices residebant ad jura tractanda atque ad judicandum. Imo et Moyses causas graviores determinavit ibidem, prout in expositione capituli octavidecimi patuit.

Quumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, veniendo de monte aut castris, *surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui* ad reverentiam Dei, et ejus vicarii Moysis prælati eorum, et tanquam aliquid magni visuri. Nam
B subditur : *Adspiciebantque tergum Moysis* euntis in spatio, quod fuit inter castra et tabernaculum, *donec ingrederetur tentorium,* id est tabernaculum illud, quod fuit specialiter tentorium Moysis et velut habitatio. *Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium,* id est in aere supra prope januam tabernaculi. *Loquebaturque Dominus cum Moyse :* eratque nubes signum adventus ac præsentiæ Dei ; *cernentibus universis quod columna nubis staret ad*
C *ostium tabernaculi. Stabantque et ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum :* quia ex tam evidentibus et magnificis signis et effectibus pietatis et majestatis divinæ, ad quamdam provocabantur devotionem. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem,* id est clare et familiariter, *sicut solet loqui homo ad amicum suum :* cui et secreta sua revelat, et caritatem suam ostendit. Denique Dominus dicitur sic locutus ad Moysen per creaturam subjectam, puta per angelum in hu-
D mana specie apparentem, atque in persona Dei loquentem.

Quumque ille reverteretur in castra, id est, quum Moyses rediret ad filios Israel ad exponendum eis divina, *minister ejus Josue,* qui fuit specialis et familiaris minister Moysis, *filius Nun, puer.* Puer pro ministro accipi solet ; sed quia jam dictum est, minister Moysis, puer hic accipi potest pro discipulo, seu pro viro innocente ac puro, juxta quem modum Christus post resurrectionem dixit Apostolis : Pueri, num- *Joann. xxi, 5.*

Digitized by Google

quid pulmentarium habetis ? In Zacharia quoque angelus superior ait ad angelum *Zach.* II, 4. inferiorem : Curre et loquere ad puerum istum, videlicet Zachariam prophetam, qui tunc erat vir senex. Josue etiam tempore isto fuit virilis ætatis, vir robustus et audax, quia et ante hæc fuit dux populi in *Exod.* XVII, 9. prælio contra Amalec, ut supra descriptum est. *Non recedebat de tabernaculo.* Moyses etenim ei injunxit, in tabernaculo residere propter reverentiam sacri loci, et specialiter propter Dei ibi frequenter apparentis et loquentis honorem. Et ibi vacabat tunc Josue devotioni et contemplationi, præstolans reditum Moysis.

Dixit autem Moyses ad Dominum : Præcipis ut educam populum istum de loco hoc ad terram promissionis, *et non indicas mihi quem missurus sis* * *mecum.* [* es] Qualiter verum est hoc, quum jam dixerit Domi- *Ibid.* XXXII, 34. nus, Angelus meus præcedet te ; et rursus, Mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum ? Et respondendum, quod in deductione Israeliticæ plebis usque in terram promissionis, dationeque legis et acceptione, plures angeli ministerium exhibuerunt. Propter quod beatissimus Ste- *Act.* VII, 53. phanus ait Judæis : Accepistis legem in dispositione angelorum. Atque ad Galatas *Galat.* III, 19. scribit Apostolus : Lex propter transgressionem posita est, ordinata per angelos in manu mediatoris. Legitur quoque in Josue *Josue* V, 13, 14. libro : Quumque esset Josue in agro urbis Jericho, vidit virum stantem contra se, et evaginatum tenentem gladium, et ait : Noster es, an adversariorum ? Qui respondit : Princeps sum exercitus Domini. Fuit enim, secundum doctores, Michael princeps Synagogæ missus in adjutorium Hebræorum. Itaque quamvis Dominus dixit Moysi in generali, quod angelum mitteret præcursorem, tamen non expressit in speciali, quem angelum et quantæ auctoritatis ac præsidentiæ esset angelus mittendus super populum illum : ideo Moyses super hoc petiit edoceri.

Circa quod dicit Rabbi Paulus : Intelligitur Moysen implicite petivisse, quod re- A gimen populi sibi committeretur a Deo sine alicujus angeli præsidentia. Quod verum non reor, nec ad humilitatem pertinuisset. Nam et Moyses noverat ecclesiasticam hierarchiam per angelicam desuper gubernari : imo et Moyses postea postulavit dari sibi adjutores ex populo suo ad regendum eumdem, Non possum, inquiens, *Num.* XI, 14. solus portare onus populi hujus. Non ergo refutavit angelicam super se prælationem, imo superius dixit Dominus ei : Ecce ego *Exod.* XXIII, 20, 21. mitto angelum, qui præcedat te, observa B et audi vocem ejus.

Præsertim quum dixeris, Novi te ex nomine. Ac si dicat : Merito miror quod non indicas mihi, quem mittes mecum, cujus subsidio ducam populum tuum, præsertim quum dixeris mihi, quod specialiter noscas, ames et approbes me. *Et invenisti gratiam coram me,* id est, mihi præcipue complacuisti, atque acceptus es. Hæc plane Dominus dixit ad Moysen, quamvis textus non exprimat, ubi vel quando. Multa quippe dulcissima, altissima et familiarissima C verba dixit ad Moysen, præsertim in quadragenario illo dierum, quo secum fuit in monte, quæ non sunt descripta.

Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. Secundum quosdam, in Hebræo habetur, Viam tuam, vel Vias tuas : sicque Moyses per hæc verba petivit ducatum a Domino per desertum, et illuminari a Deo ad deducendum regendumque populum. Et ita per hæc verba non petiit claram divinæ visionem essentiæ. Sed his obviare videtur, quod subditur : *ut* D *sciam te.* Jam namque cognovit Deum variis modis, et per diversa ac eminenter ; sed dicendo, Ut sciam te, ostendit se adhuc Deum nescire, videlicet quantum ad claram et facialem ejus notitiam in se ipso. Idcirco hanc postulavit, dicendo, Ut sciam te. Loquendo autem de aliis modis cognoscendi Deum, jam noverat eum ante istam petitionem. Denique Septuaginta transtulerunt, et Augustinus ita exponit : Ostende mihi te ipsum. Potius igitur reor in Hebræo haberi, sicut Hieronymus transtulit, qui

Digitized by Google

frequenter testatur, nihil de veritate Hebraica se mutasse. Potest quoque esse, quod dictio illa Hebraica, pro qua habemus, Faciem, exstet æquivoca, quam Hieronymus recte transtulit in verbum hoc, Faciem, eo quod causa petitionis subdatur, quum dicitur, Ut sciam te. Est itaque sensus : Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, id est, si tantum tibi complaceo, sicut tu ipse testatus es mihi, da mihi ad horam videre te ipsum, sicuti es in te ipso, quia fiduciam habeo hoc petendi ex verbis tuis. Amici enim non solent sibi invicem de facili quidquam negare ; et naturale est ut quis cupiat suum amicum clare conspicere, præsertim quia desiderabilissimum est menti creatæ Creatorem suum per essentiam tueri. Hinc, secundum Augustinum, Moyses in hac petitione monstravit desiderium suum in Dei amore.

Et inveniam gratiam ante oculos tuos. Jam dictum est ei, Invenisti gratiam coram me : quomodo ergo nunc denuo orat, Et inveniam gratiam ante oculos tuos ? Respondetur, quod sancti in gratia Dei semper crescere cupiunt, gratiamque multiplicem petunt ; sciebatque Moyses se non posse jugiter in hac vita in Dei clara cognitione persistere : idcirco in contemplatione concupivit gratiam obtinere non peccandi de cetero, sed proficiendi in omni bono. Verumtamen per hæc verba videtur nunc postulasse gratiam, qua exaudiretur pro populo suo. Nam subdit : *Respice populum tuum gentem hanc,* id est, clementer intuere ac dirige plebem tuam hanc mihi commissam, ad vitia pronam ac fragilem. Propter quod merito gens vocatur. Per quæ verba ostendit desiderium suum in dilectione fraterna. Unde Septuaginta sic transtulerunt, Et ut sciam quia populus tuus est gens hæc.

Dixitque Dominus : Facies mea præcedet te. Hoc aliqui sic exponunt : Ego ipse te ducam atque præibo, id est, gratiosus ductor et comes tui itineris ero. Cui expositioni consonat Septuaginta translatio, habens sic : Ipse antecedam te. Sed obviare videtur, quod paulo post sequitur : Et ait Moyses : Si non tu ipse præcedas nos, non educas nos de loco isto. Ad quod respondet Augustinus, quod verba ista, Facies mea præcedet te, Moyses intellexit quasi pro se solo, non pro populo dicta : ideo flagitavit, ut et populum Deus præcederet. Aliqui vero dicunt, quod per verba illa, Facies mea præcedet te, Moyses intellexit aliquem quam simillimum Deo promitti, qui præiret : idcirco rogavit, ut ipse Deus eos præcederet. *Et requiem dabo tibi,* id est quietem in limbo patrum, sinuque Abrahæ post hanc vitam, usque ad Christi passionem et mortem, deinde veram felicitatem in patria pro caritate et laboribus, quibus jam inquietaris.

Et ait Moyses, cui, tanquam fidelissimo ferventissimoque pastori ac principi, bonum commune principaliter exquirenti, non suffecit propria gratia, quies et salus : *Si non tu ipse præcedas nos,* id est, nisi gratiose et liberaliter affuturus sis nobis, sicut nunc affuisti, qui nunquam mutaris, nec loco, neque natura moveris, *ne educas nos de loco isto :* quia diversa pericula et adversa imminent nobis in procedendo per eremum, et melius nobis est hic esse tecum, quam alibi sine te. Ideo subditur : *In quo enim scire poterimus ego et populus tuus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo,* id est, quod tibi complaceamus, *nisi ambulaveris nobiscum* non in tua substantia incircumscripta locum mutando, sed nobis in via misericorditer adsistendo, atque in cordibus nostris manendo, *ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram ?* id est, ex donis misericordiæ tuæ nobis præstandis a te, omnibus innotescat, quod simus populus et cultores veri Dei, præ ceteris gentibus a Deo electi ac honorandi, sic tamen, ut totum istud ad tuum honorem finaliter referamus.

Dixit autem Dominus ad Moysen : Et verbum istud quod locutus es, faciam, id est, hanc tuam petitionem implebo secundum censuram ac moderamen sapientiæ

Digitized by Google

meæ. *Invenisti enim gratiam coram me, et* A *te ipsum novi ex nomine,* id est, tam specialiter ac eminenter mihi places, et notus ac carus es, quod et pro aliis te ita exaudio, quem tam caritativum et fidelem conspicio. Unde Septuaginta transtulerunt, Scio te præ omnibus : sicque videtur quod illo in tempore carior fuerit Deo, quam aliquis alter tunc vivens. *Qui ait : Ostende mihi gloriam tuam.* Ex præinductis gratiosissimis Dei verbis divino amore accensus valide Moyses, et vehementer de divina pietate, quam in se taliter experiebatur, B præsumens, ausus est postulare : Ostende mihi gloriam tuam, id est, tui ipsius majestatem et beatitudinem increatam, seu te ipsum essentialiter gloriosum, vel fruitionem tuam gloriosam, quam habent Beati in regno, impende mihi ad horam. Et hoc redit in idem, quoniam qui sic Deo fruuntur, vident clare per speciem divinam essentiam.

Respondit : Ego ostendam omne bonum tibi, id est, tempore præordinato in regno beatitudinis manifestabo me tibi, et dabo C tibi plenam felicitatem, imo et me ipsum, qui sum summum atque perfectum bonum, in quo est omnium bonorum et pulchrorum plenitudo immensa. In hac quoque vita dabo tibi omne charisma gratiæ ac virtutum, atque per fidem et sapientiæ donum dabo tibi cognoscere bona præfata. *Et vocabo in nomine Domini coram te.* Aliqui textus habent, Vocabor. Translatio autem Septuaginta, qua utitur Augustinus, habet, Vocabo. Et ut asserit idem, Vocabo ponitur ibi pro Vocabor, videlicet activum D pro passivo, inusitato loquendi genere. Unde et Magister in historiis ita exponit : Vocabo in nomine Domini coram te, id est, faciam me vocari Deum ac ducem vestrum ex miraculis, quæ sum facturus. Potest tamen et sic exponi : Vocabo in nomine Domini coram te, id est, te præsente ac audiente invitabo te in nomine meo, seu propria potestate et auctoritate, ad contemplationem et invocationem mei ipsius. Quod qualiter factum sit, statim dicetur.

Porro secundum Lyram, in Hebræo habetur, Legam in nomine meo. Quod quidam Hebræi interpretantur, dicentes, quod Deo ipsi Moysi apparente, Moyses vidit ibi scripturam continentem duodecim modos impetrandi misericordiam Dei absque allegatione meritorum Patriarcharum sanctorum : ut sit sensus, Invocabo seu legam, id est, docebo te invocare et faciam te legere scripturam, docentem qualiter sim invocandus in nomine meo, id est per propriam bonitatem seu per me ipsum sine commemoratione Patriarcharum. Verumtamen, quoniam de istis duodecim modis invocandi, Scriptura hoc loco nil loquitur, imo nec alibi, possit quis forsan dicere, ficticium esse quod Hebræi de illis duodecim modis dicunt.

Et miserebor cui voluero, id est, juxta beneplacitum meum, absque præviis meritis hominum, miserebor finaliter his, quos sponte elegi et voluntarie prædestinavi, etiam si per Sanctorum merita non invocer pro illorum salvatione ; *et clemens ero in quem mihi placuerit,* id est, liberrime indulgebo, et salutem præstabo cuicumque visum fuerit mihi bonum, et quem voluero facere vas misericordiæ meæ, quum mea voluntas sit omnium prima causa, et omnia agam secundum voluntatis meæ propositum. Hinc quum Salvator dixisset, Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, etc., pro causa adjecit : Etiam, Pater, quia sic placitum fuit coram te. *Matth.* xi, 25, 26. Apostolus quoque ad Romanos fatetur : Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. *Rom.* ix, 16, 18. Dicis itaque, Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat, etc. Unde per Jeremiam Dominus contestatur : Ecce sicut lutum in manu figuli, ita et vos in manu mea. *Jer.* xviii, 6.

Rursumque ait : Non poteris videre faciem meam, id est, essentiam meam non potes clare per speciem intueri in hac vita mortali, vivendo in ea vita humana, corporea, sensitiva. *Non enim videbit me homo* in hac vita per speciem, *et vivet* vita

Digitized by Google

sensitiva humana. Quocirca sciendum, quod juxta philosophos causa prima sicut est infinitæ actualitatis et eminentiæ, ita est infinitæ incomprehensibilitatis, quum tamen ex sua natura sit infinitæ intelligibilitatis. Propter quod dixit Philosophus, quod sicut se habet oculus vespertilionis ad lumen solis, sic intellectus humanus ad manifestissima naturæ, id est ad cognitionem intellectualium et separatarum substantiarum, potissimum Dei, quæ ex sua natura sunt præcipuæ cognoscibilitatis, quoniam unumquodque tantum habet de cognoscibilitate et intelligibilitate, quantum habet de entitate et actualitate. Hinc nulla mens potest Deum perfecte et comprehensive cognoscere seu intellectualiter videre, puta tam plene et clare, sicut ipse ex sua natura cognoscibilis est, nisi sit mens infinitæ perspicacitatis, virtutis et capacitatis. Propterea superbeatissima Trinitas Deus hoc modo sibi soli cognoscibilis visibilisque consistit, quia nec anima Christi hoc modo comprehendit essentiam Dei.

Nihilo minus Sancti in patria vident, et intelligunt Deum per speciem, utpote clare et immediate in se ipso per ipsam divinam essentiam loco intelligibilis formæ eis unitam. Nempe quum omnis forma, species et similitudo creata, deficiat et occumbat in infinitum a plena deitatis repræsentatione, secundum quod deitas in se ipsa consistit; non potest Deus ita in se ipso clare videri per formam, similitudinemque creatam, sed per increatam formam et speciem Deus sic cernitur : quod prorsus supernaturale est, et sola fide tenetur.

Porro in hac vita Deus non potest ita videri, ita ut homo vivat vita sensitiva humana. In hujuscemodi namque visione divinæ essentiæ, requiritur in hac vita summa abstractio ab omni actu ac visu sensitivarum inferiorumque virium. Unde
Joann. i, 18. et in Joanne, et rursus in prima ejus epi-
I Joann. iv, 12. stola legitur : Deum nemo vidit unquam.
I Tim. vi, 16. Et ad Timotheum : Deus lucem habitat
A inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Nihilo minus per omnipotentiam Dei potest homo in vita hac Deum per speciem intueri, quia et
Moysi concessa est visio talis in hac vita, Num xii, 8.
ut in libro Numerorum habetur, quæ ei hac vice negata est. In tali tamen visione (ut tactum est) communiter homo non vivit vita sensitiva humana, sed intellectuali tantummodo ac divina, propter abstractionem præfatam. Ideo regulariter dictum est, Non videbit me homo, et vivet. Nihilo mi-
B nus per omnipotentiam Dei potest mens humana Deum ita videre, ipso homine sic vidente vitam sensitivam ducente, ut patet de anima Christi, quæ a suæ creationis et unionis exordio cum Verbo æterno, vidit præ universis Beatis clarissime divinam essentiam, utendo sensitivis potentiis, vegetativarumque virium actibus.

Præterea advertendum quod super illud, Loquebatur ad Moysen Dominus facie ad faciem, ait Glossa interlinearis : Substantiam Dei nec hominum nec angelorum
C quispiam videre potuit, sicuti est. Quod si intelligatur de visione plenariæ comprehensionis, qua Deus cernitur tam perfecte, sicut ex sua natura cognoscibilis est, veritatem sortitur. Si autem intelligatur ita, quod divina essentia videri non valeat a mente angelica et humana per speciem increatam, clare ac revelate seu immediate in se ipsa, stare non potest, quum et
Joannes dicat apostolus : Scimus quoniam I Joann. iii, 2.
quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et Paulus Corin-
D thiis ait : Videmus nunc per speculum in I Cor. xiii, 12.
ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. Unigeni-
tus quoque Patris : Angeli, inquit, in cœlis Matth. xviii, 10.
semper vident faciem Patris mei.

Deinde Dominus pandit Moysi, qualiter se velit ei hac vice ostendere. *Et iterum : Ecce, inquit, est locus apud me.* Omnis locus apud incircumscriptibilem Deum est; sed sicut Deus specialiter fuit et habitavit in monte Sinai, ita nunc specialiter loqui-

Digitized by Google

tur de loco quodam qui erat ibidem, de A quo subjungitur : *et stabis supra petram.* Corporaliter enim stetit paulo post Moyses supra petram illam. *Quumque transibit gloria mea,* id est similitudo gloriosa seu clara, me visibiliter repræsentans, *ponam te in foramine petræ* illius, quæ habuit magnam cavernam, et in ea collocavit Dominus Moysen, ne perstringeretur et terreretur nimis claritate similitudinis illius magnificæ ; *et protegam dextera mea donec transeam,* id est, dexteram meam ponam inter oculos tuos et inter gloriam B illam me præsentantem, quoniam splendorem formæ illius ferre non posses. Ideo dextera mea obumbrabit tibi, donec in similitudine illa pertranseam coram et ultra te. *Tollamque manum meam,* id est, postquam transiero coram te, retraham dexteram meam, ut videas, *et videbis posteriora mea,* id est, a tergo videbis me. *Faciem autem meam videre non poteris,* id est, claritatem similitudinis meæ me repræsentantis a parte ante, præsertim in vultu ejus, intueri non valebis corporalibus ocu- C lis, ob suæ vehementiam luminositatis.

Ista fuit corporalis atque sensibilis repræsentatio Dei, in qua ostendit se Moysi in forma visibili et humana, secundum Hebræos et multos Catholicos. Et, sicut videtur, erat angelus quidam in hujusmodi specie assumpta in Dei persona, pertransiens et apparens, ita quod Deus in similitudine illa sui repræsentativa, dicit se apparuisse ac pertransisse, suamque dexteram inter se et oculos Moysis posuisse. Quod autem Deus per angelum in si- D militudine humana apparuit, hoc designat, quod Deus in sua persona est intellectualis naturæ. Per copiosissimam vero et visibilem illam et sensibilem claritatem, figurabatur infinita et incomprehensibilis puritas divinæ essentiæ in se ipsa. Per interpositionem autem dexteræ, imbecillitas mentis humanæ ad intuitionem increati luminis Dei, pia quoque condescendentia et contemperatio Omnipotentis, qua humanæ capacitati condescendit, seque contemperat. Per inspectionem vero posteriorum seu similitudinis ejus a tergo, signatum est, quod Deum in hac vita non nisi obscure et imperfecte, ac per suos effectus similitudinesve creatas cognoscere possumus. Has causas et rationes corporalis illius apparitionis Moyses intellexit. Potuit autem esse, quod angelus qui in persona Dei quotidie loquebatur cum Moyse, Deo jubente assumpserit similitudinem solito splendidiorem et gloriosiorem ad horam, sicque in ea coram Moyse pertransierit, majestatem Dei, ut dictum est, repræsentando.

Præterea, circa præhabita multa scribit Rabbi Paulus, quæ breviter discutienda censentur. Ait ergo in primis, quod Moysi ante suum jejunium non fuit commissum, ut duceret filios Israel, sed ut duceretur tam Moyses quam populus per angelum ; sed post jejunium ejus, et alia nunc prædicta, dictum est ei : Vade, et duc populum istum quo locutus sum. Istud videtur pueriliter dictum, quum sit scriptum supra : Veni, *Exod.* III, 10. mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto : quæ fuerunt verba Dei ad Moysen circa rubum, diu ante ejus jejunium. Similiter scriptum est alio loco : Isti sunt Aaron et Moyses, *Ibid.* VI, 26. quibus præcepit Dominus, ut educerent filios Israel. Secundo ait : Postquam Moyses majoris perfectionis effectus est, commissus est sibi quasi singulariter ducatus populi. Ad quod dico, quod tam Moyses quam populus Israel tam bene ducti sunt per nubem et angelum, postquam Moyses jejunavit et cetera jam præfata peregit, ut ante, sicut consequenter in libris ejus apertissime recitatur. Imo nec Moyses eduxit filios Israel de monte Sinai ad terram promissionis, quousque nubes elevabatur de *Num.* X, 34. tabernaculo fœderis, et cœpit eos præcedere angelo eam movente, ut in Numeris scriptum est.

Tertio dicit super verba illa, Facies mea præcedet te : Deus volebat deducere Moysen absque aliquo medio. Cujus verbi error jam patet, quia per angelum deinde

Digitized by Google

ductus, instructus, directus est Moyses, quemadmodum ante. Imo, ut in Numeris legitur, Moyses instanter rogavit Hobab filium Raguel cognatum suum, ut sibi ac *Num.* x, 31. populo præberet ducatum, dicendo : Noli nos relinquere ; tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster. Quarto dicit, Moyses implicite petebat et volebat, quod nullus angelus interponeretur in regimen populi : cujus dicti falsitas jam in isto articulo est ostensa. Fuissetque grandis præsumptio, si in tanti populi gubernatione Moyses refugisset angelorum subsidia et præcepta ; imo cærimonialia, judicialiaque præcepta, quæ in Levitico et deinceps Moysi data sunt, per angelum ei proposita sunt. Imo Moyses scivit toti Israelitico populo præesse angelum unum de ordine Principatus, videlicet Michaelem, ac populum Synagogæ regi optavit : scivit et unumquemque eorum habere specialem et proprium angelum pro custode atque rectore. Unde per hoc, quod Moyses postulavit, ut ipsemet Dominus se populumque præcederet, non intendebat angelorum ducatum regimenque excludere, sciens quod Deus providentiæ suæ gubernationem per angelos circa homines exsequatur in pluribus rebus et actibus.

Denique Rabbi Paulus ad probandum verba sua inducta, dicit : Non legitur in toto processu Mosaicæ vitæ, quod fiat mentio de angelo loquente cum Moyse, vel ei apparente post hæc, sicut ante. Ad quod breviter dico, quod infra ubicumque in libro isto atque sequentibus legitur, Locutus est Dominus ad Moysen, etc., communiter sensus est, quod Deus per angelum ei locutus sit, secundum quod Augustinus, Gregorius, et alii sancti Patres, catholicique doctores, concorditer dicunt.

ARTICULUS LXV

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI QUARTI : AC DEINCEPS : PRÆCIDE, AIT, TIBI DUAS TABULAS LAPIDEAS.

REPARATIO tabularum Decalogi, apparitio Dei, et commemoratio seu repetitio præceptorum legalium, in isto describuntur capitulo. *Ac deinceps : Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum*, id est similes illis, quas fregisti, *et scribam super eas verba,* id est decem præcepta, *quæ habuerunt tabulæ illæ* priores, *quas fregisti.* Circa hæc oritur quæstio, qualiter Dominus dicat hic, Scribam super eas, quum alia dicat translatio, Scribe super eas ; imo et in isto capitulo infra habetur : *Exod.* xxxiv, 27, 28. Dixitque Dominus ad Moysen, Scribe tibi verba hæc. Et rursus : Fuit ergo ibi cum Domino, et scripsit in tabulis verba fœderis decem. Ad hoc Augustinus, aliique respondent, quod Dominus scripsit per auctoritatem, Moyses per exsecutionem, videlicet Deo jubente. Quocirca iterum quæritur, cur Dominus universa prænoscens, illas tabulas præparavit atque inscripsit, quas a Moyse noverat mox frangendas, et eas quas noverat diu duraturas, jussit per Moysen præcidi, parari, inscribi. Ad hæc Augustinus mysticam rationem assignat, quoniam tabulæ factæ a Deo, significabant gratiam Dei datam Hebræis in exitu de Ægypto, quam celeriter perdiderunt redeuntes cordibus in Ægyptum. Tabulæ autem factæ a Moyse, eos designant, qui per adjutorium gratiæ Dei implent præcepta per sæculi hujus durationem. Litteralius vero quis dicere potest, quod ex quo Moyses primas tabulas et earum scripturam

Digitized by Google

conspexit, potuit juxta earum exemplar formare ac scribere alias. Vel certe ad majorem superbi ingratique populi humiliationem, datæ sunt ei secundo tabulæ ab homine factæ atque descriptæ.

Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis. Itaque Moyses nocte consurgens, valde mane cœpit montem ascendere, et stetit in cacumine ejus cum Domino, id est cum angelo in persona Dei visibiliter apparente, et in forma humana ibi loquente. Illa etenim hora ad spirituales actus est aptior. Propter quod loquitur
Is. xxvi, 9. Isaias : De mane vigilabo ad te. Et Psal-
Ps. v, 5. mista : Mane adstabo tibi et videbo. *Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem. Oves quoque et boves non pascantur econtra.* Supra quum Moyses auditurus erat a Deo in monte decem
Exod. xix, 24. præcepta, jussit Dominus ut Aaron secum ascenderet. Rursusque scriptum est, quali-
Ibid. xxiv, 12, 13. ter Moysi duas tabulas recepturo Dominus jussit, ut in verticem montis ascenderet; et tunc Josue ejus minister aliquam montis partem secum ascendit et mansit in ea. Iterum capitulo nonodecimo legitur, qua-
Ibid. xix, 12, 13. liter Dominus vetuit montem tangi ab hominibus vulgaribus ac jumentis. Nunc vero Moyses secundo accepturus tabulas scriptas, a Domino jussus est solus ascendere, in tantum ut nemo per totum montem conspiceretur, nec pecora ex opposito montis, nisi per grandem a monte distantiam, alerentur. Quæ est ergo horum ratio, et cur fuit in ista susceptione tabularum major coarctatio quam in prima?

Ad quod Rabbi Paulus respondet, quod ista descensio Dei super Sinai, solennior fuit quam illa quæ fuit in legis donatione : quia in illa solum proposuit Dominus præcepta communia, in ista autem revelata sunt Moysi divina secreta. Sed istud non apparet idonee dictum, quoniam textum capituli hujus intuentibus innotescit, quod in ista Dei descensione et apparitione et allocutione cum Deo non sunt specialia secreta Moysi revelata, sed præcepta præ-
A habita repetita. In priori vero descensione, apparitione, collocutioneque Dei cum Moyse, non solum data sunt ei præcepta communia toti plebi, imo et alia multa specialia et arcana de institutione novi sacerdotii, et ordine ministrorum tabernaculi, successione pontificum, de consecratione, vestibus, sacrificiisque eorum, de formatione arcæ ac sanctuarii, de confectione thymiamatis et olei unctionis : quorum omnium spirituales et mysticas rationes credendum est Moysen tunc ex
B revelatione cognovisse divina.

Itaque prædictorum videtur alia causa fuisse. Dominus namque voluit in hac vice Moysi apparere in similitudine gloriosa præclara, prout in fine præcedentis promisit capituli. Ideo noluit alium quemquam adesse, et propter majorem reverentiam divinorum, jussit et pecora abigi, præsertim ad figurandum quod carnales brutalesque homines, ad communionem et inspectionem divinorum indigni sunt. Insuper dici potest, quod Dominus paulatim
C ostendit se esse placatum : ideo necdum admisit Aaron ad montis ascensum, atque adhuc habuit se circa populum magis abstracte quam ante.

Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant; et de nocte consurgens. In quo patet suæ obedientiæ promptitudo et devotionis alacritas; siquidem Dominus dixerat ei, Esto paratus mane; et ipse surrexit nocte. *Ascendit in montem, sicut præceperat ei Dominus, portans tabulas secum. Quumque descendisset Dominus per*
D *nubem,* quia in illa nube angelus Dominum repræsentans descendit, *stetit Moyses cum eo* in vertice montis, tanquam ad Dei obsequium omnino paratus, *invocans nomen Domini,* utpote ipsum Dominum, in cujus persona angelus sibi apparuit. *Quo transeunte coram eo.* Si Moyses cum Domino stetit, quomodo Dominus coram eo transivit? Sed horum utrumque successive celeriter fieri potuit, similitudinemque assumptam potuit Dominus subito immutare, et gloriosiorem ac clariorem, quam ante

Digitized by Google

apparebat, efficere, eamdem quoque rursus adspectui Moysis contemperare.

Ait ipse Moyses, subito inflammatus contemplatione et amore illius, qui sibi tam gloriose ad sensum apparuit : *Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax.* Deus dicitur dominator, ab actu dominandi ; Dominus, potestate, et quoniam habet subjectos ; Deus, per omnium creationem et gubernationem ; misericors, natura, in quantum ei proprium est misereri, non tamen affectum compassionis habere ; clemens, relaxando debitam ultionem ; et multæ miserationis, per varios
* ac verax suæ pietatis effectus ; et verus*, in deitatis natura, quum ipse solus sit verus Deus. Verus quoque in verbis, fidelis in promissis, verax in documentis, et justus in præceptis ac præmiis. *Qui custodis misericordiam in millia,* id est, gratiam et dona misericordiæ concessa parentibus, pie continuas et conservas in posteris eorumdem per generationes et personas quamplurimas. Ponitur enim hic numerus determinatus, pro indeterminato, sicut in illo Psalmi
Ps. civ, 8. versiculo : Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes. *Qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata*. Per iniquitatem, potest intelligi culpa originalis ; per scelera, mortalia vitia ; per peccata, venialia mala. Aufert quoque iniquitatem cordis, scelera oris, peccata operis et omissionis. Rursus, per iniquitatem potest intelligi culpa commissa in Deum : per scelera, culpæ quæ fiunt in proximum ; per peccata, quæ fiunt in se ipsum. *Nullusque apud te per se innocens est,* id est, propria auctoritate nullus est absque culpa, quia etsi quis aliqualiter innocens est, et ad modicum sine peccato, non per se, sed per te et gratiam
Jacob. iii, 2. tuam hoc est. Denique in multis offendimus omnes, et nascimur in peccato, et
Ps. cxviii, 176. erravimus quasi oves quæ perierunt. *Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus,* id est filiis filiorum, *in tertiam et quartam progeniem.* Interdum enim usque

A in primam progeniem tantum, interdum usque in secundam, quandoque in tertiam, aliquando usque in quartam, quandoque in nullam : imo interdum pessimis patribus nascuntur electissimi filii, quemadmodum ipsi Achaz natus est Ezechias, et ipsi Amon sanctus Josias. Varia namque, libera, et imperscrutabilia sunt judicia Omnipotentis. Verumtamen qualiter intelligenda sit ista auctoritas, diligenter expressum est in vicesimi elucidatione capituli. IV Reg. xvi, 20. Ibid. xxii, 1, 2. Exod. xx, 5.

B *Festinusque Moyses, curvatus est pronus in terram,* cum profunda inclinatione, vel totius corporis prostratione, ad divinæ reverentiam majestatis. Et forte hoc fecit antequam præhabita protulit verba, quamvis postea recitet. *Et adorans, ait : Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum,* juxta sensum præcedenti articulo introductum. *Populus enim duræ cervicis est :* propterea necessaria est nobis indesinenter gratiosa adsistentia tua, quæ nostra emolliat C corda. *Et auferas iniquitates nostras atque peccata,* scilicet, tam carnalia quam spiritualia vitia, dando et infundendo veram contritionem, piam remissionem, gratiosam custodiam ; *nosque possideas* per dona gratiæ tuæ, ne recidivemus.

Respondit Dominus : Ego inibo pactum, id est, ita me facturum testabor, et amicitiæ fœdus vobiscum percutiam, interim tibi dando tabulas scriptas, et pugnando pro vobis ; *videntibus cunctis,* id est omnibus vobis et interdum etiam aliis ; D *faciam signa quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus :* ut fuit statio solis et lunæ ad instantiam Josue, retrocessio quoque Jordanis, et alia multa quæ in libro Josue alibique leguntur ; Josue x, 13; et iii, 16. *ut cernat populus iste in cujus es medio,* id est, cujus prælatus ac ductor es, et inter quos sæpius resides, *opus Domini terribile quod facturus sum,* id est præfata et consimilia miraculosa ac horribilia opera, præsertim adversariis vestris, quæ pro vestri introductione in terram promissionis

Digitized by Google

efficiam, ut vel sic mihi jugiter adhæreatis.

Observa cuncta quæ hodie mandavi tibi. Hoc sub persona Moysis ait ad populúm, ut scilicet populus universa Dei præcepta memoriter teneat, et opere exsequatur, quæ mandavit eis per Moysen, hodie, id est tempore isto. Vel ideo ait, Hodie, quia nunc ea repetiit. *Ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum et Chananæum et Hethæum, Pherezæum quoque et Hevæum et Jebusæum. Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius* B *jungas amicitias, quæ tibi sint in ruinam,* etc., id est amicitias periculosas illicitas. Si tamen voluissent ad Judaismum converti et confœderari legitime, non fuisset eorum amicitia contemnenda. *Noli adorare deum alienum,* id est aliquem præter me verum Deum, nullum videlicet deum gentium ceterarum. *Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator.* Qualiter
Exod. XX, 5. Deus dicatur zelotes, in expositione vicesimi capituli dictum est. Dicitur quoque æmulator, id est justæ ultionis amator. C Æmulari autem significat inflari, amare, invidere et imitari. Quum ergo Deus instar amatoris zelotypi, velit solus amari ut sponsus ab anima rationali, et fornicationem omnem etiam spiritualem graviter ulciscatur, vitandum est omne peccatum, potissime alieni adoratio dei.

Consequenter repetuntur diversa præcepta in littera, quæ omnia habita sunt atque exposita capitulo vicesimo et deinceps, imo et quædam ante, capitulo duodecimo. *Quum enim tulero gentes a facie* D *tua,* id est, dum populum Chananæorum a terra tibi promissa abstulero per interfectionem eorum, *et dilatavero terminos tuos,* dando tibi regiones regum multorum
Josue XII. citra et ultra Jordanem, sicut in libro Josue legitur, ubi triginta unus reges a filiis Israel occisi scribuntur; *nullus insidiabitur terræ tuæ,* id est, nec tibi nec fructibus ac possessionibus terræ tuæ valebit nocere, ita quod si insidientur, nihil proficient, sed peribunt; *ascendente te et ap-* A *parente in conspectu Domini Dei tui ter in anno,* juxta sensum expositionis præhabitæ.

Dixitque Dominus ad Moysen : Scribe tibi, id est ad tui ipsius meritum ac salutem, *verba hæc,* præsertim decem præcepta, *quibus et tecum et cum Israel,* id est Israelitico populo, *pepigi fœdus,* id est, pacis et amicitiæ inii pactum, quia per ista præcepta ostendo caritatem meam ad vos, a quibus specialiter amari et coli volo. Circa hæc Nicolaus de Lyra dicit, quod Moyses propria manu non scripsit hæc verba in tabulis istis. Cujus oppositum ex translatione Septuaginta interpretum, imo et ex littera ista, atque ex verbis Augustini et Glossæ probatum est. Et Magister in historiis, multique alii in hoc Augustinum sequuntur, nec argumenta alterius sunt magni vigoris. Nam arguit, quum tabulæ illæ fuerint lapideæ, litteræ illæ fuerunt in eis scriptæ per sculpturam; sed non videtur quod Moyses secum portavit ad montem instrumenta sculpendi. Ad quod primo respondetur, quod sicut alia multa supernaturalia fecit Deus per Moysen, ita et tabulas illas poterat Moysi facere ad scribendum cedentes ut ceram mollissimam, quemadmodum multis Sanctis in novo Testamento fecit saxa et cupra, ad suscipiendum signacula crucis, cedere tanquam ceram. Secundo dicendum, quod ex quo Septuaginta transtulerunt circa exordium hujus capituli, Scribes, satis credibile est, quod Moyses necessaria ad scribendum in tabulis secum accepit, nisi forte ex divino instinctu omiserit hoc. Iterum satis apparet, quod sicut primæ tabulæ fuerunt a Domino præparatæ et scriptæ, ita Dominus secundas tabulas voluit manu Moysis scribi, quemadmodum jussit eas per manum ejus præcidi ac præparari. Nempe si Dominus voluisset eas inscribere, cur jussisset aut quid indiguisset per Moysen eas parari?

Quumque descenderet Moyses de monte Sinai, expleto quadragenario dierum jejunii sui, *tenebat duas tabulas lapideas testi-*

Digitized by Google

monii : quas in manibus reverenter tenendo, descendit ad populum ; *et ignorabat quod cornuta esset facies sua,* id est tam luminosa ac splendida, quod radii clari ac fulgidi procedebant ex lumine vultus sui, in altum tendentes paulatim in similitudinem cornuum ; *ex consortio sermonis Dei,* id est ex longa sua conversatione, collocutione et communione cum Deo : ex quibus mens sua fuit tantis illuminationibus, claritatibusque repleta, quod redundabant in vultu ipsius. Sed quum etiam antea tot diebus fuerit cum Deo conversatus et affatus in monte, cur tunc rediens non fuit tam splendidus ? Responderi potest, quod interim multum profecit in spiritualibus donis, atque in contemplatione divina ; et item, quia jam vidit Deum in forma tam gloriosa, ut patuit, et Dominus super faciem suam posuerat dexteram suam, ideo clarior factus est ; et etiam, ut de cetero amplius timeretur a filiis Israel, nec contra eum murmurare præsumerent, propter idololatras quos fecit occidi.

Videntes autem Aaron et filii Israel cornutam Moysis faciem, timuerunt prope accedere, stupefacti re tam nova et inconsueta ac divina, et quoniam visus eorum reverberabatur claritate vultus Moysis et radiorum illorum. Forsitan etiam metuebant, ne ex commissione divina denuo exerceret correptionem et punitionem in eos. Erant namque incerti, an eis veniam impetrasset. Moyses quippe ascensurus in montem, dixerat eis : Peccastis peccatum maximum, ascendam ad Dominum, si quo modo quivero deprecari pro scelere vestro. *Vocatique ab eo, reversi sunt,* id est, ad Moysen eos vocantem, et ne timerent, consolantem, redierunt, a quo ex timore parum fugerunt, *tam Aaron quam principes synagogæ,* id est principes tribuum, et officiati ac judices substituti. *Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filii Israel, quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai. Impletisque sermonibus,* id est verbis finitis quæ dixit ad illos, *posuit velamen super faciem suam :* cognito quod facies sua esset tam illuminata, quod Josue ei forte primo exposuit. Sicque mansit facie coopertus velamine, quod forsitan fuit tenuis pannus, aut aliquid tale, moderans filiis Israel splendorem vultus Mosaici. *Quod ingressus ad Dominum, et loquens cum eo* in monte vel tabernaculo, *auferebat,* id est, de facie sua removit, et remotum dimisit, *donec exiret* de loco allocutionis divinæ, *et tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciem egredientis Moysis esse cornutam* ut ante, *sed operiebat ille rursum faciem suam, si quando,* id est quandocumque, *loquebatur ad eos,* de cetero durante in eo tanto splendore : aliter non potuerunt eum inspicere.

(Exod. XXII, 30.)

In Historia vero scholastica dicitur : Quantum duravit hæc gloria vultus Moysis, et utrum semel aut pluries ei acciderit, ignoramus. Verumtamen ex præinductis hujus litteræ verbis rite perspectis datur intelligi, quod duravit per tempus notabile, et quod magis quam semel contigit ei. Rursus in eadem habetur Historia : Dicunt Hebræi, quod adhuc tertio ascendit ad Dominum, ad impetrandum eis veniæ certitudinem, et quod rursus jejunavit quadraginta diebus ac noctibus. Quumque redisset cum certitudine veniæ, nonus fuit dies septimi mensis ; et in crastino solennitatem agentes pro venia data, afflixerunt animas suas jejunantes : sicque deinceps decima dies hujus septimi mensis, facta est dies propitiationis. Quod si verum est, potest esse quod exemplo Moysis Ecclesia proponit in anno tres quadragenas : licet ob hoc institutum dicatur, quoniam tres viri, Moyses, Elias, et Jesus tot jejunaverunt diebus. (III *Reg.* XIX, 8. *Mat.* IV, 2. *Luc.* IV, 2.)

Sensus spiritualis. Præterea spiritualis sensus hujus capituli, supra pro maxima parte est habitus. Specialiter vero ex istius capituli docemur exordio, quod volentes in monte, id est in altitudine contemplationis, Deo vacare, loqui, uniri, debeant separari a ceteris, et cuncta relinquere per mentis

recollectionem in Deo, ac jugiter esse ad spiritualem ascensum parati, et Deo reverenter adsistere, humiliter subjici, totaliter mancipari ; ipsum quoque in tali fervore affectuosissime exorare pro communi bono Ecclesiæ, pro pace et unione, pro vivis ac mortuis, pro parentibus, propinquis, commissis, benefactoribus, pro afflictis, tentatis, ac omnibus in periculo constitutis. Amplius docet nos hujus scriptura capituli, semper ad Deum confugere, ejus præsentiam gratiosam, piissimumque ducatum incessabiliter affectare ac postulare in omni via præsentis exsilii, spiritualibus atrocissimis hostibus pleni, innumerabilibus veræ salutis obstaculis circumdati, gravissimis periculis adimpleti : sicque de nostris viribus nunquam præsumere, sed toto cordis annisu in Deo semper confidere. Sic ergo et hoc specialiter deprecemur, ut non educat nos de loco isto, de corpore carceris hujus, si non ipsemet voluerit nos ad protegendum præcedere, nosque salvare. Consideremus de-

A mum ex isto capitulo, quantum complaceant Deo sobrietas, abstinentia, atque jejunium, quando et Moyses vice repetita, quadraginta jejunavit diebus Decalogum accepturus. Ideo sobrietati et jejuniis simus intenti, ut ita ad gratiæ incrementa, ad illuminationes disponamur supernas.

Postremo, per lucem ac radios vultus Moysis, designantur veritates, mysteria, ac nobiles proprietates Scripturarum veteris Testamenti. Per velationem autem ipsius,
B difficultas et obscuritas intelligendi Scripturas easdem. Per disvelationem vero vultus Moysis, illuminatio Spiritus Sancti, per quam Christus aperuit nobis sensum *Luc.* xxiv, 45.
ad intelligendum illas Scripturas. Per cornua autem vultus Moysis, fortia argumenta ex lege et Prophetis accepta, quibus armamus nos ad disputandum contra excæcatos Judæos, ac ceteros sanæ doctrinæ ac fidei æmulos. De hoc velamine, vultus- II *Cor.* iii, 13.
que Moysis gloria et splendore, loquitur Apostolus ad Corinthios.

ARTICULUS LXVI

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI QUINTI : IGITUR CONGREGATA OMNI TURBA FILIORUM ISRAEL.

QUEMADMODUM homilia tertiadecima super Exodum loquitur Origenes, frequenter in Exodi libro eadem repetuntur, præsertim descriptio templi. Dicitur namque, et quum Deus præcepit Moysi, qualiter fieri debeat ; et iterum, quum Moyses præcepit populo, ut offerat materias operi construendo, ut in isto capitulo. Postmodum quoque enumerantur singula, quum per Beseleel ac ceteros viros prudentes fabricantur ; et iterum, dum ad conspectum Moysis deferuntur ; rursumque, dum juxta Dei imperium dedicantur. Imo et postea in aliis libris ac locis fit commemoratio horum, et idem sæpe repetitur, dum ne-

C cessario commonetur. Itaque nunc incipit Moyses recitare, qualiter executioni mandata sunt quæ Dominus jusserat fieri.

Igitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos : Hæc sunt quæ jussit Dominus fieri. Sex diebus, scilicet ferialibus, *facietis opus ; septimus dies erit vobis sanctus,* id est divino cultui specialiter deputatus, *sabbatum et requies Domini. Qui fecerit opus in eo, occidetur. Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.* Hoc loco resu-
D mit tantummodo præceptum de celebritate sabbati, ne filii Israel putarent se in sabbato posse licite exercere, quæ ad taberna-

Digitized by Google

culi ac consimilium spectant constructionem. Deinde repetitur, quod vicesimo quinto capitulo jussum est de materiis offerendis pro sanctuario ac ceteris, quæ Dominus jusserat fabricari. *Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israel : Iste est sermo quem præcepit Dominus : Separate apud vos primitias Domino :* id est, unusquisque vestrum præcipua aliqua de rebus eligat et assumat, ac apud se ponat, ad offerendum ea Domino pro ædificatione tabernaculi et rerum ad illud spectantium, sicut subjungitur. *Omnis voluntarius et* II Cor. ix, 7. *prono animo offerat eas Domino.* Hilarem quippe datorem diligit Deus, cui coacta non placent obsequia : imo cui opera bona tanto plus placent, quanto ex promptiori Exod. xxv, 3 et seq. ferventiorique corde procedunt. *Aurum et argentum,* etc., quæ omnia vicesimo quinto capitulo exstant elucidata. *Vestimenta quorum usus est in ministerio sanctuarii,* id est, vestes sacras quibus ministri tabernaculi in divino utentur obsequio, scilicet *vestes Aaron pontificis ac filiorum ejus,* quibus in sacrificiis ceterisque divinis induentur ac potientur : has, inquam, artifices faciant.

Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysis, obtulit mente promptissima atque devota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonii, id est dona præcipua, *et dextralia,* id est ornamenta dextrorum seu brachiorum dextrorum prope manum. *Omne vas aureum, in donarium Domini separatum est,* id est, præcipua vasa aurea filiorum Israel, ab eisdem sunt ab aliis vilioribus vasis sequestrata, et collocata inter ea, quæ oblata sunt Domino ad usum præfatum. *Sed et mulieres doctæ* in artificiis sibi congruentibus, *dederunt quæ neverant,* id est, Domino obtulerunt ea Ibid. 4. quæ filaverant, *hyacinthum,* sicut expositum est, *vermiculum,* id est coccum. Si-

A quidem vermiculus, coccus et coccinum, quasi pro eodem sumuntur. Nam quod hic nomine vermiculi, hoc vicesimo quinto capitulo nomine cocci significatur. *Cuncti filii Israel,* id est quidam de universis, ut sit distributio pro generibus singulorum, *voluntaria Domino dedicaverunt,* id est, munera sua a se sponte oblata, consecraverunt ad gloriam Dei pro ædificatione tabernaculi, attinentiarumque ejus, *ut fierent opera Domini quæ jusserat Dominus per manum Moysis,* id est, quæ Deus per B ministerium Moysis præcepit et insinuavit Judæis.

Dixitque Moyses ad filios Israel : Ecce vocavit Dominus ex nomine Beseleel, etc. Exod. xxxi, 2. *Ooliab quoque,* etc. Totum istud tricesimo primo capitulo habitum est atque expositum. *Ambos erudivit sapientia, ut faciant opera abietarii,* id est ea quæ fieri solent a carpentariis. Porro abietarius proprie dicitur, qui operatur de ligno abiete. Communius vero accipitur pro artifice operante de ligno quocumque : et ita nunc C sumitur, quoniam in textu describente constructionem tabernaculi non fit mentio de lignis abietum, sed setim. Cetera prætactis locis exposita sunt.

Et sicut litteralis, ita spiritualis expositio hujus capituli patet ex præinductis. Verumtamen multa dicuntur in Glossa de spirituali hujus capituli intelligentia ex homilia Origenis, qui inter cetera ait : Nostis qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo quum suscepistis corpus Domini, cum omni cautela et diligentia D illud servastis, ne ex eo parum quid decidat. Si enim quid decidat, reos vos creditis. Quomodo ergo putatis minoris piaculi esse, verbum Dei negligere, quam corpus ipsius ? Ex quo Origenis eloquio sumptum puto quod asserit Augustinus : Non minoris est criminis verbum Dei contemnere, quam corpus Christi in lutum projicere.

Digitized by Google

ARTICULUS LXVII

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI SEXTI : FECIT ERGO BESELEEL.

HIC particularius describitur exsecutio A
operum. *Fecit ergo Beseleel et Ooliab et omnis vir sapiens,* etc., *quæ in usus sanctuarii necessaria sunt,* id est vasa et utensilia tabernaculi, *et quæ præcepit Dominus fieri,* id est reliqua quæ fieri jussit, sicut et ista. *Quumque vocasset eos Moyses, et omnem virum eruditum cui dederat Dominus sapientiam, et qui sponte*
* se *obtulerant sua* * *ad faciendum opus, tradidit eis universa donaria,* id est sponte oblata, *filiorum Israel. Qui quum instarent operi, quotidie mane vota populus* B
offerebat, id est, quolibet mane obtulerunt quæ desideraverunt ac promiserunt offerre. Et bene obtulerunt mane, quando ad devotionem aptior mens est. *Unde artifices venire compulsi,* id est vehementer excitati, *dixerunt Moysi : Plus offert populus quam necessarium est* ad faciendum quæ fieri jussa sunt. *Jussit ergo Moyses præconis voce cantari,* id est, quemdam tanquam præconem fecit alte clamare : *Nec vir nec mulier quidquam ultra offerat in opere sanctuarii,* id est ad faciendum sanctuarium, et quæ spectant ad illud. *Sicque cessatum est a muneribus offerendis, eo quod oblata sufficerent.*

Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi. Quæ hic habentur, supra in capitulo vicesimo sexto exposita sunt et conscripta. *Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret.* De hoc vecte non videtur mentio superius facta, eratque in facie tabernaculi orientali, et capita ejus erant inserta duarum capitibus tabellarum exsistentium juxta tabernaculi ingressum. Per quas, id est per quarum spissitudinem, vectis iste transivit, ab angulo qui conjunxit orientalem et aquilonarem sanctuarii partes, usque ad angulum copulantem partes sanctuarii seu tabernaculi orientalem atque australem. Reliqua vicesimo sexto capitulo exposita sunt plenius.

ARTICULUS LXVIII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI SEPTIMI : FECIT AUTEM BESELEEL ET ARCAM.

IN isto capitulo describitur qualiter facta C
sint ea, quæ erant in tabernaculo, tam ea quæ erant intra Sancta sanctorum, quam illa quæ continebantur in exteriori tabernaculi parte, quæ dicebatur Sanctum vel Sancta. *Fecit autem Beseleel et arcam de lignis setim.* Istud vicesimo quinto capitulo expositum est. *Fecit et propitiatorium.* Hoc eodem capitulo habetur expositum. Sequitur de productione mensæ atque candelabri ac lucernarum seu lampadarum et vasorum quorumdam : de quibus omnibus eodem vicesimo quinto capitulo habitum est. Postremo additur de formatione altaris thymiamatis, quod fuit in Sancto, et de compositione olei unctionis ac thy-

Digitized by Google

miamatis : de quibus omnibus expositio introducta est in pertractatione tricesimi capituli. Et omnia quæ hic habentur, in præallegatis sunt capitulis explanata; A nec in istis capitulis aliud continetur, nisi historia, qualiter per artifices factum sit, quod in illis capitulis Dominus fieri jussit.

ARTICULUS LXIX

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI OCTAVI : FECIT ET ALTARE HOLOCAUSTI.

F*ECIT et altare holocausti*. In isto recitatur capitulo, qualiter facta sint altare holocausti et vasa ipsius, et labrum æneum, ac atrium, cum attinentiis suis : quæ omnia vicesimo septimo capitulo explanata sunt, et omnia ista erant extra sanctuarium juxta illud. *Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysis in cærimoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron sacerdotis*. Ithamar fuit junior filius ipsius Aaron. Itaque Ithamar, secundum quod Moyses jussit, numeravit et assignavit instrumenta tabernaculi testimonii expressa in textu, quæ sunt tentoria et columnæ ac bases earum, et calami et cortinæ, quæ in processu et mutatione locorum portabantur a Levitis, prout eorum cærimoniæ exigebant, atque in libro Numerorum plene describitur. *Quæ* fecit *Beseleel, juncto sibi socio Ooliab, qui et ipse artifex lignorum egregius fuit,* id est ex- B cellens magister ad operandum artificiose ex lignis, *et polymitarius,* id est operans vario opere et guttato, *et plumarius,* operando cum acu. Nomina hæc supra clarius fuerunt exposita.

Deinde exprimitur quantitas auri oblati et expensi pro opere, ornatu, et attinentiis tabernaculi. *Omne aurum quod expensum est in opere sanctuarii, et quod oblatum est in donariis,* id est inter dona, a filiis Israel sponte oblata, *viginti et novem talentorum fuit, et septingentorum triginta* C *siclorum ad mensuram sanctuarii*. De siclo et ejus valore seu pondere, atque de siclo sanctuarii, et distinctione ejus ab alio siclo, dictum est in tricesimi expositione capituli. *Fuerunt præterea centum talenta argenti, ex quibus conflatæ sunt bases sanctuarii, et introitus ubi velum pendet.* Textus difficultatem non habet, et si qua in eo obscuritas in sensu aut verbis est, ex præinductis clarescit.

ARTICULUS LXX

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI NONI : DE HYACINTHO VERO ET PURPURA.

PRÆSENS capitulum non aliud est, quam recitatio qualiter per artifices, præsertim per Beseleel, factæ sint vestes pontificis ac sacerdotum, quas vicesimo octavo D capitulo fieri Deus præcepit. Aliqua tamen hic adduntur. Nam dicitur : *Inciditque bracteas*. Bractea appellatur frustum auri alteriusve metalli extensum. Itaque incidit

Digitized by Google

bracteas, hoc est laminas aureas tenues, *et extenuavit in fila*. Fecit enim fila ex eis per subtiliationem materiæ: ideo subditur, *ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine,* id est cum filis sub stamine textis. Subtegmen enim vocatur filum quod sub stamine texitur. *Fecerunt et mitras cum coronulis suis,* hoc est circulis parvis, qui fuisse leguntur in parte inferiori mitrarum illarum.

Feceruntque filii Israel cuncta quæ præceperat Dominus Moysi, id est præfata ornamenta, et cetera jam prædicta in capitulis præinductis : quæ artificiata Dominus per Moysen fieri jussit, ita quod Moyses A ex Dei commissione ac jussu præcepit ea per artifices fieri. *Et obtulerunt tabernaculum et tectum et universam supellectilem,* scilicet *annulos, tabulas, vectes,* id est omnia ista et cetera in textu expressa, præsentaverunt Moysi jam completa, imo ad Dei honorem formata. Deo quoque eadem offerebant, quasi exsecutioni mandata juxta ipsius imperium, et ordinata ad ipsius obsequium. *Quæ postquam Moyses cuncta vidit expleta, benedixit eis,* id est, filiis Israel imprecatus est bona, et B eos laudavit, tanquam obedientiarios Dei in exsecutione istorum juxta Dei præcepta.

ARTICULUS LXXI

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : MENSE PRIMO.

NUNC refert Scriptura, qualiter erecta, situata, atque disposita sint, quæ in præcedentibus capitulis facta leguntur. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Mense primo, prima die mensis :* quod intelligendum est de primo mense anni secundi ab egressione Israel ex Ægypto ; *eriges,* id est, per alios facies elevari, *tabernaculum testimonii, et pones in eo arcam :* quæ posita est in interiori et sacratiori parte tabernaculi, scilicet intra Sancta sanctorum : *dimittesque ante illam velum. Et illata mensa,* quæ in exteriori parte tabernaculi posita est, *pones super eam quæ rite præcepta sunt,* id est, quæ legitime jussi super eam locari, videlicet panes propositionis, sicut in expositione vicesimi quinti capituli patuit. *Candelabrum stabit cum lucernis suis,* hoc est cum lampadibus stantibus in summitatibus stipitis candelabri calamorumque ejus ; *et altare aureum,* id est altare thymiamatis seu incensi, *in quo adoletur incensum,* id est, in C quo thymiama crematur, *coram arca testimonii :* id est, hæc stabunt in exteriori parte tabernaculi ex opposito arcæ, quæ erit in parte tabernaculi interiore. De his, quoniam sæpe præhabita sunt, transeo.

Exod. xxv, 30.

Tentorium, id est velum, *in introitu tabernaculi testimonii pones :* velum namque pendebat inter tabernaculum et atrium in introitu tabernaculi ; *et ante illud altare holocausti,* quod fuit in atrio : sicque velum pendebat inter tabernaculum et istud altare, atque per consequens hoc altare D fuit ante tentorium illud seu velum. *Labrum inter altare et tabernaculum, quod implebis aqua.* Labrum quippe erectum et situm est inter altare holocausti, quod fuit extra tabernaculum, et inter tabernaculum ipsum. *Circumdabisque atrium tentoriis,* id est, ex utroque latere atrii vela expandes, *et ingressum ejus,* id est, ante introitum atrii pones velum.

Posuit et testimonium in arca. Per testimonium hoc loco non intelligitur liber

Digitized by Google

legis Moysis, sed tabulæ testamenti, quæ A datæ erant cum suis præceptis in testificationem pacti seu fœderis pacis et dilectionis inter Deum et Israeliticum populum. *Subditis infra vectibus,* id est vectibus infra arcam subjectis et connexis ad deferendum arcam tempore opportuno, ut in Exod. xxv, 13, 14. vicesimi quinti capituli elucidatione claruit. *Et oraculum desuper,* id est, super arcam posuit propitiatorium. *Posuit et mensam in tabernaculo testimonii ad plagam septentrionalem extra velum, ordinatis coram propositionis panibus,* id est, men- B sam in tabernaculi parte exteriore constituit, panibus propositionis positis coram, id est evidenter et ordinate super mensam locatis. *Posuit et candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ, locatis per ordinationem lucernis. Posuit et altare aureum sub tecto testimonii,* id est tabernaculi, quod vocabatur tabernaculum testimonii ob causam frequenter præhabitam; *contra velum,* id est extra et circa velum illud, quod fuit expansum inter Sancta sanctorum et inter Sancta, hoc est C inter partem tabernaculi interiorem et exteriorem juxta sæpe præhabita. *Et adolevit super eo incensum aromatum,* id est, super altare hoc aureum Moyses obtulit et cremavit thymiama ex aromatibus factum. Moyses quippe sacerdotali fungebatur officio secundum dispositionem divinam, præsertim usque ad ipsius Aaron consecratio- Ps. xcviii, 6. nem. Propter quod ait Psalmista : Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus. *Posuit et tentorium in introitu tabernaculi testimonii, et altare holocausti posuit in ve-* D *stibulo testimonii,* id est in atrio tabernaculi, sicut nunc tactum est, et supra præhabitum. *Erexit et atrium per gyrum tabernaculi et altaris,* id est cortinas atque columnas ex utroque latere atrium ipsum claudentes circa tabernaculum et altare incensi; *ducto in introitu ejus tentorio,* id est velo tracto seu expanso ante introitum atrii.

* omnia *Postquam cuncta * perfecta sunt,* id est, statim ut omnia ista disposita et locata sunt, *operuit nubes tabernaculum testimonii.* Per quod Deus monstravit, quam acceptum sibi fuit opus hoc, et cuncta ad ipsum spectantia. *Et gloria Domini implevit illud,* id est, præclarus Dei effectus implevit tabernaculum, utpote nubes illa cujus una pars operuit tabernaculum, et alia pars ejus illud implevit. *Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis,* id est ipsum tabernaculum per introitum ejus, ita ut staret sub tabernaculi tecto. In quo tabernaculo iniit Dominus fœdus cum Israel, verba fœderis loquendo ad Moysen. *Nube operiente omnia,* id est propter hoc, quod nubes totum tabernaculum texit, et per introitum ejus tabernaculum ipsum intravit ac implevit, ita quod Moysi non patuit aptus ingressus, aut in tabernaculo locus; *et majestate Domini coruscante,* id est, magna et infinita Dei potestate se ipsam clare ostendente per istum effectum.

Circa hæc scribit quidam : Non poterat Moyses ingredi propter reverentiam divinæ præsentiæ. Cujus simile habetur tertio Regum libro, in quo dicitur : Non poterant III Reg. viii, 11. sacerdotes stare et ministrare propter nebulam : non quia nebula obscuraret eorum adspectum, sed quia erat divinæ præsentiæ signum. Unde subjungitur ibi : Impleverat enim gloria Domini domum Domini. In his verbis aliqua continentur, quæ non videntur apte inducta. Primum est, quod ait, Non poterat Moyses ingredi propter reverentiam divinæ præsentiæ. Moyses namque interdum ingressus est cacumen montis Sinai, in quo Deus suam demonstravit præsentiam per præclariores et plures ac eminentiores effectus, quam fuit iste effectus, quemadmodum nonodecimo et vicecimo capitulis patuit. Siquidem in vertice montis Sinai apparuerunt voces et lampa- Exod. xx, 18; xix, 18-20. des, et sonitus buccinæ, et ingens ignis ac fumus, quasi de fornace erumpens, quæ omnia erant divinæ signa præsentiæ : quibus non obstantibus, Moyses intravit in altitudinem montis, et loquebatur familiariter ibi cum Deo tempore longo. Secundum est, quod ait nebulam non obscurasse sacerdotum adspectum. Siquidem pro eo

Digitized by Google

quod tertio Regum præallegata verba habentur, in libro Paralipomenon asseritur : (II Par. v. 3, 14.) Implebatur domus nube, ita ut non possent sacerdotes stare et ministrare propter caliginem. Unde in eodem libro subditur : (Ibid. vi, 1.) Tunc Salomon ait : Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine. Tertio, inepte applicat ad probandum propositum verba illa, Impleverat enim gloria Domini domum Domini : quia per gloriam Domini intelligitur ibi, sicut et hic, præfatus Dei gloriosus effectus, videlicet nubes.

Hinc in Scholastica historia dicitur, quod nubem in tabernaculo Moysi apparentem, visus non pertransivit. Verumtamen doctores quidam catholici dicunt, quod nubes in templo Salomonis apparens, et ista in tabernaculo Moysis ac supra illud exsistens, non erat tenebrosa aut procellosa, sed temperata ac fulgida, obumbrans atque reverberans facies sacerdotum, ita quod se invicem videre nequibant, nec ministrare, sicque diceretur caligo propter abundantiam suæ lucis. Verumtamen quidquid sit de nube, quæ in templo apparuit Salomonis, de ista nube tenendum censetur, quod ad minus habuit in aliqua sui parte densitatem atque caliginem quamdam : sicut et ignis qui in vertice montis Sinai (Exod. xix, 18.) apparebat, erat fumosus pro parte, in tantum, quod fumus quasi ex fornace ascendit ex eo, ut patuit. Et tamen dato, quod utraque nubes fuerit tota valde clara ac

A lucida, tamen ex dictis catholicorum doctorum jam allegatorum habetur, quod nubes illa sub Salomone, obscuravit et repercussit sacerdotum adspectum, ita quod ob illam visus sui repercussionem, nequibant se invicem intueri ac ministrare.

Si quando nubes tabernaculum deserebat, id est, quando nubes recessit a tabernaculo procedens ulterius, *proficiscebantur filii Israel per turmas suas,* id est, castra moverunt, et sequebantur nubis ducatum, quam angelus movit. *Si pendebat desuper,*
B *manebant in eodem loco,* id est, quando nubes mansit in aere pendens aut super tabernaculum fixa, filii Israel quiescebant ibidem, quousque nubes processit. *Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo.* Nam et quando movebatur in aere, incubabat tabernaculo, imo et toti populo per gyrum tabernaculi gradienti, ad præstandum eis refrigerium contra solis fervorem. *Et ignis in nocte,* id est, columna ignis, seu eadem nubes, ex una parte lucens ut ignis, incubabat tabernaculo ac
C populo nocturnis temporibus pro solatio lucis et ostensione itineris, si opus exstiterat. *Videntibus cunctis populis Israel per mansiones suas,* id est, duodecim tribubus Israel istud conspicientibus visu exteriori in suis tentoriis, profectionumque locis. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI EXODI

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LEVITICUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLOGUS

HONORA *Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum; et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* Prov. III, 9, 10.

In his verbis duo tanguntur in generali, quatuor vero in speciali. Primo namque in generali tangitur in eis exhortatio, imo et jussio ad honorificentiam majestatis divinæ, per ejus effectus et dona, quum dicitur : Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum. Secundo, venerationis illius merces, quum subditur : Et implebuntur horrea tua saturitate.

Quamvis autem Creator omnipotens et excelsus, per suos effectus et dona multipliciter honoretur, videlicet per eleemosynarum largitionem, per piam mutuationem, atque per omnem virtuosum usum illorum; in præinducta tamen auctoritate fit specialiter ad litteram jussio et exhortatio de oblationibus Deo fiendis, secundum legis tenorem, ad Dei honorem. Sicque in primo generali, tanguntur duo in speciali. Primum est, ut Deus honoretur per oblationes quæ fiebant de pecoribus, quæ per substantiam designantur, quoniam pecora erant præcipuæ antiquorum divitiæ, prout primo de Doctrina christiana Augustinus testatur. Secundum est, ut Deus honoretur oblationibus, quæ de terræ nascentibus (juxta legem) fiebant. Unde subjunctum est : Et de primitiis frugum tuarum.

In secundo quoque generali, duo in speciali tanguntur. Primum est, quod pro mercede oblationum, horrea fideliter offerentis implebuntur saturitate, hoc est saturitatis seu sufficientis refectionis materia, videlicet fructibus terræ. Secundum est, quod torcularia quoque abundabunt fructu uvarum, seu vino exprimendo ibidem. Per quæ duo, ceterarum etiam rerum domesticarum exuberantia denotatur. Nempe decimarum et oblationum persolutio prompta ac debita, multipliciter etiam in præsenti remuneratur a Domino. Propter quod per Malachiam loquitur Deus : Inferte omnem decimam *Malach.* in horreum meum, et sit cibus in domo mea; et probate me super hoc, si non aperuero III, 10. vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam. Porro in veteri Testamento, temporalium rerum abundantia atque prosperitas, longitudoque vitæ præsentis, pro præmio actuum virtuosorum promittebantur a Domino, non autem spiritualia et bona futura aperte : quæ tamen implicite dabantur intelligi in temporalibus illis, quoniam temporalia illa nequaquam esse valebant merces sufficiens et condigna observantiæ legis divinæ, et virtuosorum ac spiritualium actuum ex fide et caritate manantium.

Præterea, quamvis in præcedenti libro, videlicet Exodo, de sacrificiis et oblationibus multa sint dicta, præsertim a vicesimo capitulo et deinceps; nihilo minus in volumine isto nunc exponendo, de eisdem specialius diffusiusque tractatur, quemadmodum in processu hujus operis ostendetur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LEVITICUM

VAICRA HEBRAICE

IN QUO DE RITU AGITUR HOLOCAUSTORUM,
DE SACRIFICIIS ET HOSTIIS OFFERENDIS, DE LEPRA, DE VARIIS SCELERIBUS
MORTE PUNIENDIS, ET DE ORDINE ET MINISTERIO LEVITARUM.

ARTICULUS PRIMUS

DE TRIPLICIBUS VETERIS TESTAMENTI PRÆCEPTIS : ET QUALITER CÆRIMONIALIA DIVIDANTUR IN SACRA, ET SACRAMENTA, AC SACRIFICIA, ATQUE IN OBSERVANTIAS.

QUEMADMODUM super tertium Sententiarum Alexander de Hales docet diffuse, in veteri Testamento erant præcepta triplicia, puta moralia, et cærimonialia, ac judicialia. Præcepta moralia erant, quæ immediate dabantur de actibus justitiæ ac virtutum, prout et ratio naturalis
Exod. xx. dictavit. Sicque Decalogus, hoc est decem præcepta in duabus tabulis scripta, vocantur moralia, quæ et de naturalis rationis dictamine esse dicuntur, prout super Exodum est plenius dictum. Sed et alia præcepta quæ reducuntur ad ea, et ex eis quæ sequuntur, moralia nominantur. Præcepta vero cærimonialia, erant speciales institutiones ac jussiones divinæ per Moysen datæ, de modo colendi verum Deum, quantum ad actus exteriores, quæ in tribus primis præceptis moralibus, cultum Dei concernentibus, præsertim in primo, implicite ac virtualiter includebantur. At vero
Ibid. xxi, *et seq.* præcepta judicialia, fuerunt specialia Dei statuta ac jussa, per Moysen data, de modo A servandi justitiam atque pacificam conversationem inter fideles, per relationem et ordinationem eorum ad Deum ac ultimum finem seu veram felicitatem. Et ista præcepta virtualiter ac implicite comprehendebantur in septem præceptis moralibus, modum servandi justitiam inter proximos respicientibus.

Hinc in prima secundæ, quæstione 101, loquitur Thomas : Præcepta cærimonialia determinant præcepta moralia in ordine ad Deum, sicut judicialia determinant præcepta moralia in ordine ad proximum. B Rursus in eadem Summa, quæstione 99, ait : Lex divina principaliter instituitur ad ordinandum homines in Deum ; lex autem humana principaliter ad ordinandum homines ad invicem. Lex quoque divina ordinat homines ad invicem, secundum quod competit ordinationi eorum in Deum. Ordinatur autem homo in Deum, non solum per interiores actus mentis, qui sunt credere, sperare et amare, sed etiam per

Digitized by Google

quædam opera exteriora, per quæ servitutem profitetur divinam. Ista quoque opera ad cultum Dei pertinere dicuntur : qui cultus dicitur cærimonia quasi munera, id est dona Cereris, quæ (ut aliqui dicunt) exstitit dea frugum, eo quod primo ex frugibus oblationes Deo offerebantur. Vel, ut Valerius Maximus refert, nomen cærimoniæ introductum est ad significandum cultum divinum apud Latinos, a quodam oppido juxta Romam, quod Cære vocabatur, eo quod Roma a Gallis capta, illuc sacra Romanorum allata sunt, et reverentissime habita.

Insuper in prima secundæ, quæstione 101, Thomas affirmat : Cærimonialia præcepta ordinantur ad Dei cultum exteriorem : in quo cultu considerari possunt et ipse actus colendi, et ipsi colentes; sed et instrumenta cultus divini. Cultus vero

A specialiter consistit in sacrificiis, quæ ad Dei reverentiam offeruntur. Instrumenta autem colendi, pertinent ad sacra, et sacra vocantur, ut tabernaculum, templum, vasa et consimilia. Porro ex parte colentium duo possunt pensari. Primum est, institutio eorum ad cultum divinum, quæ fit per quamdam consecrationem ministrorum aut populi : et ad hoc pertinent sacramenta. Secundum est, eorum conversatio singularis, per quam distinguuntur ab aliis qui Deum non colunt : atque ad

B hoc pertinent observantiæ in cibis ac potibus.

Denique de præceptis cærimonialibus specialiter in isto libro tractatur, de præceptis vero judicialibus in sequenti. Tamen et in isto libro aliqua judicialia, et in sequenti, scilicet libro Numerorum, quædam cærimonialia continentur.

ARTICULUS II

CUR DEUS VOLUERIT SIBI ANIMALIA SACRIFICARI, SEU PER EORUM OCCISIONEM OFFERRI.

LIBRO de Fide et legibus loquitur Guillelmus Parisiensis : Merito quæritur, quare sacrificia sibi offerri voluit Deus, cur ei placuit mactatio animalium innocentium. Nihil enim suavitatis per se habebant cadavera animalium occisorum, nihil utilitatis continere videbatur illa animalium carnificina, sed solum laborem, horrorem et offerentium ministrorum inquinationem. Præterea quid justitiæ habet, ut quum homines peccent, pro eorum peccatis sola animalia etiam innocentissima occidantur?

Ad hæc doctor præfatus respondet : Septem de causis ante legem et sub lege voluit sibi Deus sacrificia talia immolari, non solum propter consuetudinem idololatriæ removendam, ut aliqui opinati sunt, quia hæc causa in Abel et Cain non habuit lo-

C cum. Prima ergo et præcipua causa fuit, honorificentia seu veneratio Dei. Omnis etenim cultus est honorificus Deo, quo cultu ipse vult sibi serviri. Propterea quoque voluit sibi ædificari altare, quia altare secundum unum modum est honoris titulus et memoriale insigne. Talibus ergo muneribus honorabatur Deus, non pretiositate ipsorum, sed electione, institutione et acceptatione ipsorum ex parte sui; obedientia vero et devotione offerentium ex parte ipsorum. Sicque hæc quinque hono-

D rifica efficiebant sacrificia illa, videlicet quod Deus ea elegit, instituit, et acceptavit, et quod obedienter ac devote offerebantur. Non enim coli voluit Deus, neque colendus est humanis adinventionibus, sed sua electione institutis. Ipse equidem melius novit quod et quale servitium sibi

Digitized by Google

magis complaceat. Hinc in Isaia conqueri- A
Is. XXIX, 13. tur de quibusdam : Coluerunt me mandato hominum et doctrinis.

Secunda causa fuit, fortis vehemensque impressio justitiæ et misericordiæ Dei, quam hujusmodi sacrificia faciebant. Nam eo ipso quod homines hujusmodi animalia offerebant ac morti tradebant, se ipsos morte dignos monstrabant, et Deum eos juste posse occidere fatebantur, si secundum eorum demerita faceret eis. Porro in hoc, quod mors eis debita, morte animalium commutabatur, misericordiam Dei re- B cognoscebant. Et talis immolatio, fortius intimiusque impressit et expressit rememorationem divinæ justitiæ et misericordiæ, quam sermo dumtaxat. Nihil quoque salubrius poterat fieri hominibus, quam vivax memoria et cogitatio tenax divinæ severitatis ac pietatis, quatenus timore fugerent mala, et spe bona Deo placita sectarentur. Quod si quis dixerit, quod multa sacrificia erant quæ non offerebantur pro culpis, ut hostiæ pacificæ et aliqua holocausta : respondemus, quod hæc omnia C redibant in idem. Pacifica quippe sacrificia sunt, quæ pro pace obtinenda offerebantur. Bellum autem non solum rerum periculum est, sed etiam mortis. Salutaria vero, pro salute obtinenda immolabantur. Ubi autem salus petitur, manifestum est mortis periculum imminere. Sacrificia quoque laudis fiebant, vel pro liberatione a malis jam facta, vel pro largitione bonorum collata. Et ita in offerentium cordibus semper locum habet cogitatio ista : Mors nobis imminebat, sicut nunc animalibus D istis.

Tertia causa fuit, recognitio beneficiorum Dei. Unde de oblatis interdum sibi partem reservabant offerentes, ac recognoscebant, quod tam ea quæ offerebant, quam ea quæ sibi servabant, a Dei liberalitate susceperant. — Quarta causa fuit, offerentium sacrificatio, quoniam per sacrificia expiabantur, et a peccatorum contaminationibus emundabantur, faciente hoc Dei virtute et misericordia. — Quinta causa fuit, familiaritas et appropinquatio ad Deum. Oblatio enim munerum et participatio sacræ mensæ, multam præstant fiduciam appropinquandi Deo, et † efficiendi de ejus familia. Commensalitas nempe, tanquam præcipua quædam communio post communionem causarum essendi, quæ sunt Pater et Filius, valde effectiva est familiaritatis. Propter quod quum Deus non posset offerentibus comedendo communicare, mittebat interdum ignem de cœlo, qui quasi vice sua comedebat oblatum. — Sexta causa fuit, adunatio seu unio quædam populi Dei, ut scilicet una domus et una familia fieret ex multis personis. Unam etenim domum, et unam familiam ad litteram maxime facit communio victualium. Sic et unam familiam spiritualem, unamque domum maxime facit communicatio ciborum ac potuum spiritualium, id est consecratorum, in quibus spiritualis refectio potissimum quæritur.

Septima causa fuit, attractio hominum ad Dei cultum. Nihil enim plus aggregat et convenire facit homines ad unum locum sive negotium, quam cibus et potus. Unde et confraternitates statuit Ecclesia, ubi præparatur corporalis refectio : quæ si deesset, nulli aut paucissimi convenirent. Voluit ergo sapientissimus ac misericordissimus Deus, ut in domo sua, id est tabernaculo et altari, esset communicatio cibi corporalis ac potus, quatenus communitas populi sui per hoc illuc attraheretur, et adstrictius moraretur. Voluit quoque talia sibi esse sanctificata, ut populus sumeret ea non tanquam bona propria, sed tanquam Dei dona ; nec tanquam communia alimenta, sed veluti quædam sacra, ut Deum agnosceret suum patremfamilias, a quo pasceretur ; seque ad sanctorum communionem et participationem videns admissum, servaret se deinceps immaculatum a vitiis. Neque credendum est, sanctos et sapientes patres veteris Testamenti, sub lege, vel ante, absque orationibus, collaudationibus et benedictionibus sacrificia sua Deo altissimo obtulisse. Quis enim cre-

Digitized by Google

dat, cultum Dei orationibus et laudibus unquam caruisse? Nec de his reliquerunt populum secum vescentem prorsus indoctum. Quæ orationes et laudes si ad nos A pervenissent, causas et utilitates hujusmodi ritus evidenter nos docuissent. Hæc ex præfato doctore sint introducta, quatenus clarius intelligantur sequentia.

ARTICULUS III

DE MULTIPLICI DISTINCTIONE SACRIFICIORUM LEGALIUM.

PRÆTEREA, ut clarius intelligantur, quæ sparsim in libro isto de sacrificiis veteris Testamenti scribuntur, oportet scire, quod multiplicia erant sacrificia legis, quorum distinctio a diversis varie assignatur. Thomas equidem in prima secundæ, quæstione 102, testatur : Triplex erat sacrificiorum genus. Quoddam quod totum comburebatur, dicebaturque holocaustum quasi totum incensum. Hujusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam majestatis ipsius, et ob amorem bonitatis ejus : per quod significabatur status evangelicæ legis in adimpletione consiliorum : ideo totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem, sursum ascendit, sic totus homo et omnia quæ sunt ejus, Deo subjecta sint et ei offerantur. Aliud erat sacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo pro remissione peccati : per quod significabatur status pœnitentium in satisfactione pro culpis. Quod sacrificium dividebatur in duas partes : nam una pars ejus comburebatur, alia vero cedebat in usum sacerdotum, ad designandum quod expiatio seu remissio peccatorum, a Deo fit per ministerium sacerdotum, nisi quando offerebatur sacrificium pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis : quia tunc totum comburebatur. Non enim debuit in usum eorum venire, quod pro eis specialiter aut generaliter offerebatur : quia si veniret, tantumdem esset ac si non offerretur pro eis. Tertium fuit sacrificium, quod pro B beneficio accepto vel accipiendo offerebatur, quod dicebatur hostia pacifica, vel gratiarum actionis, sive ex voto. Et per significationem convenit statui proficientium in adimpletione mandatorum. Dividebatur quoque in tres partes : nam una pars incendebatur ad Dei honorem, alia pars cedebat in usum sacerdotum, tertia in usum offerentium, ad designandum quod salus hominis procedit a Deo per directionem ministrorum Dei, qui cooperantur hominibus ad salutem.

C Hæc S. Thomæ distinctio de sacrificiis, dari videtur penes respectum ad finem, hoc est juxta distinctionem causæ, propter quam sacrificium offerebatur. Unde et tertium sacrificii genus dividi potest in duo, ita quod unum erat pro beneficio jam concesso, et gratiarum actio pro eodem ; aliud pro beneficio impetrando, seu adipiscenda salute. Hinc idem sanctus Doctor præallegata quæstione ordinem dignitatis sacrificiorum assignans : Inter omnia, inquit, sacrificia holocaustum fuit perfectissimum D atque præcipuum, quoniam totum comburebatur ad Dei honorem, et nihil comedebatur ex eo. Porro secundum locum in sanctitate tenebat hostia pro peccato, quæ comedebatur solum in atrio a sacerdotibus, et ipso sacrificii die. Tertium gradum tenebant hostiæ pacificæ pro gratiarum actione, quæ comedebantur ipso die, sed ubique in Jerusalem. Quartum locum tenebant hostiæ pacificæ ex voto, quarum carnes poterant comedi die sequenti. Estque ratio

Digitized by Google

ordinis hujus, quia primo et maxime obligatur homo Deo propter bonitatem et majestatem ipsius; secundo, propter offensam in ipsum commissam; tertio, propter beneficia ejus suscepta; quarto, propter beneficia ejus sperata. Hæc Thomas.

Denique huic sacrificiorum divisioni satis concordat, quod Guillelmus Parisiensis, libro de Fide et legibus, dividit sacrificium in holocaustum, in oblationem pro peccato, in hostiam pacificam, et in hostiam salutarem. Magister autem in historiis scribit : Triplex erat distinctio eorum quæ B rite offerebantur. Aut enim erat oblatio de animalibus : et sacrificium dicebatur, nec ante octavum diem a nativitate sua poterant immolari; aut fuit de sicca materia, ut de simila, pane, thure : et proprie dicebatur oblatio; aut de liquidis : quæ proprie dicebatur libamen sive libatio. Verumtamen Scriptura aliquando utitur istis nominibus indifferenter. Hæc autem sacrificiorum distinctio sumitur penes causam materialem. Unde et quidam sic dicunt : Quidquid offerebatur, aut animatum erat, C aut inanimatum. Si animatum, aut erat avis, aut bestia: si avis, aut fuit columba, aut turtur; si bestia, aut erat bos, aut ovis, A aut capra. Si inanimatum, aut liquidum fuit, aut aridum : si liquidum, aut erat vinum, aut oleum; si aridum, aut erat thus, aut simila, aut sal, aut panis, aut granum, aut fructus.

Insuper juxta hanc causam materialem sumitur distinctio Isidori, asserentis : Quatuor oblationum genera describuntur : Primum est vitulus de armento, secundum agnus aut ovis, tertium columba aut turtur, quartum similago conspersa aut azyma oleo uncta, clibanoque cocta. At vero Origenes in homilia dividit sacrificia penes causam efficientem, hoc est ex parte offerentium. Interdum namque offerebantur a sacerdotibus, interdum a principe, quandoque a pontifice, aliquando a privata persona, nonnunquam a populo, communitate, seu multitudine.

Postremo quidam distinguunt hoc modo : Aliud fuit sacrificium quod continue seu assidue offerebatur, et juge sacrificium vocabatur; aliud, quod interpolatis vicibus immolabatur; aliud, quod offerebatur ex mera seu intima devotione; aliud, pro beneficii impetratione; aliud, pro remissione peccati. Ex his magna ex parte patebit dicendorum intelligentia.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI LIBRI LEVITICI : VOCAVIT AUTEM MOYSEN, ET LOCUTUS EST EI DOMINUS.

LIBER iste, qui tertius est in ordine librorum Moysis, Leviticus appellatur, quia de sacrificiis tractat, quorum oblatio a sacerdotibus, natis ex Levi patriarcha, fiebat. De ipsis quoque sacerdotibus, ceterisque Levitis, plurima continet. Denique,
Gen. XXIX, 34. sicut Levi fuit tertius in ordine filiorum Jacob, sic liber iste est tertius in ordine librorum Moysis, juxta prætacta. Et quia in præcedenti libro, videlicet Exodo, de D tabernaculi ædificatione et vasis ipsius est actum, nunc recte de ministris tabernaculi et sacrificiis agitur. Præterea, teste Esitio* Jerosolymorum episcopo, qui hunc librum satis plene exposuit, imo et Augustino, sicut via per dietas et leucas dividitur, sic historia seu tractatus materia per libros partiales atque capitula recte partitur : quatenus sicut per illam viarum divisionem labor et fastidium itinerantibus mi-

* Hesychio

Digitized by Google

nuuntur, ita per istam librorum partitionem animus legentis a labore ac tædio relevetur : imo, sicut viator lætatur de vespere una completa dieta, hospitioque adepto, sic lector seu tractator Scripturæ quodammodo recreatur uno completo libro, aut etiam uno capitulo.

Itaque sanctus Moyses libri hujus exordium præcedenti libro continuans, ait de se ipso, quasi de alio recitans : *Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus,* per angelum in Dei persona apparentem atque loquentem, et hoc in plena vigilia, et in forma sensibili; *de tabernaculo testimonii*, quia in tabernaculo illo angelus iste apparuit, et specialiter de propitiatorio seu oraculo, tanquam de loco residentiæ suæ, procedebat et audiebatur vox ejus. Unde in Exodo Dominus ait ad Moysen :
Exod. XXV, 22. Inde, puta de propitiatorio, loquar ad te, quæcumque mandabo filiis Israel. Erat autem propitiatorium, secundum quosdam, aurea mensa super arcam levata, et per duos Cherubim in suis extremitatibus sustentata, ita quod tabula illa erat quasi sedes Dei, et arcæ operculum erat velut scabellum Dei, super propitiatorium residentis. Alii dicunt, quod propitiatorium fuit opertorium arcæ, et ei contiguum, ac Dei sedile; pavimentum vero tabernaculi situm ante arcam, fuisse scabellum sedentis. Tabernaculum quoque Dei per Moysen
Ibid. XL, 2. factum, vocatur tabernaculum testimonii: quia in eo erant tabulæ testamenti, quæ erant in arca, et quia ibidem Dominus testabatur, loquendo quæ ei placuerunt. Tabulæ etiam testamenti fuerunt ibi, in testimonium quod filii Israel legem a Domino acceperunt. Præfata demum aurea mensa, seu Dei sedile, vocabatur propitiatorium, quia ex loco illo Dominus ostendit se propitiari Israelitis. Dicebatur item oraculum, quia exinde dedit responsa. Divina autem responsa ac verba dicuntur oracula. Hæc omnia super Exodum dicta sunt plenius.

Dicens : Loquere filiis Israel. Nam inter Deum et Israelem Moyses erat mediator atque sequester. *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino,* id est, quicumque de populo Israel immolaverit hostiam Deo, *de pecoribus,* utpote animalibus gressibilibus ac domesticis. Unde subjungitur, *id est, de bobus et* de *ovibus offerens victimam,* hoc est de altero horum, aut certe de capra seu hirco, ut infra habebitur. Hæc enim erant animalia immolaticia, et materiæ oblationum. *Si holocaustum fuerit ejus oblatio,* id est, holocaustum offerre voluerit : quod scilicet ad divinæ reverentiam majestatis totum comburebatur, dicebaturque holocaustum ab ὅλον, quod est totum, et καυστόν, quod est calor sive incensum, quasi totum incensum; *ac de armento,* id est de numero seu multitudine boum sumpta; *masculum immaculatum offeret,* videlicet bovem marem, in quo nulla sit macula reddens animal ineptum ad immolandum, hoc est nulla monstruositas, debilitas, apostema, scabies, similisve defectus. Hinc in Scholastica fertur historia : Non de macula velleris, sed corporis, intelligendum est istud. Denique, quia holocaustum fuit perfectissimum sacrificium, idcirco non femina, sed masculus in holocaustum offerebatur. Perfectiora etenim animalia in tali sacrificio fuerant immolanda, ob reverentiam majestatis divinæ.

Deinde locus oblationis hujus exprimitur. *Ad ostium tabernaculi testimonii.* Circa hoc recitat Lyra : Dicunt expositores nostri communiter, quod per ostium tabernaculi testimonii, intelligitur ostium atrii sacerdotum, ubi probabantur animalia an apta essent ad immolandum, antequam introducebantur in atrium. Hebræi autem dicunt, quod non probabantur ibi, sed extra atrium totaliter in una exedra ad hoc parata. Idcirco quod dicitur hic, Ad ostium tabernaculi testimonii, exponunt de loco qui erat extra atrium. Et locus illo erat ante ostium tabernaculi, in quo erant arca et propitiatorium. Et hoc magis concordat litteræ, in qua agitur de tabernaculo testimonii, quoniam arca testamenti, in qua continebantur tabulæ, vocatur testimonium. Hæc Lyra.

Digitized by Google

Circa quæ breviter dico, quod catholici expositores, quos legi, per ostium tabernaculi testimonii non intelligunt ostium atrii sacerdotum, per quod in ipsum atrium a foris intrabatur ; sed ostium quod intra atrium erat ante tabernaculum testimonii, in quo exstitit arca : sicque intelligit Origenes. Hinc et Magister in historiis loquitur : Animal primo offerebatur sacerdoti ad ostium atrii, ut videret si idoneum esset ad offerendum. Postea ad ostium tabernaculi offerebatur Domino. Josephus quoque, quem Magister in historiis sequitur diligenter, ita sentire videtur. Insuper dico, quod arca non vocatur proprie testimonium, sed potius tabulæ testamenti quæ erant in ea, ut dictum est. Unde in Exodo
Exod. XXV, 16. Dominus jubet, Pones in arca testificationem quam dabo tibi : ubi per testificationem omnes expositores intelligunt tabulas testamenti. Poterat autem esse, sicut et aliqui opinantur, quod animalia munda et immolabilia, primo per inferiores ministros probabantur in exedris seu ædibus templi, in quibus reponebantur usque ad horam sacrificandi. Et postea juxta et extra præfatum ostium atrii, a sacerdotibus quoque diligentius considerabantur.

Sic itaque offeret holocaustum *ad placandum sibi Dominum*. Secundum expositores, in isto ac sequenti capitulo agitur de sacrificiis, quæ ex mera devotione et sponte offerebantur. Quomodo ergo holocaustum præfatum dicitur immolari ab offerente ad placandum sibi Dominum, quasi fuerit hostia pro peccato ? Respondetur, quod directe et primo offerebatur spontanea devotione ad divinæ majestatis honorem. Et inde consequebatur, quod Dominus placabatur taliter offerenti, si offensus fuit ab eo, vel magis quam ante fiebat ei placabilis.

Ponetque manus super caput hostiæ, id est, ipse qui bovem adduxit et obtulit sacerdoti, ut per sacerdotem Domino offeratur, ponet manus suas super animal protinus immolandum a sacerdote. Circa quod scribit quidam, quod offerens fecit hoc, ad denotandum quod renuntiaret juri quod habuit in animali : quod non videtur idonee dictum, quia hoc satis jam ante insinuavit, adducendo animal ad sacerdotem ad ostium atrii, ubi exposuit illud oblationi. Potius ergo videtur, quod manum super hostiam posuit, ut per hoc interiorem suam intentionem et devotionem fortius excitaret et applicaret exteriori sacrificio suo, quatenus acceptabilior fieret Deo sua oblatio. Unde et subditur : *et acceptabilis erit,* id est placita Deo non in se aut propria virtute, sed ex offerentis devotione, fide et subjectione ; *atque in expiationem ejus proficiens,* id est utilis ad obtinendum offerenti veniam, gratiamque a Domino aut gratiæ incrementum. Quamvis enim directe offerebatur ad divinæ majestatis honorem ex mera devotione, ex consequenti tamen ad expiationem erat proficua.

At vero Rabbi Paulus ait, quod per manuum impositionem super hostiam, notabatur, et offerens testabatur, quod ipse pro suis peccatis dignus esset occisione, et quod loco sui illud animal occideretur ; atque ad hoc allegat Thomam in prima secundæ, quæstione 102. Sed quia hæc hostia fuit holocaustum spontaneum, non autem oblatio debita pro peccato, non apparet, quod propter prætactam rationem posuerit offerens super animal manum, nec Thomas hoc dicit. Verum in prima secundæ, quæstione præallegata, causam assignans in generali, cur animalia immolaticia occidebantur : Per occisionem, inquit, animalium, significabatur destructio peccatorum, et quod homines erant digni occisione pro suis peccatis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur, ad significandum expiationem peccatorum. Per occisionem etiam animalium, occisio Christi figurabatur. Hæc Thomas. Cujus verba locum habent in hostiis pro peccatis, quantum ad id quod a Rabbi Paulo allegatur.

Immolabitque vitulum coram Domino. Laicus enim obtulit, id est adduxit seu præsentavit animal sacerdoti, et per manus sacerdotis obtulit illud Deo. Sed quum

Digitized by Google

ante sit dictum de bove, cur nunc exprimit vitulum ? Respondetur quod bos et vitulus non differunt specie, sicut nec puer et vir. Poterat autem bos immolari, dum erat anniculus, id est anni unius, et etiam supra, ut Josephus ait. Idcirco nunc bos, nunc vitulus dicitur. *Et offerent filii Aaron sacerdotes, sanguinem ejus fundentes per altaris circuitum*, id est, sacerdotes inferiores ex Aaron nati, sanguinem animalis oblati ad Dei honorem fundent per gyrum altaris, quod alii vocant per basim seu crepidinem altaris holocaustorum. Porro quidam affirmant, quod sacerdotes ponebant aliquid sanguinis in duobus angulis altaris, sibi directe aut transversaliter oppositis. Et quoniam quilibet angulus respexit duo latera in ipso concurrentia seu conjuncta, prætacta linitio sanguinis concernebat totum altaris circuitum. In omnibus vero hostiis generaliter observabatur, quod nec sanguis nec adeps veniebant in usum seu refectionem sacerdotum, neque in offerentium usum ; sed sanguis modo præfato fundebatur et adeps comburebatur, prout infra in textu habebitur, et ibi ratio horum tradetur. *Quod est ante ostium tabernaculi*, quia altare holocaustorum, extra tabernaculum erat in atrio ejus sub dio, ne fumus et odor hostiarum quæ comburebantur in eo, templum aut tabernaculum et exsistentes in eis fuscarent et affligerent.

Lev. VII, 8. *Detractaque pelle hostiæ :* quæ pellis ad sacerdotes pertinuit, ut infra habetur ; *artus*, id est membra animalis occisi et excoriati ac immolati, *in frusta concident*, ut super altare aptius ponerentur ad comburendum. Vel magis, ut tangit Guillelmus Parisiensis libro de Fide et legibus, ad excludendum ritum idololatrarum, a quibus voluit Deus populum suum distingui, quorum nonnulli carnes animalium occisorum integras offerebant. *Et subjicient in altari ignem*. Infra habetur, quemadmodum octavo die quo Aaron et filii ejus cœperunt suum exercere officium, et hostias obtule-
Ibid. IX, 24. runt, venit ignis de cœlo qui hostias devo-
A ravit, et ante illius ignis descensum fecit Moyses terrenum ignem ab altari holocaustorum removeri. Atque deinceps ignis ille cœlestis conservatus est in altari per appositionem lignorum, usque ad transmigrationem in Babylonem. Quod ergo nunc dicitur, Subjicient in altari ignem, intelligendum est, quod subjiciebant ligna ad illius perpetui ignis continuationem et nutrimentum, nec alienum licuit apponere ignem : quod filii Aaron transgredientes, *Lev.* X, 1, 2.
cœlitus sunt combusti, ut infra dicetur.
B Nec his repugnat quod sequitur, *strue lignorum ante composita*. Congeries namque lignorum antea parabatur ad nutriendum ignem prædictum, non autem primo in altari componebatur, ut sic per ignem de novo adductum incenderentur.

Et membra quæ cæsa sunt, desuper ordinantes, id est, frusta carnis immolatæ atque divisæ, super ignem illum ordinate ponentes, *caput videlicet et cuncta quæ adhærent jecori*, per quæ intelliguntur et alii artus immolandi ; *intestinis et pedibus*
C *lotis aqua*. Intestina animalis oblati et pedes ejus, lavabantur a sacerdote antequam comburebantur, propter reverentiam sanctitatis divinæ, quia præ ceteris partibus et artubus carnis immunda sunt, nec cum immunditiis suis erant in Dei holocaustum ponenda. *Adolebitque*, id est comburet, *ea sacerdos super altare* quod erat in atrio, *in holocaustum et suavem odorem Domino*. Odor ille ex carnium illarum incensione erumpens, non erat suavis in se, nec Deo dulciter fragrans sive acceptus, quan-
D tum ad suam essentiam aut virtutem, seu ex parte operis operati, utpote rei oblatæ secundum se, sed ex fide, devotione et obedientia offerentis, et propter rem significatam potissimum, in quantum Christum et ejus figuravit mysteria. Unde dici solet, quod sacrificia illa, meritoria et justificantia erant ex parte operis operantis, videlicet fidei et piæ affectionis et obeditionis, non ex parte operis operati. Hucusque determinatum est de holocausto facto ex majoribus animalibus, utpote bobus.

Digitized by Google

Consequenter agitur de holocaustis quæ fiebant ex animalibus minoribus, scilicet capris aut ovibus. *Quod si de pecoribus oblatio est,* id est *de ovibus sive de capris holocaustum, agnum anniculum et absque macula offeret,* id est, ad offerendum sacrificium tale, sumendus est agnus unius anni, vel infra, non supra, nec ante octavum diem. Et idem de capra aut hirco dicendum. Et pecora ista dicuntur immaculata, eodem modo sicut de bobus jam dictum est. Quæritur, quomodo capra poterat in holocaustum offerri, quum dictum sit, quod nullum animal sexus feminei poterat offerri in holocaustum, quoniam holocaustum erat perfectissimum sacrificium, femina vero est animal imperfectum. Ad hoc dicendum videtur, quod capra dicit hic naturam, non sexum, atque ad sexum masculinum nunc retorquetur. Præterea Lyra dicit hanc litteram vitio scriptorum aut alio modo falsificatam, quia in holocaustis interdum offerebantur magni arietes; sed hoc dictum illius, est contra communem expositorum catholicorum doctrinam. Josephus quoque et auctor Scholasticæ historiæ dicunt, quod loquendo de hujuscemodi holocausto, de quo agitur in hoc loco, oportebat quod essent anni unius vel citra, pecora de quibus fiebat. Quod si arietes legantur in tale holocaustum oblati, per arietem intelligitur agnus. Unde Magister in historiis ait: Agnus quandoque aries appellatur.

Immolabitque ad latus altaris, id est, sacerdos oblaturus hujusmodi holocaustum, stabit in atrio juxta latus altaris holocaustorum, *quod respicit ad aquilonem, coram Domino,* id est, in aquilonari parte altaris stabit et offeret: et hoc forsitan ad distinguendum sacerdotes Dei a sacerdotibus idololatris, qui in orientali parte stabant dum offerebant, vel in parte australi. *Sanguinem vero illius,* videlicet pecoris sic occisi et immolati, *fundent super altare filii Aaron,* utpote sacerdotes, *per circuitum.* Non ait absolute, Super altare, sed addit, Per circuitum : et ita horum sensus A verborum, est idem cum sensu verborum, quibus jam dictum est de sanguine bovis oblati, Offerent filii Aaron sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum. Fundebant ergo sanguinem ovis aut capræ super altare per circuitum, id est, extremitates quasdam altaris inde tingebant, ad insinuandum quod ad ejus honorem facta esset animalis occisio atque oblatio, cui ipsum altare fuerat dedicatum; vel quia sacerdotes idololatræ aliter faciebant, sanguinem oblatorum in usum suum vertenB tes, sive ad maleficia expendentes, ut tangunt Guillelmus et Alexander de Hales. *Dividentque membra et omnia quæ adhærent jecori, et imponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis. Intestina vero et pedes lavabunt aqua; et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum et odorem suavissimum Domino.* Istud totum est exponendum, sicut de holocausto facto ex bove expositum est.

Consequenter fit mentio de holocausto quod fiebat ex avibus. *Sin autem de avi*C *bus holocausti oblatio fuerit Domino de turturibus et pullis columbæ,* id est, si quis obtulerit Deo holocaustum de avibus, puta de turturibus aut columbis, de quibus dumtaxat ex volucribus fiebat Deo oblatio; *offeret eam sacerdos ad altare,* id est, avem seu hostiam talem ab offerente laico sumptam, sacerdos pro illo immolabit juxta altare holocaustorum eodem loco, in quo et holocausta de pecoribus offeruntur, ut dictum est; *et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris,* quod ex tali retorD sione avis incurrit, *loco, decurrere faciet sanguinem* avis oblatæ, *super crepidinem altaris,* id est super basim seu locum vel circuitum ejus. *Vesiculam vero gutturis et plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent,* id est in locum secretum seorsum, in quo cineres hostiarum combustarum seu lignorum ponuntur. *Confringetque ascellas ejus,* id est, alas avis oblatæ franget sacerdos, *et non secabit, neque ferro dividet eam.* Hinc aliqui di-

Digitized by Google

cunt, quod sola manu collum volucris fregit, et proprio ungue cutem colli confracti rupit, quod fuit locum vulneris rumpere; nec licuit aliquid horum facere ferro, aut cultrum super hostiam istam levare. *Et* A *adolebit,* id est, carnem avis oblatæ comburet, *super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est* sacrificium istud, *et oblatio suavissimi odoris Domino,* id est valde accepta Deo, juxta sensum præhabitum.

ARTICULUS V

INTRODUCTIO ATQUE SOLUTIO QUÆSTIONUM OCCURRENTIUM CIRCA CAPITULUM ISTUD.

CIRCA præhabita quæritur : Primo, cur inter animalia gressibilia, quadrupedia seu pecora, voluit Deus sibi sacrificia fieri de tribus speciebus dumtaxat, puta de bove, ove et capra. Secundo, cur inter volatilia, de turturibus et columbis tantummodo, de holocaustis loquendo : nam postea fit de passeribus quædam additio. Tertio, cur non etiam de piscibus, saltem aliquibus. Quarto, cur de modo fundendi sanguinem holocaustorum prædictorum tam diversimode loquitur. Quinto, cur loquens de avibus immolaticiis, ait, de turturibus et pullis columbæ, et non de columbis, nec de turturum pullis. Sexto, de modis diversimode occidendi animalia ista. Septimo, cur jussit vesiculam gutturis projici, nec offerri. Octavo, cur super aves immolandas prohibuit ferrum levari.

Ad harum quæstionum primam respondet Guillelmus libro de Fide et legibus : Si quæratur, cur ista tria animalium genera de quadrupedibus sibi offerri elegit Deus, videlicet bovem, ovem et capram, in sexu utroque : respondemus, quod hæc sunt maxime necessaria victui humano atque vestitui, et apud patres maxime abundabant. Ideo voluit Deus communionem et participationem habere cum eis, in his quibus ipsi potissimum utebantur; et de his, in quibus beneficentia sua fuit largior circa ipsos, voluit sibi ampliorem recognitionem, regratiationem et honorificentiam exhiberi ab ipsis. Manifestum est quoque, B quod inter omnia quadrupedia, tria ista sunt mansuetissima, et minori rebellione sustinent mortem : ideoque minori periculo immolantium occiduntur. Præterea, Judæi magis assueti erant interfectioni animalium horum, quoniam eis maxime vescebantur. Animalia ergo hominibus familiaria et esui apta, voluit Deus et sibi familiaria esse in suo obsequio. Amplius, de quadrupedibus ista exstant mundissima, et mundissimis seu simplicissimis pastibus vivunt, eorumque immunditiæ quodam- C modo mundæ sunt. Rursus, tria ista totum quod sunt, vivunt et habent, necessitati, hoc est victui et vestitui, hominum exhibent. Sola quippe sunt, sine quibus homines vivere nequeunt, et sine ceteris animalibus vivere queunt, quemadmodum sine porco, cane et equo. Si ergo vitæ humanæ necessitas respiciatur, sola ista de animalibus necessaria consistunt hominibus. Quare eo ipso quo Deus voluit sibi ista, non alia, immolari, abstulit nobis occasionem quærendi non necessaria, dum D per ea noluit in sacrificiis honorari. Unde et solas fruges, et animalia ista voluit ab initio sibi offerri, ut legitur in Genesi. Hæc Guillelmus. *Gen.* IV, 3, 4.

Ad eamdem quoque quæstionem Thomas in prima secundæ, quæstione 102, respondet : Deus voluit sibi ista offerri, tum ad excludendum idololatriam, quoniam omnia alia animalia immolabant idololatræ idolis suis, vel eis ad maleficia utebantur.

Digitized by Google

Porro hæc tria animalia apud Ægyptios, inter quos conversati fuerunt Judæi, abominabilia erant ad occidendum. Unde ea non offerebant in sacrificium diis suis : propter quod in Exodo dicunt Hebræi : *Exod.* VIII, 26. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Oves namque colebant, et hircos venerabantur, quia in eorum figura dæmones apparebant. Bobus autem utebantur ad agriculturam, quam inter res sacras habebant. Tum secundo, ad significandum debitum ordinem mentis humanæ in Deum, quia per ea certæ ac magnæ virtutes significantur, ut infra dicetur. Tum tertio, ad præfigurandum Christi mysteria : propter quod ait Glossa : Christus in vitulo offertur propter virtutem seu fortitudinem crucis; in agno, propter innocentiam; in ariete, propter principatum; in hirco, propter similitudinem carnis peccati.

Ad secundam quæstionem libro præallegato respondet Guillelmus : Frugibus et præfatis pecoribus superaddidit postmodum *Gen.* XV, 9. Deus turturem et columbam in sacrificio Abrahæ, ut in Genesi scribitur : in quibus præter hoc quod munda et mansueta, atque utilia humanis sunt usibus, etiam castitas conjugalis in columbis, et vidualis in turturibus designatur. Ex quibus etiam ad litteram edocemur, quales esse oporteat, qui in partem sortemque Domini transeunt. Si enim hujusmodi mores requirit Deus in brutis sibi offerendis, quanto magis in hominibus ? Et si vitia moribus istis contraria repellit in brutis, in quibus reprehensibilia non sunt, quanto magis ea in hominibus detestatur, in quibus culpabilia exstant ? At vero ut Alexander et Guillelmus conscribunt : Passer superadditus est in lege in sacrificio pro emundatione leprosi. Manifestum est autem, quod passer sit multum similis columbæ in nidificatione et pastu : nidificat enim in foraminibus domorum, et volat gregatim, intenditque granis sicut columba. Itaque ista tam pauca de pecoribus et avibus elegit sibi in sacrificia Deus, et ce-

A tera repulit, quia idololatræ sacrificiis suis ea generaliter exsecrabilia fecerant, aut augures vanitate observationum suarum profanaverant, aut magi veneficiis ac maleficiis suis odibilia fecerant, sicut apparet ex Ægyptiorum multitudine sacrificiorum, quæ erant sexcenta quadraginta septem. Insuper causa quædam sacrificiorum istorum, fuit sustentatio sacerdotum. Insuper, quoniam columbæ et turtures specialiter abundant in terra promissionis, jussit sibi Deus ea magis offerri.

B Ad tertiam quæstionem, cur scilicet Deus non jussit sibi de piscibus sacrificium fieri, Alexander super tertium, et Thomas in prima secundæ respondent : Quoniam pisces sunt magis alieni ab hominibus, quam animalia alia, quia morantur et latent in aquis, et inde extracti, protinus moriuntur : unde nec apte poterant vivi in templum perduci, nec de mortuis fiebat oblatio. — Ad quartam Magister in historiis ait, quod ubi translatio nostra habet, Circa crepidinem altaris, Hebræus habeat, C et Josephus *limbum* expressit, id est supereminens forsitan labium. Hinc aliqui dicunt esse incertum, an de superiori, vel de inferiori, an media parte intelligatur quod dicitur, *circa altaris crepidinem.* Aliqui quoque putant, quod quando hostia erat minus digna, tunc sanguis circa basim fundebatur altaris; quando dignior, tunc circa mediam partem atque parietem; quando dignissima, tunc in supremo circa limbum. Unde de sanguine avium fertur in littera, quod fundebatur circa crepidi-D nem, id est basim seu lacum altaris.

Ad quintam Rabbi Moyses dicit : In turturibus, majores sunt meliores et pinguiores; in columbis vero e converso, minores sunt meliores : ideo turtures et pulli columbarum jubentur offerri, quia præstantiora sunt offerenda. — Ad sextam S. Thomas respondet : Specialis modus occidendi animalia immolanda, determinabatur in lege, ad excludendum alios modos, quibus idololatræ animalia idolis immolabant. Vel etiam, ut Rabbi Moyses protestatur :

Digitized by Google

Lex elegit genus occisionis, quo animalia minus affligebantur, per quod etiam pietas docebatur, et offerentium crudelitas excludebatur, et deterioratio animalium occisorum devitabatur. — Ad septimam Rabbi Salomon dixit, quod quia in vesicula gutturis cibus congregatur, et aves volant ad capiendum alimentum ex alieno, Dominus vesiculam illam prohibuit sibi offerri, ad A designandum quod sacrificium de rapina sibi displiceat. Vel propter immunditiam illius vesiculæ jussit hoc Dominus. Vel quia idololatræ offerebant eamdem. In vesicula quoque potest voluptas, imo et gula signari, quas vitare oportet. — Ad octavam est eadem responsio, quæ ad sextam, et quia idololatræ ferro utebantur in avium mactatione.

ARTICULUS VI

SPIRITUALIS EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

ALLEGORICE, per vitulum seu bovem masculum immaculatum, qui Deo offerebatur in holocaustum, intelligitur Dominus Jesus Christus, qui et se ipsum in *Luc.* XV, 23. evangelica parabola designat per vitulum saginatum, quem pius paterfamilias fecit occidi propter errantis filii reductionem. *Ephes.* V, 2. Rursus, in sacrificio quo se ipsum pro nobis obtulit Deo Patri oblationem et hostiam, instar vituli est occisus, in quo nil erat femineæ levitatis aut fragilitatis feminei sexus. Fuit item immaculatus, in quo nec originale nec actuale unquam fuit *Is.* LIII, 9. peccatum, juxta quod in Isaia legitur : Iniquitatem non fecit, nec dolus fuit in ore ejus. Significatur item Christus per bovem propter bovis fortitudinem, fructuositatem et maturitatem. Etenim sicut bos terram arat, sic Dominus et Salvator vomere verbi cœlestis et gratiæ supernaturalis, agrum cordis et ipsam in terris militantem Ecclesiam spiritualiter arat, emollit, aperit, seminat et fecundat. Quemadmodum etiam bos sumitur de armento, ita de multitudine Prophetarum et Patriarcharum prodiit Filius Dei factus homo : qui ad ostium tabernaculi est oblatus, quia in Jerusalem *Hebr.* XIII, 12 passus est, et extra portam est crucifixus, sicut et holocausta extra et prope tabernaculum offerebantur in atrio.

B *Ponetque manus super caput hostiæ.* Christus non solum a proditore ac Judæis atque Pilato, imo et a Deo Patre oblatus est, dicente Apostolo : Proprio Filio suo *Rom.* VIII, 32. non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Nam et princeps Apostolorum in Actis : Deus, inquit, qui per os omnium *Act.* III, 18 Prophetarum prænuntiavit pati Christum suum, implevit sic. Itaque Pater manum suam, id est potestatem posuit super caput Unigeniti sui, secundum naturam assumptam, id est, mentem ejus omni virtute et C gratia adimplevit, eamque movit ad patiendum promptissime pro generis humani salute. Sicque oblatio Christi incomparabiliter placuit Patri, quem Filius sibi placavit. Non quod Pater unquam iratus fuerit Filio, in quo sibi summe complacuit; sed quod Filius ad suum honorem, accidentaleque præmium Patrem placavit hominibus.

Immolabitque vitulum coram Domino. Christus quippe se ipsum seu proprium corpus dedit in mortem, Isaia testante : D Tradidit in mortem animam suam. *Is.* LIII, 12. Unde et ipse Dominus contestatur : Nemo tollit *Joann.* X, 18. animam meam a me, sed ego pono eam. *Et offerent filii Aaron sanguinem ejus.* Hoc accipi potest in malo, et item in bono. Nam et principes sacerdotum ex Aaron

Digitized by Google

Act. vi, 7. nati, procuraverunt Christum occidi. Multa A quoque sacerdotum turba, post Christi passionem et Sancti Spiritus missionem conversa, sanguinem Christi salubriter sumpsit, et sacerdotes evangelicæ legis eum in sua ac fidelium ora per gyrum altaris fundunt. *Quod est ante ostium tabernaculi.* Potest per tabernaculum istud, cœleste palatium seu triumphans Ecclesia accipi, ante quod est altare militantis Ecclesiæ : quia qui vere fideles sunt, triumphanti sunt Ecclesiæ proximi, imo jam conversationem habent in cœlis; status quoque et B cultus evangelicæ legis, evidentem habet imaginem Ecclesiæ triumphantis, cujus lex umbram gerebat, juxta illud ad Hebræos :
Hebr. x, 1. Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.

Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident. Per pellis detractionem, præfigurata videtur flagellatio sacratissimi corporis Christi usque ad miserandam sui dilacerationem ; per membrorum vero hostiæ divisionem in frusta, vulneratio ac dissipatio totius suæ tenerrimæ carnis, se- C
Job xvi, 13. cundum illud in libro Job : Tenuerunt cervicem meam, confregerunt me, et posuerunt me sibi quasi in signum ; atque
Ps. xxi, 15. in Psalmo : Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. *Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita.* Ignis est fervor ardentissimæ caritatis in altari, id est in præstantissimo corde Christi, in quo ipse secundum quod homo, indesinenter obtulit Patri, imo superbeatissimæ Trinitati sacrificium laudis, thymiama orationis, et totam suam naturam D assumptam. Porro, per struem lignorum compositam, intelliguntur homines, quos Christus redemit, et sua caritate succendit, qui et per caritatem uniti et incorporati sunt ei.

Quod si de pecoribus oblatio est. Salvator omni perfectione repletus, qui est summum et finale sacrificium, per unum aut pauca sacrificia sufficienter designari non valuit : ideo per diversa sacrificia ipse et sua mysteria præfigurabantur. Ipse ergo per agnum anniculum, propter innocentiam, mansuetudinem, sanctamque simplicitatem est figuratus. De quo beatissimus ait Joannes : Ecce Agnus Dei qui tollit Joann. i, 29.
peccata mundi. Et ipse per Jeremiam : Ego Jer. xi, 19.
quasi agnus innocens ductus sum ad immolandum. Idem ipse per hircum exprimitur propter similitudinem carnis peccati, imo et propter agilitatem hirci seu capræ, juxta illud in Canticis : Fuge, di- Cant. viii, 14.
lecte mi, similis esto capreæ, hinnuloque cervorum. Insuper designatur per aves turturem et columbam, propter suæ contemplationis sublimitatem, omnimodam castitatem, salubrem tristitiam, planctum et gemitum.

Alii spirituales sensus.

Præterea potest hæc littera alios parere sensus, quia multiplici tegitur intellectu. Propter quod Origenes subtiliter ait : Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria virgine carne vestitum processit in hunc mundum, et aliud erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur : carnis namque adspectus in eo omnibus patuit, paucis vero et electis dabatur deitatis suæ agnitio ; ita dum per Prophetas aut Moysen legislatorem, verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus exprimitur indumentis. Nam sicut ibi carnis velamine tegitur Verbum Dei, ita et hic sacra Scriptura velamine litteræ, et spiritualis sensus tegumento intelligentiæ litteralis. Itaque præter præhabita, adhuc per Moysen intelligitur allegorice Christus, cujus typum Moyses in multis expressit. Quemadmodum ergo Moysi locutus est Dominus de tabernaculo testimonii, de vario ritu holocaustorum, sic Deus Trinitas Christo homini ab incarnationis exordio inspiravit, cumque per allocutionem internam edocuit, qualiter populus christianus spiritualiter immolare debeat holocausta de armento et grege, hoc est bobus, capris aut ovibus. Atque de hoc Christus in Evangelio documenta expressit, præcepta digessit, consilia dedit.

Homo itaque de Israel, hoc est de plebe christifideli Deum fideliter contemplanti,

Digitized by Google

volens Deo holocaustum offerre, de armento offerre debet bovem seu vitulum masculum immaculatum, id est proprium corpus ex sua infectione et inclinatione, instar vituli lascivum, indomitum, et rationi rebelle : ideo quantum ad hoc, debet ipsum omnino mortificare, et membratim (*Coloss.* III, 5.) dividere, sicut ait Apostolus : Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. In (*Matth.* V, 29, 30.) Evangelio quoque Salvator : Si oculus, inquit, manus, et pes tuus scandalizat te, erue, abscide, et projice a te. Non utique mortificanda, aut abscidenda sunt ista, quantum ad id quod sunt, ne mutilatores aut impiissimi homicidæ fiamus ; sed quoad eorum usum illicitum, ne exhibea- (*Rom.* VI, 13.) mus ea arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo : sicque corpus nostrum ex sua fragilitate femineum, faciamus masculinum, hoc est rationi obediens et instru- (I *Petr.* II, 11.) mentum virtutum, abstinentes a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam. Sic quoque obsequium nostrum fiat immaculatum et sanctum, prout Vas electio- (*Rom.* XII, 1.) nis hortatur : Obsecro ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Insuper adducendum est corpus hoc ad ostium tabernaculi, id est ad locum quo audiat verbum Dei. Et super hoc holocaustum manus est imponenda, quatenus virtutem directionis, manumque disciplinæ ab ipso nunquam tollat, juxta (I *Cor.* IX, 27.) quod scriptum est : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne sibi ipsi relictum, rursus contra spiritum concupiscat, atque ad ea quæ Dei sunt pigritetur. Porro sacerdotes in te sint intellectus et recta voluntas, qui divinorum capaces sunt, et corpus inferioresque vires acceperunt regendas. Sanguinem quoque hostiæ hujus debent effundere per altaris circuitum, id est, per abstinentiam et jejunium sanguinem et ejus fervorem amore Christi minuere, juxta doctrinam Ecclesiæ ; sed et pellem ejus debent detrahere, corpus ipsum acriter flagellando propter præterita seu quotidiana peccata. Vel (ut ait Hesychius) pellis detrahitur, dum exteriora delectabilia auferuntur. Pellem vero a Scripturis veteris Testamenti abstrahimus, dum sensum qui litteralis videtur, relinquimus, ut spiritualem intelligentiam intus latentem, Domino immolemus.

Et subjicient in altari ignem. Altare in anima fides intelligi potest, in qua et per quam omnia sunt agenda, ac Domino offerenda, quum dicat Apostolus : Quod non (*Rom.* XIV, 23.) est ex fide, peccatum est. In ipsa ignis caritatis est apponendus, ut per dilectionem sit operans : quoniam fides quæ non habet (*Jacob.* II, 17.) opera, mortua est in se ipsa. Strues vero lignorum, congeries est membrorum, quæ ex sancta caritate ad actus bonos sunt excitanda. *Intestinis et pedibus lotis aqua.* Per intestina, intelliguntur interiores animæ sensus et vires ; per pedes autem, actus et affectus eorum : quæ omnia lavanda sunt a maculis sibi admixtis, pœnitentiæ lacrimis, rore gratiæ ac sapientiæ salutaris. Itaque intestina lavare, est conscientiam expurgare. Porro lavare pedes, est purificare affectus. Unde et Sponsa : Lavi, in- (*Cant.* V, 3.) quit, pedes meos, quomodo inquinabo illos ? Et Salvator : Qui lotus est, non indiget (*Joann.* XIII, 10.) nisi ut pedes lavet.

Quod si de pecoribus oblatio est. Spiritualiter ovem offert, qui superiorem animæ portionem ex sua natura simplicem, atque ad optima deprecantem, Deo per fidem et caritatem totaliter subjicit, intellectum redigens in captivitatem, in obsequium (II *Cor.* X, 5.) Christi, atque per privati exstirpationem amoris, vim affectivam in Deo prorsus per caritatem succendens. Capram vero seu hircum offert, qui infectam sensualitatem refrenat, reformat, ac jugiter Deo substernit.

Præterea aves, puta columbam et turturem, offert, qui omnem spiritualem perfectionem, et virtutum profectum, contemplationisque gratiam et gemitum salutarem, spiritualem quoque cum Sponso cœlesti conjunctionem, et ejus dispensativam absentiam, Deo cum omni gratiarum actione humiliter semper adscribit, cum Apostolo dicens : Gratia Dei sum id quod (I *Cor.* XV, 10.) sum. Sicque retorquendum est collum sub

Digitized by Google

ascellas, ut omnis reprimatur elatio, et homo ad propriæ defectuositatis frequentem intuitum reflectatur. Et *rupto vulneris loco*, id est, interiori læsione per confessionem humilem patefacta, decurrere facit sanguinem, calidas lacrimas ex contritione fundendo. *Vesiculam vero gutturis*, id est omnem gulæ et carnalitatis voluptatem atque mollitiem, *et plumas*, id est evagationes et phantasias inutiles prorsus abjiciat. *Confringetque ascellas.* Ascellæ seu alæ animæ, sunt oratio et meditatio, quibus volat in cœlum : quæ confringuntur, quando interdum propter caritatem Christi, et opera vitæ activæ ac necessaria corpori, intermittuntur. Quod tamen non est ferro, id est cum duritia et indignatione, sed cum pietate et discretione agendum. Et iterum resumendæ sunt alæ hujusmodi citius quo congrue fieri potest. Ecce ista sunt holocausta et hostiæ populi evangelicæ legis, quæ vere sunt suavissimi coram Deo odoris, et acceptissima majestati Omnipotentis.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : ANIMA QUUM OBTULERIT OBLATIONEM.

QUEMADMODUM in præcedenti capitulo, ita in isto fit mentio de sacrificiis sponte atque ex mera devotione oblatis. In præcedenti autem capitulo tractabatur de holocaustis, quæ de animalibus offerebantur ; nunc vero de sacrificiis agitur, quæ ex inanimatis, et ex rebus pauci valoris fiebant. Quocirca oportet scire, quia ut ait Thomas in prima secundæ, quæstione 102, Lex in sacrificiis providit offerentium paupertati : ut qui habere non posset animal quadrupes, offerret avem ; quam qui habere non posset, offerret saltem panem ; quem qui non valeret habere, immolaret saltem farinam aut spicam.

Anima quum obtulerit. Per animam, tanquam per partem principaliorem, intelligitur homo : et quia nunc agitur de sacrificiis sponte, et ex mera devotione oblatis, recte exprimitur anima, in qua voluntas et ejus pia affectio seu devotio continentur. Porro Lyra allegat Rabbi Salomonem, dicentem quod quia hic agitur de pauperum oblatione, exprimitur anima, quia oblatio pauperum acceptatur et reputatur a Deo, quasi obtulerint animam suam seu vitam. Unde et de paupercula vidua, quæ obtulit duo minuta, dixit Salvator, quod plus omnibus misit, quia totum victum suum. *Luc.* XXI, 2-4. Itaque anima quum obtulerit *oblationem sacrificii Domino.* Quod ait, Oblationem sacrificii, intransitive est accipiendum, videlicet pro oblatione quæ sacrificium fuit. Hostia tamen de inanimatis rebus oblata, magis appropriate dicebatur oblatio. *Simila erit ejus oblatio,* id est, similam offeret Deo : estque simila tenuissima ac mundissima tritici farina. Meliora namque et puriora Deo sunt offerenda. *Fundetque super eam oleum.* Quo facto, dicebatur simila oleata : quod sic fieri jussit Altissimus ad distinguendum plebem suam ab idololatris, qui offerebant idolis suis similam oleo non perfusam. Spiritualis autem ratio infra tangetur. *Et ponet thus,* id est, cum simila oleata thus offeret. Quemadmodum vero sanctus Doctor scribit loco præallegato, præter animalia solum offerebantur Deo de terræ nascentibus, panis, vinum, thus, oleum et sal : quoniam ea quæ de terræ nascentibus veniunt in hominis usum, vel sunt in cibum, et de his offerebatur panis seu ejus materia ; vel sunt in potum, et de his of-

Digitized by Google

ferebatur vinum ; vel in condimentum, et de his offerebantur oleum et sal ; vel in medicamentum, et de his offerebatur thus, quod est aromaticum et consolidativum.

Ac deferet similam oleatam et thus, *ad filios Aaron sacerdotes,* id est ad inferiores sacerdotes, quorum officium fuit, hujusmodi sacrificia votaque populi Deo offerre in loco sacro ; *quorum unus tollet pugillum plenum similæ et olei,* id est similæ oleatæ, implendo pugillum ex ea, *ac totum thus* similæ appositum ; *et ponet memoriale super altare,* id est, ista simul offeret in altari in memoriam, ut scilicet Deus pie memor sit offerentis, vel ut sacerdos per istam oblationem memor sit immolantis orando pro eo, vel certe in memoriam et recognitionem, quod offerens ista et cetera cuncta ex terris producta, quæ habet, a Deo sortitus est ; *in odorem suavissimum Domino,* sicut in præcedentis capituli expositione litterali expositum est. Adolebat quippe ista sacerdos super altare holocausti in atrio. Circa hæc in Scholastica recitatur historia : Tradunt Hebræi non semper plenum pugillum offerri, sed quod juxta quantitatem similæ minus poterat immolari, in tantum quod etiam impleto pugillo, posset sacerdos omnes digitos aperire præter medium. Et illud tantillum, quod remanebat inter digitum illum et volam seu palmam, suffecit ad offerendum. Porro Josephus dicit offerendam fuisse drachmam, id est tanti ponderis similam. *Quod autem reliquum fuerit de sacrificio,* id est residuum præfatæ oblationis, non comprehensum pugillo, *erit Aaron et filiorum ejus,* id est, in usum sacerdotum offerentium cedet ; *sanctum sanctorum de oblationibus Domini,* id est portio valde sancta sacerdotibus deputata, imo et Deo oblata, ex his quæ præfato modo immolata sunt Deo.

Lev. I, 13.

Sequitur secundus modus offerendi ex farina seu simila. *Quum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila, panes scilicet absque fermento,* id est non fermentatos, *conspersos oleo,* supple, offe-

A res, *et lagana azyma oleo lita.* Per lagana azyma, id est non fermentata, quidam intelligunt panes latos ac tenues, non conspersos, sed linitos oleo, qui interdum tortæ vocantur. Et ita in verbis istis innuitur duplex formatio panum in furno coctorum. Alii per lagana ista intelligunt panem ex simila coctum in calida aqua, ut sit tertium genus sacrificii ex simila facti. Subditur autem ad genus sacrificii hujus : *Si oblatio tua fuerit de sartagine,* id est panis coctus in patella, oblatio, inquam, B *similæ conspersæ oleo, et absque fermento,* id est formata ex simila non fermentata, sed oleo conspersa ; *divides eam minutatim,* id est in frusta minuta, *et fundes super eam oleum. Sin autem de craticula fuerit sacrificium,* id est, si in sacrificium obtuleris panem ex simila super craticulam coctum, *æque simila conspergetur oleo,* id est, simila ex qua talis panis formandus est, oleo conspergetur, sicut et præcedentes oblationes.

Quam offerens Domino, non per proprias C manus, sed per ministerium sacerdotis : idcirco subjungitur, *trades* eam *in manibus sacerdotis* ut offeratur per eum. *Qui quum obtulerit eam,* videlicet similam sic oleatam, redactam in panem super cratem coctum ; *tollet memoriale de sacrificio,* hoc est, partem sacrificii seu panis istius, vel unum panem sic factum, si plures pariter offeruntur, accipiet in memoriam offerentis, ut Deus memor sit ejus, sicut expositum est plenius ; *et adolebit,* id est, cremabit eam, *super altare in odorem suavitatis* D *Domino,* id est ad hoc, quod Deo complaceat oblatio ista ex fide et devotione offerentis. Quamvis enim tota talis oblatio Deo offerebatur, non tamen tota super altare incendebatur, sed pars ejus dumtaxat : et illa sic cremabatur in memoriam immolantis juxta sensum præhabitum, residuum vero cessit in esum et refectionem sacerdotum. Propter quod subditur : *Quidquid autem reliquum est* de hujuscemodi hostia, quod scilicet non adoletur super altare, *erit Aaron et filiorum ejus :* imo et

Digitized by Google

domesticorum eorum, et æqua sorte eis dividebatur, ut Magister in historiis addit; *sanctum sanctorum de oblationibus Domini.*

Præterea, si quæratur omnium horum ratio litteralis, responderi potest juxta prætacta, quod Deus assignando tam varios modos sacrificandi sibi ex simila panes, consuluit et providit offerentium paupertati, commoditati, aut facilitati : ut quibus fornax deesset ad panem coquendum, vel quibus molestum esset accendere clibanum, coquerent panem in patella ; vel, si hoc eis amplius conveniret, super craticulam. Insuper dici potest, quod Deus ita instituit in solatium ministrorum suorum, videlicet sacerdotum, qui reficiebantur ex illis oblatis, quatenus ad tollendum fastidium, haberent panes diversimode præparatos. Unde et oleum jussit apponi. Iterum dici potest, quod jussit sic, ad distinguendum oblationes populi sui et ritum eorum ab idololatrarum ritibus et oblatis. Figuralem vero rationem Thomas assignat, dicendo : Panis significat Christum, qui ait,
Joann. VI, 41. Ego sum panis vivus : qui in fide patrum sub statu legis naturæ, erat quasi spica ; et in doctrina legis ac Prophetarum, erat ut simila ; atque ut panis formatus, post assumptam humanitatem ; coctus igne in clibano, hoc est, formatus Spiritu Sancto in utero Virginali ; coctus quoque in sartagine, per labores quos in mundo sustinuit ; et in cruce occisus, quasi in craticula adustus.

Denique, secundum Guillelmum de Fide et legibus, quidam dixerunt, quod sacrificium non est nisi de animalibus. Et erraverunt in hoc, quia in isto capitulo oblationes factæ de simila et panibus vario modo coctis, sacrificia nuncupantur. Verumtamen concordando dicere possumus, quod oblatio facta de animalibus, proprie sacrificium appelletur. In isto autem capitulo, sicut et alibi sæpe, nomen sacrificii extense accipitur.

Consequenter aliqua inferuntur, quæ in cunctis oblationibus communiter servabantur, saltem in illis, quæ super altare incendebantur. *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet,* hoc est, absque admixtione fermenti offeretur. *Nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini,* id est, nec fermentum, nec mel apponetur, aut commiscebitur oblationi Deo fiendæ. Contra istud objicitur, quoniam infra Dominus jubet, panes *Lev.* VII, 13, 14.
quoque fermentatos offerri cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, ex quibus unus pro primitiis offertur Domino. Respondetur, ut tactum est, quia hic loquitur textus de oblatione super altare, saltem pro parte cremanda, in qua fermentum esse non debet. Et talis non erat oblatio illa panum fermentatorum, sed cessit in usum sacerdotum. Hinc subditur : *Primitias tantum eorum offeretis,* hoc est primitiva fermenti et mellis, *et munera,* id est, dona ex eis præcipua seu partes eorum præstantiores offeretis in templo, seu tabernaculo vel atrio per manus sacerdotum, quia de omnibus rebus concessis primitiæ offerebantur. *Super altare vero non imponentur in odorem suavitatis,* ut ibi crementur ad Dei honorem, quia sunt fermentata.

Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, si tamen sit sale condibile ; *nec auferes sal fœderis Dei tui,* id est sal de cujus admixtione et oblatione Deus iniit fœdus tecum, et per cujus oblationem tibi confœderatur, et amicitiæ pactum tibi proposuit. Hoc igitur sal non auferes *de sacrificio tuo,* id est, apponere et offerre non negliges. *In omni oblatione offeres sal.* Ecce jam ter eamdem sententiam sub diversis verbis expressit, quo constat, quam seriose Deus præceperit istud.

Sed contra hæc argui ita potest : Exteriora sacrificia, designant sacrificia interiora, quibus homo suum offert spiritum Deo ; sed in sacrificio interiori plus continetur, saltem frequenter, de suavitate et bona sapiditate, quam amaritudine et mordacitate, quum in Ecclesiastico scriptum
Eccli. XXIII, 37. sit : Nil dulcius, quam attendere in man-

Digitized by Google

datis. Dulcedo autem significatur per mel, quum in Ecclesiastico Sapientia dicat, Spiritus meus super mel dulcis; sapiditas vero per fermentum, quod sapidum efficit panem. Porro mordacitas designatur per sal; amaritudo per thus, quod acerbi saporis est. Inconvenienter ergo præceptum videtur, ut mel et fermentum in sacrificiis non ponantur, sed sal et thus. Ad hoc Alexander super tertium, et Thomas in prima secundæ respondent, quod fermentum non offerebatur, quia in sacrificiis idolorum offerri solebat, et corruptionem doctrinæ seu mentis putrefactionem designat, quemadmodum in Evangelio ait Salvator: Cavete a fermento Pharisæorum et Herodis. Mel quoque prohibitum est Deo offerri, quoniam falsis diis immolabatur, et carnalem voluptatem significat, quæ his oportet deesse, qui placitas Deo hostias cupiunt immolare. Sal vero offerebatur, quoniam a putrefactione et corruptione præservat. Sacrificia autem Dei, debent suo modo incorrupta et integra esse. Thus quoque offerebatur, quia et mentis devotionem, et bonæ famæ odorem, et pœnitentiæ designat amaritudinem. Thus quippe pingue odoriferumque consistit, et tamen amarum habet saporem.

Eccli. XXIV, 27.

Marc. VIII, 15.

Postremo, subjungitur de oblatione spicarum virentium. Nam primitiæ terræ nascentium, ter offerebantur in anno. Primo, in Pascha de virentibus spicis; secundo, in Pentecoste de panibus frugum novarum; tertio, in festo Tabernaculorum, frugibus jam collectis. *Si autem obtuleris munus*

A *primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igni,* id est, parum combures; *et confringes in morem farris.* Torrendo namque excutiebantur grana spicarum nondum maturarum, atque excussa frangebantur. *Et sic offeres primitias tuas Domino,* scilicet ex granis sic fractis. Fiebat autem oblatio per manum sacerdotis cum oratione pro offerente, et cum laude Dei cui offerebatur. *Fundens super ea oleum et thus imponens, quia oblatio Domini est,* id est oblatio

B facta vero Deo, qui in suis sacrificiis oleum et thus jussit apponi propter causas expressas. *De qua* oblatione *adolebit,* id est super altare cremabit, *sacerdos in memoriam muneris,* id est ad hoc, ut oblatio ista quæ et munus vocatur, quia a Deo donata est, et ei rursus sacrificando donatur: ad hoc, inquam, ut oblatio muneris hujus acceptetur a Domino. Adolebit itaque *partem farris fracti,* id est granorum instar farris fractorum, *et olei ac totum thus* illis appositum. Quemadmodum vero

C oleo pietas et devotionis pinguedo, spiritualisque consolatio designantur, juxta illud, Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus; itemque, Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ: sic thure, redolentia famæ et compunctionis amaritudo exprimuntur. Merito igitur in sacrificiis Dei jussa sunt poni: quia cum pietate, abundantique devotione, et spirituali alacritate, atque cum bonæ famæ odore et cordiali contritione, sacrificandum est Deo.

Matth. XXV, 4.

Ps. XLIV, 8.

ARTICULUS VIII

EXPLANATIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI SECUNDI.

ANIMA quum obtulerit oblationem, simila erit ejus oblatio. Scriptura hæc loquens de pauperum oblatione, recte ait, Anima quum obtulerit. Divites enim sunt

D caro magis quam anima, quia carnalibus magis quam spiritualibus sunt intenti. Pauperes autem spiritu, quia divinis vacant, anima appellantur. Possunt tamen per

Digitized by Google

pauperes, imperfectiores intelligi, qui non A queunt animalia, sed similam, immolare, hoc est, non excellentia, sed mediocria virtutum exercitia adimplere, atque hæc ipsa offerunt Deo, divinæ pietati ac gratiæ ea humiliter adscribendo. Rursus, per similam, secundum Isidorum, designatur Ecclesia, ex multis fidelibus tanquam ex granis collecta, et instar similæ purificata aquis Baptismatis, lota ac adunata, chrismatis oleo uncta, et igne Spiritus Sancti solidata, per humilitatem et devotionem Deo oblata. Hanc anima offert Deo, in B ecclesiastica unitate perseverando, in Ecclesiæ meritis confidendo, imo et ipsam Ecclesiam Deo assiduis precibus commendando. Insuper, per similam designatur conscientiæ puritas seu contemplatio divinorum, quæ ex prævia exercitatione in operibus vitæ activæ, quasi ex tritico oritur. Qui enim in vita activa se virtuose exercitavit, testimonio bonæ conscientiæ recreatur, atque ad contemplationis gratiam elevatur.

Fundetque super eam oleum, sicut præ- C habitum est. Per oleum unctio Spiritus Sancti, spiritualis quoque jucunditas et pietatis exercitatio designantur, quæ omnia superinfundenda sunt oblationi similæ nunc præfatæ, quia ex interna Spiritus Sancti unctione debent conscientiæ bonæ attestatio, contemplationisque actus procedere, dicente Apostolo: Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus. In spirituali quoque hilaritate peragenda sunt omnia bona, quum scriptum sit: Gaudete in Domino semper; D et, Hilarem datorem diligit Deus. Nec ita quis debet suæ puritati ac contemplationi studere, ut negligat proximis condolere ac subvenire: imo pro ipsis et pro communi bono Ecclesiæ jugiter ac ferventissime deprecetur, et tam spiritualia quam corporalia misericordiæ opera opportuno loco et tempore exsequatur. *Et ponet thus.* Per thus, flagrantia devotionis et odor famæ bonæ signantur, quæ duo sunt annectenda omni sacrificio spirituali: quia ex prompta voluntate est offerendum, et offerens exemplaris esse tenetur, et de bono nomine curam debet habere ad Dei honorem, proximorumque ædificationem.

(*Rom.* VIII, 16. — *Philipp.* IV, 4. — II *Cor.* IX, 7. — *Eccli.* XLI, 15.)

Ac deferet ad filios Aaron sacerdotes. Per hoc præfiguratum cognoscitur, quod fideles opera sua virtuosa judicio ministrorum Ecclesiæ spiritualiumque virorum debent committere, an vere sint virtuosa, ne forte decipiantur in aliquo. Et item, ut orationibus ac meritis sacerdotum et prælatorum ac religiosorum perficiantur, ac Domino commendentur. Nam et opera nostra bona tot defectibus sunt permixta, ut totis viribus per nos ipsos et alios indigeamus Dominum exorare, quatenus ea acceptare dignetur, quoniam ipse terribiliter protestatur: Quum accepero tempus, ego justitias judicabo. Ponit quoque sacerdos *memoriale super altare,* dum in celebratione officii Missæ pro fidelibus intercedit, ut eorum spiritualia sacrificia Dominus habeat grata, imo et meritis Christi ea acceptet. Propter quod orationes concludit, dicendo: Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus.* Per hoc figuratum videtur, quod sacerdotes et spiritualiores viri, orando et sacrificando pro plebe communi, communicant eis in merito eorumdem. Et per caritatem unus fit particeps boni alterius, maxime qui sibi invicem cooperantur ad bene vivendum, et qui alios dirigunt ad salutem.

(*Ps.* LXXIV, 3.)

Quum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano. Per sacrificium coctum in clibano de simila, intelligit Hesychius Christum pro nobis oblatum, et primo in Virginis ventre conceptum. Nam sicut clibanus suscipit ignem et panem, sic uterus Virginis panem vitæ, scilicet Verbum Patris, et ignem Sancti Spiritus accepit. Insuper et *panes.* Per panem sic paratum, intelligitur operatio justa magnæ tribulationi admixta, et cum gravi persecutione exhibita, juxta quod scriptum est: Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Itemque: Multæ tri-

(*Eccli.* XXVII, 6. — *Ps.* XXXIII, 20.)

Digitized by Google

bulationes justorum. Hæc itaque oblatio A conspergenda est oleo, ut in tribulationibus gaudeamus, sicut hortatur Salvator:
Luc. VI, 23. Gaudete in illa hora, et exsultate. Fermentum vero debet abesse: quoniam omnem iram, vindictam, indignationem, impatientiam oportet abjicere, ne mens passionibus corrumpatur. *Et lagana azyma oleo lita.* Lagana azyma in aquis cocta, videlicet panes lati ac tenues non fermentati, significant conversationem caritativam, sinceram, usque ad inimicorum amorem se extendentem, simulatione ac dolo caren- B tem: quæ præfato linenda est oleo, quatenus in aquis adversitatum lætemur in Domino, quemadmodum frater Domini Jacobus
Jacob. I, 2. exhortatur: Omne gaudium existimate, fratres, quum in varias tentationes incideritis.

At vero per oblationem coctam in sartagine seu patella, exprimitur operatio bona, igne adversitatis excocta: quæ adversitas a mundo infligitur: mundus quippe instar patellæ latus, electos persequitur. Per oblationem vero in craticula coctam, insinuatur actio virtuosa, igne concupiscentiæ propriæ C carnis acriter impugnata nec victa. Secundum Hesychium, oblatio de sartagine, est dispensatio Passionis in cruce. Sartago igne non consumitur, et cibos esui reddit aptos. Sic crux Christi super omnia fortis, omnem creaturam Christo subjecit. Et carnem ejus, quæ ante Passionem videbatur esui esse non apta, post aptam fecit. Si enim non fuisset crucifixus, corpus ejus non comederemus. *Divides eam minutatim,* hoc est, singula quæ pro nobis sustinuit, distincte consideremus. *Et fundes super* D *eam oleum,* quatenus sicut ille pro nobis misericorditer mortuus est, ita et nos proximis usque ad mortem misereamur.

Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, hoc est sine admixtione falsæ doctrinæ, sine vitiorum corruptione. Absque duplicitate et hypocrisi exsequendum est omne opus virtutum, et Deo sin-
Job XXXVI, 13. ceriter serviendum. Simulatores namque
Eccli. II, 14. et callidi provocant iram Dei. Et, Væ du-
Matth. VI, 5. plici corde. Hypocritæ quoque suam receperunt mercedem. Cum simplicibus vero Prov. III, 32
sermocinatio Dei, qui jubet: Estote sim- Matth. X, 16.
plices sicut columbæ. Recte igitur dixit
Apostolus: Modicum fermentum totam mas- I Cor. V, 6.
sam corrumpit. *Nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Ecce quod non solum prohibetur Deo offerri fermentum, hoc est evidens malum, sed etiam mel, id est apparens bonum male oblectans: quia carnalis et turpis voluptas, imo et omnis inordinata lætitia, vitanda est Dei ministris, qui incedere obligantur
per arctam viam salutis, et pœnitentialem Matth. VII, 14.
ducere vitam. Non enim in terra suaviter Job XXVIII, 13.
viventium sapientia invenitur. Atque ut
Isaias fatetur, Non nisi ablactatos a lacte, Is. XXVIII, 9.
avulsos ab ubere, Dominus docet scientiam, et intelligere facit auditum.

Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies. Per sal discretio designatur. Discretio autem est auriga et ductrix virtutum, docens in omnibus moderamen servare, aptoque loco et tempore opportuno omnia fieri, sine cujus directione nullum opus est faciendum. Et ipsa est diligentissime servanda cum universis partibus suis, ut nihil præcipitanter, incircumspecte, improvide, immoderate agamus. Ideo Christus
in Evangelio: Habete, inquit, sal in vobis. Marc. IX, 49.
Et rursus: Bonum est sal. Apostolus quo- Luc. XIV, 34.
que: Rationabile, ait, obsequium vestrum. Rom. XII, 1.
Et iterum: Sermo vester in gratia semper Coloss. IV, 6.
sale sit conditus. Itaque, sicut in cunctis corporalibus alimentis, ita in universis actibus virtuosis mentem reficientibus, ac Domino offerendis, sal admiscendum consistit: quia et bonum confert saporem, et putrefactionem excludit.

Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus. Per spicas adhuc virentes nondum maturas, intelligitur conversatio incipientium nova, rudis et imperfecta, attamen virens, in quantum procedit ex caritate et gratia, actibusque pœnitentiæ vacat: quæ torrenda est igni, ut caritate veraciter accendatur, et omnis gloriatio vana, atque reflexio ad se inordinata, pucrilisque re-

Digitized by Google

putatio sui ipsius, ad quas proni sunt, qui Deo servire incipiunt, penitus excludantur. Quæ conversatio et instar farris est confringenda, id est humiliter discutienda, ac sancta devotione ab omni mala duritia emollienda. Postremo, quamvis fermentum et mel Deo offerri prohibeantur, primitiæ tamen eorum ei immolari jubentur : quoniam et in falsis doctrinis aliquæ veritates sæpius continentur ; carnales quoque voluptates in conjugatis, per bona matrimo- A nii excusantur. Et ita de his Deus poterit honorari. Unde et ex dictis et libris philosophorum, multa vera ad christianæ sapientiæ elucidationem accommoda accipiuntur. Ex conjugali quoque copula, quamvis voluptuosa, generantur Ecclesiæ filii. Non autem ponenda sunt ista super altare in odorem suavitatis : quia in se ipsis meritoria non consistunt, nec inter præcipua bona sunt computanda, sed theologicæ veritati sanctæque castitati postponenda.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : QUOD SI HOSTIA PACIFICORUM FUERIT.

Ut patet ex allegatis ex Thoma, Alexandro et Guillelmo Parisiensi, quædam erant hostiæ, quæ offerebantur pro pace aut salute, seu victoria vel alio quovis beneficio, datis et conservandis aut impetrandis, quæ hostiæ vocabantur pacificæ vel salutares : et quæ immolabantur pro aliquo tali bono jam dato, possunt dici hostiæ gratiarum actionis et laudis, quæ autem pro obtinendo, hostiæ postulatoriæ recte vocantur. De illis ergo nunc' agitur.

Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, id est, si quis pacificam obtulerit C hostiam, *et de bobus voluerit offerre,* id est bovem seu vitulum, *marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino,* id est, indifferenter offerre potest bovem, vitulum, vaccam aut taurum : sic tamen, ut quidquid horum obtulerit, careat defectuositate, monstruositate, infirmitate et vilitate, reddente animal ineptum ad im-
Lev. 1, 3. molandum, sicut in expositione primi capituli plenius dictum est. In hoc itaque differt hostia pacifica ab holocausto, quod in ea offerri potest non masculus tantum, D sicut in holocausto, sed etiam femina. Dignius equidem fuit holocaustum pacifica oblatione. *Ponetque manum super caput* B *victimæ suæ* ipse offerens. Cur manus imponebatur super animal immolandum, in litterali primi capituli expositione inductum est. *Quæ immolabitur* Deo a sacerdote pro offerente, *in introitu tabernaculi testimonii,* id est juxta ostium atrii, tamen in atrio et prope altare ; *fundentque filii Aaron * sanguinem* animalis oblati, *per circuitum altaris,* juxta intellectum in primi capituli explanatione præhabitum. * sacerdotes *Et offerent de hostia pacificorum,* puta de hostia jam prædicta, *in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia,* id est intestina, *et quidquid pinguedinis intrinsecus est,* quæ scilicet pinguedo carni adhæret, et infra cutem consistit ; *duos renes cum adipe quo teguntur ilia.* Ilia sunt parva intestina, renibus adhærentia animalis, suntque rotunda. *Et reticulum jecoris.* Reticulum dicitur quidam adeps instar retis formatus. Per jecur intelligitur hepar : nam et in Hebræo (ut fertur) hepar habetur. *Cum renunculis.* Denique quamvis totum animal Deo offerebatur, tamen præfatæ jam partes animalis illius Deo immolari dicebantur, quoniam ad divinæ majestatis honorem in altari incendebantur, nec venerunt in usum humanum. Unde subjungi-

Digitized by Google

tur : *Adolebuntque ea super altare in holocaustum,* id est incensum. Quamvis enim totalis oblatio fuit pacifica hostia, tamen pars ejus jam dicta, habuit rationem et nomen holocausti, in quantum totaliter cremabatur instar holocaustorum. Porro adeps vocatur pinguedo in interioribus partibus animalis exsistens ; arvina vero, quæ inter carnem et cutem, quæ et in porco proprie lardum vocatur. Hinc apud Job habetur :
Job xv, 27. De lateribus illius arvina dependet. Nihilo minus unum horum quandoque pro alio sumitur. *Lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino.*

Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio, et, pro id est, *pacificorum hostia, sive masculum,* puta arietem, *sive feminam obtulerit,* quia utrumque offerri potest, sicut de bobus prædictum est, *immaculata erunt,* sicut expositum est. *Si agnum obtulerit coram Domino,* in hostiam pacificam. In hac enim oblatione poterat immolari non solum ovis utriusque sexus, sed etiam minoris ac majoris ætatis : ideo nunc de agno quasi gratia exempli prosequitur, quia frequentius aut decentius fiebat de agno, quam de ove antiquiore. *Ponet* offerens *manum super caput victimæ suæ.* In diversis sacrificiis eadem verba multoties continentur, secundum quod diversa sacrificia in aliquibus conveniebant ; nec oportet ea frequenter exponere, sed ea semel exposuisse sufficiat. *Quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi,* id est in atrio ; *et offerent* filii Aaron sacerdotes, *de hac pacificorum hostia sacrificium Domino,* videlicet in incensum seu holocaustum, prout de bove oblato jam dictum est ; *adipem et caudam totam cum renibus, et pinguedinem quæ operit ventrem,* intus sub cute, *atque universa vitalia,* scilicet intestina. *Et adolebit,* id est cremabit, *ea sacerdos super altare in pabulum ignis,* qui in altari nutriebatur ex pinguibus istis materiis, *et oblationis Domini :* quoniam ex eisdem materiis exhibebatur Deo oblatio. Quod autem nunc dictum est de agno, de ariete quoque et ove majori est intelligendum. Consequenter describitur, qualiter ista oblatio fiebat de capris, et patet littera ex præinductis : quia per omnia fuit conformis modus in sacrificio capræ et ovis in pacificis hostiis.

At vero circa verba illa, Duos renes cum adipe, de sacrificio bovis inducta, asserit Lyra in Hebræo haberi, Renunculos ; et quod aliqui dicunt, litteram vitio scriptorum esse corruptam, quoniam renes non cremabantur cum adipe, sed renunculi. Verum hoc debiliter dictum censetur, quum renunculi dicantur parvi renes, et frequenter diminutivum pro nomine a quo derivatur, sumatur ; nec parvi renes dumtaxat, sed et pinguedo, parvaque intestina renibus adhærentia nuncupentur renunculi, ut Brito, aliique fatentur grammatici.

Omnis adeps, Domini erit, id est, ad Dei honorem specialiter offeretur, et incendetur in sacrificiis, nec humanis usibus concedetur ; *jure perpetuo,* id est ex divino præcepto seu instituto, per totum tempus veteris Testamenti durante : idcirco subjungitur, *in generationibus et cunctis habitaculis vestris. Nec adipem, nec sanguinem omnino comedetis,* id est, nullum horum in cibum sumetis, nec commiscebitis vestris cibariis. Innotescit demum ex præinductis, quod hostiæ pacificæ ac salutares, fiebant de tribus animalium generibus tantum, de quibus et holocausta, puta de bobus, capris et ovibus, non autem de avibus. Aves namque offerebantur integræ Deo, nec dividebantur, quemadmodum in Genesi de Abraham legitur, quod aves non divisit. Insuper in Scholastica Gen. xv, 10.
fertur historia : Pinguedo supra carnem, arvina vel lardum vocatur ; quæ autem carni miscetur, pinguedo proprie nuncupatur ; quæ vero intestinis adhæret, dicitur adeps. Est autem triplex adeps, videlicet adeps vitalium, adeps jecoris, adeps renum. Hos tres adipes jussit sibi Dominus immolari.

Quæritur, cur Deus prohibuit populo suo adipem sanguinemque comedere. Ad hoc, libro de Fide et legibus, Guillelmus re-

Digitized by Google

spondet : Sanguinem hostiarum Deus fundi A semper præcepit, et comedi illum prohibuit. Cujus potissima causa fuit idololatriæ consuetudo. Idololatræ namque non solum *Ps.* cv, 38. pecorum, sed filiorum quoque et filiarum suarum sanguinem suis diis, imo dæmoniis immolabant : oblatione autem sanguinis, qui vitæ nutrimentum ac sustentaculum est, fatebantur deos suos esse sustentatores et nutritores vitæ suæ. Probabile etiam est, quod quidam idololatræ aliquid de sanguine sacrificiorum suorum suis miscuerunt cibariis, ut quasi sacratior esset. B Adipem vero omnium sacrificiorum sibi retinuit, sanctificavitque Deus, similiter renes atque renunculos. Triplex autem videtur fuisse causa, cur adeps reservatus est Deo. Una, quia idololatræ fecerunt oppo- *Deut.* xxxii, 38. situm, juxta illud Deuteronomii : De quorum victimis comedebant adipes. Alia causa fuit, ut in sacrificiis gulæ detraheretur, et in ipsis sobrietas servaretur. Alia erat honor Dei, qui pinguiorum et meliorum oblatione honorabatur. Hæc Guillelmus.

Præterea de his scribit Thomas in prima C secundæ, quæstione 102 : Hostia pacificorum dividebatur in tres partes : quarum una ad Dei honorem incendebatur, alia venit in usum sacerdotum, tertia in offerentium usum seu esum : ad figurandum, quod salus et pax hominis sunt a Deo per ministros Ecclesiæ, cooperantibus eis qui salvantur. Hoc vero generaliter servabatur, quod sanguis et adeps non venerunt in usum sacerdotum nec offerentium ; sed sanguis ad Dei honorem circa altaris crepidinem fundebatur, et adeps adurebatur in igne. Primo, ad excludendum idololatriæ ritum. Secundo, ad informationem vitæ humanæ : prohibebatur Judæis sanguinis esus, quatenus humani sanguinis effusionem intensius abhorrerent ; esus vero adipis prohibitus eis est, ad vitandum lasciviam. Deinde propter reverentiam Dei : quoniam sanguis potissimum necessarius est ad vitam, propter quod anima dicitur esse in sanguine ; adeps vero abundantiam nutrimenti demonstrat : ideo ad ostendendum quod a Deo nobis sint vita et omnis rerum sufficientia, duo hæc ad Dei honorem sunt reservata. Item, quia per hæc figurabatur effusio sanguinis Christi, atque pinguedo caritatis ipsius. Aves quoque, videlicet turtur, columba aut passer, non offerebantur in hostias pacificas, quoniam institutæ sunt ad offerendum propter offerentium paupertatem : hostiæ autem pacificæ offerebantur gratis et sponte absque obligatione. Hæc Thomas.

Postremo quæritur, an esus adipis fuerit Judæis generaliter in cunctis prohibitus, quemadmodum sanguinis usus, an solum in animalibus immolaticiis seu oblatis. De hoc duæ sunt opiniones, de quibus nunc transeo, quoniam alibi materia ista amplius locum habet.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO EJUSDEM CAPITULI TERTII SPIRITUALIS.

SPIRITUALITER et allegorice hostia D nostra pacifica, est Dominus et Salva- *Ephes.* ii, 14. tor, qui est pax nostra, faciens utraque unum ; et veniens prædicavit pacem his qui prope, et his qui longe ; a quo pacem temporis, pacem pectoris, pacemque æternitatis sortimur ; qui inter Deum et hominem, inter angelum quoque et hominem, et item inter homines invicem pacem effecit. Denique hostiam istam pacificam Deo Patri offerimus, dum ea commemoramus, quæ pro nostra salute Christus assumpsit, fecit ac pertulit, et de his Deo devote regratiamur, seu per ea pacem et salutem

Digitized by Google

adipisci precamur. Specialiter vero in celebrationis officio immolatur hæc hostia Deo. Qualiter autem per bovem, ovem et capram, Dominus Jesus diversimode designetur, in spirituali primi capituli expositione est habitum. *Marem sive feminam immaculata offeret.* Per feminam immaculatam potest caro Domini accipi, quæ nulli unquam culpæ fuit obnoxia. Per marem vero, rationalis spiritus ejus seu anima. Feminam ergo offerimus, dum ea recolimus, quæ Christus corporaliter propter nos gessit aut passus est. Marem, dum spirituales ejus dolores, interioresque actus ejus meritorios nobis salubriter recordamur.

Tropologice, per bovem intelligitur quicumque fidelis in dominico agro laborans,
Matth. XI, 29, 30. et super se Domini jugum portans, atque se ipsum subdens ac immolans Deo : qui tam pro beneficiis Dei jam sibi collatis, quam pro adipiscendis divinis promissis, debet se Deo pacificam hostiam offerre : qui etiam offert marem, dum superiorem animæ suæ partem seu spiritum immolat Deo per obedientiam sanctam, et proprii sensus abnegationem, ac fidei actum ; feminam vero, dum fragilem carnem seu sensitivam partem rationi ac legi subdit divinæ. Super quam carnem, sensitivamque partem, manum, id est disciplinæ rigorem ac lorum, debet imponere. Insuper hostiæ hujus adipem vitalia operientem, et quidquid intrinsecus exstat pinguedinis, debet offerre, ita ut maceret corpus per abstinentiæ atque jejunii districtionem ; et quidquid carnaliter dulce est, aspernetur : imo et quidquid spiritualis boni in corpore est per redundantiam ex superiori animæ parte, atque moralium actus virtutum, quæ in sensitivo appetitu esse dicuntur, sive per essentiam, sive per impressionem, pietati adscribat divinæ, et in cultum ipsius reverentiamque convertat.

Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis. Per renes, in quibus viget luxuriæ fomes seu incentivum, major concupiscentia carnis exprimitur ; per renunculos, primi et minores motus libidinis ; per adipem, concupiscentiarum fomenta ; per reticulum jecoris, intricatio seu versutia tentationum accipitur : quæ omnia offerenda sunt Deo, id est, ad ejus honorem refrenanda et exstinguenda. Dicuntur equidem etiam mala Deo offerri, non quod malum culpæ aliquo modo complaceat ei, sed in quantum ad Dei venerationem viriliter mortificantur.

Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio. Non dubium quin per ovem seu agnum Christus sit figuratus, quem pro nostris peccatis, obtinendisque bonis, juxta præhabitum sensum, jugiter immolare debemus. Specialiterque per ovem seu agnum quicumque simplex, mitis et innocens designatur, qui tanto plus, et tanto humilius Deo se debet offerre obediendo et grates agendo, quanto Omnipotens gratiosius egit secum, atque a pluribus ac gravioribus præservavit peccatis. Debet quoque in actibus tam virtuosis indesinenter perseverare, quod per caudæ oblationem signatum est : nam cauda finis est animalis. Quidam vero perseverant in vitiis, contra quos per Isaiam loquitur Deus : Væ qui trahitis ini- Is. V, 18
quitatem in funiculis vanitatis. Et rursus : Disperdet Dominus caput et caudam. Quo- Ibid. IX, 14.
contra hortatur Scriptura : Non adjicias Eccli. V, 5.
peccatum super peccatum. *Et pinguedinem quæ operit ventrem.* Per ventrem interdum in Scripturis mens designatur, juxta quod scriptum est : Ex utero ante luciferum ge- Ps. CIX, 3.
nui te. Et : Doctrina mea pulchra tibi erit, Prov. XXII, 18.
quum acceperis eam in ventre tuo. Itaque pinguedo ventrem operiens, intelligi potest carnalis affectio mentem obscurans.

Si capra fuerit ejus oblatio. Per capram corpus peccati seu sensualitas explicatur, quæ offerenda est Deo, ut exhibeamus mem- Rom. VI, 13.
bra nostra arma justitiæ Deo, quatenus inter eos computemur, de quibus loquitur Paulus : Qui autem sunt Christi, carnem Galat. V, 24.
suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

Denique omnia ista Deo sic offerenda, in ara cordis inflammanda sunt incendio caritatis ; et ex eisdem nutriendus est ignis

Digitized by Google

dignissimæ dilectionis. Caritas namque per A opera bona nutritur, imo per interiores actus suos potissimum crescit, augetur, perficitur. *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo.* Dum adeps in bono suscipitur, cordis dulcedo, devotionis excessus, fervor amoris per ipsum significantur. Omnis itaque talis adeps Deo est adscribendus, et ab ipso
Ps. LXII, 6. petendus, juxta illud Psalmi : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. Et
Is. LV, 2. item in Isaia : Delectabitur in crassitudine anima vestra. *Nec adipem nec sanguinem comedetis.* Sanguinem comedere, est opera B carnalia, vitiosa, aut aliorum læsiones seu homicidia perpetrare, sive in talibus delectari. Unde et scriptum est : Libera me *Ps.* L, 16.
de sanguinibus. Itemque : Caro et sanguis I *Cor.* XV, 50.
regnum Dei non possidebunt. Adipem vero comedere, est vel præfata spiritualia bona sibi ipsi tanquam propriis viribus facta deputare, sicque in eis inaniter gloriari ; vel ea quæ sensualiter oblectant amplecti, seu gulam crapulamque amare. Propter quod dicitur : Qui amat vinum et pinguia, *Prov.* XXI, 17.
non erit sapiens. Christus quoque in Evangelio : Videte, inquit, ne graventur corda *Luc.* XXI, 34.
vestra crapula vel ebrietate. Itemque Apostolus : Curam carnis ne feceritis in desi- *Rom.* XIII, 14.
deriis. Nempe quæ taliter fovent carnem, interimunt spiritum.

ARTICULUS XI

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS.

NUNC de sacrificiis agitur quæ pro C remissione offerebantur peccati. Et quia juxta diversum statum, gradum seu qualitatem peccantium, diversimode aggravantur seu alleviantur peccata : idcirco nunc fit mentio de variis hostiis pro peccatorum remissione offerendis, secundum quod ipsi qui peccaverunt erant in statu seu gradu sublimiori aut bassiori, vel prout eorum excessus processit ex radice magis aut minus culpabili. Unde in isto capitulo specialiter agitur de hostiis quæ pro peccatis ex ignorantia offerebantur. D Enumerantur quoque et distinguuntur hic quatuor personæ peccantium, puta sacerdos, princeps, synagoga, id est communitas, et anima, id est quicumque de vulgo.

Primo itaque de sacerdote nunc dicitur : *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel : Anima quæ peccaverit per ignorantiam.* Circa exordium litteralis expositionis secundi capituli dictum est, quod ibi convenienter designatur homo nomine animæ, quoniam ibi est sermo de sacrificiis, quæ ex devotione et sponte immolabantur : quomodo ergo nunc exprimitur homo per animam, quum de peccato hominis sit tractatus ? Ad quod respondetur, quod sicut nomen hominis accipitur in Scripturis quandoque in bono, ut quum ait Apostolus, Si secun- I *Cor.* XV, 32.
dum hominem, id est rationabiliter, ad bestias pugnavi Ephesi, id est, contra bestiales homines disputavi in Epheso, quia videlicet supremum et specialissimum in homine, est ratio seu rationalis perfectio, a qua sortitur et speciem, unde interdum vocamus humanum, quod est rationabile atque pium ; aliquando vero nomen hominis in malo accipitur, ut quum rursus Paulus effatur, Quum sit inter vos zelus et *Ibid.* III, 3.
contentio, nonne homines estis ? id est, sensuales et fragiles, passionibusque subjecti, quia videlicet major pars hominum, carnales affectiones, passionumque sequitur motus : ita de anima dici potest, quod nunc in bono, nunc in malo suscipitur, secundum quod diversæ vires et actiones

Digitized by Google

ac proprietates continentur in ea. Hinc secundum Origenem, homo peccans, nomine animæ, non nomine spiritus, designatur. Nam anima quoad vires suas superiores, spiritus appellatur. Porro secundum Hesychium dicitur, Anima quum peccaverit, contra eos qui corpus accusant quasi causam peccati.

Itaque anima, id est homo, quum peccaverit per ignorantiam, id est, ex ignorantia quæ sit aliquo modo culpabilis. Est quippe ignorantia aliqua, excusans totaliter a peccato, videlicet ignorantia facti B circa quod debita adhibetur cautela; aut etiam ignorantia juris quod quis scire non obligatur, et ex illa ignorantia non peccatur directe, quamvis occasionaliter ex ignorantia illa quis posset peccare. *Et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit.* Quid est hoc? quod enim mandatum præcepit Dominus ut non fieret? Nonne Deus præcepit omnia mandata sua ut fiant, id est ut observentur? Sed forsan quis dicat, quod præcepta negativa
Exod. xx, 15, 14, 16. præcepit ut non fiant, ut sunt illa : Non C furtum facies, Non mœchaberis, Non falsum testimonium dices. Ista namque præcepit, id est prohibuit, quia prohibitio est jussio quædam. Hinc quidam exponunt hunc passum de negativis præceptis, quidam vero exponunt de præceptis affirmativis; sed verius reor, quod de utrisque sit intelligendum, ut sit sensus : De universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit, id est, aliquid egerit de universis rebus cuicumque præcepto Dei contrariis, ita ut nomine actionis D seu commissionis, intelligatur et omissio, quemadmodum in Scripturis est consuetum.

Consequenter verbum istud generaliter dictum, determinatur ad certum hominum genus, quum subditur : *Si sacerdos qui est unctus, peccaverit.* Hoc quidam exponunt de quocumque sacerdote legali, non habente defectum sacerdotalis officii. Unde Magister in historiis ait : Additum est, Qui unctus est, non quin omnes videli- A cet ministrantes seu sacerdotes uncti essent, sed ad differentiam illorum, qui quum essent de genere sacerdotali, propter maculam corporis nec ungi poterant, nec ministrare. Verumtamen his objici potest, quia secundum Augustinum, imo secundum Scripturam, soli reges atque pontifices ungebantur. Quod enim inferiores sacerdotes *Exod.* xxix.
non ungebantur, in Exodo præhabitum est, et infra continetur. Hinc quidam exponunt *Lev.* viii.
istud de summo sacerdote. Qui vero primam vult expositionem defendere, dicere potest, quod unctio capitur hic extense pro consecratione. Inferiores etenim sacerdotes adspergebantur quadam commixtione fa- *Exod.* xxix, 21.
cta ex oleo unctionis et sanguine hostiæ immolatæ : quæ adspersio, large loquendo, unctio nominatur. *Delinquere faciens populum.* Quod ait, Delinquere faciens populum, intelligi potest tripliciter : Primo, ut sit generalis conditio cujuslibet peccati sacerdotis, quoniam omne peccatum sacerdotis aliquo modo causa est seu occasio peccandi subditis suis seu populo, præsertim si publice peccet. Quod enim facit qui præest, ceteri sibi licere putant; et iniquitas ad imitationem valde pertrahit, dum peccator ob sui status vel eminentiæ dignitatem honoratur. Secundo, prout est limitatio quædam vitii sacerdotis, ita ut intelligatur de peccato quod facit ad hoc, ut provocet populum ad peccandum. Tertio, de peccato quo populum ad culpam inducit ratione ignorantiæ suæ : quum enim ipsemet ex ignorantia peccet, ignorans esse illicitum quod illicitum est, consequens est ut et plebem super hoc male informet. Aliqui vero dicunt in Hebræo haberi, Si sacerdos qui unctus est, peccaverit ad culpam populi, id est tam viliter et aperte, ut unus de populo.

Offeret pro peccato suo, sive sit debiti omissio, sive prohibiti commissio, *vitulum immaculatum Domino; et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino,* ipsum vitulum occidendo, ad insinuandum et confiten-

Digitized by Google

dum, quod ipse transgrediendo præceptum, meruit occidi et condemnari. *Hauriet quoque de sanguine vituli*, id est, partem sanguinis vituli immolati in vasculo aliquo colliget, *inferens illum in tabernaculum testimonii*, puta in primam tabernaculi partem exteriorem : quod de sanguine sacrificiorum præcedentium non est dictum. Quemadmodum enim, ceteris paribus, peccatum sacerdotis est gravius, sic ad impetrandum remissionem ipsius, propius ad Deum oportet accedere, et cordialius pœnitere ; sed propter reverentiam et dignitatem sacerdotalis officii, condecens erat, quod sanguis hostiæ pro ipso oblatæ, intra tabernaculum offerretur. *Quumque intinxerit digitum in sanguine vituli* pro suo peccato oblati, *adsperget eo septies coram Domino :* ut per adspersionem toties repetitam, et suæ culpæ demonstrativam, impetret sibi plenam remissionem, Deum placando ; *contra velum sanctuarii,* id est ex opposito veli, et versus illud quod erat in tabernaculo seu sanctuario, dividens inter Sanctum sanctorum et Sancta, seu inter primum et secundum loca tabernaculi Dei. Nec verum videtur quod quidam hic scribit, quod sanguis iste inferebatur intra Sancta sanctorum, et quod ideo hic dicatur, Contra velum ; imo quod ait, Contra velum, magis sonat oppositum, utpote quod adspergendo stabat extra velum, non intra. Subditur quoque : *Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis,* id est dulcis odoris, *gratissimi Domino,* ex parte fidei et devotionis ac obedientiæ offerentium ; *quod est in tabernaculo testimonii.* Altare enim thymiamatis, in quo dulcis odor per concremationem generabatur, fuit non in atrio, sed in ipso tabernaculo, in prima et exteriori parte ipsius, ut super Exodum dictum est sæpe. *Omnem autem reliquum sanguinem* vituli immolati, *fundet in basim,* id est circa crepidinem, *altaris holocausti in introitu tabernaculi,* id est in atrio, per quod in tabernaculum intrabatur, in quo atrio situm erat altare holocausti.

A *Et adipem vituli offeret pro peccato.* Quamvis totus vitulus pro peccato sacerdotis remittendo offerebatur, adeps tamen et cetera quæ sequuntur, pro peccato specialiter dicebantur offerri, in quantum super altare holocausti ad Dei cremabantur honorem. Unde subjungitur : Adipem vituli offeret pro peccato, *tam eum adipem qui operit vitalia,* scilicet intestina, *quam omnia quæ intrinsecus sunt :* de quibus et additur, *duos renunculos, et reticulum quod est super eos juxta ilia, et*
B *adipem jecoris cum renunculis.* Omnia nomina ista jam ante exposita sunt. *Sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum :* id est, quemadmodum ista nunc nominata, abstrahunt sacerdotes de vitulo occiso et immolato in hostiam pacificam ad cremandum ea in altari, ut præcedenti dicebatur capitulo ; sic auferet sacerdos ista a corpore vituli pro suo peccato oblati. *Et adolebit ea super altare holocausti,* ad honorandum atque placandum majestatem Altissimi, quam peccando inhonoravit,
C graviterque offendit. *Pellem vero et omnes carnes* vituli, *cum capite et pedibus et intestinis et fimo et reliquo corpore,* id est ceteris membris seu partibus, *efferet extra castra,* id est habitacula seu tentoria, *in locum mundum :* quoniam ista Deo oblata et sanctificata, in loco ponenda sunt mundo ; *ubi cineres* in altari holocaustorum relicti ex combustionibus hostiarum, *effundi solent ; incendetque ea super lignorum struem,* quibus ignem supponet, *quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur :*
D quia in loco illo mundo tam caro occisi vituli cum membris ac partibus suis præfatis quam ligna pariter usque ad cineres igne consumebantur.

Circa hæc oritur quæstio duplex : Prima, quomodo nunc dicuntur intestina vituli immolati extra castra esse cremanda, quum jam dictum sit, quod in altari holocausti intestina vituli hujus sint incendenda ? Respondetur, quod de diversis intestinis ejusdem vituli ista intelligantur, quoniam meliora intestina præfata super altare in-

Digitized by Google

cendebantur, cetera extra castra. Secunda quæstio est, cur caro vituli sic oblati, sic cremabatur, et non potius venit in usum offerentis, præsertim quum dictum sit, quod hostia pro peccato dividebatur in duas partes, quarum una in usum et esum sacerdotis deputabatur? Respondet Thomas in prima secundæ, quæstione 102, quod quando hostia pro peccato immolabatur a principe aut a quocumque de vulgo, tunc una pars cessit in usum offerentium sacerdotum, alia cremabatur; sed quando offerebatur pro peccato sacerdotis, aut communitatis, tota cremabatur, tamen divisim per partes, et in locis diversis. Si enim tunc cessisset pars ejus in usum offerentis aut offerentium, tantumdem fuisset ac si non fuisset ab eis oblata : quia hæc hostia, fuit quædam satisfactio pro peccato eorum. Ideo quoque tota cremabatur hostia sacerdotis, pro suo peccato delendo oblata, ut significaretur, quod nihil peccati in ipso debeat remanere. Rursus, ad innuendum quod peccata sacerdotum et communitatis sunt graviora, decuit sacrificia pro eis oblata omnino comburi. Iterum quæri potest, cur ergo hostia illa sic omnino cremanda, non incendebatur tota in altari in atrio, sed partim in atrio, partimque extra castra. Dicendum, quia non erat holocaustum, nec juxta ritum holocausti exstitit immolanda.

Consequenter tractatur de hostia pro peccato communitatis offerenda. *Quod si omnis turba filiorum Israel ignoraverit,* quod scire tenetur aut debet; *et per imperitiam,* id est ex ignorantia seu errore, *fecerit quod contra mandatum Domini est :* id est, per illicitam commissionem violaverit aliquod negativum Dei præceptum; aut certe per omissionem iniquam transgressa fuerit præceptum affirmativum quodcumque, quod item per vitiosam commissionem transgredi potest : quia non solum violat præceptum celebrandi dies festivos qui in eis non agit salubria, nec audit divina, verum etiam qui tunc opera facit servilia. *Et postea intellexerit pecca-*

A *tum suum,* sive peccata, ignoratione et imperitia per informationem ab ea sublatis. *Offeret vitulum pro peccato suo.* In hoc videtur Scriptura peccatum solius sacerdotis, præsertim pontificis, quodammodo comparare peccato totius plebis, quoniam pro utroque eadem hostia offerebatur. *Adducetque eum,* scilicet turba vitulum, *ad ostium tabernaculi,* scilicet intra atrium usque ad altare holocausti. Porro per omnem turbam filiorum Israel, intelligi potest non solum universus Israeliticus populus, B sed et quælibet multitudo cujuscumque urbis aut villæ. *Et ponent seniores,* scilicet judices ordinarii et rectores, aut etiam tempore seniores et notabiliores, qui vicem communitatis gerebant, et totam multitudinem repræsentabant, *manus super caput ejus,* videlicet vituli, *coram Domino,* non quod omnes seniores, sed quidam eorum hoc faciebant, ad protestandum se esse reos et dignos morte vitulo inferenda.

Immolatoque vitulo in conspectu Domini, per sacerdotem occiso et immolato, *af-* C *feret** *sacerdos qui unctus est,* scilicet pontifex, secundum quosdam, vel sacerdos eo inferior consecratus, ut dictum est ; *de sanguine ejus in tabernaculum testimonii ; tincto digito* in sanguine illo in aliquo vasculo posito, *adspergens septies contra velum,* secundum sensum expositum, ut Deus populo propitietur. Et bene Contra velum, quoniam intra velum in Sancta sanctorum, ubi et arca erat, Deus specialiter habitare tunc dicebatur. *Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris* thymia- D matis, *quod est coram Domino in tabernaculo testimonii. Reliquum sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii,* id est extra et prope primam tabernaculi januam. *Omnemque ejus adipem tollet,* id est accipiet, *et adolebit super altare* holocausti ; *sic faciens de hoc vitulo,* quem offert pro peccato populi, *quomodo fecit et prius,* id est, sic offerens vitulum istum, sicut obtulit vitulum alium pro propria culpa, quia uterque quasi eodem per

* *inferet*

Digitized by Google

omnia ritu offerebatur. Unde et littera ista ex præhabitis clara est. *Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus,* multitudini ignoscendo, dummodo vere pœniteat : non enim virtute sacrificii hujus ignovit, sed per orationem sacerdotis, contritionemque populi, imo et per sacrificium, in quantum ex fide, obedientia et devotione populi et per orationem sacerdotis acceptum fuit. *Ipsum autem vitulum,* id est carnes occisi oblatique vituli, *efferet extra castra, atque comburet* ibidem in loco mundo, *sicut et priorem vitulum,* id est, quemadmodum exportavit carnes vituli pro suo peccato oblati : de quo vitulo jam prius factus est sermo ; *quia pro peccato est multitudinis,* id est, quoniam vitulus iste oblatus est pro remissione peccati ipsius populi : propter quod omnino comburitur, sicut et ille qui pro sacerdotis peccato est immolatus, cujus rei rationes jam tactæ sunt.

Sequitur de hostia pro culpa principis offerenda. *Si peccaverit princeps.* Per principem non solum intelligitur supremus princeps, seu rex aut judex totius Israeliticæ plebis, sed etiam principes inferiores: quia secundum Josephum et Magistrum in historiis, princeps hic potest intelligi chiliarchus, id est princeps super mille, vel tribunus. *Et fecerit unum ex pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur,* id est, omittendo vel committendo violaverit quodcumque Dei præceptum ; *et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam coram Domino, hircum de capris* natum, vel de grege speciei caprarum, *immaculatum.* Quomodo hircus, qui est animal vile et fœtidum, potest esse immaculatus ? Dicendum, quod immaculatus vocatur, quia defectuositate et monstruositate reddente ineptum ad immolandum, est carens : et recte pro peccato principis hircus offerebatur, quoniam hircus est dux caprarum, sicut aries ovium. Dicit quoque Rabbi Moyses, quod quanto gravius fuit peccatum, tanto vilior species animalis offerebatur pro eo. Nam pro principis vi-

A tio, quod fuit tanto enormius, quanto dignior exstitit principatus ipsius, hircus qui vile est animal, immolabatur. Atque ut asserit Glossa : Per hoc ipsum gravitas culpæ principis insinuatur, quod tam vile pecus et fœtidum pro ejus remissione offerebatur. *Ponetque manum suam super caput ejus ; cumque immolaverit eum* per sacerdotis obsequium, *in loco, ubi solet mactari holocaustum coram Domino,* puta in atrio tabernaculi, juxta altare holocausti, *quia pro peccato est, tinget sa-*
B *cerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato,* videlicet hirci oblati, *tangens,* id est sanguine liniens, *cornua altaris holocausti :* de sanguine equidem hostiæ hujus non tingebatur altare thymiamatis, nec ferebatur in tabernaculum. Cetera quæ de sacrificio isto scribuntur in textu, patent ex præinductis.

Sequitur de sacrificio offerendo pro remissione peccati personæ privatæ. *Quod si peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ,* id est persona vulgaris ad
C populum terræ Israel pertinens, ita *ut faciat quidquam ex his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, et cognoverit peccatum suum.* Inter peccatum et delictum solet differentia assignari, quia peccatum proprie dicitur mali commissio, delictum vero boni omissio. Vel peccatum vocatur, quod gravius est et ex proposito factum ; delictum, quod minus et ex infirmitate aut ignorantia perpetratum. Frequenter tamen unum istorum pro alio sumitur. *Offeret capram immaculatam,* quæ
D subditur hirco, quemadmodum ipsa persona vulgaris principi. Et in hoc notatur, quod culpa ejus, ceteris paribus, sit levior quam principis culpa. *Et immolabit eam in loco holocausti,* etc. *Sin autem obtulerit victimam pro peccato de pecoribus,* id est de grege : nam subditur, *ovem scilicet immaculatam,* offeret is, qui hircum aut capram habere non poterat. Vel forsitan liber fuit qui peccavit, princeps seu popularis, ad offerendum utrumque, seu alterum horum. Cetera clara sunt.

Digitized by Google

Præterea circa dicta de sacrificio synagogæ pro peccato, in Scholastica habetur historia : In duobus hic innuitur differentia inter peccata sacerdotis et populi : quia sacerdos non dicitur peccare per ignorantiam, non enim licet ei ignorare mandatum Dei ; iterum, quia non legitur quis orare pro sacerdote. Verumtamen, primum istorum non videtur textui consonum, nec prædictis, quum in exordio hujus capituli dictum sit : Anima quum peccaverit per ignorantiam ; Si sacerdos qui est unctus, peccaverit ; quo constat, quod ibi loquatur de sacerdote per ignorantiam delinquente. Denique nulli licet mandata Dei nescire, et tamen multi asseruntur per ignorantiam peccare. Per Jeremiam quo-
Jer. II, 8; XIV, 18. que Dominus protestatur : Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Dominus ? Itemque : Propheta et sacerdos abierunt in viam
Is. LVI, 11. quam ignoraverunt. Atque per Isaiam : Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Ad secundum dico, quod sacerdos pro suo peccato offerens, pro propria culpa oravit in offerendo pro sui ipsius culpa et venia.

Insuper in eadem fertur Historia, et Josephus refert hoc : Generalis regula erat, quia de cujus sanguine inferebatur in sanctuarium, nihil ex eo licuit remanere ; nec aliquid ex eo super altare adolebatur, nisi adeps cum renibus atque renunculis suis. In modo etiam offerendi, et numero sacerdotum offerentium, differentia erat. De carnibus enim holocausti salutaris fiebant novem partes, quas super altare ponebant novem sacerdotes, quilibet suam ; unus vero, utpote alter ab illis novem, obtulit simul quatuor partes hostiæ, scilicet caput, pedes, jecur et intestina aquis lota. Duo quoque sacerdotes, alii a prædictis, sanguinem offerebant, ita quod erant pariter ibi duodecim sacerdotes. Porro in sacrificio pro peccato, sufficiebat unus sacerdos ad hæc omnia facienda.

Præterea ad clariorem dictorum ac dicendorum intelligentiam, quatuor quæri possunt : Primo, an ignorantia sit peccatum ;

A secundo, an sit causa peccati ; tertio, an a peccato excuset ; quarto, an diminuat culpam. Hæc quatuor quærit Thomas in prima secundæ, quæstione 76, et virtualiter responsiones ejus tangentur. — Dicendum ergo ad primum, quod nescientia et ignorantia differunt in hoc, quod nescientia est simplex negatio, seu carentia scientiæ. Propter quod sexto Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo, divinus Dionysius nescientiam ponit in angelis. Porro ignorantia est privatio scientiæ tunc, dum quis tenetur
B et potest aliquid scire. Alia enim sunt quæ unusquisque scire tenetur, videlicet sine quibus exercere bona debita nequit, ut sunt articuli fidei, præcepta Dei atque Ecclesiæ, et quæ pertinent ad alicujus statum sive officium : quorum ignorantia est peccatum omissionis. Ignorantia autem eorum quæ quis non tenetur scire, non est peccatum. Ignorantia quoque invincibilis non est culpa ; sed ignorantia vincibilis interdum est peccatum, aliquando non, sicut jam declaratum est. — Ad se-
C cundum respondetur, quod ignorantia est causa peccati per accidens, sicut remotio prohibentis est causa quod grave cadit : scientia namque in quantum dirigit rationem, prohibet seu impedit culpam. Non tamen quælibet ignorantia est causa peccati, sed illa quæ est privatio scientiæ impedientis et auferentis actum peccati. Nam aliqui peccant ignorantes, qui et peccarent, quamvis veritatem cognoscerent, quoniam rectum rationis judicium ligatur in eis per passionem aut certam malitiam. — Ad
D tertium respondetur, quod ignorantia sua proprietate causat involuntarium. Quum igitur voluntarium sit de ratione peccati, ignorantia secundum se habet ut a peccato excuset. Aliquando tamen non excusat, vel quia ipsa ignorantia est directe voluntaria, ut dum quis non vult aliquid scire ; vel indirecte, sicut dum quis propter alias occupationes negligit discere quæ scire tenetur. Itaque ignorantia omnino invincibilis, aut penitus involuntaria, aut eorum quæ homo non tenetur nec debet cognosce-

Digitized by Google

re, excusat totaliter a peccato. — Ad quartum dicendum, quod ignorantia quæ est causa peccati, in tantum diminuit culpam, quantum aufert ac minuit de ratione voluntarii. Ignorantia vero directe intenta, peccatum auget, ut dum quis non vult A veritatem advertere, quatenus peccet securius : et hæc vocatur ignorantia crassa. Ignorantia autem indirecte voluntaria, peccatum diminuit. De ista materia in Decreto plenissime scribitur, sed pro nunc ista sufficere possunt.

ARTICULUS XII

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI QUARTI INTELLECTU.

L*OCUTUSQUE est Dominus : Anima quæ peccaverit per ignorantiam.* Ani-
I Cor. II, 14. ma, hoc est animalis homo, qui non percipit ea quæ Dei sunt, cui videlicet divina et æterna non sapiunt, sæpe per ignorantiam peccat, quoniam spiritualem non ha-
I Petr. II, 3. bet scientiam, nec gustavit quam dulcis est Dominus : ideo ad carnalia et terrena magis, quam ad spiritualia et interna, afficitur ; et extra se funditur, nec introversus est.

Si sacerdos qui est unctus, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum. In novo Testamento non soli antistites, sed universi sacerdotes sunt uncti. Si itaque in veteri Testamento sacerdos per ignorantiam peccans vel semel, tenebatur pro suo peccato vitulum immolare : quid dicturi, quid acturi in divino judicio sacerdotes et clerici evangelicæ legis, qui publice et scienter impie conversantur, qui gulæ et luxuriæ vacant, qui superbiæ aut avaritiæ student, qui tam enormiter scandalizant populum Dei, et quod alios docent, ipsi non faciunt, sed manifeste transgrediuntur? O quam scelerati sunt isti! Quid igitur restat eis agendum, nisi ut offerant vitulum Deo, hoc est, lascivam, fœdam, atque indomitam carnem suam vigiliis, abstinentiis, disciplinis castigent, salubriterque mortificent, donec purgetur, et rationi omnino subdatur? Sed quia non valent suis B satisfacere viribus, aut propriis meritis Deum sibi reconciliare, nisi per gratiam et meritum Christi : idcirco et Christum ejusve corpus mundissimum, qui tanquam vitulus in nostræ redemptionis sacrificium
est oblatus, offerant Patri. Christus quippe I Petr. III,
oblatus est pro peccatis nostris, justus pro 18.
injustis, ut nos offerret Deo. Unde per hoc quod caro vituli pro peccato sacerdotis seu communitatis oblati, jussa est extra castra comburi, præfiguratum videtur, quod Christus extra portam pro nobis est passus, ut C sequamur ejus vestigia. Propter quod Pau-
lus hortatur : Exeamus ad eum extra ca- Hebr. XIII,
stra, improperium ejus portantes ; ut sci- 13.
licet a societate carnalium et pravorum
nos retrahentes, carnem nostram cum vi- Galat. V,
tiis et concupiscentiis crucifigamus, om- 24.
nemque adversitatem, irrisionem, injuriam æquanimiter Christi intuitu ac amore sus-
tineamus. Non enim est servus major Joann. XII
domino suo. *Quod si omnis turba filiorum* 16.
Israel ignoraverit, hoc est, si quæcumque populi christiani communitas peccet, eodem modo satisfacere Deo conetur ac properet, et pro communi evidentique excessu communis pœnitentia fiat.

Porro, *si* per ignorantiam *peccaverit princeps,* tanto cordialius conteratur, et tanto districtiorem pœnitentiam facere non recuset, quo major et gravior est ejus iniquitas. Nempe, ut asserit Glossa, gravissime peccant principes, quos magnitudo rerum

Digitized by Google

gerendarum, atque officii dignitas, mediocriter malos esse non sinit. Talis igitur offerat hircum, hoc est, sui ipsius fœdam carnalitatem, animositatem, petulantiam mactet. Potest quoque per principem superior ratio designari, quæ si in errorem labatur, fueritque transgressa, corpus peccati quo vestitur, castiget; et sui ipsius defectuositatem, inquietudinem, ignorantiamque deploret.

A

Præterea, si quicumque de populo per ignorantiam fuerit lapsus, et ipse juxta præhabita pœnitere, satisfacere, emendare non differat. Potest autem per talem, inferior ratio sensitivave portio accipi : quæ si a superiore ratione non fuerit rite directa et informata, sicque peccaverit juxta mentis imperium, hostiam placationis offerat Domino. Sunt enim in novo Testamento multa lavacra, et velut sacrificia, in quibus mundantur et ignoscuntur peccata, prout loquitur Origenes. Primum est sacramentum Baptismi, in quo virtute et merito Christi omnia dimittuntur peccata, gratia quoque et virtutes desuper infunduntur. Secundum est martyrii passio, quod est Baptismus sanguinis. Tertium est eleemosynarum largitio. Unde ait Salvator : Quod superest, date eleemosynam, et *Luc.* XI, 41.

B

C

ecce omnia munda sunt vobis. Quartum est, injurias et offensas inferentibus propter Deum libenter ignoscere, quemadmodum Christus testatur : Si remiseritis fratribus vestris ex corde, et Pater vester remittet vobis peccata vestra. *Matth.* XVIII, 35. Quintum est, peccatorem convertere, sicut ait Scriptura : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvat animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum. *Jacob.* V, 20. Sextum est fervor dilectionis, secundum quod Dominus Jesus fatetur : Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. *Luc.* VII, 47. Et rursus scriptum est : Caritas operit multitudinem peccatorum. *I Petr.* IV, 8. Septimum est pœnitentia, quum lavat peccator lacrimis stratum suum, *Ps.* VI, 7. et fiunt ei lacrimæ suæ panes die ac nocte ; *Ps.* XLI, 4. quum non erubescit sacerdoti sua indicare peccata, et quærere medicinam. His itaque modis diluamus quidquid in nobis est culpæ. Decet equidem districtioris disciplinæ consistere Christianum, pro quo oblatus est et mortuus Christus; pro illis autem pecora jugulabantur. Pro te vero occisus est Filius Dei, et adhuc te peccare delectat? Sanguinem Christi adsperge septies ad altare, id est, indesinenter recole, Deoque Patri pro te offer passionem illius.

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : SI PECCAVERIT ANIMA, ET AUDIERIT VOCEM JURANTIS.

UT aliqui quasi scholasticæ subtilitati intendentes affirmant, sicut in præcedenti capitulo agitur de oblationibus quæ *Lev.* IV, 2. fiunt pro peccatis ex ignorantia, ita nunc de sacrificiis pro peccatis ex infirmitate aut negligentia : quod quamvis in parte possit verificari, non tamen in toto; quoniam et in isto capitulo fit mentio de peccatis quæ ex ignorantia aut errore proce-

D

dunt, ut patet in littera. Itaque dicitur : *Si peccaverit anima,* id est homo, et de quo peccato istud dicatur, subdendo innuitur : *et audierit vocem jurantis.* Per vocem jurantis, quidam intelligunt vocem judicis adjurantis, seu cum adjuratione requirentis ab aliquo, ut testimonium perhibeat veritati, de qua ipsum interrogat. Potest quoque per vocem jurantis intelligi jura-

Digitized by Google

tio cujuscumque alterius, qui cum juramento affirmat se alicui nociturum aut nocuisse; aut aliquid esse acturum aut operatum, de quo veritas est merito inquirenda. *Testisque fuerit :* id est, ipse qui jurantem audivit, teste conscientia, scit id, aut testari idoneus est. Vel alius sit inde testis, aut ipse qui audivit, requisitus fuerit in testem seu ad testificandum. *Quod ipse * vidit, aut conscius est,* id est per exteriorem visum, aut alio modo cognoscit id, de quo interrogatur. *Nisi indicaverit* veritatem judici, *portabit iniquitatem suam,* id est, rea est et debite punietur a Deo, vel etiam a judice temporali, si coram eo probatum fuerit, quod contra tenorem justitiæ siluit veritatem, ex amore aut odio ejus, de cujus facto in testem requiritur, vel ex cupiditate proprii commodi seu timore. Talis etenim peccat contra illud præceptum Decalogi : Non sis testis iniquus aut mendax. Nam sicut tenemur falsum testimonium non proferre, ita tenemur veritati testimonium perhibere loco et tempore opportuno, præsertim si veritas possit probari, ne innocens puniatur, vel ne reus evadat in detrimentum rei publicæ : imo in tali casu sic silens, tenetur ad recompensationem damni, quod alter ex ipsius taciturnitate incurrit.

* aut ipse

Exod. xx, 16.

Denique de hac materia scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione 70 : Testimonium quandoque requiritur a subdito auctoritate superioris, et tunc tenetur homo testari de his, quæ ad justitiam pertinent, si secundum formam exigatur, ut in manifestis, et de quibus præcessit diffamia. Porro de occultis, et de quibus diffamia non præcessit, non tenetur testimonium dare. Interdum vero testimonium hominis a nullo superiore requiritur. Et tunc distinguendum videtur : quia testimonium ejus esset, vel ad liberandum hominem de morte injusta, pœna, diffamia, aut damno iniquo ; et tunc testari tenetur. Etsi nemo testimonium ejus requirit, attamen facere debet quod in se est, denuntiando veritatem alicui qui possit prodesse. In his autem quæ ad damnum vel condemnationem alterius spectant, non tenetur quis testificari, nisi quum a superiore secundum ordinem juris ad hoc ipsum compellitur. Hoc Thomas. Prædictum quoque præceptum ad judicialia magis quam ad cærimonialia pertinet.

Circa hæc loquitur Augustinus : Videtur scriptura hæc dicere, Peccare hominem, qui audit et scit aliquem falsum jurare, et tacet. Tunc autem scit, si testis fuit rei de qua jurat, aut vidit, aut qui jurat ei indicavit, aut alio modo conscius fuit. Sed inter timorem incurrendi violationem hujus præcepti, et inter timorem prodendi jurantem inique, magna plerumque perplexitas est. Possumus enim hominem paratum ad perjurium, admonendo vel prohibendo a tam gravi peccato aliquando revocare. Sed si non acquieverit nobis, et coram nobis falsum juraverit, utrum prodendus sit, etiam si proditus, incurrat periculum mortis, difficillima quæstio est. Sed quia non expressit scriptura hæc, cui indicandum sit, an ei cui juratur, an sacerdoti, an judici, an ei qui solum potest pro illo perjuro orare : videtur mihi, quod se a peccato hoc exuit, qui talibus indicat, qui perjuro magis prodesse quam obesse possunt, orando aut corrigendo, si ipse sibi adhibeat confessionis medelam.

Sequitur aliud institutum cærimoniale : *Anima quæ tetigerit aliquid immundum:* quæ autem secundum legem immunda sint, infra habetur ; *sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum,* videlicet ex interiori causa corruptionis et mortis, *vel quodlibet aliud reptile ; et oblita fuerit immunditiæ suæ :* hoc est, ex oblivione aut negligentia sua non purificaverit se juxta legem de tali immunditia tempestive, præsertim ante ingressum in tabernaculum Domini, vel in atrium ejus; seu ante esum de immolatis, quæ manducari non debent, nisi a mundis ; *rea est et deliquit.* Dato namque quod non deliquerit tangendo immunda, tamen negligendo et non observando legem purificationis, et insuper in-

Lev. xi, et seq.

Digitized by Google

grediendo locum sacrum, aut manducando oblatum, offendit et rea est, peccatum omissionis et commissionis incurrens, non tamen mortale semper, nisi forsitan ex contemptu ita se habeat. *Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis juxta omnem impuritatem qua pollui solet* qui tangit hominem immundum, aut immunditiam ejus : hoc est, si tetigerit cadaver defuncti, vel leprosum, aut eum qui semine fluit, aut menstruatam; *oblitaque cognoverit postea,* id est, ad tempus immemor fuerit immunditiæ suæ, nec purificaverit se legitime, et tamen ingesserit se ad sacra modis prætactis, et postea immunditiam suam adverterit ex aliorum admonitione seu propria recordatione; *subjacebit delicto,* id est, rea erit, ut dictum est de tangente occisum a bestia. Quale autem sacrificium debeant isti offerre, non exprimit textus hic. Dicuntque aliqui, quod offerre debeant hostiam quam in fine præcedentis capituli jussa est immolare anima quæ ex ignorantia peccat. Alii dicunt, quod debeant immolare hostiam quæ in textu exprimitur statim in culpa casus sequentis, quod videtur Augustinus sentire, dicendo : An pro omnibus supradictis hoc sacrificium oportet intelligi, quia omnibus illis enumeratis, intulit sacrificium expiationis? Ceteri opinantur sacrificium eorum positum fuisse in arbitrio sacerdotis, idcirco non exprimi.

Circa præhabita advertendum, quod libro de Fide et legibus scribit Guillelmus Parisiensis : Immunditias, inquiens, legales intelligimus, quas lex immunditias reputat et appellat. Harum prima erat fimi et stercoris. De hac suo loco, puta in Deuteronomio, dissseretur. Secunda immunditia erat velut irregularitas quædam respectu tabernaculi, qua quis prohibebatur tabernaculum seu atrium ejus intrare, nisi primo purificatus. Et hæc erat immunditia, qua dicebantur immundi, qui tangebant mortuum, vel ejus sepulcrum, vel quodcumque horum, quæ lex tangi prohibuit : et quod mirabilius est, hi qui tangebant ea, quibus alii mundabantur, imo et hi qui per ea alios mundabant, immundi fiebant. Unde in Numeris legitur : Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperam. [*Num.* XIX. 21.] Tertia, et sola vera immunditia, est peccatum. Quatuor autem judicati sunt immundi in viris et mulieribus, scilicet mulier menstruata, leprosus, seminifluus, et nocturna illusione pollutus : et isti quatuor, immundi erant per se et in se. Quintus vero, qui tetigisset immundum. Mortuos autem generaliter tam viros quam mulieres, voluit esse immundos lex, ut elongaret populum Israel a ritu funerandi quem habebant idololatræ, et ab operibus maleficis ac necromanticis, quorum multa legimus ; atque ob hoc qui tangeret mortuos, esset immundus. De his infra, et in libro Numerorum dicetur diffusius.

Præterea, circa præinducta loquitur Origenes : Hæc apud Judæos indecenter satis et inutiliter observantur. Ut quid enim immundus habeatur, qui tetigerit (verbi causa) animal mortuum, aut defuncti hominis corpus? Quid si Prophetæ corpus sit? Quid si Patriarchæ vel etiam ipsius Abrahæ corpus? Quid si et ossa Samuelis contigerit, immundus erit? Quid si et Elisei ossa contingat quæ mortuum suscitarunt? An et immundum fecerunt, quem suscitaverunt a mortuis? Vide quam inconveniens sit Judaica intelligentia. Hæc Origenes. Circa quæ dico, quod utique tempore novi Testamenti jam divulgati, inutiliter servaverunt ista Judæi ad litteram. Verumtamen ad litteram erant intelligenda et servanda, pro tempore veteris Testamenti.

Sequitur alia lex seu institutio. *Anima quæ juraverit, et* jurando *retulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene,* et non fecerit, *et id ipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque,* hoc est ad tempus immemor suæ jurationis, et illud non implens, *postea intellexerit delictum suum,* id est perjurationem seu nimiam dilationem impletionis ipsius; *agat pœnitentiam*

Digitized by Google

pro peccato suo. Ex hoc sequi videtur, quod homo peccet non implendo seu exsequendo malum, quod se juravit facturum, seu non implendo juramentum, quo juravit ut faceret aliquid male. Ad istud est duplex responsio : Prima, quod peccavit incaute et male jurando, et inde debet dolere, non autem de hoc, quod talem vitiosam jurationem non adimplevit. Tres quippe sunt comites juramenti, sicut et voti, videlicet veritas, judicium, et justitia : et quidquid contra hæc aut aliquid horum promittitur vel juratur, illicite promittitur et juratur. Secunda responsio est, quia per hoc quod ait, Ut male quid faceret, potest intelligi bonum male (hoc est pœnaliter) factum aut faciendum. Est enim malum culpæ, et est malum pœnæ : sicque sensus est, quod qui juravit facere seu sibi infligere malum pœnæ, utpote abstinentiam, disciplinam, peregrinationem, debet hoc adimplere. Sed prima responsio aptior esse videtur, quoniam istud malum non distinguitur a bono, de quo nunc mentio, quamvis inter ea posset aliqua excogitari distinctio.

Et offerat agnam de gregibus ovium *sive capram. Orabitque pro eo sacerdos, et pro peccatis* * *ejus. Sin autem non potuerit* præ paupertate *offerre pecus,* videlicet agnam, ovem, seu capram, *offerat duos turtures, aut duos pullos columbarum Domino* per obsequium sacerdotis ; *unum pro peccato,* quo neglexit et nimium distulit juramentum suum implere, *et alterum in holocaustum. Dabitque eos sacerdoti* ad offerendum Domino. *Qui primum,* videlicet turturem, aut primum pullum columbæ, hoc est unum duorum, seu primo sibi exhibitum, *offerens pro peccato, retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo adhæreat caput,* hoc est, anterior pars capitis usque ad collum flectatur, *et non penitus abrumpatur* a collo : cujus rei contrarium agebant forsan idololatræ. *Et adsperget de sanguine ejus parietem altaris,* videlicet latus ipsius, seu latera, aut cornua. *Quidquid autem reliquum fuerit* de sanguine hostiæ immolatæ, *faciet distillare ad fun-*

* peccato

A *damentum ejus,* sicut præcedenti capitulo de hostiis pro peccato oblatis est dictum ; *quia pro peccato est,* id est pro remissione incautæ aut falsæ jurationis, seu oblivionis et nimiæ dilationis implendi licitam jurationem. *Alterum vero* pullum columbarum aut turturem *adolebit,* hoc est omnino comburet, *in holocaustum,* ita quod convertetur in tale incensum, *ut fieri solet* in oblatione hostiæ pro peccato, cujus una pars incendebatur, prout in præcedentis capituli expositione est dictum. *Rogabit-*
B *que pro eo sacerdos* ut Deo reconcilietur, *et pro peccato ejus, et dimittetur ei.* Verumtamen, ut videtur, per istam oblationem et sacerdotis orationem non solvebatur ab obligatione implendi suum juramentum, quod licitum erat, sive fuerit factum Deo seu homini, sed pro posse debuit illud implere. Et si aliquid temporale homini dare juravit, poterat sibi homo ille remittere. Si autem juravit agere aliquid spirituale, quod ad Dei cultum et animarum spectat salutem, non poterat ei homo illud remit-
C tere.

Quod si non quiverit manus ejus offerre duos turtures, aut duos pullos columbæ præ nimia paupertate, *offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam,* id est decimam partem mensuræ, quæ dicitur ephi, purissimæ farinæ de tritico. Porro de quantitate ephi, in Exodum scripsi. Nec *Exod.* XVI, 36.
ex dictis Scripturæ et expositorum possumus certitudinaliter scire determinatam quantitatem mensuræ illius. Modi namque et nomina mensurarum apud diversos va-
D riantur, sicut numismata. Dicit autem Hesychius, quod ephi est mensura tres modios continens. Sed modii mensura valde diversificatur apud diversos, imo et in terris ab invicem non remotis. Aliqui vero ex Isidoro et Papia nituntur accipere, quod ephi contineat quartam Parisiensem cum media. Recitat quoque Lyra, quod secundum Rabbi Salomonem contineat quantitatem quadraginta duorum ovorum, quod videtur esse ficticium, quum nec consuetudo Scripturæ sit determinare mensuras ex

Digitized by Google

quantitate ovorum. Verum in hoc quod Dominus jussit saltem decimam partem ephi similæ, a pauperibus offerri, pie consuluit eorumdem inopiæ, quoniam decima pars illa est modica.

Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, id est, nec oleum neque thus admiscebit similæ illi, cujus causa subjungitur, *quia pro peccato est :* ideo sicut peccatum est deforme atque odibile, omni carens bono sapore, et summe crudele, ita oblatio fienda pro eo, non est melioranda aut pejoranda olei sapore, aut thuris odore. Denique pietas oleo designatur; bonitas autem famæ seu acceptabilitas, thure. Peccator vero suo peccato crudeliter lædit se ipsum, et malam incurrit famam. Rursus per oleum misericordia Dei, per thus acceptatio ejus signantur : ideo in sacrificio pro peccato non ponebantur, quia peccator non debet nimis præsumere de misericordia Dei, nec assecurare se ipsum de venia, quum incertus sit, an ex vera caritate pœniteat. Juxta litteram demum probabile est, quod idololatræ in sacrificiis suis pro peccatis apposuerunt oleum et thus : ideo Dominus suis cultoribus jussit contrarium.

Tradetque eam sacerdoti ad offerendum Deo. *Qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare in monumentum ejus qui obtulit :* hoc est quod circa principium capituli secundi dictum est :
Lev. II, 2. Tollet pugillum plenum similæ, et ponet memoriale super altare. Sicque ex dictis ibidem, patet intellectus verbi istius. *Rogans pro illo et expians.* Sacerdos namque offerendo hæc, simul oravit pro offerente, et sua oratione cooperabatur reconciliationi illius cum Deo. *Reliquam vero partem* similæ, *ipse* sacerdos *habebit in munere,* tanquam datum ac deputatum ei a Domino ad vescendum.

Sequuntur adhuc tria præcepta. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Anima si prævaricans cærimonias,* hoc est, si homo cærimonialia præcepta in aliquo violans, *per errorem in his quæ sunt*

A *Domino sanctificata, peccaverit,* hoc est, illicite in usum aut esum suum converterit ea, quæ oblata ac deputata sunt Domino, ut sunt primitiæ Deo offerendæ, quas ipse ministris suis sacerdotibus aut Levitis pro sustentaculo vitæ concessit; aut certe thymiamate pro oblectatione sui odoratus fuerit usus, vel oleo unctionis pro suæ medela infirmitatis : quod utrumque *Exod.* XXX,
fuit prohibitum in Exodo; *offeret pro de-* 32, 37.
licto suo arietem immaculatum, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus sanctua-
B *rii :* quorum scilicet siclorum usus fuit in templo, seu tabernaculo quod sanctuarium nuncupatur : et pondus seu valor sicli continebat, ut Josephus ait, quatuor drachmas, et quælibet drachma obolos quinque. Unde frequenter dicit Scriptura : Siclus viginti *Ibid.* 13
obolos habet. *Ezech.*

Ipsumque quod intulit damni restituet, XLV, 12.
hoc est, quod injuste abstulit, aut sibi retinuit, reddet; *et quintam partem ponet supra,* id est, ultra damni restitutionem adjiciet quintam damni illius partem; *tradens*
C *sacerdoti* hujuscemodi restitutionem, quia fraudavit eum per primitiarum subtractionem. Vel si usus fuit thymiamate, unctionisve oleo, restituere debuit sacerdoti materias, ex quibus conficiuntur, ut rursus conficeret ea. Circa hæc loquitur Origenes : Quod dicit, Addet ad illud quintas, simpliciores æstimant ita dictum, ut verbi causa, si quinque nummi subtracti sunt, unus addatur, ut pro quinque sex reddere videatur. Sed qui in scientia numerorum periti sunt, longe aliter supputant nume-
D rum hujus vocabuli. Nam et in Græco non habetur simpliciter, Quintas, sed potius, Super quintas; quo indicetur, pro quinque alios quinque esse dandos, et unum supra : ut verbi gratia, qui furatus est quinque nummos, restituere obligetur ipsos quinque, et etiam quinque alios, superaddito ultra hæc uno nummo. Nec tamen hæc continuo de omnibus furtis aut fraudibus intelligenda sunt; sed quod si quis pro usibus necessariis sibi, de sanctis seu Deo oblatis pecuniam sumpsit, et moras fecit

Digitized by Google

in restituendo, lege hujusmodi constringatur. Quæ lex etiam secundum litteram ædificare debet audientes. Valde enim utilis et necessaria observatio est his, qui ecclesiasticis dispensationibus præsunt, ut sciant sibi ab his quæ in sanctorum usus oblata sunt, cautius et diligentius observandum. Hæc Origenes. *Qui* sacerdos *rogabit pro eo, offerens arietem, et dimittetur ei* qui jam ante restitutionem fecit condignam, et de suo excessu ex corde pœnituit. Quo constat, quam veraciter dictum sit : Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Anima quæ peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea, intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati, id est, secundum quod gravitas sui peccati et rectum judicium de eodem, exegerint. Istud præceptum etiam præcedenti capitulo traditum est; sed hic additur, Juxta mensuram æstimationemque peccati, ad insinuandum quod si ex certa malitia processerit, culpa sit gravius punienda. Attamen dici posset, quod in præcedenti capitulo facta est mentio de ignorantia facti, hic de ignorantia præcepti seu juris. Nam et ignorantia facti culpam aliquam habet, quando non adhibetur cautela circa factum. *Qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit, et dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum.*

Sequitur de peccato ex certa scientia facto. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Anima quæ peccaverit,* secundum modum qui subditur, *et,* pro id est, *contempto Domino* per transgressionem sui præcepti ex deliberatione atque proposito, *negaverit proximo suo depositum* quod ab illo suscepit servandum : idcirco subjungitur, *quod fidei,* id est fidelitati, *ejus creditum fuerat* a deponente ; *vel vi aliquid extorserit,* id est per violentiam aliena rapuerit; *aut calumniam fecerit* proximo suo, seu homini cuicumque; *sive rem perditam invenerit et infitians,* hoc est negans seu diffitens eam se invenisse, *insuper pejeraverit,* id est, perjurium commiserit false jurando, quod non repererit eam, seu in aliis jam prædictis non exsistat culpabilis: quia a talibus juramentum exigebatur ; *et quodlibet,* id est quodcumque *aliud commiserit* * *ex pluribus, in quibus peccare solent homines ; convicta delicti, reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra. Et quintam insuper partem domino* rei, *cui damnum intulerat.* Quod dictum est, Convicta delicti, dicitur in Hebræo non haberi, sed ex ignorantia aliquorum appositum : quoniam si quis de hujuscemodi injustitia esset convictus, tenebatur defraudato non solum reddere quod abstulit ei, et insuper quintam partem, sed duplum ablati, ut in Exodo habetur. Verumtamen, secundum verba Origenis præhabita, ad hoc posset hæc littera applicari.

* fecerit

Exod. XXII, 4.

Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum sacerdoti, juxta æstimationem mensuramque delicti, id est, pro unoquoque tali peccato offeret hujusmodi hostiam. *Qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit.* Quocirca mirum videtur, quod eadem hostia jubetur offerri pro peccato ex ignorantia et excessu commisso. Ad quod juxta præhabita respondetur, quod frequenter pro gravioribus peccatis viliora animalia offerebantur ; interdum eadem animalia pro peccatis in gravitate disparibus : ad innuendum quod virtute sacrificiorum non dimittebantur peccata. Quamvis autem eadem hostia offerebatur pro his, quorum unus ex ignorantia, alter ex proposito seu contemptu peccavit, tamen in aliis gravius puniebatur ex proposito seu malitia peccans.

Denique de depositis aliqua jussa sunt in Exodo, et alibi, ubi et plenius scripsi de istis : idcirco pertranseo. Qui autem præfata commiserit scelera, et insuper perjurium eis addiderit, gravissime reus est. Ibid. 7.

Digitized by Google

ARTICULUS XIV

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI QUINTI.

PRIMUM hujus capituli institutum, in se ipso morale est. Et consonat ei quod Christus in Evangelio tradidit : Si peccaverit, inquiens, in te, hoc est te sciente, frater tuus. Unde alia littera habet : Si videris fratrem tuum peccare, corripe eum inter te et ipsum solum. Si non audierit te, adhibe tecum adhuc unum aut duos testes. Quod si nec sic audierit, dic Ecclesiæ. Sic itaque dicitur et nunc : *Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam :* juxta expositionem præhabitam ; quo docemur, qualiter veritati debeamus testimonium perhibere, atque ex caritate et zelo justitiæ culpam proximi ordinate et ex rationabili causa, non ex passionis impetu, aut vitiosa radice, manifestare loco et tempore opportunis : quod maxime est servandum, si ex taciturnitate immineat rei publicæ periculum. Hinc circa hæc loquitur Origenes : Istud secundum historiam docet nos, ne unquam in peccatis alterius polluamus conscientias nostras, nec consensum male agentibus præbeamus. Consensum autem dico, non solum simul agendo, sed etiam quæ illicite gesta sunt, reticendo. Peccatum vero ejus qui pœnitet, et emendare proponit, est occultandum.

Matth. xviii, 15-17.

Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, vel quodlibet aliud reptile, et oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, et deliquit. Hæc spiritualibus et optimis plena sunt documentis. Itaque anima tangens aliquid immundum, est homo qui pravæ societati se jungit : qui diabolicæ suggestioni aut humanæ persuasioni iniquæ consentit, qui variis et peregrinis doctrinis abducitur. Hinc ait Apostolus : Exite de medio eorum, et immundum ne

II Cor. vi, 17.

A tetigeritis. Denique qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, tangit immundum. Porro, occisum a bestia, est peccator quem diabolus ad mortale induxit peccatum, seu opus bestiali motu carnalitatis corruptum : et tale occisum, non est consensu tangendum. Mortuum vero per se, est qui ex propria perversitate, concupiscentia, fragilitate, aut simili culpa devictus est absque impellente exteriore, utpote homine aut diabolo. Reptile autem est cor carnale, terrenis omnino inhærens, B gulæ, avaritiæ, aut luxuriæ miserabiliter serviens, ad divinorum ac æternorum amorem et contemplationem se ipsum non erigens, quod se infimis atque vilissimis rebus tam insanissime subdit, summo, immenso, ac incommutabili bono contempto. Omnium horum contactus, vitandus est, ita ut non consentiamus alicui tali. Quod si quis hujus oppositum egerit, et immemor suæ culpæ, ingesserit se divinis, graviter peccat, et reus est coram Deo.

Matth. v, 28.

Præterea, si in veteri Testamento rei C erant, qui legalem illam exteriorem immunditiam incurrerunt ex corporali contactu, et ante suam purificationem ex oblivione introierunt atrium templi, aut de oblatis ederunt : quam incomparabiliter culpabiliores censendi sunt, qui gravibus et mortalibus vitiis involuti, ante suam emundationem per veram contritionem et confessionem, impudenter ingrediuntur ecclesiam Dei et chorum, et sacris ingerunt se celebrandis mysteriis, aut ea suscipiunt ? Quis sibi conscius de crimine D læsæ majestatis, audeat se regi præsentare terreno, aut ejus ingredi aulam vel accedere mensam ?

Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis, hoc est, vitiis hominum vivorum

Digitized by Google

aut mortuorum consenserit, prava illorum sequens exempla. *Anima quæ juraverit,* etc. Ex his ad litteram edocemur, quam caute et provide sit jurandum aut vovendum; quam item celeriter ac ferventer juramenta et promissa sint adimplenda, juxta quod scriptum est : Si quid vovisti, ne moreris reddere. Displicet enim Deo stulta et infidelis promissio. *Eccle.* v, 3.

Si autem quis contra hæc fecerit, et perjurando, promissa frangendo, immunda tangendo, peccaverit, vehementer et digne pœniteat. Agnam quoque seu capram offerat Deo, corpus suum et animam salubriter affligendo. Quod si magna pœnitentiæ exercitia corporalia exercere et ferre nequiverit, offerat duos turtures, duosve pullos columbæ, cordialiter suspirando, gemendo, se spiritualiter exercitando in meditationibus orationibusque assiduis ac devotis. Quod si nec hoc potuerit adimplere, offerat saltem similam, hoc est conversationem exteriorem, exemplarem, sinceram : cui non misceat oleum, id est oblectamenta carnalia, aut immoderatam compassionem ; aut thus, hoc est, odorem bonæ famæ seu fragrantiam laudis humanæ non appetat intuitu proprii commodi, honoris aut gaudii, sed solum ad Dei honorem et gloriam, proximorumque ædificationem. Præterea peccator sacrificia ista debet sacerdoti offerre, ut offerat et oret pro se : quoniam juxta informationem et injunctionem sui confessoris, debet pœnitentiæ opera satisfactoria exsequi, orationibusque illius juvari.

Docemur item ex isto capitulo, quam periculosa ac evitanda sit ignorantia eorum, quæ unusquisque secundum suæ exigentiam vocationis scire tenetur, et per quæ averti potest a vitiis, ac allici ad virtutes. Ideo scriptum est : Qui ignorat, ignorabitur. Et : Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Hinc teste sancto Ambrosio, Ignorantia est maximum peccatum, magnitudine scilicet periculositatis, non enormitatis. Trahit namque ad magna ac plurima mala. Amplius docet nos præsens capitulum, quam enorme sit, ea quæ Deo oblata sunt, aut offerenda, seu sacerdotibus deputata, sibimet usurpare, subtrahere, aut tenere. Qualiter etiam debeamus nos habere ad proximos nostros, pandit ac jubet, ut nequaquam negemus alicui suum depositum, nisi forte ex justa causa ad tempus, ut si furiosus repetat gladium, quem in depositum apud quemquam reposuit. Nemini quoque violentiam inferamus, aut damnum, sive calumniam, sed nec inventa bona apud nos reponamus, imo potius fideliter inquiramus, quis ea amiserit, et ei prompte ac gratis reddamus, quum dicat Hesychius : Si quis inventum non reddat, simile est rapinæ. Postremo, dona naturæ, corpus et anima, ratio et voluntas, sunt quædam deposita nobis a Deo commissa et credita : ideo ea ab omni peccato et deprædatione diaboli diligentissime custodire debemus, verbo et opere protestantes, quod ea a Creatore suscepimus, atque ad ejus reverentiam ipsis fructuose utentes.

I Cor. XIV, 38. *Eccli.* III, 22.

ARTICULUS XV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : PRÆCIPE AARON.

De jugi sacrificio et aliis multis hostiis præsens tractat capitulum. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe Aaron et filiis ejus,* hoc est tam summo sacerdoti quam sacerdotibus inferioribus. Moyses autem ex institutione

Digitized by Google

divina præerat universæ Israeliticæ plebi, idcirco et fratri suo Aaron pontifici præcipere potuit. *Hæc est lex holocausti,* id est, sequens præceptum respicit juge sacrificium. Diversæ quippe erant species holocaustorum, inter quæ juge sacrificium fuit præcipuum. Quod pro communi bono totius plebis offerebatur quotidie, imo bis omni die naturali. *Cremabitur,* id est, hoc jubeo ut cremetur, *in altari* holocaustorum in atrio, *tota nocte usque mane.* Istud intelligitur de jugi sacrificio, quod quotidie immolabatur ad vesperam, et per totam B noctem comburebatur usque ad auroram; tuncque imponebatur sacrificium aliud, quod tota die cremabatur usque ad crepusculum. Porro sacrificium istud fuit agnus anniculus unus de mane, alter de vespere: qui duo vocantur quasi collective unum sacrificium, quod et juge vocatur: quia durante cultu veteris Testamenti fiebat quotidie, juxta illud Exodi: Hoc est quod facies in altari, agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum mane, et alterum vespere; atque (ut Jose- C phus refert) unus offerebatur ante solis ortum, alter ante occasum. *Ignis ex eodem altari erit,* id est, ignis aliunde sumptus non ponetur in altari holocaustorum: quia ignis qui post hæc verba descendit de cœlo, et consumpsit sacrificium Aaron, de cetero mansit in illo altari, nec licuit apponere alium. Mansit autem usque ad transmigrationem in Babylonem.

Exod. XXIX, 38, 39.

Vestietur sacerdos tunica et feminalibus lineis. Tolletque cineres, quos vorans ignis exussit. De sacris vestibus pontificis et sa- D cerdotum, in Exodo tractatur: erantque octo, secundum quosdam; vel secundum Josephum et eum sequentes, decem, intelligendo per vestes etiam ornamenta. Inter has vestes, quatuor erant communes inferioribus sacerdotibus atque pontifici, inter quas duæ erant feminalia linea ad operiendum verecundiora, et tunica byssina: de quibus duobus textus iste nunc loquitur. Itaque secundum Josephum et Magistrum in historiis, quando superabundabant ci-

Ibid. XXVIII, 4.

A neres ex concrematione holocaustorum relicti in altari, sacerdos, ad cujus officium hoc spectabat, induit vestimenta sacerdotalia jam præfata; et tollens cineres de altari, ponebat eos in pelvi juxta altare; deinde exutis vestibus sacris, aliisque indutis, forte ad hoc præparatis, vel propriis vestimentis, cineres efferebat. Hinc subditur: Tollet cineres quos vorans ignis exussit, id est, quos ignis, qui holocaustum combussit, generavit ex holocausto; *et ponens juxta altare* cineres ipsos in pelvi seu vasculo alio, *spoliabitur,* id est exuet se, *prioribus vestimentis; indutusque aliis, efferet eos extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet,* id est, ignis incendio usque ad minutissimas partes comburet, ne in humanum de cetero veniant usum, quum sint reliquiæ holocausti. Porro locus ille mundissimus, fuit paratus extra tentoria in deserto, quamdiu filii Israel in solitudine erant. Quumque tabernaculum fuisset in Silo seu alia urbe, parabatur hujusmodi locus mundissimus extra urbem. Quumque constructum fuerat templum, locus talis extra Jerusalem erat.

Ignis autem de cœlo datus, ut dictum est, *in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies.* Refert Josephus, quod omni mane apposuit duo modica ligna igni præfato, imo (ut aliqui recitant) ligna illa apposuit, non quod necessaria erant ad conservationem ignis illius, quoniam ignis ille continuari potuit absque lignorum additione, sed apposuit ea propter Dei præceptum. Verumtamen quamvis certissimum sit, quod Deus omnipotens potuerit ignem illum continuare et conservare in esse sine lignorum adjectione; non tamen videtur quod ignis ille ex sua natura id habuit, quod sine lignorum appositione mansisset in esse, tum quia in littera dicitur, quod sacerdos ignem illum nutrivit per ligna apposita, tum quoniam alias (ut apparet) Dominus non jussisset ligna apponi. Imo si ignis ille non indiguit conservatione per

Digitized by Google

combustibilia, magis fuisset ad gloriam Dei, quod ligna non fuissent apposita : sic enim omnipotentia Dei clarius resplenduisset in illo suo effectu tam miro. *Et imposito holocausto desuper :* lignis enim suppositis igni de mane, posuit sacerdos juge sacrificium matutinum super ignem; *adolebit adipes pacificorum :* quia post jugis sacrificii matutini impositionem, cremabantur in eodem altari pacificorum adipes hostiarum. Juge etenim sacrificium de mane, præcessit cetera sacrificia diei illius tanquam præcipuum, quemadmodum de vespere ultimum fuit tanquam respectu aliorum finale. Præterea sicut juge sacrificium pro communitate fiebat, ita de publico sumptu exhibebatur, secundum quod Josephus protestatur. Summus autem sacerdos obtulit illud. *Ignis iste est perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.*

Hæc est lex sacrificii et libamentorum, id est materiarum sacrificio adjunctarum, *quæ offerent filii Aaron coram Domino,* qui specialiter fuit in tabernaculo, templo, et atrio suo, *et coram altari* holocaustorum. *Tollet sacerdos,* id est unus sacerdotum ad quem ab offerente delatum fuerit sacrificium tale, ut offerat illud Deo, *pugillum similæ quæ adspersa est oleo, et totum thus quod super similam positum est; adolebitque illud in altari, in monumentum suavissimi odoris Domino,* etc. Totum istud
Lev. II, 2. in principio secundi capituli scriptum est atque expositum. *Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis absque fermento.* Ita quod panis ex simila illa factus, non erit fermentatus, quod item secundo capitulo continetur. *Et comedet* panem illum Aaron cum filiis suis, *in loco sancto atrii tabernaculi,* id est in ipso atrio quod sanctum est. Porro per Aaron et filios ejus, non solum intelliguntur persona Aaron et immediati filii ejus, sed et successores ipsorum. *Ideo autem non fermentabitur* simila illa in sua pistratione, *quia pars ejus in Domini offertur incensum.* Dictum est namque quod pugillus similæ illius adolebatur super altare, nec erat pars illa fermentata : idcirco nec residuum ejus fermentabatur, et de hoc assignatæ sunt rationes in secundi *Lev.* II, 11.
capituli expositione. *Sanctum sanctorum erit,* id est portio seu oblatio valde sancta, *sicut pro peccato atque delicto,* id est, sicut et una pars hostiæ immolatæ pro peccato commissionis, una quoque pars hostiæ immolatæ pro peccato omissionis, sancta sanctorum dicuntur. *Mares tantum stirpis Aaron comedent illud,* non feminæ sacerdotum, propter sanctitatem sacrificii hujus. Unde a solis viris Deo consecratis ac spiritualibus erat edendum. *Legitimum ac sempiternum est in generationibus vestris,* id est, observantia ista legalis justa est, et per omne tempus veteris Testamenti servanda per successiones posterorum vestrorum : observantia, inquam, data *de sacrificiis Domini,* de quibus nunc sermo. *Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur,* id est, nemo nisi purificatus et idoneus ad hoc factus, præsumet tam sancta sacrificia tangere. Vel, Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur, id est, ex hoc ipso amplius obligatur se deputare ac vacare divinis.

Locutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens : Hæc est oblatio Aaron et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ, id est, quam offerre debent in die quo Aaron ungetur in pontificem : quod quando et qualiter factum sit, infra habetur capitulo nono. An autem filii Aaron aliquid offerebant Deo in die illo, an solum ministrabant patri suo in sua oblatione, ibi patebit. *Decimam partem ephi offerent similæ.* Quid autem sit decima pars ephi similæ, et quantum contineat, in præcedentis capituli litterali expositione est introductum, ubi et ista verba conscripta sunt. *In sacrificio sempiterno,* videlicet jugi, *medium ejus,* utpote similæ hujus mediam partem, offeret *mane* tempore sacrificii matutini illius, *et medium vespere* tempore sacrificii vespertini; *quæ* simila *in sartagine,* id est patella, *oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Do-*

Digitized by Google

mino sacerdos qui patri jure successerit, id est, jure successionis fuerit sacerdos seu pontifex post Aaron ; *et tota cremabitur in altari* quemadmodum holocausta, ita quod nihil ex ea cedat in usum sacerdotis sive pontificis offerentis. *Omne enim sacrificium sacerdotum,* quod scilicet offerunt pro se ipsis, non pro aliis, *igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.* Hoc quinto capitulo plenius scriptum est atque expositum cum rationibus suis.

Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : Loquere Aaron et filiis ejus : Ista est lex hostiæ pro peccato, id est, præceptum concernens sacrificium, quod pro remissione peccati offertur. *In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino.* Quemadmodum enim animal offerendum in holocaustum, primo occidebatur juxta altare in atrio, deinde caro occisa super altare illud comburebatur, ita fiebat de animali quod pro peccato immolabatur. *Sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert* hostiam pro peccato, *comedet eam in loco sancto in atrio tabernaculi.* Dicunt quidam quod non comedebat eam sub dio seu loco non tecto, puta in atrio, sed in æde seu exedra propinqua : et forte juxta congruentiam, dispositionemque auræ et aeris, poterat eam vel in atrio vel in exedra prope posita manducare. Hoc quoque recolendum, quod non potuit eam licite comedere totam, sed pars talis hostiæ incendebatur super altare ; imo quando pro propria eam obtulit culpa, aut pro
Lev. IV, 21. communitatis peccato, nihil ex ea comedit, prout hæc plenius in quarto capitulo ejusque expositione præhabita sunt. *Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur,* id est, si aliquid manducabile tetigerit carnes hostiæ hujus, præsertim quod ejusdem sit speciei cum ea, sanctitatem hanc contrahet, quod manducari non poterit, nisi ut dictum est de hostia ista, puta a sacerdote in loco præfato. Vel sensus est, quod non licuit alicui homini tangere eam, nisi consecrato et purificato. *Si de sanguine illius vestis fuerit adspersa,* præsertim vestis vulgaris,

A *lavabitur in loco sancto :* tanquam quæ indigna erat attactu sanguinis hostiæ sacræ, sicque quantum fieri potest, exprimatur ab ea quod de sanguine illo ei adhæsit.

Vas autem fictile in quo cocta est, confringetur : ad innuendum quod nec ipsum fuit condignum tactu sanctæ carnis. Et item ad litteram, quia vas tale non potuit sine sua confractione tam fortiter expurgari. Illa autem pars carnis coquebatur, quæ in esum sacerdotum cedebat. *Quod si vas,* id est olla sive patella, in quo cocta
B fuerit talis caro, *æneum fuerit, defricabitur,* ut per intensam confricationem removeatur ab eo, quod ei adhæsit de hujuscemodi carne cocta, *et lavabitur aqua,* ut nihil in eo permaneat de sacræ carnis reliquiis. Præterea, potest quis admirari de istiusmodi jussionibus, quæ prima facie ridiculosæ irrationabilesque videntur. Quocirca primo pensandum, quod in libro de Fide et legibus scribit Guillelmus : Deus voluit semper et merito venerationem impendi sanctuario suo, et sanctificatis atque
C oblatis in eo : ideoque eos et ea, qui et quæ tangerent illa, ex hoc reputari immunda, propter sanctitatem reverentiamque illorum. Insuper tota lex illa fuit figurativa spiritualium rerum. Et ista nunc dicta, quæ in se modici videntur esse vigoris, magna et spiritualia designabant mysteria, ut in sequenti dicetur articulo. Ad litteram quoque Deus per ista populum suum distinxit a ritu et observantiis idololatrarum, qui opposito modo se habuerunt circa sartagines et lebetes, in qui-
D bus idolothyta sua coxerunt.

Omnis masculus de genere sacerdotali, vescetur carnibus ejus, videlicet hostiæ pro peccato, utpote tam sacerdotes offerentes quam filii eorumdem : ex quo videtur, quod uxoribus et filiabus eorum non licuit hoc propter edulii dignitatem. Unde subjungitur, *quia sanctum sanctorum est.* Quod verbum frequenter expositum est. Interdum vero interior et sacratior pars tabernaculi, dicitur Sanctum sanctorum. *Hostia enim,* scilicet animal, *quæ*

Digitized by Google

cæditur, id est mactatur et immolatur, A *pro peccato, cujus* hostiæ *sanguis infertur* pro parte *in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.* Istud in quarto capitulo scriptum est plenius : talisque fuit hostia, quæ pro peccato sacerdotum aut communitatis offerebatur, quod ibidem diffuse tractatum est.

Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto, id est oblatæ pro peccato omissionis ; *sancta sanctorum est,* id est valde sancta, in quantum ad Dei reverentiam immolata. B *Idcirco ubi immolatur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto,* id est, hostia ista pro delicto occidetur, et offeretur in atrio et in ejus altari, sicut et holocaustum, juxta modum de hostia pro peccato commissionis inductum. *Sanguis ejus per gyrum altaris fundetur.* Alia quæ de hostia ista dicuntur in littera, ex expositione litterali quarti capituli patent. *Lev.* IV, 8, *et seq.* *Utriusque hostiæ lex una erit.* Jam duæ leges sunt datæ de hostia pro peccato commissionis, et hostia peccati omissionis : quomodo ergo utriusque hostiæ erit lex una? Dicendum, quod utriusque exstat lex una, id est consimilis, quia circa utramque hanc hostiam fuit observantia uniformis, ut patet ex littera ista et præinductis. *Ad sacerdotem qui eam obtulerit, pertinebit,* id est comedetur ab eo, juxta intellectum præhabitum. *Sacerdos qui offert holocausti victimam,* id est hostiam quæ holocaustum vocatur, *habebit pellem ejus.* Nam hostia illa totaliter comburebatur, excepto quod mactata excoriabatur ante concremationem, ejusque corium exstitit sacerdotis offerentis, ut vel tantumdem participaret de sacrificio Dei, qui fuit ejus hereditas. *Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, et quidquid in craticula vel sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a quo offertur,* id est, qualitercumque præparetur, coquatur, sive pistretur sacrificium ex simila, ex qua panes fiebant, interdum in clibano, interdum in patella ac aliis modis, prout in expositione secundi patebat capituli, pertinebit ad usum et esum sacerdotis offerentis, dempto quod pars similæ adolebatur ad Dei reverentiam in altari. *Sive oleo conspersa fuerit* simila in sua pistratione aut oblatione, *sive arida manserit :* etenim quando ex simila fiebat oblatio pro peccato, non *Lev.* V, 11. conspergebatur oleo, ut scriptum est præcedenti capitulo ; *cunctis filiis Aaron æqua mensura per singulos dividetur.* Hoc exponi potest tripliciter : Primo, quod unicuique sacerdoti deputanda erat certa et C congrua dies, in qua ipse sacerdotali utebatur officio, et ea quæ obtulit, in usum suum redegit. Secundo, quod oblata dividebantur sacerdotibus proportionabiliter juxta eorum indigentiam vel laborem. Tertio, quod hostiæ ad immolandum adductæ a vulgo, distribuebantur sacerdotibus ad prosequendum ipsam sacerdotalem oblationem : distribuebantur, inquam, cum quadam æqualitate sine personarum acceptione, sicut servatur medium æqualitatis in distributiva justitia.

ARTICULUS XVI

SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI SEXTI ELUCIDATIO.

HÆC *est lex holocausti. Cremabitur in* D *altari tota nocte usque mane.* Dominus et Salvator Unigenitus Patris, obtulit se in cruce pro nobis Deo Patri in holocaustum, ex ardentissimæ caritatis igne exponens se tali oblationi ac morti. Hoc igitur holocaustum jugiter debet ardere in altari, hoc est in sublimitate cordis no-

Digitized by Google

stri, quod est spirituale altare, in quo sacrificium laudis, orationis incensum, bona et prompta voluntas, Deo assidue offeruntur : tunc quippe in isto altari holocaustum illud crematur, dum ferventer atque gratanter recolimus, quanta Filius Dei pro nobis in corpore suo assumpto sustinuit. Id quoque agendum est tota nocte, id est omni tempore vitæ præsentis, quæ comparatione vitæ futuræ nox appellatur. Nox etiam defectuositas et ignorantia nostra vocatur. Specialiter vero tempus tentationis, persecutionis et adversitatis nox dicitur : in quo tempore præcipue recurrendum est ad fervidam et intentam ac stabilem dominicæ passionis memoriam. Præterea ipsemet homo devotus et fervens, holocaustum est Dei, cujus cultui totum se cum omni piæ devotionis promptitudine mancipat, et nihil sui relinquit
Galat. II, 20. sibi, cum Apostolo dicens, Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus : quod veris et sanctis religiosis potissimum competit. Hoc itaque holocaustum debet in altari cremari, ita ut homo in proprio corde mactet se Deo, omnem affectionem perversam et omnem culpam in se ipso suffocans, et igne amoris comburens, quoniam
Prov. X, 12. caritas multitudinem, imo et universita-
I Petr. IV, 8. tem operit peccatorum. Hoc est se ipsum salubriter abnegare, mortificare, deserere,
Joann. XII, 25. perdere et odire, sicut ait Salvator : Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Ignis ex eodem altari erit,* id est, fervor divini amoris et sanctæ devotionis ex corde semper procedere debet et ferri ad Deum, juxta illud :
Ps XXXVIII, 4. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

Vestietur sacerdos tunica et feminalibus lineis. Quemadmodum sacerdotes Mosaicæ legis aliis utebantur vestimentis in ministerio templi, aliisque in factis humanis ac ceteris actibus, ita et sacerdotes evangelicæ legis. Specialiter vero sacerdos et omnis in sacris Ordinibus constitutus, induendus est tunica, id est conversatione exemplari et justa, ut cum sancto Job

A queat fateri, Justitia indutus sum ; et quod Job XXIX, 14.
loquitur Isaias, Induit me Dominus vesti- Is. LXI, 10.
mento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. Apte quoque per tunicam lineam simplex et innocens vita, seu pura intentio designatur ; per feminalia vero, castitas et continentia : quia super omnia est necesse, ut casti, spirituales et sobrii sint, qui superdignissimis Christi sacramentis deserviunt sive communicant, juxta illud Isaiæ, Mundamini qui fertis vasa Do- Ibid. LII, 11.
mini. *Tolletque cineres, quos vorans ignis*
B *exussit.* Secundum Glossam, Cinis est consummatio boni operis. Cineres extra castra efferet Aaron, quia per Christum opera nostra bona Patri præsentantur. Dicit etiam Glossa in isto capitulo : Mane incepit passio Christi, quando in atrio Caiphæ alapis cæsus est, et usque ad vesperam protelata. Tenebris enim eam interpolantibus, in mane et vespere dividitur. Hæc Glossa. Verumtamen alii dicunt, Christum hora duodecima exspirasse. Cineres possunt intelligi humiles considerationes propriæ
C mortalitatis et fragilitatis, igne devotionis accensæ, quæ in loco mundissimo sunt custodiendæ, ut altioribus cessantibus actibus, resumantur.

Ignis in altari semper ardebit, de quo asserit Dominus : Ignem veni mittere in Luc. XII, 49.
terram, et quid volo nisi ut accendatur ? Qui ignis est vel Spiritus Sanctus, vel caritas infusa, sine qua nihil est spiritualiter vivum, Deo acceptum, et meritorium. Indesinenter ergo ardeat in corde seu voluntate. *Quem nutriet sacerdos, subjiciens li-*
D *gna mane per singulos dies.* Ligna quibus nutrienda, augenda et inflammanda est caritas habitualis, sunt objecta et considerationes, ex quibus cor inflammatur sancta dilectione : videlicet summa et invariabilis bonitas Dei, et omnis perfectio ejus ; universa quoque beneficia et promissa ipsius, humanitas Christi, et considerationes istorum : quæ omnia assidue applicanda sunt cordi, et imponenda caritati ejusdem, ut nunquam deficiat, imo quotidie amplius inardescat ignis iste in mente, om-

Digitized by Google

nisque affectio, cogitatio, sermo, opus, A omissio, quæ eam possunt minuere aut auferre, prorsus abjiciantur. Denique, in novo Testamento, non solum dicuntur sacerdotes, qui sacramentum Ordinis sunt sortiti; sed et universi fideles in Baptismate uncti, qui se ipsos Deo sacrificant per obedientiam salutarem, et hostiam laudis ac alia spiritualia sacrificia immolant ei : propter quod sacratissimus princeps Apostolorum, universos affatur fideles :
I *Petr.* II, 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium. Idcirco nunc dicta, omnibus sunt B servanda.

Locutus est autem Dominus : Ista est lex hostiæ pro peccato : In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. In eadem namque Ecclesia, eademque mente, in qua Deo offerimus spiritualia holocausta ex spontanea devotione, offerimus et pœnitentiæ opera ; et nunc actui latriæ, nunc exercitiis pœnitentiæ insudamus. Per hoc quoque insinuatur, quod peccator pœnitens et conversus placet Deo, sicut et innocens justus. *Sacerdos, qui of-* C *fert, comedet eam :* quia spiritualiter refici debet actu suo virtuoso, et delectari in eo. *Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur.* Per hoc verissime præfiguratum cognoscimus, quod quicumque fide, devotione et caritate tetigerit, consecraverit aut acceperit sacratissimum Christi corpus, sanctitatem consequitur. *Si de sanguine illius vestis fuerit adspersa, lavabitur in loco sancto.* Hoc quasi ad litteram servat Ecclesia, dum corporalia seu alia consecrato Christi sanguine tacta, taliter lavat ; D terram vero et lapidem eo contacta, radit seu fricat. Ad quod designandum, subjunctum est : Vas fictile confringetur ; quod si æneum fuerit, defricabitur. Spiritualius autem loquendo, vestis adspersa sanguine Christi, est caro animam vestiens, in cujus ore accipitur Sacramentum altaris : ideo assidue est lavanda lacrimis contritionis, et aliis modis purganda ab omni sorde et inquinatione peccati.

Vas autem fictile in quo cocta est, confringetur. Per vas fictile, [intelligitur] homo carnalis, mollis, ad vitia pronus, instar terreæ testæ cito dissipabilis per peccata : qui si Christi corpus acceperit, confringetur, id est, spiritualiter destruetur, quoniam aut indigne accedit, aut post sumptionem celeriter recidivat, nisi Deus per specialem affuerit gratiam. *Quod si vas æneum fuerit, defricabitur.* Per æneum vas, homines virtuosi, qui spiritualiter fortes ac solidi sunt, intelliguntur : qui etsi cum fervore ac reverentia celebrent sive communicent, distractiones tamen et negligentias circa tantum Sacramentum incurrunt : propter quas diluendas, per disciplinas et satisfactorios actus defricant se ipsos, et corripi ac corrigi non dedignantur. Porro, per hoc quod feminei sexus personæ a sacræ et oblatæ carnis esu prohibebantur, quid aliud designatur, nisi quod nihil femineæ levitatis ac carnalis impuritatis, in celebrantibus et communicantibus consistere debeat ? Quod si carnes illas oblatas Deus in tanta voluit veneratione haberi, cum quanta reverentia tractandum atque sumendum est corpus sacratissimum Salvatoris ?

Postremo per hoc, quod oblata illa sacra jussit Dominus æqua mensura sacerdotibus impertiri, significatur, quod ecclesiastica bona sint clericis et ministris Ecclesiæ cum æqualitate justitiæ distribuenda, non tam inæqualiter, ut unus esuriat, alter in illis inebrietur, ne dicam luxurietur. Ideo pluralitas beneficiorum periculosissima comprobatur. Ceterorum verborum hujus capituli sensus spiritualis, patet ex locis præallegatis, sicut et litteralis eorum sensus.

Digitized by Google

ARTICULUS XVII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : HÆC EST LEX HOSTIÆ PACIFICORUM.

DE ritu et usu hostiarum pacificarum nunc agitur. Et primo de eis quæ pro beneficiis jam concessis offerebantur. *Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino : Si pro gratiarum actione fuerit oblatio,* id est, si immolatur in gratiarum actionem pro bonis a Deo collatis, *offerent panes absque fermento,* id est non fermentatos. Nulla enim oblatio quæ super altare ponebatur, potuit esse fermentata, juxta
Lev. II, 11. quod scriptum est secundo capitulo, Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet : de cujus rei causis dictum est ibi. *Conspersos oleo,* id est in sua formatione seu pistratione oleatos : cur autem in sacrificiis Dei oleum frequenter admiscebatur, dictum est sæpe; *et lagana azyma oleo lita* *, sicut in expositione litterali
* uncta
Lev. II, 4. secundi habetur capituli. Per lagana azyma, id est non fermentata, quidam intelligunt panes latos ac tenues, non conspersos oleo, sed linitos. Alii per lagana ista, intelligunt panem ex simila coctum in calida aqua. *Coctamque similam, et collyridas olei admixtione conspersas.* Collyridas aliqui dicunt esse parvos panes de simila factos, triangulares aut circulares. Seu, ut alii scribunt, sunt panes pertenues, qui interdum crustulæ appellantur : quoniam quasi totaliter erant crusta, parum aut nihil habentes de mica. Certius autem dici potest, quod collyrida sit idem quod torta. Unde pro eo quod scriptum est secundo
II Reg. VI, 19. Regum libro, Partitus est David singulis collyridam panis unam : primo Paralipo-
I Par. XVI, 3. menon fertur, Tortam panis.

Panes quoque fermentatos. Hoc intelli-
Lev. II, 12. gendum est de panibus immolatis, qui non superimponebantur altari, ut in secundi expositione capituli dictum est plenius.

A Hos panes offeret ad esum sacerdotum cum carnibus, *cum hostia gratiarum,* quæ scilicet pro gratiarum actione offertur. Unde subjungitur : *quæ immolatur pro pacificis,* id est pro beneficiis datis ad pacem et prosperitatem spectantibus. *Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino.* Quamvis enim plures panes offerebantur, unus tamen tanquam quid primitivum Domino specialiter offerebatur, ita quod cessit in usum sacerdotis ipsius. Ideo sequitur, *et erit sacerdotis.* Tamen (ut fertur)
B in Hebræo habetur, Ex omnibus unus. Nempe juxta præhabita in expositione secundi capituli, panes offerendi poterant quatuor modis parari seu coqui, et de singulis modis paraturæ plures panes offerebantur, atque de quolibet modo unus panis sacerdoti pro primitiis tradebatur.

Qui fundet hostiæ sanguinem, id est, animal mactabit quod Domino offeretur. Pro pacificis namque non solum panes, sed et boves, oves ac capræ immolabantur, Lev. III, 1, 6, 12.
ut tertio habetur capitulo. *Cujus carnes*
C *eadem comedentur die.* Caro quippe hostiæ pacificæ immolata, in tres partes dividebatur, quarum una ad Dei honorem concremabatur, alia venit in usum sacerdotum, tertia in offerentium usum seu esum : cujus rei ratio in tertio articulo est expressa. Eodem igitur die, quo immolabatur, hæc hostia fuerat comedenda, quantum ad duas partes suas : nec tamen ob hoc fuit ultra mensuram temperantiæ comedendum ; sed quod remansit, in crastinum comburebatur. Idcirco quod subditur,
D *nec remanebit ex eis quidquam usque mane,* exponendum est, quod licite remanere seu reservari non poterat usque ad diem sequentem, ad comedendum. Et videtur

Digitized by Google

textus sonare, quod usque ad auroram sequentis diei licuit vesci carnibus hostiæ hujus.

Sequitur de hostia pacifica quæ offerebatur pro beneficio impetrando, quæ dicebatur spontanea et votiva : quia non ita tenemur Deo pro bonis speratis, promissis aut obtinendis, sicut pro bonis exhibitis. *Si voto.* Votum non sumitur hic pro promisso: quia quod ex promissione offertur, ex debito immolatur magis, quam quod pro datis beneficiis absque promissione offertur. Votum ergo nunc pro desiderio sumitur. Itaque si voto, id est desiderio beneficii adipiscendi, *vel sponte,* ex sola devotione, *quisquam* * *obtulerit hostiam* panum aut pecorum, *eadem similiter edetur die :* si congrue fieri potest, non tamen oportet. Nam subditur : *Sed et si quid* ex ea *in crastinum remanserit, vesci licitum est :* quia tam sacerdos qui hostiam mactavit seu obtulit, quam qui eam sacerdoti obtulerunt, poterant die immediate sequenti residuum manducare, non autem tertio die. *Si quid autem tertius invenerit dies,* id est, si aliqua pars hostiæ hujus, inventa fuerit seu exsistens tertia die, per inclusionem diei oblationis et diei istius. Et capitur hic, Invenire, extense pro Exsistere sive Occurrere. Dicitur autem dies seu tempus invenire, facere aut pati, quod invenitur, fit aut sustinetur in die seu tempore. *Ignis absumet. Si quis de carnibus victimæ pacificorum tertio die comederit, irrita fiet* * *oblatio,* id est, non erit Deo accepta, nec consequetur effectum, quoad eum qui de ea tertio comederit die. Ideo sequitur, *nec proderit offerenti :* quia et si primo aut secundo die placuit aut obtinuit quid a Deo, per peccatum tertiæ diei meretur eo privari. Unde subjungitur, *quin potius quæcumque anima,* id est quicumque homo, *tali se edulio contaminaverit,* id est, talem cibum illicite sumpserit, *prævaricationis rea erit,* id est prævaricator præcepti, sicque meretur gratia data privari. Porro si sacerdos solus inde comedisset, non fuisset offerenti vulgari imputatum ; nec sacerdoti, si solus offerens inde sumpsisset, nisi aliunde communicassent in crimine illo.

* quispiam

* fiet ejus

Sed quæri potest ratio horum, cur scilicet nihil servari poterat, nec edi in crastino de hostia pro beneficio dato oblata, sicut de hostia pro adipiscendo beneficio immolata. Ad quod dici posset, quemadmodum Origenes in homilia refert respondisse Hebræos, quia non discutit servus præcepta domini sui, nec rationes eorum inquirit, sed sola jussione contentus, satagit obedire. Sicque secundum eos sufficit respondere, quoniam Deo qui præcepit, sic placuit. Istud tamen ad satisfaciendum infidelibus argumentatoribus non videtur sufficere. Nam etsi servus non habeat præcepta domini sui discutere ex diffidentia, curiositate aut præsumptione, pio tamen desiderio intelligendi ea quæ audit, potest humiliter causas scrutari. Unde et scriptum est : Beati qui scrutantur testimonia ejus. Itaque ad propositum respondere poterimus, quod ad insinuandum de beneficiis jam præstitis esse regratiandum mox sine mora, voluit Dominus oblationem pro eis factam die manducari eodem. Oblationem autem factam pro beneficiis recipiendis, posse partim comedi die sequenti, quoniam propter beneficia illa non tenemur tam indilate Deo regratiari et obsequi. Denique oblationes istæ pro gratiarum actione, et ex voto, poterant manducari non solum in atrio seu exedra, sed ubique intra Jerusalem. Non enim erat tantæ sanctitatis hæc hostia, ut holocaustum et illa quæ pro peccato fiebat, quæ in sancto loco comedebatur.

Ps. cxviii, 2.

Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni. Hoc exponitur non de quacumque carne, sed de carne hostiæ pacificæ, de qua nunc sermo. *Qui mundus est* *, *vescetur ex ea :* quia de carnibus hostiæ hujus potuit manducare non solum sacerdos, et ille qui obtulit eam sacerdoti, sed alii quoque qui invitabantur ad esum ipsius ab offerente, dummodo mundi essent secundum legem ;

* fuerit

Digitized by Google

sed immundis non licuit, sive fuissent immundi ab intrinseco, sicut leprosus et semine fluens, sive ab extrinseco, ut illi qui tangebant immunda. Hinc subditur : *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, peribit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis vel jumenti,* id est corpus defunctum, vel aliquid horum, quod secundum legem reputabatur immundum, maculansque tangentem, de quibus infra habetur, *sive omnis rei quæ polluere potest, et comederit de hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis :* quoniam irreverentiam facit Deo in his quæ oblata sunt ei.

At vero quod dictum est, Peribit de populo suo, vel, Interibit de populis suis, quidam, quos sequitur Lyra, exponunt sic, quod talis immundus fuerat morte puniendus. Contra quod scribit Rabbi Paulus : Durissimum esset dicere, quod propter talem comestionem homo puniretur morte; sed aliter est dicendum : nam in hoc loco ubi dicitur, Peribit, etc., intelligitur secundum Glossam nostram, ut talis dicatur lupus rapax, non ovis Dei. Unde in quampluribus locis, ubi similis sententia ponitur, secundum Hebræos intelligitur, tale peccatum divinæ ultioni relinqui, non quod per hominem capitali pœnæ adjudicetur. Et ista est communior sententia. Nam et de illo, in cujus domo inveniretur aut appareret quantumcumque modicum fermenti tempore paschali, et in quampluribus casibus levissimis talia verba in veteri lege leguntur, in quibus diversimode crimen capitale est introducendum. Hæc Rabbi Paulus.

Circa hæc dico, quod per hæc verba, Peribit de populo suo, datur intelligi, quod talis peccat mortaliter, contra præceptum agendo vel omittendo. Qui autem peccat mortaliter, meretur mortem æternam, qua a societate electorum sui populi perpetue separatur. Qui vero meretur æternam mortem, meretur etiam mox tolli a vita præsenti, seu vita privari a Deo secundum rigorem justitiæ, prout in Summa contra gentiles asserit Thomas. Verumtamen, an secundum legem Moysis in talibus fuerit semper etiam mors corporalis infligenda, melius scire possunt Hebræi. Apostolus tamen loquitur ad Hebræos : Irritam quis faciens legem Moysis, absque ulla contradictione duobus aut tribus testibus moritur ; quamvis hoc non sit de quibuscumque legis transgressionibus æqualiter intelligendum. Per hoc quoque quod Glossa affirmat, talem non esse ovem, sed lupum rapacem, insinuat quod peccet mortaliter, quum propter veniale dumtaxat non desinat quis esse ovis. Et quamvis aliqua talia sint in se levia, tamen in quantum erant contra præceptum Dei, non erant reputanda levissima, imo nec levia.

Hebr. x, 28.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel : Adipem bovis et ovis et capræ non comedetis. Certum est ex præhabitis, quod ista tria fuerant animalia immolaticia, et item quod adipes horum quæ immolabantur, non poterant comedi ab Hebræis. Sed de adipe horum trium pecorum, quando non offerebantur, potest quæstio esse. Tamen circa hoc communiter dicitur, quod nec talium adipum esus licuit eis, quum tertio capitulo scriptum sit, Nec adipem nec sanguinem omnino comedetis : imo ex hoc aliqui opinantur, quod nullius animalis, secundum legem comestibilis, adipem poterant manducare. De hoc Magister in historiis ait : Nec adipem nec sanguinem omnino comedetis : quod intelligitur de animalibus oblatis et assignatis ; tamen propter illud Judæi ab omni adipe abstinebant. Sed verius dicimus, quod Dominus adipem qui offerri solet, prohibuit eis in esu. Quid ergo faciunt de adipe animalis mundi, non oblati, nec morticini, nec a bestia capti ? Forte projiciunt vel dant alienigenis ad edendum. Sed quomodo faciunt hoc si Domini est ? id est, si adeps Domini esse debet. Istud opposuit Augustinus. Judæi tamen nunc comedunt adipem mundi animalis, quod offerri non licet, videlicet cervorum, damularum atque hujusmodi ;

Lev. III, 17.

Digitized by Google

adipem vero qui solebat offerri, non comedunt, sed habent in varios usus instar adipis morticini. Hæc ibi. Hinc subditur : *Adipem cadaveris morticini,* utpote per se mortui, *et ejus animalis quod a bestia captum est,* id est dilaniatum sive peremptum, *habebitis in usus varios,* id est, utemini ad diversa, videlicet ad fovendum lumen lucernæ, ad unctiones exteriores, et consimilia. Talis etenim adeps nec comedi poterat, neque offerri, quamvis fuisset animalis mundi et immolaticii. *Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini,* id est ad Dei honorem in altari cremari, *comederit, peribit de populo suo.*

Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus, id est, nullius animalis, sive gressibilis, sive volatilis sanguinem comedetis. *Omnis anima quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.* Ex hoc dicunt quidam Hebræi, quod sanguis locustarum et piscium non sit eis prohibitus. Ista duo præcepta cum rationibus suis in expositione tertii capituli sunt tractata. De hoc Josephus ait : Omnem esum sanguinis eis prohibuit, quia animam et spiritum in sanguine esse Moyses putavit : in quo esus suffocati tantum intelligitur prohiberi. Tamen in tantum prohibuit esum sanguinis, quod etiam avem vel feram aucupio, venationeve captam, voluit comedi fuso in terram sanguine et operto. Verumtamen verba hæc Josephi sunt pie intelligenda. Non enim Moyses erronee hoc putavit, ut infra dicetur, nec ex se, sed Deo jubente esum prohibuit sanguinis.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, dicens : Qui offert victimam pacificorum Domino, id est bovem, ovem aut capram, *offerat simul et sacrificium, id est libamenta ejus,* hoc est, ea quæ cum tali animali pariter solent offerri, ut sunt panis et oleum ei miscendum, seu potius mixtum aut superlitum. *Tenebit* offerens vulgaris *manibus adipem hostiæ,* id est animalis oblati, *et pectusculum* ejus. Sacerdos quoque ad-

A stans, superposuit manus suas manibus offerentis, ut sic actus ille fieret Deo acceptior. *Quumque ambo oblata Domino consecraverit,* id est, deputaverit quasi specialiter ei offerenda, *tradet sacerdoti,* ut propriis manibus immolet ea ; *qui adolebit,* id est incendet, *adipem super altare* holocausti in atrio. *Pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus,* ad comedendum. *Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis* offerentis, id est tanquam præcipuum quod

B dabitur ei ad usum et esum ipsius. *Qui obtulerit sanguinem et adipem, filiorum Aaron,* id est sacerdos ex stirpe et numero posterorum ipsius Aaron, qui modo prætacto obtulerit adipem et sanguinem pecoris immolati, *habebit armum dextrum in portione sua : pectusculum enim elevationis,* quod scilicet sacerdos levabat cum manibus ejus qui tenebat adipem atque pectusculum hostiæ suæ, sicut jam dictum est, *et armum separationis,* id est armum dextrum, qui dividebatur de corpore ani-

C malis oblati, ut daretur sacerdoti in esum, *tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis,* id est, auferri inde præcipio, et præcipere ante decrevi, (cetera vero in offerentium usum venerunt), *et dedi Aaron sacerdoti et filiis ejus* sacerdotibus *lege perpetua,* id est jussione duratura, *ab omni populo Israel* per omne tempus cultus veteris Testamenti.

Consequenter fit recapitulatio prædictorum in diversis capitulis. *Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus.* Per unctionem

D quidam intelligunt oblationem : quod videtur extraneum. Idcirco per unctionem potest intelligi provisio seu delinitio ista, qua Dominus tam benigne providit sacerdotibus suis de necessariis : per quod delinivit et dulciter unxit corda eorum. *In cærimoniis Domini,* id est in observantiis sacrificiorum legalium ad cærimonialia pertinentium ; *die quo obtulit eos Moyses,* id est præsentavit seu præsentare instituit divino conspectui, *ut sacerdotio fungerentur, et quæ præcepit Dominus eis dari a*

Digitized by Google

filiis Israel de sacrificiis eorum, *religione,* id est observantia religiosa, quæ est latriæ actus, *perpetua in generationibus suis. Ista est lex holocausti,* de quo dictum est primo capitulo ; *et sacrificii pro peccato* commissionis, *atque delicto :* de quo sacrificio scriptum est quarto capitulo ; *et pro consecratione,* id est justificatione per sacrificia obtinenda, vel de consecratione offerendorum, *et pacificorum victimis :* de quibus habitum est capitulo tertio, et in isto. *Quæ* sacrificia *constituit Dominus Moysi,* id est, notificavit, præfixit, offerrique jussit ; constituit, inquam, *in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel* per Moysen, *ut offerrent oblationes suas Domino,* id est sicut Deo et Domino summo; *in deserto Sinai :* quia in illo deserto situs est mons ille, et in illo monte mandavit hæc, atque in illo deserto cœperunt filii Israel ista offerre.

Præterea super illud, Tenebit manibus adipem, scribit Lyra : Sacerdos supponebat manus suas manibus offerentis, sicque istud superpositum manibus suis elevabat ad cœlum, deinde retraxit versus terram, postea ad quatuor partes orbis : ad denotandum quod offerebatur ei, qui est Dominus cœli et terræ. Sicque fuissent ibi sex motus. Sed his contradicit Rabbi Paulus, et dicit : Sacerdos in hujusmodi oblationibus faciebat quatuor motus tantum : videlicet elevare versus cœlum, et retrahere

A versus terram, et movere antrorsum, ac trahere retrorsum. Et ita in hujusmodi motibus fiebat proprie signum crucis. Hæc Rabbi Paulus. Circa quod dici posset, quod per talem cruciformem sacrificii motionem duo designabantur : Unum, quod ei offerebatur, qui pro mundi redemptione fuerat crucifigendus ; aliud, quod sacrificium illud præfiguravit sacrificium illud salvificum, pro communi salute in cruce oblatum.

Præterea, ad intelligendum præhabita, B oportet advertere, quod in prima secundæ, quæstione 102, scribit Thomas : De hostiis, inquiens, pacificis in usum sacerdotis cedebant pectusculum et armus dexter, ad excludendum quamdam divinationis speciem, quæ spatulamantia nuncupatur : quia in spatulis immolatorum animalium divinabant, et similiter in osse pectoris : ideo duo ista offerentibus subtrahebantur, sacerdotibusque dabantur. Per quod etiam designatur, quod sacerdoti necessaria erat sapientia cordis, ad instruendum populum : C quod significabatur per pectus, quod tegumentum est cordis ; et etiam fortitudo animi, ad sustinendum defectus inferiorum, quod insinuabatur per armum dextrum. Hæc eadem Alexander super tertium, et Guillelmus libro de Fide et legibus scribunt. Ceterorum quæ in isto habentur capitulo, rationes et causæ, in præinductis articulis pro maxima parte habentur.

ARTICULUS XVIII

SPIRITUALIS ELUCIDATIO EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI.

H*ÆC est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino.* Debemus et nos pacificas, salutaresque hostias Deo assidue cum omni devotione offerre, tanto plus quam olim Judæi, quanto majora et plura beneficia nobis desuper sunt collata per

D Christum tempore evangelicæ legis et gratiæ, quam Judæis sub lege timoris ac rigoris justitiæ : nempe quæ tunc danda aut fienda per Christum promittebantur, jam nobis exhibita sunt atque impleta per ipsum, sicut ait Joannes : Lex per Moysen *Joann.* I, 17.

Digitized by Google

data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

Itaque pro beneficiis nobis a Deo per Dominum Jesum concessis, tam generalibus quam specialibus, offerre debemus *panes absque fermento conspersos oleo,* intelligendo per panes observantias præceptorum, quæ bene reficiunt mentem, et sine quibus nihil spiritualiter sapit, Deove placet: quoniam qui non implet mandata, nequaquam spiritualiter vivit nec diligit, sed mortuus est; estque ingratum Spiritui Sancto quidquid obtuleris ei, si neglexeris
Jacob. II, 10. id, ad quod teneris: imo si quis in uno offendat, factus est omnium reus. His observationibus præceptorum nullatenus est miscendum fermentum malitiæ aut ne-
Luc. I, 75. quitiæ, nulla impietatis corruptio, sed in sanctitate et justitia, sancto et justo serviendum est Deo. Oleum vero pietatis semper miscendum est, ut in primis unusquisque misereatur animæ suæ, et proximis suis tam in spirituali inopia, quam in corporali indigentia compatiatur, atque pro posse celeriter ac ferventer auxilietur. Sicque, sicut in omni opere Creatoris misericordia et veritas juxta censuram sapientiæ ejus contemperantur, ita in nostris quoque actibus misericordia et justitia per veram commisceantur discretionem.

Offeramus etiam *lagana azyma,* id est supererogationis opera per caritatem lata ac lucida, usque ad Deum proximosque extenta. Quemadmodum enim quotidie tot saltem venialibus involvimur culpis, quod universas et singulas distincte cognoscere, deplorare et emendare non possumus, sed
Ps. XVIII, 13. orare egemus, Ab occultis meis munda me, Domine; sic omni die festinemus infatigabili corde etiam opera bona ultra debitum innumerabilia exercere, meditando, fervendo, et adspirando, ad Deum loquendo, et forinsecus exsequendo quæ pia
I *Cor.* III, 12. et justa sunt. Qui hoc agit, lignum, fœnum et stipulam non colligit. *Coctamque similam,* id est contemplationem purissimam, igne ferventis amoris accensam: quæ contemplatio finis est præcedentium

A actionum; *et collyridas olei admixtione conspersas,* id est affectus sanctæ caritatis præfervidos, ita ut tota mente simus zelo divini honoris ac fraternæ salutis accensi: et sicut collyrida circularis est formæ, sic isti affectus, instar motus circularis, revertantur in Deum ex quo procedunt.

Panes quoque fermentatos. Hic fermentum in bono accipitur, quoniam bonum præstat saporem pani, sicut in Evangelio ubi habetur: Simile est regnum cœlorum *Matth.* XIII, 33.
fermento, etc. Panes ergo sic fermentati,
B sunt pœnitentialia exercitia, quibus austeritas est permixta, quæ malæ voluptatis inficientem excludit saporem. *Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino.* Tria namque ponuntur opera satisfactionis, ad quæ cetera reducuntur: videlicet, oratio, eleemosyna, jejunium, inter quæ oratio est panis præcipuus. Qui et specialiter Deo offertur, quum sit ascensus mentis in Deum, petitioque decentium a Deo, et per eam Deus potissime honoratur. *Et erit sacerdotis:* quia ad sacerdotem, confessorem
C maxime, pertinet orationi vacare, et pro pœnitentibus exorare. Qui autem Deo super suis beneficiis regratiatur, ita hoc agere debet, ut non omittat pro quotidianis suis præteritisque peccatis opera pœnitentialia adimplere, ne quasi securus de venia, per negligentiam et incustodiam resolvatur. *Qui* sacerdos *fundet hostiæ sanguinem,* hoc est, sacrificia regratiantis offeret Deo, eum rogando pro sibi commissis, ut eorum spiritualia sacrificia acceptare dignetur, quoniam inter Deum et
D populum constitutus est medius. *Cujus carnes eadem comedentur die:* hoc est, de ipso sacrificio gratiarum actionis et laudis, ipse qui Deo regratiatur, debet se immediate spiritualiter reficere, nec actum tam virtuosum differre, sed delectari in *Ps.* XXXVI, 4.
Domino, ei omni die quasi de novo gratias referendo.

Si voto vel sponte quisquam obtulerit hostiam: id est, si quis laudem et gratiarum actionem immolat Deo pro beneficiis impetrandis, eodem die in talibus actibus

Digitized by Google

delectari debet in Domino. Quod tamen parumper potest differri, sed non nimis diu, quoniam beneficia jam collata conservare non valemus, nisi gratiam permanendi et proficiendi in eis Dominus largiatur. Etenim non progredi, et non proficere, est regredi atque deficere. Quod significatur per hoc, quod tertio die non licet inde comedere. Nam opus bonum, opportuno tempore seu hora præfixa est exsequendum. Et si nimium differatur, non acceptatur. *Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur :* id est, homo qui peccatis consentit, et alienis communicat vitiis, Christo non incorporatur, nec est cibus Ecclesiæ, sed igni tradetur tartareo. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, peribit.* Per hoc insinuatur, quam enormiter peccet, qui ad Christi mensam accedit non emundatus.

Postremo, per pectusculum non solum sapientia, sed etiam pietatis compassio et caritatis affectio designantur, quæ esse debent excellenter in sacerdote : similiter fortitudo atque justitia, quæ per armum dextrum significantur. De spirituali autem significatione adipis et sanguinis, et cur non debuerant manducari, atque de ceteris, quorum spiritualizatio seu moralizatio nunc transilitur, jam frequenter est dictum.

ARTICULUS XIX

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : TOLLE AARON.

CONSECRATIO sacerdotum, summi videlicet sacerdotis seu pontificis, et inferiorum sacerdotum, hoc loco describitur. Et ea quæ Dominus in Exodo fieri jussit, in isto ac sequenti capitulis recitantur executioni mandata. Unde et horum duorum sensus capitulorum, ex illorum expositionibus pro parte maxima innotescit.

Exod. XXVIII et XXIX.

Denique, ut dicenda nunc clarius pateant, pensandum quod S. Thomas in prima secundæ, quæstione 102, conscribit : Sicut populus Israel instituebatur ad cultum Dei per circumcisionem, ita ministri, puta Levitæ et sacerdotes ac pontifex, per aliquam specialem purificationem vel consecrationem. Unde et separari ab aliis jussi sunt, quasi specialiter ad cultum Dei præ aliis deputati. Et totum quod circa eos fiebat in eorum institutione et consecratione, ad hoc pertinebat, ut ostenderetur eos habere quamdam prærogativam puritatis, virtutis ac dignitatis. Ideo in institutione ministrorum tria fiebant. Primo enim purificabantur, secundo ordinabantur et consecrabantur, tertio applicabantur ad ministerii usum. — Purificabantur autem communiter omnes per ablutionem aquæ, et per sacrificia quædam. Specialiter vero Levitæ radebant omnes pilos carnis suæ. — Porro consecratio pontificis et sacerdotum fiebat hoc ordine. Nam postquam abluti erant, induebantur quibusdam specialibus vestibus sacris, ad eorum officia pertinentibus, ad designandum dignitatem ipsorum. Specialiter vero pontifex oleo unctionis ungebatur in capite, ad ostendendum quod ab ipso diffundebatur potestas consecrandi ad alios, sicut oleum a capite derivatur ad inferiora. Levitæ autem non habebant aliam consecrationem, nisi quod offerebantur Domino a filiis Israel per manus pontificis, qui orabat pro eis. Minorum vero sacerdotum solæ manus consecrabantur, quæ erant ad sacrificia applicandæ ;

Digitized by Google

et de sanguine animalis oblati tangebatur A extremum auriculæ dextræ ipsorum, et pollices pedis ac manus dextræ : ad demonstrandum quod deberent esse obedientes legi Dei in oblationibus sacrificiorum, quod significatur per intinctionem auris dextræ; quod item esse deberent prompti atque solliciti in exsecutione sacrificiorum, quod significatur in intinctione pedis et manus dextræ. Adspergebantur etiam et vestimenta eorum sanguine animalis oblati in memoriam sanguinis agni, per quem fuerunt de Ægypto liberati. Insuper offe- B rebantur in eorum consecratione sacrificia ista : vitulus pro peccato ; et aries in memoriam oblationis Abrahæ, cujus obedientiam pontifex imitari debebat ; et aries consecrationis, qui erat quasi hostia pacifica in memoriam liberationis ex Ægypto; canistrum quoque panum, in memoriam mannæ. — Pertinebat vero ad applicationem ministerii, quod super manus eorum ponebantur adeps arietis et torta panis unius et armus dexter, ad demonstrandum quod accipiebant potestatem offe- C rendi talia Domino. Levitæ autem applicabantur ad ministerium, per hoc quod intromittebantur in tabernaculum fœderis, quasi ad ministrandum circa vasa sanctuarii. — Postremo figuralis horum ratio fuit, quoniam hi qui consecrandi sunt ad spirituale ministerium Christi, debent primo purificari per aquam baptismi ac lacrimarum, in fide passionis Christi : quod est quasi sacrificium purgativum et expiativum. Debent quoque radere omnes pilos carnis, id est universas pravas co- D gitationes abjicere; atque ornari virtutibus, et consecrari oleo Spiritus Sancti, adspersione quoque sanguinis Christi : et sic debent esse intenti ad spiritualia ministeria exsequenda. Hæc Thomas. Ex quibus faciliter patebunt sequentia.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle Aaron cum filiis suis, qui tunc quatuor erant, videlicet Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar. Et quando hæc dicebantur, nondum fuerunt sacerdotes. *Vestesque eorum* sacerdotales et pontificales, *et unctionis oleum, vitulum pro peccato* Aaron et filiorum ejus, vel solius Aaron, offerendum. Circa quod etiam Thomas scribit : Vitulum pro peccato, in memoriam remissionis peccati Aaron circa conflationem vituli. Sed quemadmodum super Exodum scripsi, quando Dominus primo jussit hæc, nondum commiserat Aaron hoc peccatum. Memoria quoque proprie est præteritorum : ideo in memoriam remissionis illius peccati, non jubebatur offerri hic vitulus, sed pro remissione aliorum peccatorum Aaron, et forsan etiam filiorum ipsius. *Duos arietes, canistrum cum azymis,* id est panibus non fermentatis. *Et congregabis omnem cœtum* populi *Israel ad ostium tabernaculi,* puta in atrio, ita quod extra tabernaculum stabant.

Exod. XXXII, 4; XXIX, 36.

Fecitque Moyses ut Dominus imperaverat ; congregataque omni turba ante fores tabernaculi, ait : Iste est sermo quem jussit Dominus. Statimque obtulit Aaron et filios ejus, id est, Deo præsentavit, et statuit eos juxta altare holocausti in præsentia omnium, ut universi conspicerent modum consecrationis, sacrificiique eorum, et mirabilia Dei mox fienda : sicque haberent eos in majori reverentia, et scirent quod totum esset a Deo, non ex ambitione humana ; sicque Deum in suis effectibus ac ministris venerarentur, et prompti essent de cetero ad offerendum quæ lex præcepit. *Quumque lavisset eos.* Non est putandum, quod totum eorum corpus nudum coram populo laverit, sed lavit manus eorum et pedes, ad designandum quod ministri templi debent esse sancti in actionibus atque affectionibus suis, imo in omni sua conversatione. *Vestivit pontificem,* scilicet Aaron tunc in pontificem protinus consecrandum, *subucula linea.* Hoc fuit primum et infimum ornamentum pontificis, quod in Exodo vocatur tunica linea, et erat alba camisia, nisi quod feminalia erant inferiora hac veste. *Accingens eum balteo* super tunicam lineam, quæ quasi superplicium erat, et super

Digitized by Google

vestes usuales induta ; *et induens eum tunica hyacinthina* super balteum illum, *et desuper humerale imposuit, quod adstringens cingulo, aptavit rationali, in quo erat Doctrina et Veritas. Cidari quoque,* id est mitra, *texit caput. Et super eam, contra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione,* id est deputatam pontifici in signum sancti officii sui ad Dei honorem, vel consecratam in sanctificatione sua formaliter, quæ huic laminæ debebatur, quemadmodum pontifex unctus est in unctione ei debita.

Tanguntur hic breviter vestimenta et ornamenta pontificis quorum aliqua inferioribus sacerdotibus erant communia. Et omnia ista super Exodum diffuse exposita sunt. (*Exod.* xxviii, 4.) Sed quia expositio ista ab illa forsan apud quosdam disjuncta erit, quæ dicta sunt ibi, possunt nunc partim breviterque resumi. Itaque in prima secundæ, quæstione 102, loquitur Thomas : Pontifex habuit octo ornamenta. Primo enim habuit vestem lineam. Secundo, tunicam hyacinthinam, in cujus inferiori extremitate circa pedes pendebant tintinnabula, ut audiretur sonus ingredientis ; malaque punica facta ex hyacintho et purpura, coccoque bis tincto et bysso retorta. Tertio habuit superhumerale, quod texit humeros et anteriorem corporis partem usque ad cingulum, quod fuit ex præfatis materiis. Quartum fuit rationale ex eadem materia constans, quod erat quadratum, et ponebatur in pectore : in quo rationali erant duodecim lapides pretiosi, per quatuor ordines distincti, in quibus sculpta erant nomina duodecim filiorum Israel, ad designandum quod jugiter esset pro eorum salute sollicitus. In rationali quoque mandavit Dominus poni Doctrinam et Veritatem, quoniam quædam pertinentia ad veritatem justitiæ et doctrinæ, scribebantur in illo rationali. Judæi vero fabulantur, quod in rationali erat lapis, qui per diversos colores mutabatur, secundum diversa quæ filiis Israel debebant accidere. Quintum fuit balteus, ex prædictis quatuor materiis factus. Sextum tiara, hoc est mitra de bysso. Septimum lamina aurea, pendens ante frontem pontificis, in qua nomen Domini tetragrammaton scriptum fuit. Octavum feminalia linea ad operiendum turpitudinis carnem, quando accederet ad sanctuarium vel altare. Ex his octo, sacerdotes inferiores habebant quatuor ornamenta, videlicet feminalia, tunicam lineam, balteum et tiaram.

Verumtamen advertendum, quod Josephus et eum sequentes, dicunt fuisse decem sacerdotalia ornamenta ; et sex fuisse pontifici propria, scilicet tunicam hyacinthinam, superhumerale, rationale, balteum, mitram hyacinthinam seu cidarim, et auream laminam. Nempe ut Josephus docet, duplex exstitit balteus, unus sacerdotum, alter pontificis. Duplex quoque tiara, una pontificis, alia sacerdotum. Nam mitra sacerdotum fuit de bysso, mitra pontificis de hyacintho, quæ in capite pontificis ponebatur supra mitram byssinam.

Tulit, hoc est, Moyses accepit, *et unctionis oleum quo linivit,* id est unxit, *tabernaculum cum omni supellectili sua,* hoc est cum attinentiis suis et contentis in eo, puta cum vasis suis et altari thymiamatis. Fiebat autem unctio horum non per totam superficiem eorumdem, sed in partibus certis, digito tincto in oleo, et ex eo liniente partes hujusmodi. *Quumque sanctificans adspersisset altare septem vicibus :* hoc intelligitur de altari holocausti quod erat in atrio, quod sanctificavit seu consecravit de sanguine hostiæ, illud septies adspergendo ; *unxit illud* in aliquibus partibus modo prætacto, *et omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo* unctionis. Qualiter omnia ista sunt facta, in Exodo dictum atque expositum est. (*Exod.* xxx, 26.) *Quod fundens super caput Aaron,* hoc est, aliquid de oleo illo fundens super caput pontificis, *unxit eum* in præsulem, *et consecravit* ad exercendum pontificale officium. Unxit etiam manus ipsius. *Filios quoque ejus oblatos consecravit* Domino, *vestivitque tunicis lineis*

Digitized by Google

A strictis, de quibus prædictum est, *et cinxit balteis* super tunicas, *imposuitque mitras* byssinas eorum capitibus, *ut jusserat Dominus.*

Obtulit et vitulum pro peccato ipsius Aaron, et forsan etiam pro peccato filiorum ipsius. Nam subditur: *Quumque super caput ejus posuissent Aaron et filii ejus manus suas.* Quid autem talis impositio manuum designabat, in primi capituli expositione est habitum. *Immolavit eum :* qui adhuc sacerdotali fungebatur officio, B quoniam Aaron et filii ejus nondum erant plene consecrati et confirmati in illo officio. Consecratio namque eorum duravit Exod. xxix, 30. septem diebus, ut in Exodo habetur; atque ut Josephus scribit, reiterabatur quotidie infra tot dies. *Hauriens sanguinem,* hoc est, vituli illius immolati sanguinem partim colligens, sive in vase suscipiens, *et tincto digito* suo in sanguine illo, *tetigit cornua altaris* holocausti, juxta quod vitulum mactavit et obtulit, *per gyrum :* imo quum dictum sit de vitulo qui offe-C rebatur pro sacerdotis peccato, quod de Lev. iv, 5, 7. sanguine ejus inferebatur in tabernaculum testimonii, et de eodem sanguine ponebatur super cornua altaris thymiamatis, ita et de sanguine vituli hujus fiebat. *Quo* holocaustorum altari *expiato,* hoc est acceptabili facto, *et sanctificato* per unctionem et sanguinis linitionem, quod fiebat Exod. xxix, 37. septem diebus, ut in Exodo continetur, *fudit reliquum sanguinem* vituli immolati *ad fundamenta ejus. Adipem vero qui erat super vitalia, et reticulum jecoris, duosque renunculos cum arvinulis* D *suis, adolevit super altare ; vitulum cum pelle et carnibus et fimo cremans extra castra, sicut præceperat Dominus.* Istud totum cum rationibus suis expositum est quarto capitulo, quia de partibus et intestinis vituli hujus fiebat, prout ibi debere fieri scriptum est.

Obtulit et arietem in holocaustum. Istum arietem immolavit Moyses in reverentiam majestatis divinæ pro Aaron et filiis ejus. Fiebat quoque de isto arietis holocausto, quemadmodum ante, præsertim primo capitulo, scriptum est esse agendum de holocausto. Ideo littera plana est ex dictis ibidem. Denique congruo ordine facta est ista oblatio. Primo enim necesse est Deo reconciliari per dimissionem peccati : quo facto, aptus est homo Deum sinceriter honorare.

Obtulit Moyses *et arietem secundum :* duos etenim arietes jussus fuit accipere; *in consecrationem sacerdotum :* quoniam aries iste specialiter offerebatur, quatenus per sanguinis ejus adspersionem et linitionem Aaron et filii ejus consecrarentur in sacerdotes. Ideo sequitur, *posueruntque super caput ejus Aaron et filii ejus manus suas. Quem quum immolasset* Moyses, *sumens de sanguine ejus, tetigit,* id est linivit, *extremum auriculæ dextræ Aaron, et pollicem manus ejus dextræ, similiter et pedis. Obtulit et filios Aaron* Domino, non ita sicut vitulos atque arietes. Nam filios Aaron dicitur obtulisse, in quantum divinæ majestatis oculis eos præsentavit atque adduxit, ut Domino in sacerdotes consecrarentur. *Quumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, et pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum.* Quid autem linitio partium harum significavit, nunc in isto articulo, et super Exodum inductum est. *Adipem* Exod. xxix, 20. *vero et caudam* hujus arietis, *omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque jecoris et duos renes cum adipibus suis, et armo dextro separavit,* id est, seorsum posuit Moyses.

Tollens autem de canistro azymorum, id est ex sporta in qua erant azymi panes, *quod erat coram Domino, panem absque fermento et collyridam conspersam oleo, laganumque :* quæ vocabula circa exordium expositionis septimi capituli fuerunt Lev. vii, 12. exposita; *posuit super adipes et armum dextrum* quæ de ariete isto seorsum posuerat; *tradens simul omnia ista Aaron et filiis ejus.* Per quod auctoritate et vice Dei contulit, seu conferri monstravit eis pote-

Digitized by Google

statem accipiendi ista a plebe; tanquam A diceret : Accipite potestatem sumendi ista a populo, quædam ad immolandum Domino, quædam ad esum vestrum seu usum. *Qui postquam levaverunt ea coram Domino :* quasi ad recognoscendum potestatem hanc sibi a Deo collatam, atque ad regratiandum super hoc Domino; et item ad repræsentandum et exorandum ut Dominus eorum ministeria acceptaret, in signum quoque obedientiæ suæ ad Dei honorem. — Porro Magister in historiis addit: Quum Aaron et filii ejus tenerent illa in mani- B bus, Moyses superposuit omnibus pectusculum. Unde et pectusculum elevationis dictum est, quia omnibus superpositum fuit: in signum tamen, quod superior omnium est sapientia, quæ per pectus exprimitur. Legitur etiam sic vocatum propter offerentium elevationem. In pacificis quippe et salutaribus hostiis offerentes, primo elevabant armum et pectus coram Domino, deinde tradebant ea sacerdotibus tanquam partes eis a Domino assignatas. Armus vero seu humerus dexter dicebatur C separationis, quia in separatione membrorum hostiæ, primus ab ea separabatur, et quia in partem sacerdotum illum Moyses separavit, tanquam membris ceteris digniorem. Dicunt etenim quidam, quod in formatione corporis animalis in utero matris, a dextero humero inchoatur. Hæc ibi. — *Rursum suscepta de manibus eorum, adolevit,* id est, cremavit ea Moyses, *super altare holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio,* hoc est sacrificium Deo oblatum pro consecratione sacerdotum: ideo D ad Dei reverentiam cremabatur. Unde subjungitur : *in odorem suavitatis sacrificii Domino :* quia sic placuit ei. *Tulitque,* id est, Moyses in manu sua accepit, et *pectusculum* præfati arietis, *elevans illud coram Domino,* in recognitionem et gratiarum actionem, quod illud fuit suo usui divinitus deputatum. Hinc subditur : *de ariete consecrationis in partem suam :* quia de ariete pro sacerdotum consecratione oblato, hoc cessit in partem Moysis tanquam sacerdotis, sicut deinde in aliis sacrificiis cesserunt pectuscula in partem Aaron, filiorumque ejus. *Sicut præceperat ei Dominus.* Hoc namque in Exodo legitur Deus ei jussisse. *Assumensque unguentum.* Hoc unguentum vocatur oleum unctionis in Exodo. *Et sanguinem qui erat super altare,* quem miscuit oleo. Miscuit quoque aquas fontium, ut in Scholastica fertur historia. *Adspersit super Aaron et vestimenta ejus, et super filios illius ac vestes eorum,* omnia pariter consecrando. Nempe, ut dicitur, solus pontifex ungebatur, et consecrabatur oleo unctionis impermixto et puro seorsum. Sed tam ipse quam inferiores sacerdotes, consecrabantur adspersione hujus unguenti seu olei mixti.

Exod. XXIX, 26. *Ibid.* 7.

Quumque sanctificasset eos in vestitu suo, id est in vestibus eorum sacerdotalibus, quas simul cum ipsis consecravit, *præcepit eis, dicens : Coquite carnes ante fores tabernaculi,* id est, cibos et carnes in usum vestrum cedentes, parate ante tabernaculi januam, et extra illud, puta in atrio, *et ibi comedite eas,* videlicet in sancto loco, ita quod nec pro refectione liceat vobis exire. *Panes quoque consecrationis,* qui in vestra consecratione et pro ea oblati sunt, *edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens : Aaron et filii ejus comedent eos. Quidquid autem reliquum fuerit de carne et panibus,* id est, quod primo die supermanserit esui vestro de carnibus arietis consecrationis, panibusque præfatis, *ignis absumet,* id est, die sequente cremabitur. Nam aries iste, qui pro consecratione offerebatur, fuit etiam oblatio pacifica pro gratiarum actione de beneficiis jam concessis, puta pro pontificatu ac sacerdotio desuper datis Aaron et filiis ejus. Ideo quod superfuit primo die, non poterat in crastino manducari, quemadmodum de tali sacrificio dictum est. *Ibid.* 34.

De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus consecrationis. Jam dictum est, quod in atrio coquebant et comedebant: idcirco quod ait, De ostio tabernaculi, intelligendum est cum inclusione atrii;

Digitized by Google

vel, de extrema janua qua intrabatur ad atrium, et per illud in tabernaculum. *Usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ:* videlicet usque ad septimum diem inclusive, ita quod tunc egredi poterant; vel, usque ad octavum exclusive, in quo consecratio complebatur, quantum ad hoc, quod tunc processit in actum, quia tunc uti cœperunt officio sacerdotali, ut capitulo patet sequenti. Consecratio tamen, quantum ad suum esse, complebatur septimo die. Propterea subditur: *Septem enim diebus finitur consecratio, sicut et impræsentiarum factum est, ut ritus sacrificii complerentur.* Aliqui dicunt, quod sola unctio iterabatur tot diebus. Josephus vero affirmat, quod tam sacrificia quam unctiones eorum iterabantur tam diu. Verumtamen sex diebus Moyses non vestivit eos; sed semel, id est prima die, induti sacras vestes, septem diebus non exuerunt nec atrium sunt egressi. *Die ac nocte manebitis in tabernaculo,* atrium includendo. Quod si quæratur, ubi requisita naturæ egerunt: respondetur, quod forsan ibi erat locus ad ea paratus. Vel casus ille intelligitur esse exceptus, quum necessitas careat lege communi. *Observantes custodias Domini,* id est mansiones istas seu jussiones ad manendum in sancto loco tot diebus, ne interim commisceamini vulgaribus, nec involvamini sæcularibus curis et mundanis negotiis, quia infra hoc tempus debetis specialiter esse devoti; *ne moriamini. Sic enim mihi præceptum est. Feceruntque Aaron et filii ejus cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysis.*

Circa præhabita quæritur, qualiter Moyses quum nec pontifex esset, neque sacerdos, consecravit Aaron in pontificem, et filios ejus in sacerdotes. Respondetur, quod auctoritate et vice Dei hoc fecit: cujus exemplum aliqui ponunt, quod cardinalis diaconus missus a Papa, dat benedictionem præsente episcopo in sua legatione, quoniam benedictio illa non est sua, sed Papæ, cujus fungitur auctoritate. Præterea Bonaventura super quartum Sententiarum, distinctione 25, testatur: Irrefragabiliter verum est quod ait Apostolus: Sine ulla (*Hebr.* VII, 7.) contradictione quod minus est, a majore benedicitur. Quomodo ergo episcopus consecrat archiepiscopum, et episcopus Ostiensis summum Pontificem? Ad quod idem Doctor respondet: Verbum Apostoli verum est, quod minus a majore benedicitur pro statu in quo benedicitur: et sine cunctatione verum est, quod nullus dat alteri majorem dignitatem quam habet; nec minimum ordinem dare potest, qui eum non habet: idcirco episcopus consecrans archiepiscopum vel Papam, non dat ei nisi consecrationem episcopalem. Sed ille ampliorem auctoritatem et jurisdictionem habet a canonica subditorum electione et a suo consensu ac Dei ordinatione, qui ordinavit Petrum et suos successores supra totam Ecclesiam, volens ut omnes qui canonice electi fuerint, eamdem quam Petrus, habeant potestatem. Hæc Bonaventura.

Sed an Moyses fuit sacerdos, merito quæri potest. Et ex verbis jam allegatis argui potest quod imo, præsertim quum et in Psalmo dicatur: Moyses et Aaron in sa- (*Ps.* XCVIII, 6.) cerdotibus ejus. Iterum quia frequenter functus est sacerdotali, imo et pontificali officio, et cibus sacerdoti appropriatus, deputatus est ei, puta pectusculum, in consecratione sacerdotum atque pontificis. Hanc autem quæstionem movet B. Augustinus super præallegatum verbum Psalmi, dicendo: Si Moyses fuit sacerdos et pontifex, quomodo ab Aaron et filiis ejus pontificium et sacerdotium legis cœperunt? et cur vestes sacras non habuit? Ad hæc sine præjudicio videtur dicendum, quod ex privilegio sine consecratione humana pontificalis sacerdotalisque dignitas fuerunt in Moyse, etiam altiori modo, quam in Aaron et filiis ejus, non tamen altiores. Quod autem ab Aaron et filiis ejus incepisse dicuntur, intelligendum videtur, quantum ad eos qui per legitimam et consuetam institutionem aut successionem dignitates illas sortiti sunt. Unde quem-

Digitized by Google

admodum in summo Pontifice nostro est A utriusque potestatis plenitudo respectu militantis Ecclesiæ, prout in fine secundi Sententiarum Thomas et alii dicunt; ita in Moyse, respectu Israeliticæ plebis, videtur fuisse plenitudo potestatis spiritualis et sæcularis secundum exigentiam status plebis illius. Nam et Moyses, Deo jubente, instituit ipsum Josue principem pro se, prout in libro Numerorum legitur. *Num.* XXVII, 22.

ARTICULUS XX

SPIRITUALIS CAPITULI HUJUS OCTAVI EXPOSITIO.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle Aaron cum filiis suis. Apostolus ad Hebræos: Nemo, inquit, sumit sibi honorem, hoc est, nullus debet se ipsum ad ecclesiasticas dignitates aut prælaturam ingerere; sed qui vocatur a Deo ut Aaron, quem Dominus ad pontificatum elegit, vocavit et promovit per Moysen. Per quod primo omnis damnatur ambitio, et reprobantur ambitiosi, qui ad aliorum regimen animarumque curam adspirant, quia Dei judicium non verentur. Denique, quemadmodum Dominus jussit pontifici et sacerdotibus specialia ac præclara fieri indumenta, ut ipsi et eorum officia et sacrificia in majori reverentia haberentur a populo; sic unam specialem tribum, imo unius tribus determinatam familiam, ad sacerdotium præelegit, quatenus ex dignitate successionis, posteri essent honorabiliores in plebe. *Vestesque eorum et unctionis oleum.* Per hoc insinuatur, quod illi digni sunt ad ecclesiasticos promoveri honores, in quibus sunt virtutes designatæ per vestes illas, atque charismata Spiritus Sancti, quæ per unctionis oleum intelliguntur. *Hebr.* v, 4.

Et congregabis omnem cœtum filiorum Israel ad ostium tabernaculi. Per quod insinuatur, quod electio et promotio debent fieri in aperto, ita quod electioni saltem scrutatores adsistant. Circa hæc loquitur Origenes: Requiritur in ordinando sacerdote, hoc est pontifice, aut prælato, seu B presbytero, præsentia populi, ut sciant omnes et certi sint, quoniam qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium: et hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio aut scrupulus alicui resideret. Ego tamen (verba sunt Origenis) et amplius aliquid video in eo quod dicitur, Convocavit Moyses omnem synagogam seu cœtum: et puto quod convocare synagogam, sit colligere omnes animi virtutes, quatenus quum sermo de sa- C cerdotalibus sacramentis habetur, vigilent omnes animi virtutes et intentæ sint, et nihil in his sapientiæ, nihil scientiæ, nihil industriæ desit; sed adsit omnis multitudo spiritualium sensuum, adsit omnis congregatio cogitationum sanctarum, ut quid sit pontifex, quid unctio, quid indumenta ipsius, conferens intra sacrarium cordis sui possit advertere. Hæc Origenis verba, Hieronymo solent adscribi, et ei attribuuntur in Decreto; sed ex Origene ea accepit.

Insuper Josephus protestatur, quod Moy- D ses animos populi inclinavit ad sacerdotium Aaron in hunc modum: Dixit enim populo, quod ipse, scilicet Moyses, se ipsum dignum sacerdotio judicaret, tum propter familiaritatem quam habebat cum Deo, tum quia plurimum laboraverit pro populo, tum quoniam unusquisque naturaliter amicus sui est; sed Dominus ipsum Aaron dignum judicavit. In hoc quoque ostenditur, quam infinita sit misericordia

Digitized by Google

superpiissimi Dei, quod Dominus ipsum Aaron et posteros ejus ad pontificium sacerdotiumque assumpsit, postquam circa vitulum conflatilem tam dire peccavit. Nemo ergo ad ignoscendum sit tardus.

Statimque obtulit Aaron et filios ejus. Per hoc notatur, quod in sacris Ordinibus constituti, sunt Deo specialiter consignati et consecrati: propter quod sacrilegi fiunt, dum Deo relicto, ad carnalia atque inania se effundunt. *Quumque lavisset eos:* quia ad sacros Ordines indigni sunt promoveri, præsertim ad pontificatum ac pastoratum, qui ab universis vitiis non sunt immunes seu emundati: imo qui ad aliquod tale accedunt indigni, utpote conscii sibi de culpa, peccant mortaliter; similiter qui actum sacri Ordinis exsequuntur indigne. Atque ut divinus Dionysius contestatur, sacerdotes debent etiam a minimis culpis consistere alieni: quod denotat lotio extremitatum digitorum eorum in celebratione. Ipsi ergo ante celebrationem se ipsos discutiant, confiteantur, et lacrimis pœnitentiæ lavent.

Vestivit pontificem subucula linea. Primo quippe oportet a vitiis expurgari, deinde virtutibus decorari, juxta illud: Declina a malo, et fac bonum. De multiplici autem causa et significatione pontificalium ac sacerdotalium vestimentorum ac ornamentorum, tot et tanta super Exodum scripsi, ut ea jam iterare molestum sit. Brevissime autem tangendo, per subuculam seu tunicam lineam strictam, rite intelligitur puritas seu innocentia vitæ, quæ ardua est arctaque via; per balteum, virtus continentiæ, qua præcingendi sunt lumbi; per tunicam hyacinthinam, conversatio cœliformis atque angelica, quia hyacinthus est coloris cœlestis: et ad hujusmodi conversationem, per innocentiam continentiamque pertingitur. *Et desuper humerale imposuit.* Per humerale exprimitur caritatis perfectio, seu firmitas patientiæ, qua prælati et perfectiores, inferiorum et pusillorum defectuositates pie et caritative supportant, juxta illud Apostoli: Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. Et ne quis in se ipso fatue glorietur, quasi tantus exsistens ut pusillos sustineat, ejusque comparatione alii reputentur infirmi, recte adjecit Apostolus: Et non nobis placere. Hæc autem caritatis perfectio competit eis, qui dicere possunt: Nostra conversatio in cœlis est. *Quod adstringens cingulo, aptavit rationali.* Per rationale significatur discretio, quæ cingulo, id est pia et sapientiali moderatione, jungenda est humerali, ut sic aliorum defectus caritative portentur, ut nihilo minus cum discretione corripiantur et castigentur, ne inveterascant atque putrescant infirmi in sordibus suis. *In quo erat Doctrina et Veritas:* quoniam per discretionem agnoscitur, qualiter audientes et subditi sint docendi, non solum per verba, sed etiam per exempla, quod veritas vitæ insinuat. *Cidari quoque texit caput.* Per cidarim rectitudo justitiæ accipi potest, qua caput, id est cor, ornari oportet. Per auream laminam, in qua erat nomen Domini, contemplatio sancta signatur, qua Deus menti inscribitur. Prælatus etenim perfectione vitæ activæ et contemplativæ debet fulgere, et nunc unius, jamque alterius vitæ exercitiis inhærere.

Tulit et unctionis oleum quo linivit tabernaculum. Per quod figuratur, quod tota fidelium congregatio unctione charismatum Spiritus Sancti sit perfundenda. *Quod fundens super caput Aaron, unxit eum.* Nam præsidens seu prælatus tanto exuberantiori indiget unctione et gratia Spiritus Sancti, quo major est sua prælatio, et quo pluribus præest, quo item qui ei commissi sunt ad altiora et perfectiora tenentur, in tantum ut de plenitudine sua queat influere subditis suis. *Filios quoque ejus vestivit:* quia et inferiores sacerdotes ac clerici omni castitate, innocentia, justitia debent ornari. *Obtulit et vitulum pro peccato:* quia sacerdotes pro suis peccatis satisfacere debent Deo, et superiores ac præsidentes pro sibi commissis intercedere, offerre et satisfacere debent Deo, ipsos ei reconciliando, quemadmodum sanctus Job mane consur-

Ps. XXXIII, 15; XXXVI, 27. — Matth. VII, 14. — Rom. XV, 1. — Rom. XV, 1. — Philipp. III, 20. — Job I, 5.

gens, obtulit holocaustum pro filiis suis quotidie. *Obtulit et arietem in holocaustum :* quoniam sacerdotes totis viribus debent honorare Altissimum, propter propriam ejus superpræstantissimam dignitatem, et honorabilitatem prorsus immensam. Denique pro beneficiis sibi collatis, devotissimas Deo grates debent rependere : quod per oblationem arietis consecrationis innuitur.

Qualiter autem Christus per ista sacrificia designetur, dictum est sæpe. Ipse
Is. LIII, 7. equidem tanquam vitulus est pro nostris peccatis oblatus. Ipse se ipsum pro nobis Patri obtulit holocaustum. Et factus est
Apoc. v, 10. nobis aries consecrationis, qui fecit nos Deo Patri regnum et sacerdotes. Quod etiam figurabatur per hoc, quod unguento et sanguine Moyses adspersit Aaron et filios ejus, præcepitque eis : *Coquite carnes ante fores tabernaculi, et ibi comedite eas.* Carnes has

A coquere, est corpus dominicum consecrare, seu illud intra se diligentissime considerare, quam reverenter, pure et amorose sit accipiendum et pertractandum : quod et in loco sancto atque in ecclesiastica unitate sumendum est cum panibus consecrationis, id est de actibus virtuosis, ex canistro, id est continentia sacræ Scripturæ.

De ostio quoque tabernaculi non exibitis. Per hoc edocemur, quam assidue et devote debeant sacerdotes et clerici evangelicæ legis in ecclesia demorari, discur-
B sus vitare, ac divinis intendere. Quam item enormiter peccent, qui evagationibus, vanitatibus ac carnalitati intenti sunt. *Die* ergo *ac nocte,* videlicet in prosperis et adversis, *septem diebus,* id est per omne tempus vitæ præsentis, observent *custodias Domini,* id est, se ipsos ac sibi commissos cum diligentia summa custodiant. Cetera patent ex dictis.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI NONI : FACTO AUTEM OCTAVO DIE.

QUALITER Aaron et filii ejus officio suo sacerdotali uti exorsi sint, modo describitur. *Facto autem octavo die,* id est in ipso die, qui immediate sequebatur præfatos septem dies consecrationis, *vocavit Moyses Aaron et filios ejus, ac majores natu Israel.* Illos nobiliores, tanquam rectores et judices plebis, Moyses specialiter convocavit, in quorum tamen vocatione intelligitur vocasse et alios. Nam paulo post fertur : Ubi quum omnis staret multitudo, puta ad ostium tabernaculi. Circa hoc Lyra allegat Rabbi Salomonem, dicentem quod dies ista octava, fuit prima dies anni secundi egressionis de Ægypto. Ad quod non oportuit illum specialiter allegare, quum et catholici expositores nonnulli hoc dicant. Nam et Magister in hi-

C storiis : Tradunt quidam, hunc octavum, fuisse primum diem anni secundi ex quo egressi sunt. Quumque objicitur eis, quod prima die anni secundi tabernaculum est Exod. XL, 2.
erectum, ut in Exodo legitur, dicunt erectionem ibi accipi pro consummatione ipsius.

Dixitque ad Aaron : Tolle de armento vitulum pro peccato, id est, ex multitudine boum tuorum accipe unum offerendum pro remissione culparum tuarum aut etiam filiorum tuorum; *et arietem* ex grege ovium
D tuarum ad offerendum eum Deo *in holocaustum,* id est ad reverentiam majestatis divinæ ; *utrumque immaculatum,* id est sine macula, quæ reddit animal ineptum ad immolandum. *Et offer illos* successive *coram Domino* in atrio juxta altare holo-

Digitized by Google

caustorum. *Et ad filios Israel loqueris : Tollite hircum pro peccato,* id est, de communi sumptu adducite hircum, qui immoletur pro culpa communitatis, vel (ut aliqui dicunt) pro culpa principis ; *et vitulum atque agnum anniculum sine macula in holocaustum, bovem et arietem pro pacificis,* id est ad offerendum pro hostiis salutaribus propter beneficia vobis collata aut conferenda. *Et immolate eos coram Domino,* id est, animalia ista præsentate sacerdotibus, ut per manus eorum offerantur Deo pro vobis ; *in sacrificio singulorum* animalium horum, *similam oleo conspersam offerentes,* quemadmodum frequenter jam dictum est, sic esse agendum. *Hodie enim Dominus apparebit vobis,* id est, per gratiosum et miraculosum effectum ostendet se accepta habere sacrificia ista, prout in fine hujus capituli legitur, quod ignis egressus a Domino ea consumpsit.

Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses, ad ostium tabernaculi, id est, filii Israel universa animalia jam præfata adduxerunt per se, vel per sacerdotes, usque in atrium prope et extra tabernaculum. Porro in Scholastica fertur historia : Aaron primo obtulit vitulum pro peccato suo ; deinceps oblaturus pro populo, sumpsit ab eis hostias quinque : vitulum pro peccato populi et hircum pro peccato principis, agnum pro peccato animæ, bovem in holocaustum, arietem pro pacificis. Verumtamen istud ex textu hujus capituli non videtur manifeste elici posse, nec loquitur littera ista separatim de peccato, aut sacrificio synagogæ et principis ac animæ, id est privatæ seu singularis personæ. *Ubi quum omnis multitudo adstaret, ait Moyses : Iste est sermo quem præcepit vobis Dominus : Facite, et apparebit vobis gloria ejus. Et dixit Moyses ad Aaron : Accede ad altare* holocausti, *et immola* vitulum *pro peccato tuo,* id est pro omnium peccatorum tuorum remissione. Aliqui tamen specialiter referunt hoc ad peccatum Aaron in vitulo conflatili perpetrato. Sed hoc jam fuit ei dimissum. *Offer holocaustum, et deprecare pro te et pro populo.* Obtulit autem successive duo holocausta, unum pro se, aliud pro plebe : rectusque ordo, ut primo oret pro se, deinde pro populo. Nam ut ait Salvator : Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat? Nam et caritas incipit a se, id est a proprio suo subjecto. Denique qui vult exaudiri copiose pro aliis, studeat personaliter Deo reconciliari et complacere. *Quumque mactaveris hostiam populi,* id est animal offerendum pro remissione peccati communitatis, seu et alias hostias plebis, *ora pro eo, sicut præcepit Dominus.* Sacerdos enim cum oratione obtulit sacrificia sive pro se sive pro aliis. Interdum vero obtulit ea cum gratiarum actione.

Matth. XVI, 26. *Marc.* VIII, 36. *Luc.* IX, 25.

Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato suo, cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui, id est, sanguinem illum in vasculo receptum præsentaverunt patri suo pontifici, ut faceret quæ sequuntur. *In quo tingens digitum, tetigit,* id est linivit, *cornua altaris* holocausti. *Et fudit residuum ad basim ejus.* Ad basim autem altaris thymiamatis quod in tabernaculo stetit, sanguis non fundebatur. *Adipemque et renunculos ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare. Carnes vero et pellem ejus extra castra combussit igni.* Sensus horum patet ex dictis in expositione quarti capituli. Fecit enim de vitulo isto, sicut de vitulis pro peccato oblatis esse agendum, in illo jubetur capitulo. *Immolavit et holocausti victimam,* id est holocaustum pro se et filiis suis, qui ei in istis immolationibus adstiterunt, cooperabantur et subservierunt, nec propriis manibus aliquid obtulisse leguntur hac vice. Quæ autem de isto holocausto ultra dicuntur in textu, patent ex primi expositione capituli, in qua ritus sacrificii hujus describitur.

Lev. IV, 5 *et seq.* — *Ibid.* I, 3 *et seq.*

Et pro peccato populi offerens mactavit hircum. Ex quo apparet, quod hircum obtulit non specialiter pro peccato principis, sed communitatis in generali, in qua et princeps tanquam caput et principalis pars

Digitized by Google

continetur. *Expiatoque altari* holocausti, A *fecit holocaustum,* id est, in holocaustum populi mactavit et obtulit vitulum et agnum, ut dictum est; *addens in sacrificio libamenta quæ pariter offeruntur,* id est, ipsi holocausto adjecit panem ex simila cum oleo, quæ cum hujusmodi sacrificio simul offerri solent juxta præhabita. *Et adolens,* id est comburens, *ea super altare* holocaustorum, *absque cærimoniis holocausti matutini,* id est ultra hoc quod observavit et obtulit juge sacrificium, quod summo mane ante alia sacrificia offerebatur et cre- B mabatur, quemadmodum et de sero ultimum fuit, videlicet unus agnus in mane, alter in vespere, ut frequenter inductum est. *Immolavitque bovem atque arietem, hostias pacificas populi,* id est pro populo et adductas ab eo. De isto quoque sacrificio Lev. III, 1. fecit secundum quod tertio capitulo scriptum est, de ipso esse fiendum : idcirco ex dictis ibidem, clara est littera ista. *Pectora eorum et armos dexteros separavit Aaron, elevans coram Domino,* id est, pectuscula, dexterosque humeros hostiarum istarum C pacificarum divisit a corporibus immolatis, et pro suo esu ac filiis suis retinuit.

Et extendens manum ad populum, quasi repræsentans Deo populum suum, *benedixit eis**, imprecando eis bona a Domino, cui sacrificia devote jam obtulerunt. *Sicque completis hostiis pro peccato et holocaustis et pacificis, descendit ab altari* holocau- Exod. XX, 26. sti, ad quod ascendebatur non per gradus, sed per scamnum, aut per ligneum instrumentum oblongum, paulatim tendens in altum, sive per alium modum, ut super Exodum dictum est plenius.

* ei

Ingressi autem Moyses et Aaron in tabernaculum testimonii : steterunt enim in atrio juxta holocaustorum altare, et tabernaculum intraverunt, ut Dominum exorarent quatenus per effectum ostenderet sacrificia sibi esse accepta. Et quamvis Moyses id ipsum ex revelatione jam novit atque prædixit, ut patuit, nihilo minus exoravit ut fieret, quia sic prærodinatum fuit a Deo ut per orationes compleretur sanctorum, quemadmodum Christus exoravit pro suis electis et pro glorificatione corporis sui, quæ scivit esse præordinata a Patre ut fierent. Ait namque : Non pro Joann. XVII, 9. mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo. Secundo, ut aliqui dicunt, tabernaculum introierunt, quatenus Moyses plenius informaret ipsum Aaron de qualitate offerendi incensum super altare thymiamatis in tabernaculo situm. Nam quamvis sacrificia essent completa quoad fienda in holocaustorum altari, non tamen omnia fuerant consummata, quousque post prædicta sacerdos in sanctuario super altare thymiamatis immolaret incensum, juxta illud ad Hebræos : In priori tabernaculo Hebr. IX, 6. semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. Dictum est quoque quarto capitulo, quod de sanguine vituli pro peccato sacerdotis oblati, infe- Lev. IV, 6, 7. rebatur in sanctuarium ad ponendum de eo super cornua altaris thymiamatis. *Et deinceps egressi; benedixerunt populo* ambo simul, ut ex communi tantorum benedictione et oratione major populo gratia præstaretur.

Apparuitque gloria, id est præclarus effectus, *Domini, omni multitudini. Et ecce ignis egressus a Domino,* id est divina virtute per angelicum ministerium productus in aere, et inde descendens supra naturam, quoniam leve naturaliter habet ascendere, non descendere ; *devoravit holocaustum,* id est holocausta tam ipsius Aaron quam communitatis, *et adipes quæ erant super altare* holocausti. Per hoc Do- D minus demonstravit sibi placere sacrificia illa, sicut ostendit in sacrificiis Abel et Sa- Gen. IV, 4. III Reg. VIII, 63; XVIII, 38. lomonis atque Eliæ. Aaron namque non supposuit illis ignem, prout hactenus factum fuit per Moysen. Unde et ignis qui ita descendit, nutritus et conservatus est in sanctuario et templo deinceps, et vocatus est ignis perpetuus : quem tempore Babylonicæ captivitatis sacerdotes transmigrantes absconderunt in puteo sicco, atque per II Mach. I, 20. Nehemiam recuperatus est in suo simili, ascendens ex aqua crassa, juxta quod se-

Digitized by Google

cundo Machabæorum libro narratur. *Quod* A *quum vidissent turbæ,* scilicet tribus adstantes, quæ fuerunt una totalis turba sub principe suo generali, videlicet Moyse ; et item fuerunt plures turbæ partiales, sub specialibus suis judicibus ac tribunis ; *laudaverunt Dominum,* quoniam bonus in se et pius circa cultores suos, qui tam dignanter egit cum eis, *ruentes in facies suas,* id est in terram se humiliter prosternentes ad reverentiam Omnipotentis, ex consideratione et intuitu majestatis et misericordiæ suæ, cui tanto plus se totos humiliaverunt, quanto ipse gratiosius et mirabilius egit cum eis.

Postremo Augustinus improbat eos, qui dicunt tantum quinque animalia sumpta ad offerendum, affirmans cum illis quinque, sumptum agnum anniculum in holocarposim, quod interpretatur holocaustum fructuosum, utpote quod Deus aliquo signo sensibili sibi gratum esse monstravit. Forsan tamen per agnum illum, intelligit præfatum juge sacrificium matutinum.

ARTICULUS XXII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI NONI INTELLIGENTIA.

F*ACTO autem octavo die,* etc. Per hoc B quod Moyses expletis septem diebus consecrationis pontificis ac sacerdotum, mox die sequenti, Deo jubente, vocavit pontificem et sacerdotes filios ejus, præcipiens, ut statim ad suorum exsecutionem officiorum procederent, datur intelligi, quod episcopi atque presbyteri evangelicæ legis, tenentur potestate et ordine sibi concessis uti et exsequi sua officia in celebrando et aliis actibus ad quos obligantur ex consecratione aut professione. Hinc Thomas super quartum Sententiarum, distinctio- C ne 13, sic scribit : Quum dicat Gregorius, Dum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum, et sacerdoti data sit nobilissima potestas, reus negligentiæ erit, nisi ea utatur ad Dei honorem et suam salutem, aliorum quoque vivorum ac mortuo-
I *Petr.* IV, 10. rum, juxta illud primæ Petri, Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes : nisi forte quis ex familiari Spiritus Sancti instinctu dimittat, sicut legitur de quodam sancto Patre in Vitis Patrum, qui ordinatus, nunquam D postea celebravit. Itaque qui ordinem habet, exsequi eum tenetur. Nam et Ambrosius ait : Grave est, Domine, quod ad tuam mensam mundo corde et manibus innocentibus non venimus ; sed gravius est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddimus. Quum igitur primum horum mortale sit, ergo et secundum. Verumtamen quum præceptum celebrandi sit affirmativum, obligat semper, sed non ad semper. Unde et circa hoc examinet quisque conscientiam suam, et juxta suam vocationem, professionem, seu occupationem opportunis studeat temporibus celebrare ; imo et taliter conversari, quod ad tantum opus sit dignus, quantum humana sinit fragilitas.

Dixitque ad Aaron : Tolle de armento vitulum pro peccato, etc. Quemadmodum litteralis, ita et spiritualis hujus capituli sensus ex sæpe præhabitis pro maxima patet parte : nempe qualiter per oblationem vituli pro peccato, intelligatur vel Christus, vel salubris mortificatio proprii corporis, seu bestialium interfectio passionum ac motuum, introductum ubertim recordor. Insuper dictum est, qualiter ista tam a sacerdotibus quam ab aliis debeant immolari ; quid item per sanguinis tin-

Digitized by Google

ctionem, adspersionem et effusionem signetur; similiter quid per intestina, quid per holocausta, quid per sacrificia pro peccato, quid per pacificas hostias.

Præterea advertendum, quod si sacrificia illa irrationalium jumentorum Deo sic placuerunt ex fide, obedientia et devotione offerentium, atque ex orationibus et exercitiis obsequiosis sacerdotum, quod ea igne cœlitus dato fecit consumi in signum sensibile acceptationis divinæ : quam incomparabiliter amplius complacet Deo sacrificium evangelicæ legis, oblatio Filii Dei, immolatio corporis et sanguinis ejus dignissimi. Quod utique sacrificium ex se ipso propria sua virtute Deo Patri, imo et toti superbeatissimæ Trinitati est gratissimum; nec, quantum ad hoc, plus valet celebratio sacerdotis boni, quam mali : nihilo minus, quantum ad quædam sacrificio huic annexa, videlicet quantum ad orationes, laudes et quasdam ministrationes, plus valet Missa virtuosi presbyteri quam iniqui, et eam audire salubrius est, non obstante quod et mali sacerdotis oratio, quam fundit in persona Ecclesiæ, et tanquam officians ejus, ejusque vicem gerens, efficaciam aliquam sortiatur.

Itaque in sacris constituti Ordinibus, in primis offerant omni die pro culpis propriis vitulum, id est, Christi passionem ac meritum Deo Patri pro venia impetranda humiliter immolando, recolendo seu repræsentando, sed et proprium corpus efficaciter castigando; deinde sic purificati, se ipsos totaliter offerant ei in holocaustum. Pro beneficiis quoque concessis laudem et grates offerre non desinant, sed et pro obtinendis majoribus deprecari non cessent. Insuper cum omni affectu orent et celebrent pro communitate, pro principe, in primis pro summo Pontifice et ceteris qui ponuntur in canone. Insuper ceteri et vulgares Deo fideliter offerant suas oblationes spirituales et corporales, et grati sint Deo, imo de collatis tam grati, ut plura atque majora mereantur sortiri. Quemadmodum etiam filii Aaron suo patri in oblationibus adstiterunt et servierunt; sic clerici inferiores superioribus Dei ministris et suis prælatis in omni bono cooperari ac communicare seu obsequi cum ingenti conentur fervore, præsertim in officio Missæ. Quod si ita egerimus, *ignis egressus a Domino* devorabit sacrificia nostra, id est, Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedens, rapiet et quasi absorbebit in se, caritatisque ardor ea incendet, et Pater omnipotens corda celebrantium ac offerentium tam calidissime inflammabit, tamque gratiosissime visitabit, quod per hoc evidenter sensibiliterque monstrabit, quam accepta sint ei sacrificia atque obsequia nostra.

ARTICULUS XXIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : ARREPTISQUE NADAB ET ABIU, FILII AARON, THURIBULIS SUIS.

PROSPERIS frequenter miscentur adversa. Idcirco in die prosperitatis non est incaute neque inaniter gloriandum, juxta quod in Ecclesiastico legitur : In die bonorum ne immemor sis malorum. Sic accidit primis sacerdotibus istis, quia quum fuissent vehementer honorati a Deo per descensum ignis divinitus dati, eorum sacrificia devorantis, mox ipsi incaute se habentes, aut etiam subito aliquali inani gloria tacti, suam volentes coram populo potestatem et excellentiam demonstrare,

Eccli. XI, 27.

Digitized by Google

sacerdotali officio sunt abusi, ideoque plagati. Ait ergo Scriptura : *Arreptisque Nadab* primogenitus Aaron, *et Abiu* secundo natus, *thuribulis suis, posuerunt ignem* in thuribulis, *et incensum desuper,* id est materiam quamdam ad incendendum eam igne illo et offerendam Deo ; *offerentes coram Domino ignem alienum,* id est, de igne altaris holocausti desuper dato, non sumptum, sed aliunde acceptum ; *quod eis præceptum non erat,* sed prohibitum. Jam enim per Moysen dictum fuit ad eos, ne in hujuscemodi sacrificiis alio uterentur igne quam illo desuper dato. Ut refert Lyra, Rabbi Salomon dicit causam mortis sacerdotum istorum fuisse, quia immoderate potati, intraverunt ad ministrandum in tabernaculo : ob quam irreverentiam sunt percussi. Unde et paulo post Dominus ait ad Aaron : Vinum et omne quod inebriare potest, non bibes tu et filii tui, etc., quasi ad præcavendum simile malum. Sed ista narratio non videtur textui satis consona, quum evidenter dicatur in littera, quod obtulerunt ignem alienum, id est, in igne prohibito immolaverunt incensum. Ignis quippe non erat per se materia immolaticia, atque ob illud dicuntur occisi. Nam sequitur :

Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, id est exstinxit, non autem incineravit. Devorare namque interdum extense accipitur pro superare, occidere, dejicere. Unde et in Job scriptum est : Etiam, inquit, si locutus fuerit homo, devorabitur. (*Job* XXXVII, 20.) Josephus vero sic refert : Dum Nadab et Abiu portarent hostias super aram, quas non præceperat Dominus, sed quibus primitus utebantur, ante suam videlicet consecrationem in sacerdotes, subito inflammati sunt, nec valuit eos quisquam exstinguere. Pro quorum concordia forsitan dici posset, quod primo posuerunt incensum super ignem thuribuli, deinde super altare. Porro quod dictum est, Egressus ignis a Domino, devoravit eos : intelligendum est, vel de igne illo jam ante egresso qui holocausta voravit, et mansit in holocau- A storum altari ; vel de alio igne, instar prioris noviter descendente. *Et mortui sunt coram Domino.* Est tamen ambiguum, an occisio illa sacerdotum per ignem, facta sit ministerio angeli boni an mali.

Dixitque Moyses ad Aaron, quum ipse Aaron et filii ejus inciperent deplorare tam improvise ac repente combustos : *Hoc* quod nunc vides impletum in filiis tuis occisis, *est quod locutus est Dominus,* dicens : *Sanctificabor in his qui appropinquant mihi,* id est, in sacerdotibus et ministris qui in B templo mihi deserviunt, sanctitatem atque justitiam meam sine personarum acceptione monstrabo ; *et in conspectu omnis populi glorificabor,* id est, gloriosus et omnipotens declarabor per effectus justitiæ et omnipotentiæ meæ, ulciscendo sacerdotum peccata quando excesserint. Vel sic : Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, id est, in cordibus ministrorum meorum, qui per mentis conversionem accedunt ad me, sanctus et justus esse cognoscar, ita quod ab eis volo mihi in sanctitate C serviri ; Et in conspectu omnis populi glorificabor, id est, in oculis eorum gloriosus efficiar seu reputabor. Primæ expositioni magis concordat quod in Exodo Dominus loquitur : Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos. (*Exod.* XIX, 22.) Secundæ expositioni consonat quod ait Salvator : Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. (*Matth.* V, 16.) *Quod audiens Aaron, tacuit,* voluntatem subjiciens ac conformans divinæ justitiæ, nec Moysis verba indignanter acci- D piens, atque a ploratu, verbisque dolorosis se reprimens.

Quæri potest, cur ultionem istam tam rigorosam, improvisam, subitaneam, in primis sacerdotibus illis pro culpa (ut apparet) non magna, fecerit Deus. Respondetur, quod fecit hoc, ad incutiendum timorem ceteris sequentibusque sacerdotibus, ut reverenter et timorate sua exsequantur officia : sicut et circa principium dationis legis Dominus jussit eum qui sabbato collegit ligna, mox lapidari ; in principio quo- (*Num.* XV, 35.)

Digitized by Google

que evangelicæ legis maritum et conjugem A
Act. v, 2. qui de pretio agri fraudaverant, fecit subito mori : quatenus leges divinæ a ceteris sollicitius custodiantur.

Vocatis autem Moyses Misaele et Elisaphan filiis Oziel patrui Aaron, ait ad eos : Tollite fratres, id est consobrinos *vestros :* nam variis modis dicitur unus frater alterius in Scripturis ; *de conspectu sanctuarii,* id est de loco seu præsentia tabernaculi, seu de atrio ejus in quo combusti fuerunt ; *et asportate extra castra :* ad locum in quo honorifice sepeliantur, ne et B ex eorum adspectu jucunditas hujus solennitatis, in qua pontifex et sacerdotes orsi sunt exsequi sua officia, in luctum vertatur ; quum et in Nehemia dicatur :
II Esdr. VIII, 9, 10. Dies sanctus Domini est, nolite lugere ; gaudium enim Domini est fortitudo vestra.

Confestimque pergentes, tulerunt, id est, abstulerunt *eos, sicut jacebant, vestitos,* id est exstincta eorum cadavera : ponitur enim pars pro toto ; *tunicis lineis, et ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum.* Ex quo elicitur, quod nec corpora eorum C erant incinerata, nec vestes læsæ : quod de vestibus fuit miraculum. Quod autem corpora igne occidantur, nec incinerentur, non est miraculosum : attamen ignis ille qui tantæ fuit vigorositatis, quod tot holocausta repente incineravit, potuisset et corpora incinerare humana ; sed Deus justus ac sapiens suas moderatur vindictas, sicut et tertio Regum libro Propheta, qui ex deceptione alterius pseudo, contra præceptum Dei sibi præfixum, in Samaria manducavit, legitur a leone occisus, qui D
III Reg. XIII, 28. tamen nec corpus ipsius, nec asinum læsit. Hinc quoque creditur pie, quod duo hi sacerdotes æternam evaserint damnationem, utpote temporaliter castigati, quum scriptum sit : Non vindicabit Dominus bis
Nahum I, 9 in id ipsum ; seu, Non consurget tribulatio duplex. Videntur tamen in præfato facto peccasse mortaliter, utpote contra Dei præceptum : sicque dicere oporteret, quod in ipsa sua plagatione misericorditer tacti a Domino, pœnituerunt. Denique, quoniam primi hi sacerdotes Mosaicæ legis cum sacris sui officii vestimentis sepulti sunt, orta est consuetudo, quod ministri altaris cum sui ministerii vestibus sepeliuntur propter sacri Ordinis dignitatem.

Locutus est Moyses ex præcepto Domini, *ad Aaron, et ad Eleazar et Ithamar filios ejus : Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere.* Istud ad litteram Dominus jussit, quoniam sacerdotes idololatræ in mortibus propinquorum suorum capita sua nudabant, vel evellendo crines usque ad calvitiem, vel nudatis capitibus suos importune monstrando mœrores. Vestes vero in magnis adversitatibus scindere, consuetudo exstitit etiam Judæorum. Quod in isto casu sacerdotibus Dei prohibitum est, ne instar vulgarium se haberent in funeribus propinquorum : quia sic debebant esse circa divina intenti, ut immoderatos vitarent mœrores. Verumtamen moderatum et naturalem compassionis affectum non eis prohibuit Dominus. Porro secundum Lyram, pro eo quod nostra habet translatio, Capita vestra nolite nudare, in Hebræo habetur, Capita vestra non augmentabitis, scilicet dimittendo capillos crescere ultra solitum, quemadmodum faciebant gentiles in morte amicorum in signum tristitiæ. Sed his contradicit Rabbi Paulus : Hebraica, inquiens, littera in hoc loco penitus est conformis nostræ translationi. Verbum enim Hebraicum hic positum, aliud nihil significat quam nudare : et est sensus, quod Judæi non evellerent capillos ex capite, ita ut fieret calvitium, per quod caput nudatur, quod facere consueverunt gentiles super mortuos suos. Unde et in Deuteronomio scriptum est : Non facietis calvitium super mortuo. Hæc Deut. XIV, 1.
Paulus.

Nolite ergo hæc facere, *ne forte moriamini,* id est, ne præcepta ista transgrediendo mereamini repente occidi, sicut plagati sunt duo præfati ; vel, Ne moriamini in præsenti morte peccati, deinde morte infernalis supplicii. Et quod addit, Forte, non ambiguitatem, sed libertatem in Deo

Digitized by Google

designat. *Et super omnem cœtum oriatur indignatio,* id est, propter vestra peccata contingat totum populum flagellari : sicut interdum subditi, propter superiorum suorum vitia, puniuntur pœna corporali et temporali, non autem spirituali atque æterna, in quantum superiores et subditi unum sunt : quod tamen omnipotens Deus ordinat ad bonum inferiorum, sicut de hoc alibi plenius scripsi. Interdum quoque contingit, quod excessus sacerdotum dat aliis peccandi audaciam : sicque eos scandalizando, exstant occasio, quod super cœtum subditorum indignatio Dei ac ultio oritur.

Fratres vestri, puta Levitæ non consecrati in sacerdotes, *et omnis domus Israel,* id est residuum Israeliticæ plebis, *plangant incendium quod Dominus suscitavit,* id est, interitum sacerdotum combustorum deplorent, præsertim quia sacerdotes fuerunt publicæ personæ et quasi patres populi. Unde et tales sunt a plebe specialiter deplangendi, sicut et specialiter sunt amandi, et propter damnum commune, quod ex talium imminet morte. Unde et apes mortem regis sui, quem mortuum vident, sic dolent et quasi deplorant, quod nisi aliunde eis provideretur, et ipsæ mox morerentur. Quo constat, quam ingrati ac duri consistant, qui superiorum suorum, saltem bonorum, non deflent mortem. *Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioqui peribitis.* Octavo capitulo dictum
Lev.viii,33. est, quod infra dies septem quibus consecratio sacerdotum duravit, non licuit eis tabernaculum egredi, nomine tabernaculi intelligendo et atrium ejus. Hi autem septem dies non erant præteriti. Cur ergo nunc rursus jubentur illud non egredi? et quamdiu duravit prohibitio ista? Dicendum, quod prohibentur modo non egredi ad tempus, ad sepeliendum defunctos, nec inter vulgares nudatis misceri capitibus, quia et recenter consecrati et uncti fuerunt. Propter quod subditur : *Oleum quippe sanctæ unctionis est super vos.* Verumtamen solus pontifex unctus fuit in capite oleo unctionis puro. Qualiter autem

A alii sacerdotes uncti dicantur oleo mixto, dictum est sæpe. *Qui fecerunt omnia juxta præceptum Moysis.*

Dixit quoque Dominus ad Aaron. An jussio et allocutio ista sit facta ad Aaron per Moysen, an immediate per angelum, textus non exprimit. Et quamvis istud præceptum concernebat etiam inferiores sacerdotes, tamen ad pontificem tanquam ad principalem, atque per eum ad filios ejus, est factum. *Vinum et omne quod inebriare potest,* videlicet siceram, *non* B *bibetis tu et filii tui,* scilicet inferiores sacerdotes, *quando intrabitis in tabernaculum testimonii,* id est eo die seu tempore quo ingressuri estis sanctuarium ac altare, ad ministrandum et sacrificandum ibidem, intelligendo per tabernaculum, altare etiam holocausti ; *ne moriamini : quia præceptum est sempiternum,* id est perpetue obligans, *in generationes vestras,* id est successione et ordine sacerdotum per totum veteris Testamenti decursum. *Ut habeatis scientiam,* id est liberum usum C et expeditum judicium, *discernendi inter sanctum et profanum,* id est, quæ sint sacrificia licita, et quæ non ; *et inter pollutum et mundum,* id est, quæ sint munda secundum legem, et quæ non, præsertim inter laudabiles et vituperabiles mores, inter virtutes et vitia ; *doceatisque filios Israel omnia legitima mea,* puta præcepta moralia, cærimonialia et judicialia, *quæ locutus sum ad eos per manum Moysis.* Quamvis autem vinum moderate sumptum, non impediat istam discretio- D nem, scientiam et doctrinam, imo clarificare dicatur ingenium ; tamen quia difficile est in potatione vini non excedere medium, ex quo excessu mala plurima oriuntur, ideo Dominus absolute prohibuit sacerdotibus vini potum tempore ministerii sacri : ut etiam per abstinentiam et obedientiam, obtinerent a Domino gratiam ampliorem ad exsequendum condigne omne ministerium suum, atque ut populus in sacerdotum sobrietate et abstinentia ædificaretur.

Digitized by Google

Circa hæc loquitur Augustinus : Si non licuit eis bibere vinum et siceram, quando ingressuri erant tabernaculum, quos quotidie necesse erat illud intrare et accedere ad altare, ubi quotidie sacrificabatur, cur ergo non dixit Dominus breviter, Vinum non bibetis ; sed addidit, Quando intrabitis, etc. ? An quia causa non bibendi tacenda non erat, et maxime, quoniam Deus præsciebat multos postea, etiam summos sacerdotes, futuros uno tempore, id est non per successionem, qui universo illi ministerio vicissim deservirent, et tunc servituri in tabernaculo, vinum non bibebant ? Hæc Augustinus. Verumtamen ad istud videtur breviter dici posse, quod quamvis quotidie fiebant in templo sacrificia, multiplicatis tamen sacerdotibus, singuli non ministraverunt quotidie in eodem. In solitudine autem deerat vinum.

Locutus est Moyses ad Aaron et Eleazar et Ithamar filios ejus qui erant residui : Tollite sacrificium quod remansit de oblatione Domini, id est, partes sacrificiorum vobis deputatas accipite, *et comedite illud absque fermento,* id est cum azymis panibus, *juxta altare* holocausti in atrio seu in exedra, hoc est domuncula ibi sita ad comedendum, *quia sanctum sanctorum est. Comedetis autem in loco sancto* jam dicto, *quod datum est tibi et filiis tuis de oblationibus Domini,* id est partes vobis concessas ex hostiis pro peccato, ex quibus soli sacerdotes edere poterant, non uxores et filiæ eorumdem, sicut de hostiis pacificis, de quibus subjungitur : *Pectusculum quoque quod oblatum est, et armum qui separatus est,* id est pectora et armos seu humeros, vel, ut alia habet translatio, brachia sacrificiorum pacificorum vobis reposita, *edetis in loco mundissimo* jam præfato, *tu et filii tui et filiæ tuæ tecum,* et eadem ratione uxores. Aaron tamen non legitur filias habuisse, sed sub nomine Aaron dirigitur sermo etiam ad posteros ejus. Sacerdotes autem de partibus sibi deputatis, dividebant et communicabant uxoribus suis et filiabus, quibus non erant

A speciales partes deputatæ ex lege. *Tibi enim et liberis tuis reposita sunt* membra præfata *de hostiis salutaribus filiorum Israel,* id est de pacificis hostiis, de quibus poterat mulieribus aliquid dari ; *eo quod armum et pectus et adipes qui cremantur in altari,* id est super altare holocausti, de quibus adipibus nil edebatur, *elevaverint coram Domino,* id est, ratione sacerdotalis officii competunt vobis hæ partes, cujus officii auctoritate competit sacerdotibus eas coram Deo levare, dum sacrificia saluta-
B ria offeruntur, sicut multoties dictum est.

Inter hæc hircum qui oblatus fuerat pro peccato plebis seu principis, *quum quæreret Moyses,* id est carnes hirci sic immolati : has namque quærebat Moyses, ad videndum an in esu earum lex esset servata ; *exustum reperit,* quia totum corpus ejus fuit relictum in igne ex inadvertentia sacerdotum, qui mœrore et turbatione confecti fuerunt ex horribili morte consacerdotum et fratrum suorum. *Iratusque* ira per zelum *contra filios Aaron*
C *qui remanserant, ait : Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto,* id est, cur non satis tempestive manducastis partes hirci pro peccato oblati, deputatas esui vestro, *quæ sancta sanctorum est, et data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis,* id est, solliciti sitis Deo reconciliare eos, pro quibus oblatus est hircus, quasi eorum peccata essent vestra, *et rogetis pro ea in conspectu Domini,* utpote devote et reverenter, tanquam in Dei præsentia constituti ? *præsertim quum de sanguine il-*
D *lius non sit illatum intra Sancta,* hoc est in ipsum tabernaculum ad liniendum ex eo altare thymiamatis, sicut fiebat de sanguine vituli pro peccato populi immolati, ut habetur quarto capitulo. Si autem fuis- *Lev.* IV, 7.
set de sanguine hirci hujus illatum in Sancta, fuisset extra castra, ut dicitur, totaliter comburendus. *Et comedere eam debueratis in sanctuario,* id est in atrio seu exedra sanctuarii.

Respondit Aaron pro filiis suis et pro se : *Oblata est hodie victima pro pecca-*

Digitized by Google

to, et holocaustum coram Domino : quasi A dicat, In parte solvi et feci quod facere debui. *Mihi autem accidit quod vides :* videlicet incendium filiorum meorum. *Quomodo potui comedere eam,* scilicet hostiam hirci, *aut placere Domino in cærimoniis* ejus, id est per observantiam præcepti, et ritus istius cærimonialis de esu hostiæ hujus cum filiis meis, *mente lugubri,* id est in tanta tristitia ? quasi dicat : Præ turbatione, mœrore, et inadvertentia contigit iste defectus, nec delectabat nos cibus in isto eventu. *Quod quum audisset Moyses,* B *recepit satisfactionem,* id est, piæ excusationi acquievit, nec afflictos voluit magis affligere. Excusatio quoque hæc absolvit eos vel a toto reatu, vel saltem a tanto.

Circa prædicta allegat, et sequitur Lyra Rabbi Salomonem, dicentem quod Aaron pro peccato suo in vituli conflatione, meruit non solum mori, sed etiam cum sua posteritate deleri. Unde in Deuteronomio Moyses ait : Adversus Aaron vehementer *Deut.* IX, 20. iratus Dominus, voluit eum conterere. His vero Rabbi Paulus contradicit, affirmans quod peccatum illud Aaron non fuit ita enorme, quod meruit cum sua posteritate deleri. Circa quod possent multa hinc inde induci. Nam et in libris Regum multi re- III *Reg.* XV, 29, 30; XVI, 2, 3. ges cum sua posteritate leguntur propter idololatrias suas deleti. Sed de hac difficultate pertranseo, quum Dei sit judicare, quantæ gravitatis sint vitia hominum coram se, et quantum ac qualiter ex diversis causis et circumstantiis allevientur vel aggraventur : de qua re veritatem pro certo agnoscere non valemus, nisi in quantum in Scripturis aut aliter revelatur.

ARTICULUS XXIV

DE MYSTICO HUJUS DECIMI CAPITULI SENSU.

ARREPTISQUE *Nadab et Abiu thuribulis suis,* etc. Per duos hos sacerdotes, qui irreverenter et inconsulte cum impetu quodam ad opus sacerdotii sui se ingesserunt, recte intelliguntur sacerdotes et præsules, clerici et prælati, qui officiorum et ordinum suorum dignitatem eminentiamque pensantes, magnitudinem vero annexi periculi, et onus ac debitum concessæ potestatis ac præsidentiæ non ponderantes, inaniter gloriantur, ac stolide intumescunt, et sine congrua præparatione ad ea quæ possunt, accedunt sine reverentia et timore, abutentes commissa auctoritate ; quibus in Amos minatur ac
Amos VI, 14. loquitur sermo divinus : Væ qui lætamini in nihilo, qui dicitis, Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cor-
Sap. VI, 6. nua ? Advertant hi illud Sapientiæ : Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet ; C et quod ait Salvator : Cui plus datum est, *Luc.* XII, 48. plus requiretur ab eo. *Posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum.* Thuribulum tuum, o sacerdos ! est mens tua, in qua thus saluberrimæ mortificationis, flagrantis orationis, dulcissimæ devotionis et meditationis, Deo jugiter debes offerre : in quo alienum ignem ponis et offers, dum rationi tuæ carnalis dominatur affectio, dum aliquid turpiter amas, dum concupiscentiarum aut cupitorum fervore exæstuas, aut D pro lucro terreno divina exsequeris. Huic igni superponit incensum, qui objecta et cogitamina male inflammantia, suo inserit cordi. Talis igitur igne ultionis divinæ meretur consumi. Heu quam multi modo sunt tales ! et ipsi sunt mortui coram Deo.

Dixitque Moyses : Hoc est quod locutus est Dominus : Sanctificabor in his qui ap-

Digitized by Google

propinquant mihi. Hinc princeps ait Apo- A
I Petr. IV, 17. stolorum : Tempus est ut incipiat judicium
a domo Dei. Unde et per Ezechielem locu-
Ezech. IX, 6. tus est Dominus : A sanctuario meo inci-
pite. Nempe quo altior gradus, eo major
ruina, eo quoque intolerabiliora instant
supplicia. Itaque in ministris Ecclesiæ qui
Ibid. XXXVI, 23. nomen Domini polluunt in medio populi,
quem scandalizando ad varia trahunt pec-
cata, Deus se ipsum sanctificat, dum in eis
veritatem suæ justitiæ rigorosius manife-
stat. Qui autem cum vera devotione et san-
cta dilectione accedunt ad Dominum, juxta B
Ps. XXXIII, 6. illud, Accedite ad eum, et illuminamini :
ipsi sanctificant Dominum, dum eum cor-
de, ore et opere venerantur, aliosque ad
idem inducunt. Et ita, quantum in ipsis
est, Deum esse sanctum et summum de-
monstrant, cujus in se recognoscunt atque
extollunt excellentiam infinitam, quemad-
Is. VIII, 13. modum Isaias hortatur : Dominum exerci-
tuum sanctificate. Et summus Apostolus :
I Petr. III, 15. Dominum, inquit, Christum sanctificate in
cordibus vestris. Pro hac obtinenda et
exercenda sanctificatione, oramus quoti- C
Matth. VI, 9. die, proferentes : Pater noster qui es in
cœlis, sanctificetur nomen tuum. *Quod
audiens Aaron, tacuit*. Ita et omnis qui
præest aut subest, terribilibus his auditis,
ab omni verbo superbo, injusto, illicito
sileat, imo ab omni opere cesset iniquo.
Præterea per hoc, quod filii Aaron sepulti
sunt in tunicis suis lineis, sicut jacebant
occisi, potest intelligi, quod opera morien-
tium eos sequuntur, et quod unusquisque
in ea mentis dispositione et affectione,
conversione seu aversione, manet in æter- D
num post mortem, in qua recedit a cor-
pore.

Locutus est Dominus sacerdotibus : *No-
lite nudare*, etc. Caput suum nudat, qui
peccando, propriam mentem decore vir-
tutum et donis gratiæ privat, vel qui se-
creta cordis sui insipienter revelat. Hinc
Apoc. III, 18. in Apocalypsi dicitur tali : Vestimentis
albis induaris, ut non appareat confusio
nuditatis tuæ. *Et vestimenta* vestra *nolite
scindere*. Vestimenta animarum nostra-
rum, sunt sapientia et virtutes ac opera
bona, ipsaque caritas vestis est nuptialis.
Hæc vestimenta in sua integritate sunt
conservanda, nec caritas ab ullo est retra-
henda. Vestis quoque est ecclesiastica uni-
tas, quæ summa cum diligentia inviolabi-
liter est tenenda, nulloque schismate, nulla
hæresi, nulla aversione frangenda, quum
dicat Apostolus : Id ipsum dicatis omnes, I Cor. I, 10.
et non sint in vobis schismata. *Fratres ve-
stri et omnis domus Israel*, hoc est sæcu-
lares fideles et laici, *plangant incendium,
quod Dominus suscitavit ; vos autem non
egrediemini fores tabernaculi*. Ex hoc ha-
bemus, quod sæculares homines possunt
temporalia damna et propinquorum ami-
corumque mortem deflere. Sed homines
spirituales religiosi, et in sacris Ordinibus
constituti, tantæ debent perfectionis con-
sistere, tamque vehementer circa spiritua-
lem profectum ac commune bonum con-
templationemque divinorum esse intenti,
ut cuncta temporalia et mala pœnalia
penitus parvipendant : imo nullus fide-
lium de corporali suorum morte debet
immoderate tristari instar infidelium, qui
futurorum non habent fidem bonorum,
quum dicat Apostolus : Nolumus vos igno- I Thess. IV, 12.
rare de dormientibus, ut non contristemi-
ni sicut et ceteri, qui spem non habent.

*Dixit quoque Dominus ad Aaron : Vi-
num et omne quod inebriare potest, non
bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in
tabernaculum*. Si hoc jussum est pontifici
ac sacerdotibus veteris legis, quorum sacer-
dotium fuit carnale, et circa corporalia, ir-
rationalia aut inanimata sacrificia versans :
quanto magis sacerdotibus evangelicæ le-
gis, qui assidue ingrediuntur ecclesiam ad
ministrandum seu offerendum, vitanda et
exhorrenda est omnis ebrietas, crapula, et
ingurgitatio detestanda ? Ebrietas namque Osee IV, 11.
et fornicatio et vinum auferunt cor. *Ut* ha-
beant *scientiam discernendi inter sanctum
et profanum*, inter vere religiosa et super-
stitiosa, inter vere et apparenter virtuosa,
inter vera et falsa, doceantque populum
universa Dei præcepta, et quidquid ad sa-

Digitized by Google

lutem requiritur animarum : ne propriis vitiis excæcati, proferant mortua atque sterilia verba, nuda et insipida documenta, aut certe ne cupiditate proprii commodi, aut timore sui incommodi, subticeant veritatis doctrinam, et subditorum palpent peccata; vel, quod pessimum est, blan-
Ps. IX, 24. diantur peccantibus, seu peccatorem in desideriis animæ suæ laudent, quæ et cunctis fidelibus prorsus vitanda sunt.

Circa hæc loquitur Origenes : Sacerdotes et clericos qui portio Dei sunt, vult ipse Dominus sobrios esse, jejunantes ac vigilantes omni tempore, maxime quando ad exorandum Dominum, et sacrificandum in conspectu ejus, altaribus præsto sunt. Sobrietas enim omnium virtutum est mater, sicut econtrario ebrietas omnium vitiorum. Nam et Apostolus pronuntiavit
Ephes. V, 18. aperte : Vinum in quo est luxuria; ut ostenderet, ex ebrietate quasi primogenitam filiam generari luxuriam. Præterea, Dominus et Salvator regia auctoritate sacerdotibus simul ac populis leges ac jura
Luc. XXI, 34. constituens : Attendite, inquit, ne graventur corda vestra ebrietate et crapula et sollicitudinibus sæculi, et veniat super vos subitaneus interitus. Audistis æterni Regis edictum, et lamentabilem ebrietatis ac crapulæ finem. Sola ebrietas est, quæ animam simul cum corpore debilem reddit. In ceteris quippe fieri potest, ut (secun-
II *Cor.* XII, 10. dum Apostolum) dum infirmatur corpus, tunc magis potens sit spiritus; et ubi is

A qui deforis est, homo corrumpitur, ille qui intus est, renovetur. II *Cor.* IV, 16. In ægritudine autem ebrietatis, corpus simul et anima corrumpitur; spiritus cum carne pariter vitiatur; cuncta membra debilitat, oculos tenebrat, pes vacillat, oblivio velat mentem, ita ut homo se hominem esse ignoret. Hæc Origenes. Quæ quum ita se habeant, quid de sacerdotibus tabernas visitantibus, ne dicam et luxuriantibus, videtur esse dicendum? Nonne vitiosissimi et omni damnatione dignissimi comprobantur ?

B *Hircum qui oblatus fuerat pro peccato, quum quæreret Moyses, exustum reperit.* Hoc impletur, dum is qui propter peccata sua corpus suum afflixit, rursus concupiscentiæ igne illud incendit, vitiorumque flamma occidit se ipsum. *Quomodo potui placere Domino mente lugubri?* Per quod patet, quod inordinata et sæcularis tristitia efficit hominem Deo displicentem, et impotentem ad promerendum. Ideo ait Apostolus : Non ex tristitia aut necessitate. *Ibid.* IX, 7. Itemque : Gaudete in Domino semper. Et *Philipp.* IV, 4.
C rursus : Sæculi tristitia mortem operatur. II *Cor* VII, 10. *Quod quum audisset Moyses, recepit satisfactionem.* Sic prælatus, judex, imo et quilibet Christianus, rationabili excusatione audita, placabilis esse debet, non austerus aut vindicativus. Verumtamen is qui præest, non debet nimis faciliter excusationibus subditorum fidem præbere, sed causam quam nescit, diligentissime investigare. Cetera ex præhabitis patent.

ARTICULUS XXV

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI UNDECIMI : LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN ET AARON.

PRO hujus intellectu capituli advertendum in primis, quod in prima secundæ, quæstione 102, asserit S. Thomas : Populus Judæorum fuit specialiter deputatus ad cultum divinum, et inter eos, præcipue
D sacerdotes : et sicut aliæ res quæ ad cultum applicantur divinum, aliquam debent specialitatem habere, quod ad divini cultus honorificentiam pertinet : ita in conversatione illius populi, et maxime sacerdotum,

Digitized by Google

debuerunt esse aliqua specialia, congruentia ad cultum divinum vel corporalem, vel spiritualem. Cultus autem legis figurabat mysteria Christi, ita quod omnia gesta illorum præfigurabant ea quæ spectant ad Christum, juxta illud Apostoli : Omnia in figura contingebant illis. (I Cor. x, 11.) Ideo rationes legalium observantiarum in cibis et consimilibus, dupliciter assignantur : primo, secundum congruentiam ad cultum divinum ; secundo, prout aliquid figurabant circa Christum et vitam Christianorum. — Consequenter pensandum, quod duplex pollutio seu immunditia observabatur in lege : una culpæ, per quam polluitur anima ; alia cujusdam corruptionis, per quam corpus quodammodo inquinatur. Loquendo ergo de prima immunditia, nulla cibaria erant immunda, nec hominem poterant inquinare ex sua natura, quemadmodum ait Salvator : Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ procedunt de ore. (Matth. xv, 11.) Verumtamen aliqui cibi possunt per accidens hominem inquinare, in quantum contra votum, vel obedientiam, aut ex nimia concupiscentia comeduntur, vel in quantum præbent fomentum luxuriæ, propter quod quidam abstinent a vino et carnibus. — Porro, secundum corporalem immunditiam, quæ est corruptionis cujusdam, aliquæ animalium carnes quamdam immunditiam habent ; vel quia ex rebus immundis vescuntur, ut porcus ; aut quia immunde conversantur, ut animalia quædam sub terra habitantia, sicut talpæ et mures, unde et quædam eorum fœtorem contrahunt ; vel quia eorum carnes corruptos generant humores, propter ipsorum superfluam humiditatem aut siccitatem : idcirco prohibitæ sunt Judæis carnes animalium habentium ungulam unam non fissam seu indivisam, propter eorum terrestreitatem ; carnes quoque animalium habentium multas fissuras in pedibus, quia sunt nimis cholericæ et adustæ, ut carnes leonis. Eadem ratione prohibitæ sunt eis aves quædam rapaces, quia sunt nimiæ siccitatis ; et quædam aves aquaticæ, A propter excessum humiditatis ; similiter aliqui pisces non habentes squamas et pennulas, ut anguillæ, propter humiditatis excessum. Sunt autem eis ad esum concessa animalia ruminantia, ungulamque findentia, quoniam habent humores bene digestos, et sunt mediæ complexionis : quoniam non sunt nimis humida, quod significant ungulæ ; nec nimis sicca sive terrestria, quum non habeant ungulam continuam, sed divisam. In piscibus quoque concessi sunt eis pisces sicciores, quod B significatur per hoc quod habent squamas et pennulas. Per hoc enim ostenditur complexio piscium humida temperata. In avibus etiam concessæ sunt eis magis temperatæ, sicut gallinæ et perdices, atque hujusmodi. — Alia ratio prædictorum fuit, in detestationem idololatriæ. Gentiles namque, præsertim Ægyptii, inter quos Judæi fuerunt nutriti, animalia hujusmodi prohibita suis idolis immolabant, vel eis ad maleficia utebantur ; animalia vero quæ Judæis sunt concessa ad esum, non comedebant, C sed ea tanquam deos colebant ; vel ob aliam causam abstinebant ab eis. Tertia ratio fuit, ad tollendam nimiam diligentiam circa cibaria. Hinc concessa sunt eis animalia, quæ possunt faciliter in promptu haberi. Quarta ratio fuit figuralis et spiritualis, quæ sequenti tangetur articulo. Hæc Thomas.

Præterea, de ista materia scribit Guillelmus Parisiensis libro de Fide et legibus : Post hæc prosequemur immunditias animalium. Ubi primo sciendum, quod quæ- D dam animalia immunda erant immunditia corporali et immunditia repudiationis et irregularitatis ; quædam vero sola immunditia irregularitatis, qua scilicet prohibita erant a Dei sacrificio et ab esu humano. Nec scimus aliquod animal, quod immundum reputatum sit propter solam immunditiam corporalem. Porcus vero, de quo minus videri posset, non solum habet immunditiam corporalem, sed et legalem. Adhuc enim pagani immolant porcos, et fœdera sua ac pacta sanguine firmant por-

Digitized by Google

corum, non aliter ea rata et inviolabiliter observanda putantes, nisi transierint inter partes sacrificii hujus. Atque ut paucis intelligas alia, si salubritati corporum populi sui per hanc animalium discretionem Deus intendere voluisset, animalia non munda vel immunda, sed salubria vel noxia appellasset : quamvis verum sit, quod in animalibus gressibilibus, et avibus ac piscibus, quasi saniora et salubria eis concesserit, multaque venenosa atque mortifera prohibuerit eis. Ad aliud ergo respexit providentia Dei, quamvis non prætermiserit istud. In hoc ergo quod in quadrupedibus animalibus duo signa munditiæ simul conjunxit, videlicet ruminationem et ungulæ divisionem, generali regula de hujusmodi populum informavit ; ubi vero alterum deest, immunditiam designavit, ut in camelo et chœrogryllo. Tu autem scito quod camelo sacrificabant idololatræ : hoc ipsum legimus nos in libro de Annulis septem planetarum. Propter quod etiam de chœrogryllo idem hoc licitum est opinari. Nec mirum, si pauca munda animalia reperit Deus, quæ idololatria abominabilia non fecisset, quum apud Ægyptios sexcenta sexaginta tria * sacrificiorum genera haberet idololatria, secundum quod dicit Miglodorus. Postmodum vero miseratione deorum, redacta est ad viginti quinque præcipua. Immolationem vero lacertæ, nos ipsi legimus alibi, similiter talparum et vespertilionum. Ad eam quoque dementiam pervenisse idololatras, ut talpas et vespertiliones adorarent, Isaias testatur. Nostris etiam temporibus bufones adorari ab insanissimis gentibus quibusdam audivimus. Ex his igitur paucis intellige et mirare sapientiam Dei, quæ omnia animalia, quæ sibi idololatria usurpavit, abominabilia esse voluit populo suo : ut vel ea non comederent, vel etiam non attingerent, atque hoc ipso longe fierent a ritu idololatrarum : quemadmodum nunc in regionibus ubi adorari dicitur cattus, statuendum esset, ne ibi cattus inveniretur ; et ubi bufo dicitur adorari, ne ibi bufo vivere sineretur. Hæc Parisiensis.

* sex

Is. II, 20.

Postremo, circa hæc in Scholastica fertur historia : Animalium alia vivunt in terra, alia in aquis, quædam in aere. Inter ea vero quæ in terra sunt, alia sunt reptilia, quæ omnia sunt immunda ; alia sub terra latentia, ut talpa quæ generatur de luto, et omnia hæc immunda ; alia sunt gradientia super terram, de quibus est hæc regula generalis : Mundum est tantum, quod ruminat et ungulam findit. De piscibus quoque hæc est regula generalis : Mundi sunt pisces illi dumtaxat, qui habent squamas et pennulas. De avibus nominatim expressit, quæ mundæ, et quæ immundæ. Hoc solum de avibus generaliter dictum est : Volatile quod graditur super quatuor pedes, immundum est, nisi crura habuerit retro longiora super quæ saliat.

His præmissis, patebit, omnia in isto capitulo jussa, rationabiliter esse statuta. Itaque ad expositionem textus est procedendum : *Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron.* Cur Dominus aliqua dicat ad Moysen tantum, aliqua vero ad Moysen et Aaron simul, nonnulla autem ad eos et ad filios Aaron, quæri potest : et quantum ad præsens, dici potest, quod ista locutus est non solum ad Moysen, sed item ad Aaron, quoniam totum populum Israel concernebant, quorum jam pontifex exstitit Aaron : unde et eos habuit legitima Dei docere. Ea vero quæ ad sacerdotes tantummodo pertinebant communiter, dixit ad Moysen tantum, tanquam ad principalem omnium ducem et legislatorem ministerialem. *Dicens* ad eos : *Dicite filiis Israel : Custodite omnia quæ præcepi * vobis, ut sim vester Deus,* non solum jure creationis generalisque providentiæ, sed etiam per specialem et gratiosam gubernationem vestri, atque per debitum cultum mihi a vobis exhibendum. Verumtamen clausula ista non est in Hebræo.

* *scripsi*

Hæc sunt animalia quæ comedere debetis, de cunctis animantibus terræ, hoc est e numero animalium gressibilium. *Omne*

Digitized by Google

quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, id est inter jumenta seu pecora, *comedetis,* hoc est, licite manducare poteritis, tanquam munda secundum legem. Nihilo minus ex speciali devotione licuit a carnibus abstinere, ut patuit in sacratissimo Joanne Baptista. Divisio namque seu fissio ungulæ, signum est temperatæ complexionis ; ruminatio autem, bonæ digestionis. *Quidquid autem ruminat quidem et habet ungulam, sed non dividit eam,* hoc est, fissam eam non habet, seu partes ejus ab invicem non disjungit per motum B et ambulationem, *sicut camelus, non comedetis illud,* quum non sit tam aptum refectioni humanæ; *sed * inter immunda* (* et) *reputabitis,* id est, inter ea quæ secundum legem, immunditiam habent cujusdam corruptionis atque ineptitudinis ad edendum ob causas prætactas, ut dictum est. Sicque quod ait, Inter immunda, non est intelligendum de immunditia et ineptitudine ad offerendum, sed ad comedendum. Nam plura munda et licita erant ad manducandum, quæ non erant munda ad immolan- C dum. Oblatio namque (ut patuit) de pecoribus, non fiebat nisi de tribus animalium speciebus, videlicet bove, ove, et capra. *Chærogryllus, qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est.* Chœrogryllus (secundum Glossam) est bestia quæ herinacius appellatur, animal debile, rapax, mortiferum, et spinosum, quoniam pro pilis operitur in pelle quibusdam materiis, instar spinarum pungentibus et acutis. *Lepus quoque : nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit. Et sus, quæ et quum* D *ungulam dividat, non ruminat. Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis* tam ad vescendum, quam ad tangendum, præsertim dum ex intrinseca corruptione obierunt. Non tamen ex horum contactu tangens contraxit maculam tantam, aut taliter expurgandam, sicut ex aliorum quorumdam contactu, prout infra habebitur.

Consequenter discernitur inter pisces immundos et mundos. *Hæc etiam sunt quæ* A *gignuntur in aquis, et vesci* eis *licitum est : Omne quod habet pennulas et squamas, tam in mari quam in fluminibus et stagnis,* hoc est in quacumque aqua, *comedetis. Quidquid autem pennulas et squamas non habet, eorum quæ in aquis moventur et vivunt,* id est, sive unum horum, sive utrumque defuerit pisci, *abominabile exsecrandumque erit vobis :* cujus rei causæ litterales præhabitæ sunt ; siquidem pisces qui habent pennas et squamas, melioris complexionis consistunt. B Porro pennula piscis dicitur, quod supereminet dorso ejus, et per quod se levat in aerem. *Carnes eorum non comedetis.* Quidam dicuntur ab esu carnium totaliter abstinere, qui tamen comedunt pisces. Quomodo ergo pisces dicuntur carnes habere? Respondetur, quod extense utendo nomine carnis, pro quocumque mixto animato. Nam et Apostolus ait : Alia caro piscium, alia volucrum, alia serpentium. (I Cor. xv, 39.) Interdum vero caro strictius sumitur pro materia tali animata et calida, sanguinem C in venis habente. Sicque corpus piscis non dicitur caro. *Et morticina vitabitis,* ne ea tangatis : ut per hoc admoneamini, quantum ab interiore contaminatione peccati debeatis cavere. Attamen talis contactus non fuit prohibitus per modum absoluti præcepti, tanquam fuerit culpa mortalis, nisi forte contingeret ex legis contemptu ; sed per modum cujusdam mandati, quod inter præceptum et consilium habet se medio modo. Unde si ex negligentia, inadvertentia, aut simili modo aliter accidebat, D fuerat veniale. *Cuncta quæ non habent pennulas et squamas in aquis, polluta erunt.*

Sequitur discretio inter aves, quantum ad esum. *Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis : Aquilam, et gryphem, et haliæetum, et milvum ac vulturem juxta genus suum,* hoc est, cujuscumque sint generis seu speciei. Hæ etenim aves sunt rapaces, quod venit ex magna caliditate et siccitate complexionis eorum : ideo esui sunt ineptæ, nec faciliter possent acquiri ; essetque

Digitized by Google

curiosum et gulosum, pro tali edulio laborare ; vescuntur quoque communiter cadaveribus mortuorum, quemadmodum corvi, de quibus subjungitur : *et omne corvini generis in similitudinem suam:* hoc est, nullum corvum edetis cujuscumque sit speciei : sicque similitudo hic sumitur pro specie specialissima in similitudine essentiali.

Præterea, de naturis et proprietatibus avium harum multa recoli possent, sed prolixitas est vitanda. Itaque aquila est avis magna, plumis et varietate distincta, acutissime videns, altissime volans, piscibusque insidians; quos, instar saxi descendens in undas, trahit ad littus. Gryphus est avis monstruosa quadrupes, habens corpus formatum ut leo, alas et caput ut aquila ; crudelis est valde, homines vivos discerpens, equos odit. Et interdum equum cum equite rapit, et tollit in altum ac devorat. Tam magnos et amplos habet ungues, quod inde (ut fertur) fiunt scyphi, qui in regum ponuntur mensis. Smaragdum quoque et jaspidem ponit in nido suo contra animalia venenosa ; atque ut refert Isidorus, sunt aliquæ partes et montes, in quibus abundant aurum et gemmæ, præsertim smaragdus et jaspis, nec inde possunt auferri, gryphis accessum prohibentibus rationali creaturæ, cui rarus et difficilis est aditus illuc. Haliæetus, secundum quosdam, est falco. Aptius tamen (ut videtur) per herodionem, de quo infra habetur, falco intelligitur. Nam libro de Naturis animalium legitur, quod haliæetus seu merulus parva sit avis, aves parvas invadens, rapiens et manducans. Unde quidam putant, quod sit nisus. Milvus est avis rapax, querulosa et importuna, cadaveribus vescens, domesticis præsertim pullis insidians, primo audacior, postea autem timidior, silvestres volucres impugnare non audens. Vultur est avis plurimum rapax, cadaveribus vescens, acuti intuitus, fortisque odoratus, sequens exercitum, sperans vesci cadaveribus vincendorum. Corvus est avis clamorosa, rauca, dolosa, cadavere vivens, rostrum sterquilinio sæpe infigens, animali eruens primitus oculum. Et dicitur funeris præco, quod imminere percipit odoratu, ut fertur.

Consequenter nominantur et aliæ aves prohibitæ manducari. *Struthionem, et noctuam, et larum, et accipitrem juxta genus suum, bubonem et mergulum et ibim, cycnum et onocrotalum et porphyrionem, herodionem et charadrion juxta genus suum, upupam quoque et vespertilionem.* Quemadmodum tangit Isidorus, si in prohibitionibus avium et bestiarum, quæ in isto capitulo prohibentur hominibus comedere, non lateret mysterium, esset in textu superfluitas magna verborum. Multa namque prohibentur in eo, quæ nullus Judæorum aut etiam aliorum bene dispositorum comedere consuevit : quod patet per se, ideo mystica est ratio horum.

Porro struthio est medium quoddam inter volatilia et gressibilia, quæ etsi pennis vestitur, nequit tamen volare ob corporis ponderositatem, sed alis juvatur ad cursum celerrimum. Ovat autem ut avis. Instanteque tempore, quo pariat ova, oculos ad stellas Pleiades levat : quia nec ovat, nisi quum illam viderit constellationem ascendere. Quam quum circa mensem Junii viderit, fodit arenam, et in ea sua cooperit ova : moxque obliviscitur ubi posuerit ea, nec ultra ad illa revertitur ; sed calore solis pullificant : quo facto, suos cognoscit alitque pullos. De quo ad Job Dominus protestatur : Struthio derelinquit ova sua, *Job* XXXIX,
obliviscitur quod pes conculcet ea, etc. 14, 15.
Ungulas habet fissas instar ungularum quadrupedis ; et tantæ consistit caliditatis, ut ferrum deglutiat, digerat, et consumat. Secundum Aristotelem quoque, naturaliter odit equum.

Noctua dicitur, quasi de nocte acute tuens seu videns ; et alio nomine nycticorax nuncupatur, et noctibus quærit cibum : cujus clamor odiosus est avibus, quam et aves persequuntur ; in die solis splendore visus ejus hebetatur ; ova columbarum et monedularum frangit ac vo-

Digitized by Google

rat, et pugnat cum illis. Larus est avis A nunc volans in aere, nunc natans in aqua. Avis est pigra, parva et pinguis, libenter habitans juxta aquas; nec potest remote aut diu volare, ita ut velociter currens eam capere valeat; estque humida valde. Accipiter avis est rapax, prædalis, sive sit silvestris, sive domestica. Silvestris autem est pejor, quoniam aves quas capit, mox devorat. Domesticus vero prædam domino suo repræsentat et servat; flante Austro, contra solis radios alas suas expandit, quatenus poris corporis sui apertis, excutiat B eas, et novæ ei accrescunt. Propter quod *Job* xxxix, 26. ad Job Dominus loquitur : Numquid per sapientiam tuam plumescet accipiter, expandens alas suas ad Austrum? Bubo est avis turpis, fœda, feralis, noctis amica, in sepulcris habitans et cavernis, pigra, avibus odiosa, a quibus dilaniatur, si in die reperiatur ab ipsis. Et juxta augures malum prætendit, quoniam funebris lugubrisque consistit; templa nocte ingreditur, ut oleum lampadum ebibat; quando ab avibus invaditur, vertit se in supinum, et C pedibus se defendit; mures et vespertiliones venatur et edit.

Mergulus a mergendo nomen sortitur, quia frequenter descendit in aquas, ut vermes pisciculosque deglutiat; imminente æquoris tempestate, cum clamore festinat ad littus. Atque ut ait Isidorus, gravem et grandem tempestatem constat mari instare, dum merguli petunt littus. Ibis dicitur Ægyptiaca esse ciconia, in Nilo flumine habitans, serpentium ovis vescens, ex quibus escam nidis suis defert gratissimam. D Cycnus est avis nota, pennis albissima, carne nigra; inter pisces nutrita, eos non comedit; ponderosum gerit corpus, ideo raro volat, diligitque quietem; quasi mortem contemnens, dulciter canit, morte instante. Post coitum femella percutit fugatque marem, qui se post coitum balneat; similiter femina ante cibum. Onocrotalus, avis est, quoad sonum, similis cycno, et quasi ventres habens duos, in quorum uno recipit cibos, qui pro vesicula gutturis reputatur, in alio decoquit eos. Cujus, teste Isidoro, duo sunt genera : unum aquaticum, aliud solitudinis. Aquaticum est valde gulosum, anguillis præsertim insidians; quod dum quiescit in littore, rostrum semper erigit sursum, ut ejus acumine se contra accipitrem muniat. Porphyrion est avis, alio nomine pelecanus vocata, cujus duplex est species : una in aqua habitans, et piscibus vescens; altera in terra solitudinem amat, lacertas comedens et serpentes. Ideo serpentes odiunt pelecanos, eisque absentibus ascendunt in nidos ipsorum, atque ipsorum pullos intoxicant : quos rediens parens invenit morientes, et statim se vulnerans, proprio sanguine curat eos.

Herodion, qui et falco, est avis illustrium manibus assueta gestantium, animosa, et majores corpore se aves invadens, abundans plumis, non carnosa, ideo velox et agilis ad volatum, acuti durique pectoris, fortis in unguibus, gravius tamen lædens prædam pectore irruendo, quam rostro lædendo. Quæ nisi primo aut saltem secundo prævaluerit ictu, quasi sibi ipsi indignans aut erubescens, vagatur per aera, nec faciliter ad gestantis revertitur manum. Si vero silvestris est, illa die vix quærit prædam. Charadrion dicitur avis omnino albi coloris, cujus femoris pars inferior purgat caliginem oculorum. Hujus avis hæc fertur natura : Si dirigatur super ægrum moriturum, avertit visum suum ab eo; si super sanandum, visum figit in eum, quasi curando applaudens. Est tamen nutrimenti immundi. Upupa est immundissima avis, humanis vescens stercoribus, in sepulcris commorans, aut in fimo, cujus corde utuntur malefici in maleficiis suis. Quumque senuerit, ut nec videre valeat, nec volare, pulli ejus evellunt ei pennas, et liniunt oculos ejus succis herbarum, ac fovent eam sub alis, donec crescant pennæ ipsius. Sicque renovata, volat ac videt, ut refert Isidorus. Legitur etiam, quod si quis sanguine ejus inunxerit oculos suos, pergens dormitum, dæmo-

Digitized by Google

nes in somnis se suffocantes videbit. Vespertilio est avis fœda et vilis, debilis visus, habens alas sine plumis, et corpus instar muris ; circa vesperam egrediens suum latibulum, pro voce sibilum facit terribilem.

Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis ad comedendum. Talia enim volatilia, sunt velut monstra, in parte cum avibus, et partim cum gressibilibus convenientia : quibus et idololatræ in suis maleficiis utebantur et sacris, quæ et difficulter acquiruntur. *Quidquid autem* volatilium *ambulat super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram, comedere debetis, ut est bruchus in genere suo ; et attacus, atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum.* Opinantur aliqui, quod istæ sint diversæ species locustarum, aut magis animalia diversi gradus in eadem specie, ita quod bruchus est fetus locustæ nondum alatus: qui quum alatus fuerit, cœperitque volare, vocatur attacus ; adepta vero perfectione volandi, vocatur locusta. Sed istud non videtur textui consonare, quia de præfatis volatilibus addit, Singula juxta genus suum : per quod insinuari videtur, quod differant generice sive specifice. Hinc alii dicunt, quod attacus major est brucho, differens specie. Ophiomachus vero est bestia quædam pugnans contra serpentes. Denique, secundum Guillelmum in libro de Fide et legibus, quod genera ista locustarum, seu genus locustæ concessum est Judæis in esum, factum videtur in memoriam auxilii eis desuper dati per locustas contra Ægyptios. Beatissimus quoque Joannes Baptista legitur usus locustis in cibum. (*Matth.* III, 4.) Aliqui tamen ibi per locustas intelligunt herbas, non animalia : quoniam eis videtur, quod non sit carnibus usus in eremo.

Quidquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, exsecrabile erit vobis ad manducandum, sicut jam dictum est ; *et quicumque morticina eorum tetigerit,* id est cadavera ex intrinseca corruptione mortua, *polluetur, et immundus erit usque ad vesperam,* id est, irregularitatem quamdam seu ineptitudinem, vel indignitatem introeundi sacrum locum, videlicet templum seu atrium, contrahet. *Et si necesse fuerit, ut portet quidpiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et erit immundus usque ad solis occasum.* Ex isto elicitur et probatur, quod immunditia ista non fuit inquinatio culpæ, quia necessitas a culpa excusat. Porro lotio ista, fuit adspersio aquæ, in qua mixtus fuit cinis vaccæ rufæ combustæ, scilicet aquæ lustrationis. Et quia de tangente præfato non dicitur quod lavabit vestimenta sua, aliqui dicunt, quod immunditia ejus fuit minor, quam istius tale quid portantis ; nec indiguit vestimenta sua lavare, id est super ea adspergi aqua præfata, quemadmodum iste qui portavit : quoniam plus est portare, quam tangere.

Quod ambulat super manus, ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, immundum erit, id est illicitum ad vescendum, ut ursus et simia, quæ per similitudinem quamdam dicuntur manus habere, et super ea incedere, quoniam anteriores eorum pedes sunt similes manibus. Corpora quoque eorum, detractis coriis seu pellibus, similitudinem habent non modicam cum corpore hominis, excoriatoque puero. Unde et una hujus prohibitionis causa assignatur, ne Judæi ex talium animalium esu afficerentur comedere carnes humanas. Sunt autem et aliæ causæ superius tactæ. *Qui tetigerit morticina eorum, polluetur,* id est, inquinatus manebit, *usque ad vesperam :* sicque videtur quod post transitum temporis tanti, reddebatur ab illa pollutione immunis. *Et qui portaverit hujuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum ; quia omnia hæc immunda sunt vobis.*

Hæc quoque inter polluta, id est esui illicita, *reputabuntur de his quæ moventur in terra, mustela et mus.* Mustela dicitur

Digitized by Google

quasi mus longus, qui et persequitur mures atque serpentes, quorum quidam latent sub terra, alii supra versantur. *Et crocodilus.* Is a croceo colore nomen sortitur, bestia magna et quadrupes, nunc in aquis, nunc in terra manens, immanitate dentium unguiumque armatus; corpus habens tam durum, ut repercutiat fortium lapidum ictus. De qua bestia ait Plinius, quod sola inter cuncta animalia movet superiorem suam mandibulam, inferiorem habens immobilem. Tantæ est quantitatis, *Tob.* VI, 3. quod junior Tobias ab ea timuit devorari; quam pisces quidam serratam cristam habentes interimunt, interiora ipsius dissecantes. *Singula juxta genus suum, mygale et chamæleon, stellio et lacerta et talpa; omnia hæc immunda sunt.* Mygale dicitur animal formatum ad deridendum, quia ex se ridiculosum videtur; estque dolosum, rapax et ingluviosum, secundum Glossam. Chamæleon est bestia diversa varietate respersa, tanquam pardus; ad colores quoque quos intuetur, faciliter variatur, sicque in diversos colores mutatur, sicut et primo Ethicorum ait Philosophus, et fingit se mansuetam, quum tamen crudelis sit. Stellio a stella suscipit nomen, quasi stellatus, quum sit variis maculis picturatus, et mutat colores, sicque fertur lucere ut stella. Est autem reptile, lacertæ consimile, interlucentibus guttis pictum instar stellarum; scorpionibus ita contrarium, ut visum ab eis, incutiat ipsis torporem atque pavorem. *Prov.* XXX, 28. Unde in Proverbiis dicitur: Stellio manibus nititur, et moratur in ædibus regum. Lacerta et talpa sunt animalia nota. Fertur autem chamæleon aere pasci, quemadmodum talpa terra, salamandraque igni, et halec aqua, juxta illud metricum:

Terra cibat talpam, flammæ pascunt salamandram,
Unda fit haleci cibus, aer chamæleoni.

Denique tactus horum censetur immundus et maculans. *Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperam; et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur.* Sicque inanimata ex illorum contactu etiam polluebantur, non utique pollutione peccati, sed inidoneitatis veniendi in humanum aut divinum ministerium ante eorum purgationem. *Tam vas ligneum et vestimentum, quam pelles et cilicia, et in quocumque fit opus,* id est quodcumque utensilium, *tingentur aqua,* id est, aqua in qua mixtus est cinis vaccæ rufæ pro peccato combustæ, adspergentur, dum ex prætacto contactu fuerint inquinata; *et polluta erunt usque ad vesperum,* ita quod etiam post illam adspersionem reputabuntur modo prædicto polluta seu inidonea ad utendum usque ad solis occasum; *et sic postea mundabuntur,* id est, post horam illam habebuntur ut munda. *Vas autem fictile in quod horum quidquam intro ceciderit,* id est, in quod corruerit aliquid præfatorum immundorum animalium aut morticina eorum, *polluetur, et idcirco frangendum est,* quia non potest ob suam fragilitatem tam plene purgari per fortem confricationem, ut lignea, ærea et ænea vasa.

Omnis cibus quem comedetis, id est præparatus ad comedendum, *si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit,* id est edi non poterit. Hoc exponitur de superfusione aquæ contentæ in vase, in quod immundum quodcumque corruerat, ex cujus contactu et aqua illa fiebat polluta; vel forte in detestationem idololatriæ, dictum est de cujuscumque aquæ superfusione, quia idololatræ in suorum honorem deorum aquas, præsertim idolis consecratas, superfundebant cibariis, et quidam eorum aquam colebant. De horum autem rationibus et rationabilibus causis infra dicetur. *Et omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit,* id est, omnis potus seu liquor, vinum ac sicera, si in ea ceciderit quidpiam de illis immundis, non poterunt bibi. *Et quidquid de morticinis hujusmodi* immundorum *ceciderit super illud* quod dictum est, puta super quodcumque vas aut instrumentum seu vestem, etc., *immundum erit* ex illius contactu: *sive clibani fuerint, sive chy-*

Digitized by Google

tropodes, id est vasa seu ollæ aut potti, habentes inferius pedes super quos stent, *destruentur et immundi erunt,* si ex illis immundis fuerint tacti : quod intelligendum videtur de vasis et furnis fictilibus terreis, non saxeis aut æneis, quum dictum sit quod vasa lignea sic contacta sint lavanda.

Fontes vero et cisternæ et omnis aquarum congregatio, ut flumina, stagna et maria, *munda erunt,* quamvis immunda illa in ea ceciderint : quia tam magna aquarum moles, non potest tam facile inquinari ; et propter talium aquarum raritatem, præsertim in locis terræ promissionis, poterat Judæis esse grave, si aquæ illæ fuissent tam faciliter inquinatæ, usuique eorum prohibitæ ; et etiam quia idololatræ non ita exercuerunt quasdam superstitiones suas circa aquas illas, quemadmodum circa aquas quas habebant domi in vasis ; vel quia hujusmodi aquæ magnæ continentur in terra, quæ ex contactu præfato non maculatur, idcirco nec ipsæ. *Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. Si ceciderit super sementem,* id est super semen aut granum nondum in terram projectum, *non polluet eam* res quæcumque præfata immunda. *Si autem quispiam aqua sementem perfuderit, et postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur,* ita quod non erit apta ad seminandum, nisi forte purgetur. Cur autem polluitur granum ex immundorum contactu quando madefactum est aqua ? Dici potest, quoniam ipsa aqua grano superfusa, ex contactu illo polluitur, et ex consequenti sementis ; vel quia sementis humefacta, susceptibilior est peregrinæ impressionis ; vel quia idololatræ oppositum ritum habebant. Est tamen omnium horum mystica ratio partim tacta, et partim tangenda.

Si mortuum fuerit animal propria morte, *quod licet vobis comedere,* scilicet mundum, nisi aliunde interveniat impedimentum ; *qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperam. Et qui comederit ex eo,* id est cadavere per se mor-

A tuo, *quidpiam,* id est aliquam ejus partem quantumlibet parvam, *sive portaverit, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum.* Istud ex dictis est clarum.

Omne quod reptat super terram, quæ scilicet pedes non habent, et ore seu alio modo corpus suum trahunt ac movent, *abominabile erit* vobis, *nec assumetur in cibum.* Talia enim in se ipsis impura sunt, esuique inepta. *Quidquid super pectus quadrupes graditur,* ita quod quamvis habeat quatuor pedes, tamen ob crurum pedum-

B que brevitatem tangit terram in procedendo, *et multos habet pedes, sive per humum trahitur,* etiam illa quæ habent plus quam quatuor pedes, et trahunt se per terram, vel ex alia vi se trahunt in procedendo, *non comedetis, quia abominabile est,* id est, immunda sunt vobis ad esum. Porro, ut super secundum Sententiarum Albertus, Bonaventura et alii scribunt, multiplex est genus reptilium : Unum, quod trahit ac rapit se vi oris, ut aliqui vermes ; secundum, quod rapit se vi costarum, sicut

C serpentes ; tertium, quod trahit et rapit se vi pennularum suarum, ut pisces ; quartum, quod rapit se vi annulorum, ut animalia annulosa ; quinto, extense loquendo, omne animal dicitur reptile, quod movendo se, magnam partem corporis sui applicat terræ, ut stellio et lacerta. Textus vero nunc loquitur de reptilibus terræ, quæ reptando immunditiam contrahunt conversatione et motu, et aliunde sunt vilia, complexionis quoque intemperatæ ad alendam vitam humanam.

D *Nolite contaminare animas vestras,* parvipendendo, aut ex contemptu seu negligentia culpabili violando prætacta mandata. Quamvis enim ex corporali illo contactu non contaminabatur anima macula culpæ directe et immediate, poterat tamen culpam incurrere non curando, aut ex irrationabili causa omittendo observantiam eorumdem. *Nec tangatis quidquam eorum,* scilicet immundorum, *ne immundi sitis* immunditia corporali aut spirituali, juxta expositionem præhabitam.

Digitized by Google

Ego sum Dominus Deus vester : cui cum omni diligentia et puritate est ministrandum, nec dignus est servus meus vocari qui mihi non servit sicut præcipio. Luc. VI, 46. Unde et Christus in Evangelio : Quid, inquit, dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico ? Per Malachiam quoque Malach. I, 6. Dominus loquitur : Filius honorat patrem suum, et servus timet dominum suum. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus ? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus ? *Sancti estote,* id est puri a vitiis, et ornati virtutibus ; *quia ego sanctus sum,* id est essentialiter purus, virtuosus, perfectus, et sanctitas ipsa immensa, exemplaris, fontana, omnis puritatis et virtutis mensura, causa et regula prima. Dominus autem vult servos suos suæ voluntati conformari ac obedire. Præsertimque Deus, qui est summus pater ac dominus omnium, vult ut homines ad suam imaginem similitudinemque producti, conformentur etiam ei per dona gratiæ ac virtutum, ut Deus Pater resplendeat in filiis suis, et servi ipso suo famulatu ostendant Dominum suum honorabilem esse, aliosque suo exemplo incitent et inducant ad summæ majestatis honorem. Ideo Filius Dei docuit nos orare : Matth. VI, 9. Pater, sanctificetur nomen tuum. Item : Ibid. V, 16 Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram. Ego enim sum Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum, id est ad hoc, ut per debitam subjectionem, puritatem et obedientiam, ita colatis me, ut digni sitis me Deum vocare, tanquam id quod super omnia amatis, honoratis et colitis. Propter quod ab idololatris vos eduxi, ne conformemini illis, sed multiplici munditia differatis ab ipsis. *Sancti eritis,* id est, esse debetis immaculati, præsertim ab omni culpa mortali, et etiam virtuosi et mundi ; *quia ego sanctus sum,* qui cultores meos volo mihi per imitationem esse consimiles, quia peccata odio ac detestor, virtutes sanctitatemque diligo. Hinc ait in Evangelio Christus : Estote misericordes, sicut Luc. VI, 36. et Pater vester cœlestis misericors est. Et denuo : Estote, ait, perfecti, sicut et Pater Matth. V, 48. vester cœlestis perfectus est.

Postremo additur epilogatio : *Ista est lex animantium et volucrum, et omnis animæ viventis quæ movetur in aqua,* id est omnis animati aquatici : hoc est, in isto capitulo datæ sunt leges seu jussiones discernendi immunda a mundis, tam in bestiis terræ, quam in avibus aeris ac piscibus aquæ ; *et replat in terra, ut differentias noveritis mundi et immundi, et sciatis quid comedere et quid respuere debeatis.*

Circa præhabita plenius intelligenda, pensandum, quia, ut docet Alexander super tertium Sententiarum, et Guillelmus libro de Fide et legibus, voluit Dominus tabernaculum suum in honore haberi, ideo non nisi mundos in illud intrare concessit. Immunditia autem irregularitatis materiæ, quæ requirebat purificationem, multiplex erat : quia vasa in quæ immunda ceciderant, et ea quæ morticina illorum tetigerant, reputabantur immunda, similiter homines qui ea tangebant, clibani quoque et ollæ : in quo non aliud recte intelligi potest, nisi prohibitio appropinquationis ad idololatriam. Ubi enim prohibiti sunt filii Israel tangere hujusmodi animalia vel morticina eorum, prohibiti sunt necessario immolare ea, et de immolatis comedere. In hoc etiam quod immunda judicata sunt immunditia, quæ prohibebat accessum ad Dei tabernaculum, præcisa est etiam ea tangentibus omnis spes emundationis, et appropinquationis ad Deum per illa. Et per hæc ostensa sunt filiis Israel signa divinæ offensionis et indignationis in illis immundis, non propter se, sed propter idololatriam quæ fiebat de eis. Denique vasa in quæ corruerunt immunda, voluit Deus esse polluta cum contentis in eis. Idololatræ enim vasa volebant carere operculis, ut aliquibus servitiis idololatriæ magis præsto essent, atque ut ipsa reptilia idolis immolanda, in ea sponte irreperent, ut mures, mustelæ, lacertæ,

Digitized by Google

sicque invenirentur in vasis illis. Sic namque credebant ea esse magis accepta diis suis, utpote electa ab eis. Supersunt adhuc aliquæ idololatriæ hujus reliquiæ. Credunt enim nonnulli insipientes, quædam nocturna numina frequentare domos, et vasa quæ discooperta vel aperta invenerint, postquam inde comederint vel biberint, reimplere. Si autem ea clausa, obstructa, vel cooperta invenerint, inde offendi, et ex hoc domui diffortunium imminere. Hinc et alii asserunt, quod gentiles idololatræ, aquas vasorum, aliosque liquores, in quibus præfata immunda animalia inveniebantur, putabant suis diis acceptas, et eas offerebant illis. Unde secutum videtur, quod vetulæ quædam sortilegæ, vasa in quibus est aqua, dimittunt de nocte aperta, ut nocturna numina illuc veniant ad bibendum. Quum ergo omnipotens Deus Synagogam dilexerit, tanquam sponsam, quasi amore zelotypo : quid mirum, si om- A nia ista quæ prima facie non videntur alicujus momenti, Judæis prohibuit, quoniam idololatræ talia exercebant?

Postremo, sicut in prima secundæ, quæstione 102, Thomas testatur : Inerat Judæis immunditia quædam ex contactu quarumdam rerum immundarum, cujus litteralis causa fuit propter reverentiam eorum quæ ad divinum pertinent cultum : tum quoniam pretiosas res homines tangere non solent, quum fuerint immundi ; tum etiam ut ex raro accessu ad divina, ea amplius B venerarentur. Quum enim omnes hujusmodi immunditias homo raro possit vitare, accidebat quod raro patuit eis ad divina accessus, sicque suo tempore cum majori humilitate et reverentia processerunt ad ea. Fuit et alia ratio in quibusdam : nam quoniam soli mundi intrabant, non fuit alicui occasio dimittendi ingressum in sancta ex timore infectionis seu horrore consortii immundorum.

ARTICULUS XXVI

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI UNDECIMI INTELLECTU.

SPIRITUALEM et mysticum hujus capituli sensum, S. Thomas compendiose perstringit magna ex parte in prima secundæ, cujus verba inducam. Primo tamen scire oportet, quod per animalia munda et immunda, homines diversorum morum signari constat ex hoc, quod Spiritus Sanctus volens principem Apostolorum ad gentilium conversionem transmittere, primo
Act. x, 11-13; xi, 5-7. ostendit ei in visione vas, in quo erant omnia quadrupedia, serpentia ac volatilia et bestiæ terræ, dixitque ei : Surge, Petre, occide et manduca. Itaque per animalia illa prohibita designantur reprobi mores, diversaque vitia, a quibus cavere oportet. Unde in libro contra Faustum loquitur
Thomæ verba, 1, 2, q. 102, 6, ad 1. Augustinus : Si de porco et agno requira- C tur, utrumque quoad suam naturam sive essentiam, mundum est, quoniam omnis creatura Dei bona. Quadam vero significatione agnus est mundus, et porcus immundus, tanquam si stultum et sapientem diceres. Utrumque hoc nomen natura vocis et litterarum ac syllabarum, ex quibus constat, mundum est ; significatione autem unum est mundum, aliudque immundum. Sic animal quod ruminat, et ungulam findit, significatione est mundum : quoniam fissio ungulæ significat distinctionem duo- D rum Testamentorum, seu Personarum in divinis, duarum quoque naturarum in Christo, atque discretionem boni et mali, seu veri et falsi ; ruminatio autem insinuat meditationem Scripturarum et sanum in-

Digitized by Google

tellectum earum, sive assiduam recordationem omnium pertinentium ad salutem. Et cuicumque alterum horum deest, spiritualiter est immundus : ad quod designandum, illa sola inter terrestria animalia esui Judæorum sunt concessa, quæ ungulam findunt, ac ruminant. Similiter in piscibus, illi qui habent squamas et pennulas significatione sunt mundi : quia per pennulas significatur vita sublimis et contemplativa ; per squamas vita pœnitentialis et aspera : quorum utrumque necessarium est ad spiritualem munditiam et perfectionem. — In avibus autem specialia quædam avium genera prohibentur, per quæ specialia peccata notantur. In aquila enim quæ altius volat, prohibetur superbia. In grypho, qui equis et hominibus est infestus, potentium crudelitas reprobatur. In haliæeto, qui pascitur avibus minimis, designantur qui pauperibus sunt molesti. In milvo, qui pullis insidiatur, dolosi. In vulture, qui mortes et seditiones hominum cupiunt. Per corvos nigerrimos, hi qui voluptatibus denigrantur. Per struthionem, qui quamvis alatus sit, volare non valet, religiosi et clerici qui sæcularibus negotiis se immiscent. Per nycticoracem de nocte clare videntem, hi qui in temporalibus sunt astuti, in spiritualibus hebetes. Per larum in aere volantem, atque in aquis natantem, hi qui cum Evangelio observant legalia, vel qui per contemplationem volunt volare, quum adhuc aquis concupiscentiæ seu fluctibus passionum immergantur. Per accipitrem hominibus deservientem ad prædandum, ministri qui potentibus obsequuntur ad pauperum deprædationem. Per bubonem nocte alimentum quærentem, luxuriosi, præsertim adulteri, qui in suis actibus tenebrosis et obscenis quærunt latere. Per mergulum in aquis se diu abscondentem ut devoret pisces, gulosi qui in delectationum suarum humoribus se demergunt. Per ibim seu ciconiam serpentibus vescentem, invidi, qui aliorum adversitatibus tanquam serpentibus reficiuntur. Per cycnum album

A et candidum, longo collo cibum trahentem ex terræ aut aquæ profunditate, hi qui per apparentem justitiam quærunt lucra terrena. Per onocrotalum, qui in folliculis suis cibaria colligit, et ea postea mittit in ventrem, signantur avari. Per porphyrionem, qui omnem cibum suum aquis intingit, hi qui juxta aliorum arbitrium nil facere volunt, sed solum quod fuerit tinctum aquis propriæ voluntatis. Per herodionem seu falconem, hi qui proni sunt ad sanguinem effundendum. Per charadrion, quæ est gar-
B rula avis, loquaces. Per upupam in cantu gemitum simulantem, tristes inordinate. Per vespertilionem circa terram volantem, hi qui sæculari scientia præditi, sola terrena sapiunt. Per quadrupedia repentia, hi qui doctrina quatuor Evangelistarum sic abutuntur, quod per eam ad amorem cœlestium non levantur. Hæc Thomas.

Itaque omnia præmemorata vitia devitemus, nec eorum impiis delectationibus reficiamur, nec eorum consortio qui talibus sordidantur, incorporemur. Quumque con-
C venerimus, unus alium reficiat non animali immundo, hoc est non vitiosa narratione, non detractione, nec levitatibus aut læsionibus aliorum, ut simus et nos animalia munda, proximos verbo et exemplo, oratione et fama salubriter reficientia. Nemo inficiat alium instar serpentium, nec instar rapacium avium aliena diripiat. Vilissima ac sordidissima gulæ atque luxuriæ inquinamenta unusquisque jugiter detestetur. Insuper simus animalia ruminantia, ungulamque findentia, ut juxta quod
D scriptum est, in lege Dei meditemur die *Ps. I, 2.*
ac nocte. Fidei quoque et scientiæ correspondeat conversatio nostra, ne duplici condemnatione dispereamus : quoniam servus sciens voluntatem domini sui, et *Luc. XII, 47.*
non faciens, plagis vapulabit multis et acrioribus. Sitque in omnibus rationabile *Rom. XII, 1.*
nostrum obsequium, et discretione regamur, quatenus decenter et secundum or- *I Cor. XIV, 40.*
dinem omnia fiant in nobis, et occasiones peccandi indesinenter vitemus, diligenti cordis custodiæ semper intenti.

Digitized by Google

Nemo per arrogantiam se ipsum fatue A erigat, neque per ambitionem super confratres suos exaltari conetur, neque per cupiditatem et gulam, aut sensualem turpissimumque amorem sensibilibus et terrenis inhæreat; sed per pedes animæ suæ, per desideria caritatis, per sanctas affectiones, per orationes et meditationes fervidas et sinceras, Deo altissimo cohærere, uniri, infigi conetur, satagat et non cesset. Nullus per consensum aut communionem illicitam tangat immunditiam alienam, et ita custodiat se, ne proximorum peccata ca- B dant aut redundent in se ipsum. Nemo per invidiam, malitiam, nequitiam, scandalosamve actionem efficiatur animal venenatum; nec ad similitudinem talpæ et vespertilionis odiat lucem veritatis, splendorem justitiæ, manifestationem culparum suarum, correptionem et dignam castigationem ipsarum. Fictam justitiam, et omnem duplicitatem atque hypocrisim abominemur. Sicque omni torpore acediæ prorsus evulso, Domino Deo nostro substantialiter et incircumscriptibiliter sancto, in omni C sanctitate et justitia, vel saltem in quotidiano profectu, incessabilique divinorum incremento charismatum serviamus, atque per hæc Patri nostro cœlesti, humiliter et ferventer ac ordinate assimilari nitamur.

Postremo, circa hæc loquitur Origenes : Primus cibus noster est Dominus et Salvator, qui ait : Caro mea vere est cibus ; et, *Joann.* vi, 36, 51. Ego sum panis vivus. Secundo loco, post ipsum, Petrus et Paulus, omnesque Apostoli. Tertio loco, eorum discipuli. Et sic unusquisque pro quantitate meritorum suorum et sensuum puritate, proximo suo mundus efficitur cibus. Arbitror autem illum ruminare, qui operam dat scientiæ, et in lege Domini meditatur assidue. *Ps.* i, 2. Dividit autem ungulam, qui ea quæ legit secundum litteram, ad sensum revocat spiritualem, atque ab infimis et visibilibus ad invisibilia et altiora conscendit. Sed si vita tua et actus tui non habeant discretionem, sed a fide tua et a verbis ac sermonibus discrepent, camelus es tortuosus ac deformis, quia arctam viam a spatiosa non segregas. Lepus vero est, qui inordinata formidine tremit. Iterum ait : De mundis et immundis animalibus scientiam *Act.* x, 15. desuper accepit Apostolus, quoniam quidem eminentiorem se et majorem non habebat in terris. Et sicut ex præcedentibus ac subsequentibus verbis Origenis ostenditur, hoc ipse de beatissimo Petro disseruit. Alia multa de his scribit Origenes in homilia, de quibus pertranseo, quia habentur magna ex parte in Glossa.

ARTICULUS XXVII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI DUODECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

PRÆCEDENTI capitulo actum est de D immunditia quæ ab exteriori causa contrahitur. Nunc tractatur de ea quæ ab intrinseca causa est, et est hæc immunditia quadruplex : Prima, feminæ parientis, de qua nunc sermo ; secunda, lepræ ; tertia, fluxus seminis ; quarta, fluxus sanguinis.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Mulier si suscepto semine pepererit masculum. Secundum Origenem, superflue Moyses addidisset, Si suscepto semine, nisi scivisset in spiritu virginem masculum parituram. Atque ut addit sanctus pater Bernardus, Moyses dicturus, Mulier si pepererit, immunda erit, timuit crimen blasphemiæ super Matre Christi incurrere : ideo addidit, Si suscepto semine. Hinc alii

Digitized by Google

dicunt, quod beata Virgo excepta fuit ab ista lege, quia concepit et peperit sine virili semine. Quocirca Rabbi Paulus fideliter addit : Per hoc quod dicitur, Mulier si suscepto semine pepererit, Moyses intelligitur non solum excepisse eam quæ non suscepto semine peperit, sed etiam asseruisse, quod aliqua mulier absque susceptione seminis erat paritura. Alias conditio illa, Si suscepto semine, esset omnino superflua. Unde infra quum de partu feminæ agitur, non additur talis conditio ; sed simpliciter dicitur, Si autem feminam pepererit : quoniam nulla feminam peperit, nisi suscepto semine.

Immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ, id est eo modo quo immunda est quæ fluxum menstrui patitur. Et ob hoc ab aliorum communione separatur, quoad lectum et cibum ac sanctuarium : imo et omne quod tangit, reddit immundum. Sic et femina pariens, fuit immunda primis septem diebus propter assiduum menstrualis sanguinis fluxum.

Gen. xvii, 12. *Et die octavo circumcidetur infantulus* prout in Genesi legitur esse præceptum. Puella autem in lege scripta, quemadmodum et in lege naturæ, ab originali culpa purgabatur fide parentum. *Ipsa vero* puerpera *triginta tribus diebus* post illos primos septem dies, *manebit in sanguine purificationis suæ,* id est, domi manebit, nec exiet, et erit persistens in sanguine suo, aliquantulum sed nondum perfecte purgato. Unde in his diebus licuit ei a lecto surgere, et ire in domo, et aliis communicare in cibo et sede, non autem in lecto ; nec reddebat immunda, ea quæ tetigit. *Omne sanctum non tanget,* id est, nihil Deo oblatum aut consecratum licebit ei manducare aut tangere, quia adhuc aliqualiter sustinet sanguinis impuritatem aut fluxum ; *nec ingredietur sanctuarium,* scilicet atrium ejus in quod laici introibant, propter reverentiam sacri loci; *donec impleantur dies purgationis ejus,* videlicet usque ad quadragesimum diem. Nam et tot diebus secundum philosophos forma-

A tur et organizatur corpusculum maris in utero matris, ut in Scholastica fertur historia. Verumtamen Beda super Joannem refert, quod secundum philosophos corpus maris in quadraginta sex diebus perficiatur.

Sin autem feminam pepererit, immunda erit majori immunditia illa præfata, *duabus hebdomadibus,* scilicet quatuordecim diebus, *juxta ritum fluxus menstrui,* id est, secundum quod observatur immunditia ista in patientibus fluxum sanguinis men-

B strualis, *et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ,* sicut modo expositum est. Sicque in partu femellæ dies utriusque purificationis duplicabantur, et octoginta diebus purificatio complebatur, quoniam tot diebus (ut fertur) corpusculum filiæ formatur. In femellæ quoque conceptu est calor debilior, propter quod materiam tardius digerit, unde et impura materia prolixius consumitur ac purgatur.

Quumque expleti fuerint dies purgatio-

C *nis pro filio sive pro filia :* quam scilicet purgationem necessariam habet propter generationem prolis, vel potius propter immunditiam generationi annexam et concomitantem ; *deferet* ad sacerdotem atque ad ostium atrii templi *agnum anniculum in holocaustum,* id est ad hoc, quod Deo in holocaustum immoletur ad reverentiam ejus qui prolem concessit, *et pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti.* Hoc quidam exponunt de peccato, quod

D mater in concipiendo incurrit : quia etsi copula conjugalis fieri queat absque peccato, raro tamen contingit absque admixtione saltem venialis peccati. Quidam vero exponunt de originali peccato filiæ, nam filio fuit in circumcisione dimissum : quod non videtur idonee dictum, quia et filiæ fuit indultum per remedium ei conveniens, et prætactum.

Aliqui autem dicunt, quod offerebatur columba illa aut turtur pro remissione peccati originalis præterita : quod repro-

Digitized by Google

bat Lyra, quum paulo post dicatur : *qui* A *offeret illa coram Domino, et rogabit pro ea* sacerdos, *et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui*. Per quod patet, quod loquitur textus de mundatione matris, non prolis. Cui reprobationi opponit Rabbi Paulus, quod mundatio illa a profluvio sanguinis, non fuit mundatio a peccato mulieris in conceptu contracto, sed a quadam irregularitate immunditiæ, ob quam non poterat sanctuarium ingredi, etc. Hæc demum reprobatio staret, nisi in textu apertissime diceretur, quod columbam si- B ve turturem offeret pro peccato. Attamen reprobatio Lyræ videtur se ipsam perimere, quia revera mundatio a profluvio sanguinis, non fuit mundatio a peccato, sicut et Rabbi Paulus tangit. Unde quod dicitur, Orabit pro ea sacerdos, et sic mundabitur a profluvio, potest ita exponi, quod sacerdos offerens orabit pro muliere et remissione sui peccati, quod sive in conceptu, sive interim incurrit. Porro quod sequitur, Et sic mundabitur, etc., referendum est ad totum præcedens, utpote quod C puerpera per observantiam dierum utriusque purificationis suæ, et ceterorum quæ ei nunc jussa sunt, purificabitur a sanguinis seu seminis sui profluvio, ita quod propter profluvium illud præteritum, ultra non prohibebitur a sanctuarii introitu, a communione mariti quantum ad lectum, nec a contactu et esu immolatorum.

Ista est lex parientis masculum aut feminam, id est, præinductum præceptum concernit puerperam, tam eam quæ masculum, quam illam quæ feminam parit. D Fuitque eadem oblatio, sive masculum, sive femellam genuerat. Quocirca quæri posset, quot diebus durasset purificatio seu immunditia ejus, si simul masculum genuisset ac filiam.

Quod si non invenerit manus ejus, id est, ad offerendum non habuerit, *nec potuerit* acquirere, neque *offerre agnum, sumet duos turtures aut duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato ; orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur*. Hæc fuit oblatio pauperum. Unde et sacratissima Virgo in sua purificatione hæc immolavit : quo constat quod pauper erat, quamvis parentes ejus satis divites fuerint. At quæ in die Epiphaniæ copiosa Unico suo fuerunt munera a Magis oblata, ipsa creditur pauperibus erogasse, aut in pios usus expendisse. Denique holocaustum illud sive agnus, sive turtur, aut columba, offerebatur pro fetu ; hostia autem alia pro parentis peccato. Atque ut Josephus addit, et ex textu Exodi patet, primogeniti præter hæc redimebantur quinque siclis, primogenitis Levitarum exceptis.

Moraliter, mulier suscepto semine concipiens et pariens masculum, est anima rationalis, Dei sponsa et conjux Agni : quæ fecundante eam Spiritu Sancto lumine gratiæ seu verbo divini sermonis, concipit virile propositum, et illud perducit ad actum virtuosum, idoneum et constantem, juxta illud Isaiæ : A facie tua concepimus, et peperimus spiritum salutis. Verumtamen mulier ista immunda est septem diebus : quia per omne tempus vitæ præsentis, universæ justitiæ nostræ sunt quasi pannus menstruatæ, et in multis offendimus omnes. In octava autem mundatur, quia in resurrectione futura omnis defectus ab electis tolletur. Per quadraginta quoque dies purificationis, tempus pœnitentiæ designatur, quia et Christus tot jejunavit diebus. *Si autem pepererit feminam,* id est propositum emendationis aut spiritualis profectus parvum ac debile, instabilemque executionem ipsius, reputatur immundior, et dupla purificatione est indigens : quia secundum mensuram peccati, debet et satisfactionis modus consistere. Postremo, quidam quasi theologicas et mysticas causas assignant, cur in partu femellæ diuturnior immunditia erat parientis, videlicet quod Deus honoravit in hoc sexum masculinum, quia humanam naturam in sexu illo decrevit assumere, et quia in transgressione originalis peccati mulier culpabilior fuit.

Sensus moralis.

Is. XXVI, 17, 18.

Ibid. LXIV, 6.

Jacob. III, 2.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVIII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI TERTIIDECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN ET AARON.

De lepris et speciebus earum et curatione, sacrificiisque pro earum purgatione offerendis nunc agitur. Dicit autem Magister in historiis, quod quatuor sunt genera lepræ. Primum in cute, secundum in capillis, tertium in veste, quartum in domo. Porro Origenes plenius distinguens, dicit in isto capitulo tangi sex species lepræ. Quem Isidorus sequens, ait : Invenimus legislatorem posuisse sex species lepræ in homine. Prima est barbæ et capitis, secunda calvitii et recalvationis, tertia carnis et cutis, quarta cicatricis albæ cum rubro, quinta ulceris, sexta adustionis. Verumtamen in his speciebus, vel potius modis, nomen lepræ æquivoce sumitur, sicut patebit.

Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Homo in cujus carne et cute ortus fuerit diversus color, id est intermixtus, et multum mutatus a naturali pristinoque colore, *sive pustula.* Pustula dicitur turgens et tumens collectio putredinis, in superficie carnis apparens, ab intra ascendens. Aliquando vero vocatur infirmitas, quæ hominem efficit putidum, a puteo, quod est fœtere. *Aut quasi lucens quidpiam,* id est pars carnis ex corruptione transparens, *id est plaga,* id est infirmitas *lepræ :* quæ interdum a Deo in ultionem peccati infligitur, et ita est proprie plaga ; vel non sine justa permissione divinæ providentiæ oritur, estque læsio quædam naturæ, et ita adhuc plaga vocari potest. Talis autem transparentia carnis ex corruptione humorum, est probabile atque communiter verum lepræ signum : idcirco quum dixerat, Aut lucens quidpiam, addidit, Id est plaga lepræ, non quod caro illa sit lepra, sed quia lepra est in

A ea. *Adducetur,* vel sponte solus ibit *ad Aaron sacerdotem,* puta pontificem, *vel ad unum quemlibet filiorum ejus,* id est ad aliquem inferiorem sacerdotem, quem ad hoc deputaverit pontifex : et propter arduitatem hujus causæ, atque ob testimonium perhibendum de discussione ac judicio sacerdotis, probabile est, quod comites aliqui adducebant talem infirmum ad sacerdotem ; non tamen usque in atrium tabernaculi, quia suspectus fuit de lepra.

Qui quum viderit, id est esse cognoverit, B *lepram in cute :* transparentia namque præfata hoc indicat, præsertim quando ei junguntur et alia signa, de quibus subjungitur ; *et pilos in album mutatos colorem,* capillos videlicet capitis, qui paulo ante fuerunt coloris alterius. Ita mutatio illa non venit ex senio, frigiditate, timore aut simili causa, quæ in se non est ægritudo. *Ipsamque speciem lepræ,* id est locum seu partem carnis aut cutis in qua est, *humiliorem,* id est depressiorem seu profundiorem, *cute et carne reliqua :* quæ depressio venit ex corrosione, qua lepra sua C putriditate corrodit et partim consumit carnem aut cutem, in qua est. *Plaga lepræ est* indubitanter, *et ad arbitrium ejus separabitur :* id est, juxta judicium sacerdotis leprosus a communi hominum habitatione et communicatione in vita civili removebitur.

Sin autem lucens candor de quo dictum est, *fuerit in cute, nec humilior carne reliqua,* id est, caro seu cutis illa transparens, non fuerit bassior partibus ei vicinioribus, *et pili coloris pristini* manserint, D non mutati alium in colorem ; *recludet eum sacerdos* in domo ad hoc deputata, *diebus septem,* ad vitandum periculum, ne

Digitized by Google

scilicet interim quis inficiatur ab illo, si forte leprosus exsistat : quia in dubiis, præsertim in causis et casibus periculosis, securior pars est tenenda. *Et considerabit* suspectum de lepra *die septimo ; et si quidem lepra,* id est id quod videbatur esse lepra seu signum lepræ, *ultra non creverit* per profundationem, corrosionem seu depressionem sui subjecti, nec per pilorum mutationem in album colorem, *nec transierit in cute priores terminos,* se diffundendo aut pustulas pariendo, ita quod nec extensive nec intensive viderit eam auctam ; *rursus includet eum septem diebus aliis,* ut veritas interim ex effectu pandatur : quia in re tam periculosa et ardua, non est præcipitanda sententia, nec sine sufficienti examinatione veritatis proferendum judicium. Propter quod Hesychius ait circa hunc locum : Non cito judicemus, sed frequenter inquiramus.

Et die septimo hujus secundæ reclusionis, *contemplabitur* sacerdos hominem illum. *Si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute,* id est, si cutis seu caro quæ putabatur leprosa, non fuerit interim albior aut transparentior facta, sed in pristino colore permanserit, aut ab albore et translucentia priori parumper recesserit; *mundabit eum,* quantum ad manifestationem, id est, judicabit eum esse immunem a lepra ; *quia scabies est,* id est alia quædam indispositio corporis minor lepra, et non infectiva, curabilis quoque. *Lavabitque homo vestimenta sua,* in signum suæ munditiæ, *et mundus erit :* id est, quia judicatus est mundus a lepra. *Quod si postquam a sacerdote visus est,* id est consideratus, *et munditiæ redditus,* id est mundus judicatus, *iterum lepra creverit,* vel etiam quæ latuit, de novo apparuerit, quia sacerdos poterat falli in judicando de lepra ; *adducetur ad eum,* puta ad sacerdotem, si manifesta et certa lepræ indicia deprehenduntur in illo, *et immunditiæ condemnabitur,* id est, legi leprosorum judicabitur subjacere.

Consequenter agitur de lepra carnis sub cute confracta aut rupta. *Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, et videbit eum,* hoc est, leprosum diligenter considerabit. *Cumque color albus in cute fuerit,* id est in pilis cutis, juxta sensum præhabitum. Unde subjungitur : *et capillorum mutaverit adspectum,* id est, albedo illa ex putrefactione interiori exorta, ostenderit capillos a pristino et naturali colore subito in alium mutatos colorem, scilicet in alborem ; *ipsa quoque caro viva apparuerit,* id est, cute jam rupta ex putrificante corruptione et corrosione, ipsa caro albescens et quasi transparens exstiterit ; *lepra vetustissima judicabitur atque inolita,* id est innata, *carni* *, ita quod caro est quasi assuefacta hujusmodi infectione. *Contaminabit itaque eum sacerdos,* id est, immundum et leprosum esse dictabit, *et non recludet, quia perspicue immunditia est,* id est lepra, quæ antonomastice immunditia nominatur, loquendo de immunditia corporali.

* cuti

Sin autem effloruerit, id est foris longe ac late se fuderit, *discurrens lepra in cute,* id est scabies similis aliqualiter lepræ : quæ scabies ab imperitis lepra esse censetur. Sicque lepra in isto capitulo sumitur multum æquivoce. *Et operuerit omnem carnem,* id est totum hominis corpus, *a capite usque ad pedes* inclusive, aut etiam exclusive, *quidquid sub adspectu oculorum cadit,* omnes scilicet visibiles corporis partes ; *considerabit eum sacerdos, et teneri a lepra mundissima judicabit,* id est, judicialiter dicet, quod perfusus sit scabie, quæ non est lepra absolute, sed mundissima lepra, id est infirmitas quædam curabilis, aliquid secundum apparentiam habens simile lepræ ; *eo quod omnis cutis in candorem versa sit,* id est tota caro, ita albescens absque quarumdam partium corrosione et putrida depressione ; *et idcirco homo mundus erit,* id est, a macula lepræ judicabitur alienus : nam et scabies illa suo pruritu putridos extrahit et consumit humores, sicque corpus purgatur per eam.

Quando vero caro vivens in eo apparuerit, id est, dum in ipso infirmo rupta (ut

Digitized by Google

dictum est) cute, ipsa caro apparuerit lucens, juxta præhabitum sensum ; *tunc sacerdotis judicio polluetur,* id est, immundus et leprosus esse monstrabitur, *et inter immundos reputabitur. Caro enim viva si lepra adspergitur, immunda est. Quod si rursum versa caro fuerit in alborem, et totum hominem operuerit,* juxta modum et intellectum prætactos ; *considerabit eum sacerdos, et mundum esse* a lepra *decernet :* quoniam scabies est, et non lepra.

Sequitur de lepra ulceris, quod differt a vulnere, quoniam ulcus ex interiori putrefactione procedit, vulnus ab extra infligitur. *Caro autem et cutis in qua ulcus natum est et sanatum, et in loco ulceris* jam curati *cicatrix apparuerit alba sive subrufa ; adducetur homo* ita dispositus, *ad sacerdotem : qui quum viderit locum lepræ humiliorem,* id est bassiorem seu depressiorem *carne reliqua, et pilos versos in candorem,* id est albefactos modo inducto, *contaminabit eum,* id est, leprosum esse definiet, *quia plaga lepræ orta est in ulcere,* id est in carne, in qua ulcus exstiterat. *Quod si pilus coloris est pristini,* hoc est, si pili non fuerint in colore mutati, *et cicatrix* ulceris jam sanati fuerit *subobscura,* sicut expositum est, *et vicina carne non est humilior,* id est depressior ex corrosione putredinis ; *recludet eum septem diebus. Et si quidem creverit,* id est, si septimo die viderit sacerdos cicatricis lucentem alborem esse auctum in se, vel per extensionem diffusionemque sui ; *adjudicabit eum lepræ,* id est leprosum esse. *Sin autem steterit* albor ille *in loco suo,* ita quod non crevit per subjecti sui depressionem, neque per sui diffusionem ; *ulceris est cicatrix,* id est non plus quam solitum ulceris curati vestigium, *et homo mundus erit* a lepra.

Subditur de lepra vulneris. *Caro autem et cutis quam ignis exussit,* id est cui vulnus inflictum est seu læsio ab exteriori læsione, scilicet igne, per quem et alia lædentia dantur intelligi, ut ferrum, lapis et lignum, *et sanata, albam sive subrufam* A *habuerit cicatricem ; considerabit eam sacerdos,* homine eam habente sibi adducto ; *et ecce si versa est* cicatrix illa *in alborem* lucentem, *et locus ejus reliqua carne humilior* ex carnis corrosione ; *contaminabit eum,* id est judicabit esse leprosum. *Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua,* id est, caro, in qua est illa cicatrix, non fuerit submissior... Reliqua autem quæ dicuntur in isto casu agenda, patent ex dictis : quoniam in isto fit consideratio, sicut in aliis B casibus præinductis. Secundum Guillelmum libro de Fide et legibus, Lex cicatrices vulnerum specialiter exhorruit, in suggilationem idololatriæ, qua ignis ab aliquibus colebatur. Cultores enim ignis, in venerationem ipsius, ustiones fecerunt in carnibus suis et cutibus, quemadmodum alii idololatræ incisiones. Accidit autem plerumque, ut vulnus ustionis fiat sanie fluens : ideo in hoc casu, propter corruptionem atque putredinem, nomine lepræ id designavit amator munditiæ Deus.

C Deinde subjungitur de lepra barbæ et capitis. *Vir sive mulier in cujus capite vel barba germinaverit lepra ;* verumtamen lepra proprie dicta, non potest esse in barba, sed lepra extense seu similitudinarie sumpta ; *videbit eos sacerdos. Et si quidem humilior fuerit locus* lepræ *carne reliqua :* quod de lepra capitis accipi debet, non barbæ, nisi per barbam intelligatur subjectum ipsius, in quo crescit et figitur ; *et capillus flavus, solitoque subtilior,* id est, crines a pristino suo co- D lore ac priori grossitie fuerint versi in flavum seu album colorem, et subtiliationem materiæ suæ atque mollitiem ; *contaminabit eos,* judicando quod sint leprosi, *quia lepra capitis ac barbæ est. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni,* non depressiorem, *et capillum nigrum,* id est a suo naturali colore non immutatum, sive sit rubeus, sive niger : unde (ut fertur) in Hebræo habetur, Et quamvis non habeat nigros crines ; *recludet eum,* scilicet virum, cui competit bar-

Digitized by Google

bam habere, quod mulieribus non solet competere, *septem diebus.* Unde quod dictum est, Vir sive mulier, in cujus capite vel barba, intelligendum est cum appropriatione : quia quod ait de capite, commune est viro et mulieri ; quod autem de barba, viro appropriatur.

Et die septimo intuebitur. Si non creverit macula, et capillus sui coloris est : sumendo capillum pro congerie seu multitudine capillorum ; *et locus plagæ,* id est præfatæ maculæ, de qua adhuc ambigitur an sit lepra, *carni reliquæ æqualis ; radetur homo absque loco maculæ,* id est, pili capitis seu barbæ abradentur, demptis pilis in quibus est macula, vel qui stant in maculæ loco seu carne : qui ad hoc stare sinuntur, ut consideretur an lepra seu macula illa augebitur, et utrum diffundetur per carnem rasam ; *et includetur septem diebus aliis. Si die septimo visa* a sacerdote *fuerit stetisse plaga in loco suo,* et non diffusa, *nec humilior carne* illa *reliqua ; mundabit eum* sacerdos, id est, mundum a lepra pronuntiabit, *lotisque vestibus suis, mundus erit,* id est, tanquam mundus habebitur. *Si autem post emundationem* præfatam *rursus creverit macula in cute* capitis aut barbæ, *non quæret* sacerdos *amplius, utrum capillus* illius infirmi *in flavum colorem sit commutatus, quia aperte immunditia est,* id est lepra, dum tamen alia præmemorata lepræ indicia adsint. *Porro si steterit macula, et capilli nigri fuerint, noverit hominem sanatum esse, et confidenter eum pronuntiet mundum. Vir sive mulier in cujus cute,* vel in quorum pellibus *candor,* id est macula lucens aut albor, *apparuerit ; intuebitur eos sacerdos. Si deprehenderit subobscurum alborem,* cui scilicet aliquid nigri aut rufi admiscetur coloris, *sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, et hominem mundum.*

Sequitur de lepra comæ seu cæsarici. *Vir de cujus capite capilli fluunt, calvus ac mundus est :* calvus, propter capitis nudationem a crinibus amplius non crescen-

A tibus ei ; et mundus a lepra. Tale enim calvitium non fit ex putrefactione interiore et corrosiva, sed potius ex defectu humorum, ex quibus pili gignuntur seu aliis causis. *Et si a fronte ceciderint pili,* id est ex opposita parte ; *recalvaster et mundus est :* quemadmodum calvus, cujus pili ab anteriori capitis parte exciderint. *Sin autem in calvitio seu recalvatione,* id est parte capitis ante vel retro calvata, *albus vel rufus color fuerit exortus,* hoc est color albus et lucens, alter a priori et natu-
B rali colore, una cum præfata partis depressione ex corrosiva putriditate, *et hoc sacerdos viderit ; condemnabit eum haud dubie,* id est sine ambiguitate, *lepræ, quæ orta est in calvitio.*

Subditur, qualiter ab aliis distinguendi sint leprosi, vestitu, habitatione et incessu. *Quicumque ergo maculatus fuerit lepra* proprie dicta, *et separatus est* ab hominum societate, convictu et mansione, *ad arbitrium sacerdotis ; habebit vestimenta dissuta,* id est facilia ad induendum vel exu-
C endum, seu in lateribus aperta, ut sine pœna induat et exuat ea. Vel forte de exteriori intelligendum est tunica, ut sic cognosceretur. *Caput nudum,* ut discernatur ; *os veste contectum,* ne suo anhelitu seu odore inficiat alios; *contaminatum ac sordidum se clamabit* vel ore, vel per ista indicia, per quæ cunctis satis patebit inquinatio ejus. *Omni tempore quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra,* id est in domo seorsum, ita quod nullus sanus et mundus secum morabitur.
D Poterunt tamen leprosi cohabitare, sicut et modo, quia in eis ratio prohibitionis cessavit. Denique, quoniam lex ista per Moysen de leprosis statuta, videtur dura, quidam, ut Josephus recitat, dixerunt, et ipsum Moysen lepram incidisse, illisque similem factum, cum eis in Chananæam venisse. Quod stultum est dicere, et Deo magis quam Moysi lex ista est adscribenda. Deus quoque in ea respexit ad bonum commune, quod præferendum est bono privato, atque per pœnam et confusionem vitæ

Digitized by Google

præsentis, voluit in æternum salvare leprosos. Verumtamen Hesychius dicit hic : Ridicula sunt hæc, secundum litteram interpretata. Ut quid enim de castris ejicitur leprosus, qui magis quam ante solatio et misericordia indiget ? Cur vestimenta ejus dissuuntur, caput nudatur, osque velatur ? Hæc Hesychius. Nihilo minus absolute dicendum, quod ista ad litteram jussa sunt propter rationabiles causas jam tactas.

Sequitur de lepra vestium : *Vestis lanea sive linea, quæ lepram habuerit in stamine atque subtegmine,* id est ex propriæ materiæ interiori corruptione : stamen namque est tela, subtegmen materia quæ ei intexitur ; *aut certe pellis, vel quidquid ex pelle confectum est : si alba aut rufa macula fuerit infecta* ex interiori (ut tactum est) corruptione suæ materiæ, *lepra reputabitur* probabiliter, non tamen definitive aut certitudinaliter ante sacerdotis judicium. Ideo additur : *ostendeturque sacerdoti. Qui consideratam* vestem *recludet septem diebus, et die septimo rursus adspiciens, si crevisse deprehenderit* maculam illam ; *lepra perseverans est,* id est, inhabituata censebitur. *Pollutum judicabit vestimentum omne* * *in quo fuerit inventa :* tanquam subjective inhærens hujusmodi lepra, quæ metaphorice dicitur lepra, propter similitudinem quam ex sua corruptione habet cum vera lepra ; *et idcirco comburetur flammis* vestis talis, quia et ejus infectio disponit ad nocumentum utentis. *Quod si eam viderit non crevisse, præcipiet, et* ex præcepto sacerdotis *lavabunt id in quo est lepra,* id est partem vestis sic maculatam, quia si ex lotione recedit macula, non est lepra ; *recludetque illud septem diebus aliis. Et quum viderit quidem faciem pristinam non* esse *reversam,* id est partem illam lotam, ex lotione et desiccatione non esse reductam ad dispositionem bonam quam habuit antequam macula illa cœpit oriri in ea, *nec tamen crevisse lepram* in ea ; *immundum judicabit* illud sic lotum, nec tamen purgatum. Quum enim lotio ad ejus purgationem non prosit, signum est

* *et omne*

A quod ex interiori materiæ corruptione macula illa sit orta. *Et igne comburet, eo quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per totum lepra,* hoc est ob hoc, quod lepra illa ab intus fusa ac sparsa sit in superficie talis vestis, vel per totum, id est per soliditatem materiæ vestis ab una ejus superficie usque ad aliam inclusive.

Circa hæc scribit Lyra, hunc textum esse corruptum per scriptores, aut alio modo : quia hic agitur de lepra quæ videtur in parte vestimenti, et non per totum. Sed B non oportet dicere textum esse corruptum, si quod dictum est, Vel per totum, intelligatur sicut modo expositum est de tota spissitudine seu soliditate vestis a superficie in superficiem : sicque convenienter exponitur, ad insinuandum quod sive macula illa appareat tantum in una superficie vestis, sive in utraque, immunda sit seu leprosa. Et non oportet exponere de toto per latum et longum, seu omnibus partibus vestimenti. Veritas autem litteræ est salvanda, quantum fieri potest. Asserit C etiam Lyra in Hebræo haberi, Eo quod cavata sit in calvitio suo vel fenestra. Sed Rabbi Paulus contradicit, affirmans quod in Hebræo non fit mentio de fenestra, sed quod veritas Hebraica habeat sic, Eo quod cavata sit in calvitio vel recalvitio. Estque sensus, quod sicut homo dicitur calvus, cujus capilli defluunt a parte anteriori ; et recalvaster, dum defluunt a parte posteriori : sic lepra vestis accipitur hic pro calvitio vel recalvitio, secundum quod lepra vestis contingit in ejus facie vel in dorD so. Hæc Rabbi Paulus, cujus expositio expositioni meæ prætactæ concordat. Sicque beatus Hieronymus magistraliter transtulit potius sensum e sensu, quam verbum ex verbo.

Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, hoc est maculæ quæ lepra putatur, *postquam vestis est lota,* ita quod tunc obscurius seu difficilius sit judicare de veritate lepræ ejus quam ante, eo quod macula illa aliqualiter videatur recessisse a lucenti albore ; *abrumpet eam, et a solido divi-*

Digitized by Google

A *det,* hoc est, partem vestis sic maculatam abrumpet a residua integritate, et abjiciet seu comburet. *Quod si ultra apparuerit in his locis* vestimenti, *quæ prius immaculata erant* a lepræ corruptione, *lepra volatilis et vaga,* id est discurrens seu interpolata; *debet igne comburi* tota hujusmodi vestis. *Si cessaverit* lepra illa a veste, *lavabit* is cujus est vestis, *aqua ea quæ pura sunt secundo,* id est partes vestis quæ altera vice inventæ sunt immunes a lepra, *et munda erunt* tam in se quam in aliorum reputatione. *Ista est lex lepræ vestimenti,* etc. Istud non est nisi epilogatio seu recapitulatio prædictorum.

Porro, ut dictum est sæpe, Deus voluit populum illum Hebræum suæ majestatis cultorem, a talibus exterioribus immunditiis in victu atque vestitu cavere, ut sic admonerentur interiori puritati intendere, et propter mysticas significationes istorum, de quibus erit sermo in sequenti articulo. In litterali demum expositione sequentis capituli quædam dicentur, ex quibus sensus capituli hujus clarius innotescet. B

ARTICULUS XXIX

SPIRITUALIS EJUSDEM TERTIIDECIMI CAPITULI INTELLECTUS.

QUAMVIS per lepram quodcumque mortale peccatum possit intelligi, propter quod sacerdos dicitur in confessione inter lepram et non lepram discernere; specialiter tamen per lepram falsa doctrina, præsertim hæretica pravitas, designatur: quæ est languor animæ contagiosus, ac plurimos scandalizans. Nam sicut in lepra est colorum permixtio et lucens albedo, ita in falsis hæreticisque dogmatibus est falsitatum cum veritatibus quibusdam conjunctio ac simulata religio. Rursus, per lepram C hypocrisis proprie designatur. In hypocrisi namque est sanctitas ficta, vitiositasque realis.

Locutus est ergo *Dominus: Homo in cujus carne et cute ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quidpiam, id est plaga lepræ, adducetur ad sacerdotem.* Tunc in carne et cute hominis diversus oritur color, dum homo per corpus suum exercet aliquid justi ac boni, et item aliquid mali ac vitiosi. Per pustulam D vero vitium indignationis et amaritudinis rite accipitur. Sed quidpiam lucens est vitium palliatum, speciem habens virtutis. Qui itaque ista habet in se, ad superiorem suum sacerdotem ac confessorem est dirigendus seu adducendus, ut consideretur, examinetur, audiatur, judicetur et expediatur per illum. *Qui quum viderit lepram in cute,* id est, ex peccatoris et subditi sui confessione seu propria discussione cognoverit illum vitiosa actione seu falsa instructione infectum; *et pilos in album mutatos colorem,* id est, cogitationes cordis prodisse in actus apparenter laudabiles, exsistentialiter vero vituperabiles; *ipsamque speciem lepræ, humiliorem cute et carne reliqua,* id est, potentiam, in qua subjective est hujusmodi vitium, seu habitus vitiosus ex quo procedit, seu membrum quo exercetur, esse subactam ac subditam tali peccato, per consuetudinem pravam aut inclinationem, delectationem vel complacentiam excessivam, magis quam ceteræ vires aut membra subduntur vitiis, quæ procedunt ex eis, aut fiunt per ea: *plaga lepræ est,* id est peccatum ita enorme, ut merito lepra vocetur, et quasi incurabile exsistat, quia in consuetudinem versum, nisi quod Medicus animarum omnipotens

Digitized by Google

illud curare potest: et recte vocatur plaga lepræ, quia peccata nostra sunt culpæ in se, et pœnæ præcedentium vitiorum, animam quoque graviter lædunt.

Sin autem lucens candor fuerit in cute, id est, abstinentia, pallor, macies, labor religionis, et consimilia speciem lucis et virtutis habentia, appareant in conversatione hominis; *nec humilior carne reliqua,* id est, talia et si ex aliqua vanitate procedunt, aut cum vana gloria fiunt, non tamen sunt vitiose radicata, aut firmiter habituata in homine, ita quod naturalem inclinationem potentiarum animæ ad virtutes non multum corroserunt, infecerunt, seu debilitaverunt; *et pili coloris pristini,* id est, interiores mentis conceptiones et affectiones non fuerint penitus sordidatæ, sed adhuc bene dispositæ ad fructificandum; *recludet eum sacerdos diebus septem,* id est, ei injunget pœnitentiam salutarem per certum tempus durantem, et a consortio iniquorum interim abstrahet eum, ne spectaculis, choreis, similibusque vanitatibus sit intentus, prout tempus luctus ac pœnitentiæ exigit, sacri etiam canones docent; *et considerabit die septimo,* id est, post tempus illud exactæ pœnitentiæ diligenter adspiciet ovem sibi commissam, qualiter conversetur deinceps. *Et si quidem lepra ultra non creverit,* id est, non recidivavit, nec iniquitatem iniquitati adjecit, *rursus includet eum septem diebus aliis,* id est, operam grandem denuo adhibebit, ut præservet eum a pristinis malis, hortans eum assidue ad vitandum conventicula iniquorum.

Et die septimo contemplabitur, id est, post hæc rursus pensabit prælatus sive confessor, qualis interim factus sit subditus suus. *Si obscurior fuerit lepra, et non creverit,* id est, pravitas vitæ non est aucta in eo, imo recessit a pristina simulatione et apparenti justitia, *mundabit eum,* id est, fiducialiter dicet, quod subditus ille non sit incurabiliter vitiosus, nec tanquam rebellis abjiciendus vel excommunicandus, *quia scabies est,* id est huma-

A na tentatio, vel peccatum ex fragilitate aut ex ignorantia, quod curationem admittit de facili. *Quod si postquam a sacerdote visus est, et munditiæ redditus,* id est, si postquam a confessore est absolutus, seu a suo superiore castigatus atque purgatus, *iterum lepra creverit,* id est, graviter recidivaverit, et in pristinum usum perversum corruerit; *adducetur ad eum, et immunditiæ condemnabitur,* id est, reus, ingratus et pejor quam ante erat, esse definietur: quoniam vulnera repetita plus
B nocent, dimissaque debita reexiguntur ab illo, et sunt novissima ejus pejora prioribus. *Luc. xi, 26.*

Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, et operuerit omnem carnem, considerabit eum sacerdos, et teneri a lepra mundissima judicabit, et idcirco homo mundus erit. Per lepram hanc discurrentem, quæ operit omnem carnem, intelligitur venialium seu quotidianorum peccatorum congeries, a quibus nulla vis animæ, præsertim in qua virtus et vitium esse queunt,
C immunis est: imo et omnia officialia corporis membra, talibus exstant obnoxia, quoniam exercentur per ea. Talis autem inquinatio est mundissima seu minima lepra, aliorum vitiorum respectu, præsertim eorum, quæ nec in præsenti, nec in futuro sæculo remitti dicuntur. Qui igitur sola venialia habet, mundus est, saltem a mortalibus, quæ proprie maculam ponunt in anima, nitorem gratiæ penitus auferendo. *Caro enim viva si lepra adspergitur, immunda est.* Caro viva adspergitur
D lepra, dum membra nostra exhibemus arma iniquitatis peccato, atque luxuriæ et gulæ immunditiis deservitur. *Rom. vi, 13.*

Caro autem et cutis in qua ulcus natum est et sanatum. Per ulcus intelligitur peccatum mortale, ex propria malitia, perversitate, aut fomite, vel inexcusabili ignorantia ortum: quo per pœnitentiam, et satisfactionem curato, manet cicatrix, quia reliquiæ manent de eo, scilicet pronitas ad peccandum, et debilitas resistendi, quæ sunt signa peccati præteriti. Si ergo in hac

Digitized by Google

cicatrice nascatur lepra, hoc est, ex pro- A nitate illa quis corruat in pristinum crimen, aut simile ei, vere lepra est animæ, et eam inficiens. *Caro autem et cutis quam ignis exussit,* etc. Per ignis exustionem seu vulnus intelligitur culpa mortalis, quam incidit homo a movente extrinseco, hoc est a diabolica tentatione seu humana suggestione, adulatione vel comminatione, aut pœnarum inflictione. Post cujus curationem in ejus cicatrice oritur lepra, quando reiteratur pravitas tanta.

Vir sive mulier in cujus capite vel bar- B *ba germinaverit lepra.* Per lepram capitis potest intelligi iniquitas præsidentis aut propriæ mentis, quæ caput est animæ. Quod si bonus subditus cognoverit superiorem suum peccasse, potest, imo et debet, eum caritative atque humiliter admonere, corripere. Quod si ille audire contempserit, debet eum subditus, loco et tempore opportuno, generali alicui superiori deferre et accusare, si gravitas culpæ, sive utilitas boni communis hoc ipsum exegerit. Præterea, propriæ mentis lepra sunt omnia vi- C tia virtutibus theologicis directe contraria, peccata quoque in Spiritum Sanctum. Quid autem est lepra barbæ, nisi effeminatio cordis virilis ? dum is qui in virtutibus
I *Petr.* II, 3. exstitit studiosus, et gustavit quam dulcis est Dominus, rursus infatuatur usque ad vitia quæque carnalia, juxta illud Apostoli:
Hebr. VI, 4-6. Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti Spiritus Sancti, gustaverunt nihilo minus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, D rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. Barba autem est signum virilitatis.

Vir sive mulier in cujus cute candor apparuerit. Per lepram cutis, exprimitur exterior conversatio publice mala, et alios scandalizans. *Vir de cujus capite capilli fluunt.* Per lepram capillorum, accipitur vitiositas cogitationum, quæ non refrenantur ab intellectu, sed fluunt in eo per immanentiam, effluunt usque ad consensum illicitum, pereffluunt usque in actum malignum, et in delectationibus sceleratis quiescunt. Unde ait Apostolus : Abundan- *Hebr.* II, 1.
tius oportet nos observare ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Vir de cujus capite capilli fluunt, *calvus ac mundus est.* Sicut in capite materiali calvitium est deforme, et ex pilorum defectu inducitur, ita in intellectu et voluntate, si virtuosæ cogitationes et affectiones elabantur ac cessent, deforme causatur calvitium et recalvatio fœda : quæ tamen non sunt mortalia vitia, nisi desint cogitationes et affectiones necessariæ ad salutem, et quæ sub præcepto cadunt. Lepra vestis laneæ, est spiritualis elatio, seu vana gloria, vitæ contemplativæ se miscens : quæ si operibus vitæ activæ se misceat, lepra est lineæ vestis : a quibus vitiis lavandæ sunt vestes præfatæ.

Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, et separatus est ad arbitrium sacerdotis, hoc est, qui pro sua enormi culpa a mystico corpore Christi, quod est Ecclesia, per excommunicationem propter melius suum abjicitur, vel a grege sui prælati excluditur : quod tamen hæreticis atque schismaticis præcipue competit ; *habebit vestimenta dissuta,* quia ut ait Hesychius, in talibus non manet virtutum integritas, et si virtutes aliquæ naturales sive informes in eis sint, dissutæ sunt et sublatæ a nexu et copula caritatis, a nodo et filo ecclesiasticæ unitatis, a colligatione gratiæ et virtutum, donorum et fructuum. Habebit etiam *caput nudum,* quia mens ejus ornamento sapientiæ caret, et tegumento communionis fidelium ; *os veste contectum,* quoniam alios docere et regere prohibetur. Sicque ostendit se *contaminatum ac sordidum* spiritualiterque mortuum ; nec potest salvari, nisi iniquitates suas confiteatur. Et quamdiu permanet talis, extra I *Cor.* V, 12, 13.
castra morabitur : quia fidelium introire ecclesias nullatenus sinitur, atque ad malignantium spectat ecclesiam, cum quibus habet locum et societatem.

Digitized by Google

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUARTIDECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

OSTENSO qualiter lepra sit cognoscenda, nunc præcipitur qualiter sit per oblationes expianda. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Hic est ritus leprosi,* id est, legitima observantia circa eum qui fuit leprosus, *quando* ab ea *mundandus est : Adducetur ad sacerdotem, qui* sacerdos *egressus de castris* Dei et hominum, hoc est de locis sanctuarii et habitaculis Levitarum, ad eum. Et aliqui dicunt, quod leprosus venit ad portam civitatis de qua erat, vel usque prope domum sacerdotis ; alii dicunt, quod venit ad locum non remotum a janua atrii templi. Videtur tamen quod leprosis licuit ingredi urbes,
IV *Reg.* VII, 3 sicut in quarto Regum legitur de quatuor viris leprosis tempore Elisei. *Quum invenerit lepram esse mundatam,* id est, eum qui fuit leprosus, veraciter vel sacerdotis judicio, quod tamen fallibile erat, esse curatum a lepra, vere autem secundum hominum æstimationem ; *præcipiet ei qui purificatur.* Si leprosus jam fuit mundatus, qualiter adhuc purificatur ? Sed purificatur, id est, sacerdotis judicio et ipsius sacrificio a lepra purgatus monstratur. *Ut offerat pro se,* id est pro sua culpa et divinæ majestatis reverentia, ut infra tangitur, *duos passeres vivos quibus vesci licitum est :* ita quod aliunde non habeant impedimentum, scilicet immundi contactum, aut aliam irregularitatem legalem, qua incomestibiles fiant, vel qui non sint talis speciei, quod ex legis præcepto manducari prohibeantur ; *et lignum cedrinum,* scilicet partem cedri, *vermiculumque,* id est rubeum filum, *et hyssopum,* scilicet herbam sic dictam.

Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes, id
A est scaturientes seu fluentes, quæ scilicet ex ipsis videntur moveri, sicut in rebus animatis animal appellatur, quod habet in se principium vitæ et motus : et ideo immolatio fiebat super eas in fictili vase susceptas, quia sunt mundiores. Sacerdos faciet unum duorum passerum per alium sacerdotem ad Dei honorem offerri, atque occidi in fictili vase, super aquas recentes scaturientes ; vel ipse idem sacerdos hoc aget, si alius desit aut hoc patrare non habeat. *Alium autem vivum* passerem,
B *cum ligno cedrino et cocco,* id est præfato vermiculo, *et hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, quo* sanguine *adsperget illum qui mundandus est,* quantum ad manifestationem, qui tamen re ipsa jam a lepra purgatus fuit, *septies, ut jure purgetur,* id est, legitime purgatus monstretur ac judicetur, et alii secum conversentur secure. *Et dimittet* sacerdos *passerem vivum, ut in agrum avolet,* ad alios passeres redeundo.

Quumque laverit homo vestimenta sua,
C per se ipsum, aut per ministrantium manum, *radet omnes pilos corporis* sui, ne quid infectionis pristinæ inhæreat illis, *et lavabitur aqua ; purificatusque* modo præfato, *ingredietur castra,* id est, aliorum habitacula poterit introire, non tamen templum aut atrium, neque tabernacula Levitarum quodammodo sacra ; *ita dumtaxat, ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus :* ne si ingressus fuerit propriam domum, fiat ei occasio cognoscendi conjugem suam, a cujus complexu debuit
D abstinere usque ad consummationem suæ purgationis, ne vel illa, aut fetus aliquam contraheret fœditatem. *Et die septimo radat capillos capitis* sui, *barbamque et su-*

Digitized by Google

percilia, ac totius corporis pilos, qui post præfatam abrasionem creverunt. Pili quoque ex humoribus corporis generantur: ideo qui ante completam purgationem creverunt, abradebantur, quum lepra sit infectiva et corrosiva pilorum. At vero doctores præcipui, qui in scriptis suis redegerunt et exposuerunt prægnantiora et difficiliora Scripturæ loca, ea quoque quæ prima facie videntur irrationabilia, circa hæc aliqua conscripserunt, quorum verba sunt commemoranda.

Itaque S. Thomas in prima secundæ, quæstione 102 : Per ritum, inquit, legis, leprosus non mundabatur, sed mundatus ostendebatur : sed purificari dicebatur, in quantum judicio sacerdotis restituebatur consortio hominum, cultuique divino. Contingebat tamen quandoque, quod divino miraculo per ritum legis, lepra corporalis mundabatur, præsertim quando sacerdos decipiebatur judicando de lepra. Hujusmodi autem leprosi purgatio fiebat dupliciter. Nam primo judicabatur esse mundus ; secundo restituebatur consortio hominum et cultui Dei, videlicet post septem dies a prima purgatione. — Atque in prima purificatione obtulit duos passeres vivos, lignum cedrinum, vermiculum et hyssopum, ita quod filo illo coccineo pariter ligabantur passer vivus et hyssopus cum ligno cedrino, ad faciendum adspersorium ex eisdem, cujus manubrium fuit lignum illud cedrinum. Hyssopus autem et passer, intingebantur in sanguine passeris immolati in aquis vivis in vase fictili positis, quibus mixtus erat sanguis oblati passeris. Prædicta vero quatuor leprosus mundatus obtulit, contra quatuor lepræ defectus. Sunt enim in lepra putredo et fœtor, insensibilitas et turpitudo. Contra fœtorem offerebatur hyssopus, quæ est odorifera herba, et faciliter potest haberi ; contra putredinem lignum cedrinum, quoniam cedrus imputribilis est naturæ ; contra insensibilitatem passer vivus, qui est avis multum vivax et mobilis ; contra turpitudinem coloris vermiculus, qui est rubei et

A vivacis coloris. Offerebantur ergo hæc quatuor, ad innuendum quod quatuor præfati defectus jam non erant in eo, qui fuit aut putabatur leprosus. — Porro die octavo admittebatur ad cultum divinum, et restituebatur consortio hominum : primo tamen rasis pilis totius corporis ac lotis vestimentis, quoniam lepra pilos corrodit, et vestimenta coinquinat. Adspergebatur etiam septies sanguine passeris immolati aquis intincto, ad designandum in eo perfectam emundationem a lepra. Nam septenario universitas

B atque perfectio designantur. Offerebatur quoque passer unus in fictili vase, ad designandum humani corporis fragilitatem. Post hæc sacrificium offerebatur pro mundato, videlicet pro delicto ejus, quoniam lepra frequenter pro peccato inducitur : de cujus sacrificii sanguine tingebatur extremum auriculæ ejus, qui fuit leprosus, et pollices manus dextræ ac pedis, quia in his partibus lepra primo dignoscitur ac sentitur. Insuper adhibebantur huic ritui tres liquores, videlicet sanguis, contra cor-

C ruptionem sanguinis in leproso, ad significandum quod corruptio illa cessavit in eo ; oleum, ad exprimendum morbi curationem, quoniam oleo pietas et sanatio denotantur ; et aqua viva, ad emundationem spurcitiæ.

His verbis Thomæ concordant, quæ de ista materia scribit Guillelmus Parisiensis libro de Fide et legibus, et aliqua addit dicendo : Omnis lepra contrahitur ab aliquo quatuor elementorum, licet per medium aliquod quatuor humorum : ideo qua-

D tuor ibi adhibebantur, per quæ quatuor elementa signantur, videlicet cedrus, designans terram, quoniam cedrus est maxima plantarum, quas terra nutrit ; vermiculus seu coccus bis tinctus, ignem significans, quum sit rubei igneique coloris ; hyssopus aquam signans, quæ abundat in hyssopo ; et passer, aerem notans, ad insinuandum juxta litteram, quod ex quocumque quatuor elementorum lepra esset contracta, ipse Creator elementorum per præfatam adspersionem, et alia quæ circa hoc adhi-

Digitized by Google

bebantur, mundabat eam, et hoc quum beneplacitum ejus sic fuit. Non enim omnes leprosi mundabantur hoc ritu, imo pauci, et erat hoc novum miraculum. Porro, quod passer unus in adspersorio colligatus, permittebatur vivus avolare in agrum, designabat lepram evolasse seu evanuisse. Vel, quia passer sociale est animal inter aves, et mundum secundum legem, quando ab adspersione et alligatione revertebatur ad socios passeres, a quibus per captionem et detentionem fuerat separatus, significavit leprosum a castris separatum, et extra castra ad tempus detentum, post prædictam adspersionem et emundationem ad castra reverti, et inter sanos et mundos ad habitandum dimitti.

His consonant quæ de eadem materia super tertium scribit Albertus Magnus, atque ex horum verbis doctorum patent non solum præinducta hujus capituli verba, sed item pro magna parte sequentia.

Et lotis rursum vestibus et corpore, die octavo assumet leprosus mundatus, adhuc plenius, quoad manifestationem, mundandus, *duos agnos immaculatos, et ovem anniculam,* id est unius anni, *absque macula,* utpote immolaticiam agnam. Istud fiebat a divitibus, non a pauperibus, ut infra habetur. *Et tres decimas similæ in sacrificium, quæ* simila *conspersa sit oleo.* Quid autem sit simila, quid decima pars ephi similæ, dictum est plenius in expositione litterali quinti capituli. Unde tres decimæ similæ, dicuntur tres partes mensuræ similæ, quæ mensura vocatur ephi. Quantitatem tamen talium mensurarum, ut dictum est sæpe, non valemus certitudinaliter noscere. *Et seorsum olei sextarium.* Sextarius est nomen mensuræ, cujus quantitas apud diversos diversimode explicatur. Parum tamen continet sextarius olei ; et oleum hujus sextarii, sumebatur seorsum præter oleum quod similæ seu farinæ triticeæ mundissimæ miscebatur.

Quumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum et hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii : quod de janua atrii intelligendum videtur, quia leprosus ante consummationem suæ purgationis non intravit loca sacrata. Sicque stabat extra et prope januam atrii, quod sæpe nomine tabernaculi aut sanctuarii designatur. *Tollet agnum* unum de illis agnis duobus prædictis, *et offeret pro peccato,* hoc est remissione omnis peccati ejus qui fuit leprosus ; vel specialiter pro peccato quo passus est, vel adhuc perpeti et incurrere posset lepram ; *oleique sextarium,* id est oleum tantæ quantitatis. Nam et oleum, pustularum et tumorum est curativum. *Et oblatis ante Dominum omnibus* jam prædictis, *immolabit agnum* de quo dictum est, vel alium, *ubi immolari solet hostia pro peccato, et holocaustum, id est in loco sancto,* puta in atrio super altare holocausti. *Sicut enim pro peccato, ita et pro delicto, ad sacerdotem pertinet hostia,* id est, hostia tam illa quæ offertur pro peccato commissionis, quam illa quæ pro peccato omissionis, venit in usum sacerdotis. Cujus tamen hostiæ pars aliqua incendebatur, ut dictum est sæpe.

Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ quæ immolata est pro peccato * leprosi, puta de sanguine agni mactati, *ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, et super pollices manus dextræ et pedis :* cujus rei causa est assignata ; *et de olei sextario mittet,* id est aliquid fundet, *in manum suam sinistram, tingetque digitum dextrum in eo,* unum videlicet digitum dextræ manus, *et adsperget septies coram Domino,* hoc est versus altare holocausti, in quo Dominus specialiter habitavit, in quantum ibi specialiter colebatur, et locus ejus fuit cultui consecratus ; et fiebat septena contra Dominum adspersio, ad recognoscendum, quod perfecta curatio esset a Deo, vel ut ipse plene propitiaretur. *Quod autem reliquum est olei in læva manu,* hoc est in palma seu vola manus sinistræ, *fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur,* hoc est, a lepra mundus esse monstratur, vel mundatur ab irregularitate contracta ex lepra,

* delicto

Digitized by Google

hoc est ab inidoneitate intrandi atrium A sanctum. *Et super pollices manus ac pedis dextri.* Ratio horum præhabita est. Unde Parisiensis disseruit : In pollicibus illis, hoc est in sensibilitate eorum, lepra primum dignoscitur. Ut ergo ipsa in capite et radice sua percuti, radicitusque purgari cognosceretur, ita præceptum est fieri, ut idem esset ordo purgationis et infectionis. Forsitan autem et in extremo auriculæ dextræ signum aliquod lepræ consueverat apparere, quia pars illa valde sensibilis est. Hæc Guillelmus. *Et super sanguinem* B *qui fusus est pro delicto,* id est super sanguinem agni pro delicto leprosi fusum, linitum super præfatas partes membrorum sanguine attactorum, *et super caput ejus,* puta leprosi qui mundatur, quatenus sicut ante incessit capite nudo in signum leprositatis, ita nunc caput oleo perfunderetur in signum curationis. *Rogabitque pro eo sacerdos coram Domino, et faciet sacrificium pro peccato. Tunc immolabit holocaustum,* id est, unum prædictorum animalium offeretur pro leproso in holocaustum C ad divinæ reverentiam majestatis, a qua est omnis medela ; *et ponet illud in altari cum libamentis suis,* id est liquidis materiis, quæ simul cum animali incendebantur,
Num. xv, 4, 5. videlicet cum simila oleata et vino, ut in Numeris plenius continetur.

Quod si pauper est, et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, hoc est, potestatem non habet offerendi duos agnos et agnam *pro delicto ; assumet agnum,* etc., *duosque turtures,* etc. Iste passus ex prædictis est clarus. Itaque etsi pauper D fuit, tamen unum agnum oportebat offerre, et pro alio agno et agna duas præfatas aves, quæ in terra filiorum Israel abundabant.

Ad intelligendum prædicta valet atque pensandum est, quod Magister in historiis scribit : Hic, inquiens, proprie distinguitur sacrificium pro delicto, cujus sanguine liniebatur qui mundabatur, et sacrificium pro peccato, de quo nihil fiebat homini illi. Unde Moyses ait : Assumens sacerdos de sanguine hostiæ quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ, etc. Quum autem distinxisset agnum pro delicto, nec distinxisset quid aliorum duorum, videlicet agni et agnæ pro peccato, et quid holocaustum fieret, innuit esse in arbitrio sacerdotis, de agno et ove annicula, scilicet agna, ut alterum pro peccato, alterum holocaustum fieret quod vellet. Verumtamen ultima pars dicti istius, non videtur posse salvari : quoniam circa exordium expositionis hujus voluminis et sæpe deinceps præhabitum est, quod animalia feminei sexus non poterant offerri in holocaustum. Idcirco (ut reor) de his duobus animalibus Moyses non distinxit, quoniam ex præinductis certum reliquit, quod agnus, non ovis annicula, fuit in holocaustum offerendus.

Sequitur de lepra domus, de qua ultimo Moyses tractat, quoniam sacerdotes de ea non habuerunt judicare, quamdiu populus Israel in solitudine mansit, in qua in tentoriis, non in domibus, de quibus hic mentio, habitavit. *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Quum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem.*

Ad intelligendum hunc locum, qui prima facie videtur quasi ridiculose sonare, primo intuendum quod Thomas in prima secundæ inducit, quæstione 102 : Erat in lege quædam immunditia rerum inanimatarum secundum se, ut immunditia lepræ in domo et in vestimentis. Sicut enim morbus lepræ accidit in hominibus ex humore corrupto putrefaciente carnem et corrumpente ; ita etiam propter aliquam corruptionem et excessum humiditatis vel siccitatis, fit aliquando aliqua corruptio in lapidibus domus aut vestimentis. Ideo hanc corruptionem vocat lex lepram, ex qua domus vel vestis judicaretur immunda, tum quia omnis corruptio ad immunditiam pertinebat, tum quoniam contra hujusmodi corruptionem gentiles colebant deos penates. Ideo lex jussit domos, in quibus erant tales corruptiones perseverantes, de-

Digitized by Google

strui, et vestes comburi, ad tollendum idolatriæ occasionem.

Si fuerit plaga lepræ in ædibus, id est præfata corruptio lepræformis, in materiis partibusque habitaculorum, *ibit* is *cujus est domus, nuntians sacerdoti, et dicet : Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.* Non sumitur nunc domus pro contentis seu commorantibus in ea. *At ille,* puta sacerdos, *præcipiet, ut efferant universa* utensilia et consimilia *de domo :* imo et homines ac jumenta exierunt, et extra eam manserunt ad tempus, in quo sacerdos judicavit, an domus esset leprosa ; *priusquam ingrediatur eam, et videatur*,* id est consideretur ab eo, *utrum leprosa sit ea* ; *ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt,* id est, irregularitatem quamdam incurrant, qua inidonea sint applicari divino cultui, humanove esui, juxta modum quo dictum est, inanimata quoque immunda effici juxta legem : quæ si mansissent in domo illa tam diu, quod sacerdos judicasset domum esse leprosam, mox reputata fuissent immunda.

* *videat*

Intrabitque sacerdos *postea, ut consideret domus lepram,* quæ vel est, vel esse putatur lepra. *Et quum viderit in parietibus illius,* aut certe in uno tantum pariete, *quasi valliculas pallore sive rubore deformes,* id est quasdam particulas ceteris partibus sibi vicinis depressiores, a pristino colore notabiliter turpiterque mutatas : ideo subditur, *et humiliores,* id est bassiores, *superficie reliqua,* secundum quod parva vallis est modicum bassior circumpositis locis ; *egredietur ostium domus, et statim claudet eam,* et clausam dimittet *septem diebus,* loquendo de primo et septimo die synecdochice et inclusive. Quemadmodum autem in hominibus talis partium infirmarum depressio, mutatioque coloris in lucentem alborem, signa sunt probabilia veræ lepræ, sic valliculæ istæ sic discoloratæ in rebus inanimatis, quia utrobique ex corrosione corruptorum oriebantur humorum. Porro ex hoc quod domus dimittebatur sic clausa et vacua, po-
A terat veritas melius deprehendi, quia ex diversis alterationibus aeris exsistentis in domo ab igne ac aliis motibus commorantium in eadem, crebro minui potest ac reprimi excessiva humiditas ac siccitas, quæ in parietibus causat hanc lepram. Hinc domus quæ non inhabitantur, velocius deteriorantur.

Reversusque die septimo, considerabit eam. Si invenerit crevisse lepram, id est præfatam corruptionem seu signa ipsius prætacta, puta valliculas pallore aut ru-
B bore fœdatas, ita quod valliculæ illæ sint præ solito profundatæ et innaturaliori colore perfusæ ; *jubebit erui lapides in quibus lepra est :* et quod de lapidibus dicitur, de aliis quoque materialibus seu integralibus partibus, in quibus apparuerit talis lepra, datur intelligi ; *et projici extra civitatem,* aut etiam villam, *in locum immundum,* ne ad alicujus mundi infectionem disponant. *Domum autem ipsam* jubebit *radi intrinsecus per circuitum,* ut si forte quid immunditiæ aut corruptionis
C cœperit esse in ea, sic abradatur, *et spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum, lapidesque alios reponi,* ut domus reformetur, et subveniatur domino domus, cum damno quo fieri potest minori. *Sin autem* post talem reformationem, *postquam eruti sunt lapides, et pulvis elatus, et alia terra lita, ingressus sacerdos, viderit reversam lepram, lepra est perseverans, et immunda domus; quam statim destrui faciet,* ne et habitantes in ea, aliquo modo lædantur seu inficiantur
D ex ea, atque ob aliam causam præhabitam. *Qui intraverit domum* talem ante ejus destructionem, *quando clausa est* a sacerdote causa discutiendi lepram ipsius, *immundus erit usque ad vesperum,* sicque purgabitur transitu temporis. *Et qui dormierit in ea, aut comederit quidpiam,* quod est plus quam solum intrare, *lavabit vestimenta sua,* quia immunditia sua non solo temporis fluxu, sed et lotione vestium suarum purgatur. Quid autem fuerit immunditia illa, dictum est sæpe. Præterea

Digitized by Google

quæri posset, an et sacerdos eam causa A considerandi ingrediens maculabatur, sicut et ille qui aqua expiationis alios adspergebat? Et videtur, quod iste magis quam ille.

Quod si introiens sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita est, purificabit, id est, puram judicabit *eam, reddita sanitate,* id est lepræ illius expulsione seu pristina habitudine bona; *et in purificatione ejus sumet duos passeres, lignumque cedrinum et vermiculum atque hyssopum :* quæ omnia B dominus domus feret ad sacerdotem. Totum vero quod in textu subjungitur de ritu purificationis istius, patet ex dictis de purificatione hominis leprosi.

Sequitur epilogatio brevis. *Ista est lex omnis lepræ et percussuræ,* videlicet *lepræ vestium et domorum, cicatricis et erumpentium papularum, lucentis maculæ, et in varias species coloribus immutatis, ut possit sciri, quo tempore mundum quid vel immundum sit:* in quibus verbis tanguntur enumeratæ species lepræ. Papu- C la autem vocatur parva et ulcerosa cutis erectio, seu modicum ulcus in cute, quod pœnam scabiemque inducit.

Præterea, pro clariori hujus ac præcedentis capitulorum intelligentia, advertenda sunt diligenter verba Guillelmi, in libro sæpe præallegato dicentis : Scire oportet, quod nomen lepræ hic sumitur non juxta propriam intentionem. Lepra enim proprie letalis prurigo est, et quasi cancer ulceris, ab intimis fontibus serpens, et corruptionem in totum corpus diffundens. Quod D autem multum abusive sumat lex lepram, patet ex serie textus, qui lepram primo nominat scabiem, deinde nominat lepram in cute operientem totum corpus, quam vocat lepram mundissimam, et eum qui habet illam, asserit mundum. Nihil autem aliud hic accipiendum est sub nomine lepræ, nisi deformitas quæ notabilem atque abominabilis cohabitationis faciebat hominem. Voluit autem Deus populum suum et castra ejus non solum munda esse, sed etiam apparere, propter honorem suum et gloriam. Et ut in hoc populus suus ceteris gentibus præmineret, voluit quoque populum suum cavere non solum a contagio morbi hujus, verum etiam a suspicione contagii. Porro de coloribus et inæqualitate cutis, an sint signa veræ lepræ, non tam ars medicinæ quam experientia consulenda est; hi quoque qui diu cohabitaverunt leprosis, eosque dijudicare consueverunt. Verumtamen nullatenus dubitandum est, quin signa quæ lex ponit, sint vera signa passionum, quas lex immunditias et lepras indicat esse. — Lepra vero in capillis et pilis, duobus intelligitur modis. Et primo vera lepra est allapitia *, quæ casum capillorum efficit et pilorum, ita etiam ut per eam supercilia depilentur : quæ species nota est medicis, sicut et aliæ. Secunda est morbus corrosivus pilorum et capillorum, consumens et putrefaciens paulatim, quemadmodum cancer carnem : et non operatur hæc casum pilorum, sed consumptionem. Similis quoque huic passioni est lepra in pelle et vellere. Est namque passio corrosiva pilorum et substantiæ pellis. Similis etiam passio invenitur in parietibus atque lapidibus, scilicet corrosiva; et super hoc ante multos annos fuimus interrogati de quodam lapide, qui in se ipso in quadam abbatia ita consumitur, quod dicunt eum cancerosum. Non est autem mirum si quod fit in uno lapide ex abundantia siccitatis, contingat in congerie lapidum et cæmento seu in pariete. Hoc idem fieri videmus in lignis. — Has igitur passiones in vestibus et domibus lex horruit, tum propter salubritatem utentium, tum propter vitandam idololatriam, qua pro his passionibus colebantur dii penates et lares, ut vel eas auferrent, vel ne eas inferrent. Voluit ergo Deus ut ad sacerdotes suos pro his passionibus recurreretur, et abrasionibus atque combustionibus, ablutionibus et expiationibus mundarentur. Aquam vero expiationis idcirco per sacerdotes voluit adhiberi, ut hujusmodi dæmonia exterminarentur. Novo quoque ri-

* alopecia

Digitized by Google

tu voluit istas munditias fieri, ut a ritibus A superstitiosis elongaret populum suum. Hæc Guillelmus.

Postremo circa illud, Quum ingressi fueritis, scribit Lyra : Lepra proprie esse non potest in domo, quoniam solum animal susceptivum est sanitatis et infirmitatis. Causa vero quod talis corruptio domus, dicitur lepra similitudinarie, est, in quantum potest habitantes in domo inficere. Contra hoc scribit Rabbi Paulus : Licet solum animal est susceptivum sanitatis et infirmitatis, tamen cibus dicitur sanus, et B medicina vocatur sana, in quantum sanitatem conservant sive efficiunt : et talis modus dicendi non est metaphoricus seu similitudinarius, quoniam sanitas quæ significatur per cibum aut medicinam, est vera sanitas : idcirco quum domus vocatur leprosa, non similitudinarie dicitur, sed effective, quoniam causat lepram in his qui morantur in ea, si ad hoc dispositi sint. Hæc Paulus.

Circa quod dicendum videtur, quod modus loquendi metaphoricus, et modus lo- C quendi causalis, sive per causam, secundum quod sol dicitur calidus, possunt in eadem oratione secundum diversas considerationes concurrere. Verum est tamen, quod verbum illud Lyræ, Causa cur aliqua corruptio exsistens in domo, dicitur lepra similitudinarie, est, in quantum potest habitantes in ea inficere, est aliqualiter inconsiderate prolatum : quia loquendo formaliter, non ideo dicitur aliquid similitudinarie, quia causat seu efficere potest ; imo hoc modo prædicatur de aliquo effective, secundum quod tetigit Rabbi Paulus. Cujus tamen verba etiam pro parte reprehensibilia comprobantur : quia in proposito domus dicitur leprosa, non solum effective seu causaliter, sed etiam similitudinarie : quia corruptio quæ in domo vocatur lepra, non est veraciter lepra, sed lepra vocatur propter similitudinem, quam habet cum vera realique lepra. Nam sicut lepra in animali causatur ex elementarium qualitatum corruptione, estque fœda et infectiva deformitas ; ita in domo et vestibus proportionaliter fœditas ista dicitur lepra propter similitudines istas, secundum quod pratum fertur ridere, et mare fervere. Et hoc præallegata verba Thomæ et Guillelmi evidenter prætendunt : nec hoc impedit aliquid de alio similitudinarie dici, quoniam id quod in uno est, non realiter significat aliud quod vere est tale ; sed sufficit, quod id quod in alio exstat, realiter in ipso esse dicatur propter similitudinem quam habet cum illo.

ARTICULUS XXXI

EXPOSITIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI QUARTIDECIMI.

L*OCUTUSQUE est Dominus : Hic est* D *ritus leprosi quando mundandus est : Adducetur ad sacerdotem, qui egressus de castris,* etc. Quid designetur per lepram, et per diversas species ejus, in præcedentis capituli expositione tropologica est inductum. Porro quæ nunc de mundatione dicuntur leprosi, aperte præfiguraverunt ea, quæ fiunt circa interiorem curationem spiritualiter leprosorum, puta eorum qui mortalibus premuntur peccatis. Quemadmodum enim ad purificationem legalis leprosi non sufficiebat, quod vel miraculose vel aliter curatus fuit a lepra, quam vel realiter habuit vel opinabiliter ; sed oportebat eum ad sacerdotem venire, et considerari ab eo, atque ipsius sacerdotis judicio, sacrificatione et oratione purgari

Digitized by Google

seu purgatum manifestari : ita in evangelica lege non sufficit peccatoribus, in secreto per contritionem et gratiam absolvi et emundari a mortalibus culpis a Deo ; sed venire et confiteri sacerdoti tenentur tempore opportuno, si adsit facultas, et audiri, judicari, absolvi, ac mundatos ostendi ab ipso per orationes ipsius et satisfactiones, quas velut sacrificia quædam Deo offerenda injungit confessis. Verumtamen circa præfatam spiritualem mundificationem plus aliquid evangelicus agit sacerdos, quam circa corporalem mundationem fecit sacerdos legalis : quoniam sacramenta evangelicæ legis, medicinalia vasa sunt, gratiæ contentiva, et efficiunt quod designant ; quod veteris Testamenti non convenit sacramentis. Verumtamen sicut in veteri lege aliquando speciali miraculo contigit, quod leprosus per sacrificia illa et observantias mundabatur a Deo de lepra, a qua sacerdos erronee judicavit eum jam ante purgatum ; ita frequenter in novo accidit Testamento, ut confitens qui usque ad confessionis suæ exordium aut etiam prosecutionem, solam habuit attritionem, in ipsa confessione et ejus ritu ac consummatione acquirat veram contritionem virtute ipsius sacramenti, et vi clavium, atque oratione et absolutione confessoris : imo per hæc purgatur et partim a reatu seu obligatione ad pœnam, ita quod non solum dimittitur ei culpa, sed etiam aliquid debitæ pœnæ.

Præterea, per hoc quod sacerdos exivit de castris ad mundandum, usque extra templum et atrium, figurabatur quod peccator, quamvis secrete contritus, non sit ad sacram communionem admittendus, quousque modo præfato absolvatur a confessore : imo pro quibusdam excessibus ab ingressu arcetur ecclesiæ, quousque per ministros Ecclesiæ reconcilietur. Insuper, sicut legalis sacerdos ei quem videbat purgatum a lepra, præcepit, ut offerret pro se *duos passeres vivos,* quorum unus occideretur, alter vivus avolari permitteretur ; sic confessor tempore gratiæ confesso

A quem pie credit per contritionem a lepra mentis purgatum, injungit, ut Deo pro satisfactione offerat proprium corpus, illud salubriter per rigorem jejunii, abstinentias, vigilias, disciplinas, labores mortificando, sensitivamque animæ partem rationi fortiter subjugando, ut sic ad altitudinem spiritualium exercitiorum et opera virtutum moralium assuescat ascendere : quibus passeribus addet *lignum cedrinum,* id est dominicæ crucis vexillum, *coccum* quoque, id est sanguinis Christi pretium, *et*
B *hyssopum,* id est bonæ famæ odorem, seu internæ compunctionis suavitatem, et rorem gratiæ Dei, quibus pectus animæ emundatur a noxio carnalium desideriorum humore. Passerem vero *vivum tinget in sanguine passeris immolati,* quoniam exercitia sensitivi appetitus fiunt Deo acceptabiliora, dum eis mortificatio jungitur carnis.

Quumque laverit homo vestimenta sua, id est, virtutes suas et actiones procedentes ex illis, per lacrimas contritionis et
C devotionis a venialibus culpis admixtis purgaverit ; *radet omnes pilos corporis,* id est, universas cogitationes, affectionesque pravas abjiciet, *et lavabitur aqua,* id est, fluentis sapientiæ salutaris intellectum suum rigabit, imo a Domino rigari orationibus obtinebit, dicendo : Redde mihi lætitiam salutaris tui. Et, Faciem tuam illumina super servum tuum. *Purificatusque ingredietur castra,* id est, sanctorum cœtibus incorporabitur, et sacra participabit mysteria, ita dumtaxat, ut maneat extra
D tabernaculum suum septem diebus. Tabernaculum istud intelligi potest pax pectoris, extra quam manet contritus, quousque septem mortalium vitiorum exstirpet reliquias, impugnationes et inquietudines : sicque corde jam tranquillato in Domino, immoretur et vacet divinis. *Et die septimo radat capillos capitis, barbamque et supercilia,* id est, rursus deplangat culpas quas interim incidit, et vanæ gloriæ tentationes ac ceteras animæ distractiones, quas et tunc incurrit quando virtuosis exercitiis

Ps. L, 14. *Ps.* CXVIII, 135.

Digitized by Google

ac spirituali militiæ insudavit, sicque ad pectoris pacem pertinget.

Et lotis rursum vestibus et corpore, die octavo assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula. Oportet enim, propter quotidiana peccata, vestes animæ et totius conversationis corpus sive congeriem lavari assidue per confessionem, in qua cuncta mundantur, et frequentissimam compunctionem, contritionem ac veniæ implorationem, a malis quæ bonis nostris miscentur : sicque deinceps Deo offerre duos agnos immaculatos, id est intellectum et superiorem animæ appetitum sinceriter reformatos, fide quoque, spe, caritate et septem donis Spiritus Sancti ornatos ; et ovem anniculam absque macula, hoc est intellectualem memoriam circa divina stabiliter occupatam. In his etenim viribus, æternæ et increatæ superbenedictæque Trinitatis imago consistit, et resplendet in nobis : idcirco per harum actus potentiarum, debemus superessentialem et supergloriosissimam Trinitatem præcipue colere, eamdem mundo intellectu assidue contemplando, amorosa voluntate ardenter amando, atque his actibus per reformatam memoriam stabiliter inhærendo. Quibus sacrificiis debemus similam oleatam, id est virtuosam operationem exteriorem, devotionis suavitate formatam, oleique sextarium, id est opera misericordiæ circa proximos, moderate ap-

A ponere, et Domino voluntarie sacrificare tam intuitu suæ superdignissimæ majestatis, quam ob nostrarum remissionem culparum, et propter divinorum impetrationem charismatum. Porro, per positionem sanguinis sacrificii super extremum auriculæ, et super pollices manus ac pedis designatur, quod peccator de cetero debet cum omni obedientia verbum Dei audire, virtutum opera exercere, et sanctis desideriis æstuare. *Quod si pauper est,* offerre præcipitur cum agno par turturum, aut

B *duos pullos columbæ,* de quorum significatione dictum est sæpe.

Si fuerit plaga lepræ in ædibus. Per plagam lepræ domus, intelligitur infectio totius alicujus congregationis per culpam mortalem, præsertim per hæreticam pravitatem, aut schismatis divisionem sive hypocrisim. Si ergo hanc lepram aliquis de ovili, seu inferior præsidens, viderit, statim ex caritate et zelo justitiæ debet prælato denuntiare, qui mox debet gregem accedere, considerare, discutere, et

C lapides infectos eruere, id est personas sic vitiosas corripere, emendare, et si obtemperare renuerint, rebelles et induratos segregare, atque in publica pœnitentia constituere tales : alioqui tanquam ethnici essent habendi. Si vero congregatio rursus inficiatur ac induretur, est tanquam leprosa censenda, dissipanda, et igne excommunicationis percutienda.

ARTICULUS XXXII

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

De immunditia fluxus seminis in viro et femina nunc tractatur. *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit,* durante hujusmodi fluxu, imo et post ad tempus : et immunditia ista non

D erat culpa in se, nec semper conjuncta culpæ, et interdum venit ex inculpabili causa ; sed fuit immunditia corporalis, quia et fluxus ille in se ipso corporaliter fœdus est, et erat irregularitas quædam, ab ingressu templi et atrii ejus impediens :

Digitized by Google

de cujus rei causis infra dicetur. *Et tunc judicabitur huic vitio,* id est defectui, *subjacere,* secundum quod vitium extense accipitur : nam et animalia ad immolandum inepta ex monstruositate, dicebantur sic vitiosa; *quum per momenta singula adhæserit carni illius, atque concreverit fœdus humor,* ex seminis quadam resolutione in extremitate membri virilis. Nec solum fuit talis immundus in se, sed alia quoque etiam inanimata fecit suo contactu immunda. *Omne stratum in quo dormierit, immundum erit, et ubicumque sederit. Si quis hominum tetigerit lectulum ejus, lavabit vestimenta sua,* etc. Textus est planus. *Sagma super quod sederit, immundum erit.* Sagma est stratura equi aut asini, scilicet sella, quod super jumentum ponitur ut equitetur. Hæc ergo inanimata sic erunt immunda, quod non poterunt venire in usum humanum ante eorum purgationem. Hinc subditur : *et quidquid sub eo fuerit qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua :* sicque et illa ulterius immundum fecerunt tangentem. *Omnis quem tetigerit qui talis est,* utpote maculatus ex contactu rei illius inanimatæ, immundæ ex contactu viri seminiflui, *immundus erit:* vel potius, Omnis quem tetigerit qui talis est, utpote semine fluens, *non lotis manibus suis, lavabit vestimenta sua.*

Si sanatus fuerit qui hujusmodi sustinet passionem, id est, fluxus et fœditas illa in ipso cessaverint, *numerabit septem dies post emundationem sui,* id est a die quo cœpit in eo cessare immunditia illa. *Et lotis vestibus ac toto corpore in aquis viventibus,* id est scaturientibus aut fluentibus, quatenus ibi removeretur, quidquid de reliquiis illius fœditatis mansisset cohærens vestimentis, præsertim inferioribus, et corpori. Et quia hic dicitur, In aquis viventibus, videtur, quod lotionem illam fieri non oportuit per aquas adspersionis. *Erit mundus. Die autem octavo,* ab eo die quo immunditia illa cœpit cessare, A *sumet duos turtures aut duos pullos columbæ, et veniet in conspectu Domini ad ostium tabernaculi testimonii, dabitque eos sacerdoti; qui faciet unum pro peccato, et unum in holocaustum* illius mundati. Nam interdum ex priori culpa oritur passio illa, imo interdum ex assidua imaginatione lasciva, et tunc est non mediocriter vitiosa. Alter in holocaustum ad reverentiam Dei, a quo est omnis purgatio atque munditia. *Rogabitque pro eo sacerdos coram Domino, ut emundetur a fluxu* B *seminis sui.* Jam dictum est, quod per septem dies fuit a fluxu illo sanatus atque mundatus : quomodo ergo octavo die orabit pro eo sacerdos ut inde purgetur? Respondendum, quod emundatio ista quæ fiebat octava die, intelligitur vel de pristinæ emundationis manifestatione, vel de emundatione a culpa, ex qua fluxum illum sustinuit, vel ne de cetero eam sustineat. Convenienter quoque pro emundatione ab impuritate prætacta, offerebantur aves præfatæ, in quibus castitas commendatur.

C *Vir de quo egreditur semen coitus,* id est, qui coeundo effuderit semen, *lavabit aqua omne corpus suum,* etiam si fuerit coitus copulæ conjugalis; *et immundus erit usque ad vesperum,* ita quod illo die non poterit sanctum ingredi locum. *Vestem et pellem quam habuerit, lavabit aqua, et immunda erit usque ad vesperum.* Quamvis enim in matrimoniali concubitu possit deesse peccatum, raro tamen fit sine culpa; estque semper in eo corporalis pollutio. *Mulier cum qua coierit, lavabitur,* D id est, se ipsam lavabit *aqua,* vel hoc fiet per alium.

Mulier quæ redeunte mense, id est novo mense adveniente, *patitur fluxum sanguinis* menstrualis, *septem diebus separabitur,* id est amota et prohibita erit a sacri loci ingressu, sacrificii esu, nec licebit communicare cuiquam cum ea in cibo, potu, aut strato. Certumque est, quod cunctis diebus quibus patitur sanguinis hujus fluxus, sit immunda et separanda. Verum quod dictum est de ejus separatione, vide-

Digitized by Google

tur intelligendum juxta præhabita de septenario dierum, cessationem fluxus illius sequentium. Dicitur autem mulieribus consuetudinarium, ut a tempore quo concipere queunt, usque ad tempus quo desinunt eis muliebria fieri, et concipere nequeunt, quolibet mense menstrualis patiantur sanguinis fluxum, nisi interdum infirmitas aut conceptus impediat. *Omnis qui tetigerit eam,* scilicet aliquod ejus membrum aut vestimentum, aut quod ex illius contactu pollutum est, *immundus erit usque ad vesperum. Si coierit vir cum ea tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus.* Sicque purificatio ei conceditur : quod intelligendum est de viro, qui nescit feminam pati hanc passionem, nec inde in judicio convincitur. Infra vero habetur, quod eam tempore illo accedens, sit simul cum ea occidendus : (Lev. xx, 18.) quod de eo intelligitur, qui scienter hoc agit, et potest convinci. Talis quippe concubitus prohibetur non solum ob fœditatem præfatam, sed item quia ex eo gignuntur proles monstruosæ, aut alias valde defectuosæ et ægræ, propter indispositionem materiæ. Unde si tempore tali vir petat a femina debitum, illa quantum valet, debet dissimulare, renuere, seu ægritudinem aliam simulare. Tutum tamen non esset, quod passionem suam indicaret marito, nisi de ejus præsumeret probitate.

Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis ex infirmitate seu morbo, non ex causa penitus naturali : et talis passio ex peccato frequenter contingit ; *non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat ; quamdiu huic subjacet passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstruo,* ita quod nemo eam accedet, separataque erit. *Si steterit sanguis et fluere cessaverit, numerabit septem dies,* etc. Istud de purificatione ejus et oblatione pro ea, intelligendum est, sicut de viri seminiflui purgatione, sacrificioque expositum est : et quia in femina minor est calor, indige- A stiores sunt seminis ejus humores communiter.

Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditias, et non moriantur in sordibus suis. Istud sacerdotibus et prælatis, prædicatoribusque jubetur.

Præterea de ista materia scribit Thomas in prima secundæ, quæstione 102 : Ex hominibus immundum reputabatur, quidquid corruptionem aliquam jam habebat, vel corruptioni erat expositum. Hinc mulieres patientes sanguinis fluxum, sive per B infirmitatem, sive per naturam, vel temporibus menstruis, vel tempore conceptionis, erant immundæ ; similiter viri fluxum seminis patientes per infirmitatem, aut per pollutionem nocturnam, sive per coitum : quoniam omnis humiditas, prædictis modis ab homine egrediens, quamdam immundam habet infectionem. Ratio autem figuralis istorum erat, quia per hujusmodi exteriores immunditias diversa significabantur peccata. Per immunditiam enim mulieris sanguinifluæ, designabatur im- C munditia idololatriæ propter immolaticium cruorem. Per immunditiam vero viri seminiflui, figurabatur immunditia vanæ locutionis, quoniam semen est verbum Dei. Per immunditiam mulieris menstruatæ, immunditia mentis per voluptates emollitæ. Universaliter vero per immunditiam contactus rei immundæ, exprimebatur immunditia consensus in aliorum peccatis. Hæc Thomas.

Insuper Guillelmus libro de Fide et legibus, de his plenius scribens : Mulier, inquit, menstruata reputata est immunda D secundum quosdam † Zabæorum, qui adeo exsecrabantur menstrua, quod crediderunt ea non nisi igne posse purgari : et propter hoc comburebantur vestimenta earum, et omnia quæ tetigissent tempore menstruali. Et quia ritus ille tantum inoleverat in terra Ægypti et in terra promissionis, non potuit populus Israel in toto averti ab eo : ideo circa hoc fecit legislator, quod in plebe tam duræ cervicis fieri potuit, immutans ritum illum et mitigans, judicans menstruatas immundas et ea quæ tetige-

Digitized by Google

runt, sed cum aqua lavari. Nec dubium quin per immunditiam istam, multum detractum sit idololatriæ lunæ, quum fluxus menstruorum lunæ deputaretur : sicque discerent eam non esse colendam, cujus operatio pollutio est. Credimus etiam ex his quæ de idololatria legimus, quod mulier menstruata quandoque sit lunæ oblata, et quod sanguis menstruus in ejus sacrificio crebro offerebatur. Coli enim a mulieribus luna cum magna aviditate solebat, quemadmodum legitur in Jeremia : *Jer.* VII, 18. Mulieres adspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, id est lunæ. Fuit quoque istud præceptum, quia de sanguine menstruo multa fecerunt malefici. Et propter corruptelam atque contagium sanguinis menstrualis, qui tantæ est fœditatis, ut fæculentiæ suæ manifestum imprimat signum speculo, in quo faciem suam mulier menstruata inspexerit : sicque per legem istam de menstruatis, consultum est saluti animarum et corporum ac fetuum, et ipsius Matrimonii sacramento. Hæc Guillelmus.

Amplius ex prædictis quidam affirmant, quod menstruatam scienter accedere, sit peccatum mortale. Sed ut hujus rei veritas clarius innotescat, quæritur primo circa prædicta, an liceat mulieri menstruatæ debitum petere. Ad hoc Thomas super quartum, distinctione 32, respondet : Ad mulierem menstruatam accedere, in lege prohibitum erat, tum propter immunditiam, tum propter nocumentum quod ex hujusmodi commixtione provenit proli. Unde super illud Isaiæ, *Is.* LXIV, 6. Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ, scribit Hieronymus : Tunc viri debent ab uxoribus abstinere, quia tunc concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leprosi et hujusmodi : ut quia parentes non erubuerunt in conclavi commisceri, eorum peccata pateant cunctis, et aperte redarguantur in parvulis. Sicque præceptum non accedendi ad menstruatam, fuit cærimoniale, in quantum statutum est propter immunditiam ; sed quoad aliam jam prætactam suæ in- A stitutionis causam, fuit morale : quia quum matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, omnis inordinatus matrimonii usus prohibetur, quo bonum prolis impeditur. Verumtamen fluxus menstruorum potest esse naturalis et innaturalis : naturalis, sicut dum mulieres etiam sanæ patiuntur hunc fluxum temporibus determinatis ; innaturalis autem, quando inordinate et quasi continue fluxum sanguinis patiuntur ex quadam infirmitate. In fluxu autem menstruorum innaturali, non est B prohibitum ad menstruatam accedere, præsertim in nova lege : tum propter infirmitatem, quoniam mulier in statu illo non potest concipere ; tum quoniam fluxus ille est perpetuus seu diuturnus, propter quod oporteret quod vir jugiter abstineret. Sed quando mulier naturaliter patitur fluxum menstruorum, potest concipere, talisque fluxus durat ad modicum tempus : idcirco prohibitum est ad talem mulierem accedere ; prohibitum quoque est mulieri in tali statu debitum petere.

C Secundo quæritur, an liceat mulieri menstruatæ debitum reddere suo marito. Et dixerunt quidam, quod non ; sed hæc opinio videtur derogare matrimonio, per quod datur marito omnimoda potestas in corpus mulieris, quantum ad matrimonialem actum. Nec est simile de infirmitate prolis et periculo proprii corporis : quia si mulier infirmatur, certissimum est quod ex carnali copula periculum ei immineat ; non autem ita est certum de prole, quæ forte nulla sequetur. Hinc alii dicunt, quod si D vir quærat debitum ab uxore, quam scit menstruatam, mulier debet cum precibus monitisque avertere, non tamen sic, quod sit viro occasio incidendi in alias corruptiones damnabiles, si ad eas vir pronus esse credatur. Si autem petit debitum, nesciens quod uxor sit menstruata, debet mulier aliquam occasionem prætendere, et infirmitatem simulare ne reddat, nisi viro timeatur periculum. Si tamen vir a petitione non desistit, reddere debet. Hæc Thomas.

Digitized by Google

Sensus spiritualis.

Denique juxta spiritualem interpretationem ex præsenti docemur capitulo, quam detestanda sit concupiscentia vitiosa, et omnis illegitima viri ac mulieris commixtio, quum tam immundus et inquinativus reputatus sit ipse seminis fluxus in suo manens subjecto, et sine culpa frequenter contingens. Spiritualiter quoque per virum fluxum seminis patientem, intelligitur superior portio animæ seu appetitus intellectivus, in quo est vanorum desideriorum, ambitionis, superbiæ, sive malitiæ aut rancoris [profluvium]; vel intellectus ex quo decidit verbum Dei, vel cui inhæret error aut fluctuatio circa fidem, præsertim si talibus immoretur. *Omne stratum in quo dormierit, immundum erit,* id est, cuicumque motivo seu argumento innitatur, insufficiens et irrationabile erit. *Si quis hominum tetigerit lectulum ejus,* id est, argumentis ejus consentiat, *lavabit vestimenta sua,* id est, opera sua bona a tali purgare debet peccato, ejus admixtionem delendo. Et lavabit se aquis contritionis, imo et sapientiæ salutaris. *Si sederit ubi ille sedebat,* id est, consensum seu delectationem morosam adhibuerit, *immundus erit. Si salivam jecerit super eum qui mundus est,* id est, si talis pollutus aliquid suæ falsæ doctrinæ infuderit viro catholico, *immundus erit* ille fidelis, nisi mox renuat consentire. Talis pro sua emundatione debet *duos turtures aut duos pullos* A *columbæ* offerre, id est, per simplicem fidei confessionem, et columbinam simplicitatem, atque per compunctionem et gemitum satisfacere Deo.

Vir de quo egreditur semen coitus, etc. Per hoc conjugati docentur, ut culpas copulæ conjugali admixtas deplorent ac vitent, nec putent se qualitercumque posse misceri. Hi quoque qui prædicando, docendo alios spiritualiter fecundant ut pariant, quidquid vanitatis aut abusionis admiscuerit se prædicationi seu doctrinæ B eorum, defleant et emendent. *Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis.* Per hanc mulierem ratio inferior, sensitivusque appetitus, in quibus carnalium desideriorum regnat profluvium, intelligitur: quod tamen profluvium non assidue, sed certo est tempore, ex calore aut superfluitate naturæ, vel ex diabolica seu humana suggestione. Porro, per eam quæ patitur fluxum multis diebus, menstruoque cessante, accipitur anima, quæ non solum tempore externæ tentationis, sed et C illa cessante, inquietudine concupiscentiarum, et inundatione cogitationum inanium ex propria fragilitate aut perversitate, hinc inde movetur ac defluit. Itaque contra has fœditates studeamus semper esse armati castitatis virtute et sapientiæ firmitate, omnique constantia ac fortitudine mentis et puritate, et caveamus ne nostra ex culpa nobis contingat seminis fluxus.

ARTICULUS XXXIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTIDECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

De sacrificiis quæ in die propitiationis seu expiationis fiebant, nunc agitur. *Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron,* videlicet Nadab et Abiu, *quando offerentes ignem* Lev. x, 1, 2. *alienum interfecti sunt,* id est cœlesti igne D occisi, prout in principio decimi capituli scriptum est atque expositum. Et quod ait, Quando offerentes, etc., non est intelligendum, quod locutus sit ista Deus ad Moysen, quando duo filii illi alienum ignem sic obtulerunt, sed quod ipsi duo sunt

Digitized by Google

mortui quando hoc ipsum fecerunt. Denique infra mortem illorum et istam Dei locutionem, alia multa locutus est Dominus Moysi : cur ergo ante præcepta nunc exprimenda, specialiter recolitur mors illorum, et post illam hæc a Domino dicta scribuntur? Et respondendum, quod ideo, quia nunc comminatio mortis fit ipsi Aaron, nisi præcepta nunc depromenda servaverit; idcirco ut diligentius ipse et posteri ejus obedirent, commemoratur effectus divinæ justitiæ in punitione inobedientiæ illorum duorum.

Et præcepit ei, dicens : Loquere ad Aaron fratrem tuum, et per ipsum ad posteros ejus ei in pontificio succedentes, *ne omni tempore,* id est nullo tempore, *ingrediatur sanctuarium quod est intra velum,* id est interiorem tabernaculi partem, inter quam et partem tabernaculi exteriorem, velum medium fuit suspensum, *coram propitiatorio quo tegitur arca.* In interiori namque tabernaculi parte fuit mensa aurea arcam operiens : quæ mensa propitiatorium vocabatur, quoniam erat quasi sedes Dei, cujus velut scabellum exstitit arca, et ex propitiatorio illo dabat Deus responsa, et orationes pontificis exaudivit, seque propitiari seu misereri monstravit. Quæ omnia ante jam dicta sunt plenius. *Ut non moriatur,* hoc est, ne justo Dei judicio subito occidatur, sicut occisi sunt filii ejus. *Quia in nube apparebo super oraculum.* Quasi dicat : Non aliter ingrediatur Sancta sanctorum, quam ei præcipitur : quia si in hoc obediens fuerit mihi, apparebo ei super oraculum. Quod si per oraculum intelligatur sanctuarium seu tabernaculum, in quo orationes fiebant, et divina proferebantur eloquia, per nubem intelligatur nubes illa, quæ filiis Israel in deserto præbebat ducatum, et super tabernaculum erat frequenter in aere. Si vero per oraculum intelligatur propitiatorium, ex quo processerunt oracula seu responsa divina, sicut colloquium sæpe vocatur locus colloquii : per nubem intelligi debet vapor ille, qui ex igne et A thure thuribuli pontificis ascendit usque ad propitiatorium, quando in loco illo sanctissimo pontifex adolevit incensum : qui vapor nebula appellatur et nubes per similitudinem quamdam. Quo item vapore sic consurgente, Deus per signum sensibile suam gratiosam præsentiam multoties demonstravit.

Itaque illuc non intret, *nisi hæc ante fecerit,* hoc est, sacrificia statim sequentia obtulerit ante præfatum ingressum : quod tamen non est ita accipiendum, ut B quandocumque vellet Sancta illa sanctorum intrare, hæc faceret et intraret, sed ne in die propitiationis illuc ingrederetur, nisi istis præmissis. Vel etiam ut nunquam illuc intraret, regulariter certitudinaliterque loquendo, nisi his primo oblatis. Regulariter quippe loquendo, non introivit illuc, nisi semel in anno, videlicet decima die mensis septimi, quem Septembrem vocamus. Propter quod ad Hebræos habetur: In secundo autem semel in anno solus *Hebr.* IX, 7.
pontifex introibat non sine sanguine. Aliquando vero in certis temporibus et acci- C dentalibus causis ingrediebatur locum illum, ut quando castra erant movenda, seu *Num.* IV, 5 *et seq.*
loca mutanda, ut involveret sancta ibi contenta, quæ alii sacerdotes ea portaturi, non nisi involuta poterant ferre, ut in Numeris describitur.

Vitulum offeret pro peccato suo et domus suæ, ut infra docetur. Sacerdos etenim, etiam summus, cum ceteris aliis fuit culpabilis. Unde ut magis exaudiretur pro populo, primo studuit se ipsum Deo re- D conciliare. *Et arietem in holocaustum,* ad reverentiam majestatis divinæ, et in memoriam arietis oblati pro Isaac, ut tanti *Gen.* XXII, 13.
Patriarchæ meritis juvaretur. Hæc duo animalia sumpsit pontifex ex suo peculio. Et quia ante oblationem debuit se vestire vestibus sacris, subjungitur : *Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti.* Ista quatuor ornamenta alba et linea, erant communia pontifici et *Exod.* XXVIII, 4.
sacerdotibus aliis, de quibus in Exodo, et

Lev. VIII, 7 et seq. supra dictum est. *Hæc enim vestimenta sunt sancta,* hoc est ad cultum divinum in eis faciendum consecrata et deputata; *quibus cunctis, quum lotus fuerit, induetur.* Nam lavit se in aqua in sanctuario posita, sicut et ceteri sacerdotes, antequam ad sacrificia exsequenda processit : imo et lavit se antequam sacras induit vestes, sicut et legis gratiæ sacerdotes.

Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Hæc tria animalia dicitur suscepisse pontifex ab universo populo Israel, quia de communibus expensis ex parte communitatis adducebantur ab aliquibus viris communitatis ministris ad ipsum. Suscepit itaque duos hircos pro peccato, hoc est offerendos pro remissione peccatorum communitatis; et arietem, qui pro illis offerebatur in holocaustum. *Quumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se, et pro domo sua.* Istud non potest intelligi de reali et executiva vituli immolatione, quum paulo post, post quædam fienda post hæc, dicatur : His rite celebratis, etc. Est igitur sensus : Quumque obtulerit vitulum, hoc est, sumptum a populo vitulum præsentaverit coram Deo ad offerendum. *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii,* ut sint parati pro oblatione : non quod ambo æqualiter offerrentur, sed unus super quem sors venerit ; *mittens super utrumque* hircum *sortem unam Domino,* id est unam sortem per quam sciretur, quis duorum hircorum esset Domino offerendus, *et alteram capro emissario,* hoc est aliam sortem per quam agnosceretur, quis horum hircorum esset in solitudinem ducendus.

Cujus sors exierit Domino, id est hircus qui per sortem dignoscitur ad Dominum pertinere, tanquam in ejus sacrificium offerendus, *offeret illum pro peccato,* hoc est pro remissione culparum communitatis. *Cujus autem in caprum emissarium,* id est hircus super quem cadit sors, ut emittatur in eremum. Porro caper et hir- A cus idem significant. *Statuet eum vivum coram Domino* in atrio circa altare, *ut fundat preces super eo,* hoc est, Deum oret, quatenus toti populo suo peccata eorum quæ infra annum per ignorantiam aut negligentiam incurrerunt, ignoscat; *et emittat eum in solitudinem,* et transferat in hunc caprum, ita ut deferat illa peccata in eremum, atque pro pœna quam filii Israel meruerunt peccando, caper relinquatur in eremo, devorandus ibidem a bestiis, aut silvestris efficiendus : non quod B peccata essent materialia entia realiter portabilia a jumento, sed ut per emissionem capri, designaretur elongatio vitiorum a populo per remissionem culparum, juxta quem modum in Michæa legitur : Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Mich. VII, 19. Et item in Psalmo : Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Ps. CII, 12. Qualiter autem divinæ justitiæ congruat, ut pro hominum iniquitatibus bruta puniantur et occidantur, dictum est sæpe, præsertim circa primum C hujus operis articulo secundo.

His rite celebratis, hoc est, legitime seu celebriter factis, *offeret vitulum,* de quo jam facta est mentio, pro suo et domus suæ peccato; *et rogans pro se et pro domo sua, immolabit eum.* Immolatio enim talis fiebat oratione præmissa; nec fuit accepta, nisi ex fide, devotione, oratione et obedientia immolantis. *Assumptoque thuribulo quod de prunis altaris* holocaustorum *impleverit,* quia de materia ignis illius altaris implevit thuribulum, *et hau-* D *riens manu compositum thymiama in incensum,* id est, cum manu sua accipiens notabilem partem de thymiamate boni odoris, quod in tabernaculo servabatur, ut partem seu materiam illam imponens ardentibus prunis, faceret eam incendi; *ultra velum intrabit in Sancta,* hoc est, ex exteriori parte tabernaculi, in qua sumpsit thymiama, intrabit per velum in interiorem tabernaculi partem, puta in Sancta sanctorum; *ut positis super ignem aromatibus,* id est thymiamate ex aromaticis

Digitized by Google

speciebus confecto, imposito carbonibus illis ardentibus, *nebula eorum, et,* pro id est, *vapor operiat oraculum,* hoc est, vapor ex inflammatione thymiamatis instar nebulæ atque nubeculæ surgens, ascendat tam alte, quod operiat propitiatorium, *quod est supra testimonium,* id est super arcam, in qua continebantur tabulæ testamenti, in quibus fuit Decalogus legis ; *et non moriatur,* hoc est, pontifex non tangatur subito plaga ultionis divinæ, si transgressus fuerit hoc præceptum, vel non moriatur ex humana fragilitate, visa Domini majestate, ex magnifica aliqua divinæ majestatis apparitione ibidem per terrificum splendidissimumque effectum, cujus intuitum nebula illa impediebat. Propitiatorium etenim exstitit sedes residentis in eo Omnipotentis, in quantum ibi specialiter et eminenter operabatur.

Tollet quoque de sanguine vituli hujus oblati in atrio, *et adsperget digito septies contra propitiatorium,* hoc est ex opposito ejus, utpote stans coram eo sicut quis stat coram altari, et contra illud projicit thus : et per septenam illam adspersionem figurabatur, ut tactum est sæpe, perfecta atque totalis propitiatio Dei super propitiatorium residentis. Sed difficultatem inducit quod subditur, *ad orientem.* Quum enim tabernaculum fuerit dispositum versus occasum solis, ita quod a plaga orientali intrabatur in illud, non apparet quod adspersio ista fiebat ad orientem, sed occidentem.

Hinc circa hæc scribit Lyra : Dicunt hic aliqui expositores nostri, quod licet tabernaculum sic esset dispositum, quod ingressus esset ab oriente, tamen adspersio ista fiebat ad orientem ; sed non videtur, quia si adspersio ista fuit contra orientem, sequeretur quod facies ipsorum Cherubim exsistentium ex utraque parte propitiatorii, fuissent versæ ad occidentem, et dorsa eorum versus partem tabernaculi quæ dicebatur Sancta : cujus oppositum dicitur secundo Paralipomenon, quo habetur, quod
II Par. III, 13. facies Cherubim erant versæ ad domum exteriorem. Templum autem Salomonis, de quo loquitur ibi, fuit (secundum omnes doctores) dispositum ad modum tabernaculi Moysis. Idcirco dicendum, quod oriens non accipitur hic respectu mundi aut tabernaculi, sed propitiatorii : quia quum sacerdos adspergens sanguinem, haberet dorsum ad orientem mundi, pars illa propitiatorii quæ objiciebatur sacerdotis adspectui, erat orientalis. Hæc Lyra. Sed advertendum, quod facies Cherubim non erant directe situatæ ad orientem, imo collateraliter respiciebant ad propitiatorium, juxta illud Exodi : Facies propitiatorium, Exod. XXV, 17-20.
etc. Duos quoque Cherubim ex utraque parte oraculi, respiciantque se mutuo, versis vultibus in propitiatorium. Itaque facies Cherubim erant versæ ad exteriorem domum, et ad orientem, non totaliter et directe, sed oblique et pro parte, imo pro parte majori. Porro, qui aliam positionem, quam scilicet reprobat Lyra, vellet tenere, dicere posset quod pontifex fecit præfatam adspersionem, stans retro propitiatorium, vultu suo ad populum extra stantem converso, sicque ad orientem mundi facta fuisset adspersio, sicut et pontifex ac sacerdos evangelicæ legis interdum in sacrificio suo se vertit ad populum.

Quumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus in vasculo *intra velum,* id est in interiorem tabernaculi locum, qui dicitur Sanctum sanctorum, *sicut præceptum est de sanguine vituli; ut adspergat e regione oraculi,* hoc est ex opposito propitiatorii ; *et expiet sanctuarium,* id est, locum illum sanctum purget, *ab immunditiis filiorum Israel, et a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis,* hoc est a contagiis quæ contraxit ex pravis actibus et omissionibus, negligentiis et irregularitatibus populi, in cujus medio erat, qui circa sacra loca et sacrificia ac cetera ad cultum Dei ac tabernaculi pertinentia, se frequenter habebat indigne et vitiose per totum annum : ideo semel in anno fiebat expiatio ista, non quod contagium culpæ inesset templo aut sanctuario,

Digitized by Google

sed quod quamdam inidoneitatem, ad hoc quod in eo exercerentur divina, incurrit ex vitiis : quemadmodum materiales ecclesiæ consecratæ, dicuntur per vitia quædam in eis patrata contaminari, et reconciliatione egere. Juxta prætactum etiam ritum, altaria nostra in die Cœnæ lavantur. *Juxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonii,* hoc est exteriori parti tabernaculi, *quod fixum est inter eos in medio sortium habitationis eorum,* quia per gyrum ejus habitabant, et castra figebant Israeliticæ tribus : hoc est, pontifex expiabit septena sanguinis adspersione tabernaculum istud exterius, sicut illud interius a suis contagiis.

Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex ingredietur sanctuarium, utpote Sancta sanctorum, in solennitate hac expiationis seu propitiationis, *ut roget pro se et pro domo,* hoc est familia *sua, et pro universo cœtu filiorum Israel, donec egrediatur tabernaculum.* Cur autem tunc solus esse debebat in tabernaculo, possunt causæ aliquæ assignari : ad insinuandum excellentiam ejus, qui inter Deum et totum populum mediabat, sicque Deus in suo honoraretur ministro ; alia, ut populus interim se humiliando, quasi indignum se arbitraretur sancti loci ingressu, quousque per ea quæ pontifex gessit in sanctuario, reconciliaretur Deo ; tertia, ut pontifex ab aliorum strepitu atque præsentia liber, suas preces ac ministrationes devotius exsequeretur. *Quum autem exierit* de Sancto sanctorum *ad altare quod coram Domino est,* hoc est ad altare thymiamatis, quod fuit in exteriori tabernaculi parte, quæ Sanctum vocabatur seu Sancta, *oret pro se,* ut hac sua oratione fiat magis idoneus orare pro aliis, et cetera ad se spectantia exsequi ; *et sumptum sanguinem vituli atque hirci,* id est, aliquid de utriusque sanguine sumens, *fundat super cornua ejus,* utpote altaris thymiamatis, *per gyrum ; adspergensque digito septies* de sanguine illo utroque versus altare hoc, *expiet et sanctificet illud ab immunditiis*

A *filiorum Israel,* juxta sensum nunc introductum.

Postquam emundaverit sanctuarium et tabernaculum et altare. Sanctuarium et tabernaculum, sæpissime pro eodem sumuntur. Sed quia nunc exprimuntur distincte, per sanctuarium intelligendum est Sanctum sanctorum ; per tabernaculum vero, exterior pars tabernaculi, quæ Sanctum vocatur : per quod, etiam includitur altare thymiamatis situm in eo ; per altare autem, altare holocausti quod erat in atrio.

B *Tunc offerat hircum viventem.* Sicut in Scholastica fertur historia, non est credendum quibusdam, dicentibus quod ideo super hircos sors mittebatur, ut sciretur quis Domino esset immolandus, et quis diabolo mittendus in solitudinem cum peccatis. Lex enim non permittit immolare nisi Deo. Est igitur sensus : Offerat hircum viventem, id est, coram Deo illum præsentet juxta altare in atrio ad faciendum circa hircum quod subditur. Vel, Offerat, id est, deputet eum ad aliqua, ad Dei honorem

C populique salutem spectantia, sicut subjungitur.

Et posita utraque manu super caput ejus, propter causas in expositione primi Lev. 1, 4.
capituli tactas, ob quas communiter ponebat manum sacerdos super animal immolandum. Raro tamen exprimitur, quod utraque manus super illud ponenda sit ; sed hoc nunc explicatur, quoniam pro totius populi culpa ignoscenda fiebant ista, et ut devotio seu attentio pontificis per hæc amplius excitaretur. *Confiteatur omnes ini-*

D *quitates filiorum Israel,* id est, culpas eorum in Deum, coram Deo cum humilitate, hoc est contritione, enuntiet : et confessio illa non fuit sacramentum aut sacramentalis, eo modo quo in evangelica lege, nec ita distincta et circumstantionata ; *et universa delicta,* hoc est culpas omissionis, *atque peccata eorum* commissionis. *Quæ imprecans capiti ejus,* id est, imputari hirco illi exorans, juxta sensum prætactum, et infra tangendum. Itaque confitebatur pontifex omnes has populi

Digitized by Google

culpas in generali, quantum ad eos qui peccaverunt, multa tamen peccata specificans, sicut fit confessio in principio Missæ, et post sermones. Dicuntque aliqui, quod peccata illa scripsit in charta quam imposuit capiti hirci, ut eam secum in solitudinem ferret. *Emittet illum,* videlicet hircum, *per hominem paratum,* id est præcinctum et expeditum ad perducendum * desertum hircum illum, *in eremum**. Tradunt autem Hebræi, quod quorumdam parvuli tribualiter, id est secundum aliquam tribum, ad hoc erant parati, medicinaliter eis splene subtracto. Et quia hic hircus emittebatur non rediturus, Græce ἀποπομπαῖος, Latine emissarius dicebatur ; atque ut fertur, si redisset, populus non fuisset a peccatis illis solutus.

Quumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, expositus periculo devorationis, *revertetur Aaron in tabernaculum testimonii.* Non est intelligendum, quod pontifex distulit reditum suum in tabernaculum, quousque homo ille cum hirco solitudinem introisset; sed quum eas hircus portasset, id est portare cœpisset, peccata plebis in eremum, id est, quum pontifex deduxerat hominem illum cum hirco extra castra, redire cœpit ad tabernaculum. *Et depositis vestibus* * erat *quibus prius indutus fuerat**, id est, exutis lineis ornamentis, sibi et aliis sacerdotibus communibus, in quibus vestibus prædicta exercuit. Ideo subditur : Quibus prius indutus fuerat, *quum intraret sanctuarium :* nam vestibus illis aliqua fecit in Sanctis sanctorum, et quædam in Sancto, utpote in utraque tabernaculi parte, ut patuit. *Relictisque ibi,* id est in sanctuario, lineis vestibus illis, *lavabit carnem suam in loco sancto,* id est in atrio, in quo erat labium æneum, in cujus aqua lavabant se pontifex et sacerdotes, ad cultum tabernaculi accessuri. Lavabant autem manus et pedes. Verumtamen ista pontificis lotio non fuit idcirco, quod aliquam inquinationem aut immunditiam contraxisset ex

A oblationibus actibusque prædictis, quia hoc ipso die eis peractis introire sanctuarium tenebatur; sed propter reverentiam divinorum se lavit, atque ob mysticam significationem, et ut per exteriorem lotionem, ad gratiam contingeret ampliorem. *Indueturque vestibus suis,* hoc est, pontificalia pontifici propria induet.

Et postquam egressus de sanctuario, *obtulerit holocaustum suum ac plebis,* id est unum arietem in holocaustum pro se et domo sua, aliumque arietem in holocau-
B stum pro populo, ut habetur ex dictis in isto capitulo; *rogabit tam pro se, quam pro populo,* non solum pro remissione peccati, sed et pro salute, pace et gratia obtinendis, aut conservandis, seu perficiendis. *Et adipem qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare,* id est adipes vituli ac hirci : vituli, inquam, pro culpa pontificis immolati, et hirci pro peccato plebis oblati, cremabit super altare holocausti; nec solum adipes, sed et renes atque renunculos adolebat ibidem. *Ille vero qui dimi-*
C *serit caprum emissarium* in deserto, *lavabit vestimenta sua et corpus aqua.* Lotio hæc fiebat per adspersionem aquæ expiationis. *Et sic ingredietur in castra,* id est in tabernaculum Dei seu atrium, seu etiam in habitaculum suum. Porro, circa ista et præcedentia ac consequentia, possent multa inquiri, quæ infra tangenda sunt.

Vitulum autem et hircum qui pro peccato, hoc est peccatis pontificis ac populi, *fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est,* id est, de quorum sanguine aliquid
D intulit pontifex in Sancta sanctorum et in Sancta, *in sanctuarium, ut expiatio compleretur,* hoc est, quatenus per adspersionem, linitionem, seu fusionem sanguinis illius, præfata sanctuarii loca atque altaria mundarentur, *asportabunt foras castra, et comburent igni,* id est, exstincta illorum animalium corpora inferiores sacerdotes extra castra Dei et filiorum Israel deferent, et in ignem projicient, *tam pelles quam carnes eorum et fimum :* ad designandum omnimodam consumptionem seu deletio-

Digitized by Google

nem culparum cum circumstantiis suis atque effectibus. *Et quicumque combusserit ea,* hoc est, sacerdos qui corpora illa oblata fecit consumi ab igne, *lavabit vestimenta sua et carnem aqua,* sicut expositum est, tanquam immundus ex contactu mortuæ carnis, et ex contrectatione eorum quæ pro peccatis erant oblata : in quorum contrectatione forsan incurrit aliquas culpas, in suo officio non satis reverenter et devote se habens. Unde et sacerdotes sub tempore gratiæ post celebrationem se lavant. *Et sic ingredietur castra. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum,* id est præceptum divina lege sancitum, et per omne tempus veteris Testamenti servandum.

Consequenter traditur ritus solennitatis, in qua prædicta, aliqua quoque sequentia, sunt servanda. *Mense septimo, decima die mensis* ejusdem, *affligetis animas vestras,* id est vos ipsos et vitam vestram animalem ac intellectualem afflictione spontanea, corpora affligendo per jejunium, et mentem per cordialem contritionem, quia in hoc festo fiebant, ut dictum est, sacrificia pro totius populi culpa, et Deus repropitiabatur communitati ; *nullumque facietis opus,* mechanicum aut servile in festo hoc, *sive indigena, sive advena qui peregrinatur inter vos,* id est, sive sitis natione Judæi, sive proselyti. *In hac die expiatio erit,* id est purgatio *vestri* in anima, *atque mundatio ab omnibus peccatis vestris,* id est ab exterioribus inquinamentis, per sacrificia jam prædicta et orationes sacerdotum : quod tamen sine contritione propria in nullo specialiter complebatur. Præcipue quoque intelligitur de peccatis communibus, toto anno per fragilitatem ignorantiamque contractis. *Coram Domino mundabimini. Sabbatum requietionis est.* Festivitas ista, ut patuit, die decima mensis septimi occurrebat. Sabbatum autem septimus dies est septimanæ, et etiam mensis, saltem ejus qui incipit prima die hebdomadæ. Quomodo ergo de celebritate decima die Septembris occurrente, asseri- A tur, Sabbatum requietionis est ? nisi forte quod ait, Sabbatum requietionis est, intelligatur intransitive, sicut ait Apostolus, In exspoliatione corporis carnis ; vel ex alterius modi computatione id accidat ; vel propter similitudinem dicatur sabbatum requietionis, hoc est, festum in quo velut in sabbato sit requiescendum. *Affligetis animas vestras religione perpetua.*

Coloss. II, 11.

Expiabit autem sacerdos qui unctus fuerit, utpote pontifex, qui proprie ungebatur fuso super caput ipsius oleo sancto, quod B aliis sacerdotibus non fiebat, *et cujus initiatæ,* id est consecratæ, *sunt manus, ut sacerdotio,* id est pontificatu, *fungatur pro patre suo,* hoc est loco progenitoris sui, cui in pontificatu successit successione legitima, si tamen prosapia et successio illa duraverint. *Indueturque stola linea et vestibus sanctis,* videlicet tunica linea, feminalibus lineis, et cidari linea in capite, sicut jam claruit ; *et expiabit,* hoc est purgabit, *sanctuarium,* id est interiorem et sacratiorem tabernaculi partem, *et taber-* C *naculum testimonii,* hoc est partem ejus exteriorem, *atque altare* utrumque, quia altare thymiamatis et holocaustorum, *sacerdotes quoque et universum populum,* quia pro omnium horum peccatis sacrificavit. *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel et pro cunctis peccatis eorum semel in anno.* Et istud totum præhabitum est. *Fecit ergo* ipse Aaron, et post eum successores ejus in pontificio, *sicut præceperat Dominus Moysi :* non quod Moyses faceret ista, sed D ut ex parte Dei præciperet ea fieri.

Denique de hac solennitate ait Petrus Comestor : Hæc dies solennis, dicebatur propitiationis, quia in ea certificati sunt filii Israel per Moysen, quod Dominus eis fuit propitius et ignoscens de peccato adorationis conflatilis vituli, et quia pro totius anni peccatis communibus fiebat ea die oblatio. Vocabatur item afflictionis, quia hoc die jejunabant homines, et jumenta, puerique septennes, et agebatur in eo memoria defunctorum. Dicebatur insuper dies

Digitized by Google

expiationis, quia tunc purificabant totum A tabernaculum atque altaria.

Quæritur circa prædicta, cur pontifex expiabat utramque tabernaculi partem et altaria, et pro peccatis obtulit vitulum et hircum unum, aliumque emisit, in quatuor vestibus lineis, communibus sibi et sacerdotibus inferioribus; oblaturus vero holocausta, exuit illas, et pontificalia induit. Respondetur, quod ideo, quia expiatio illa et oblatio pro peccatis, fieri debuerunt cum contritione et humiliatione; holocaustum autem et incensum, cum B solennitate et jucunditate. Unde et novæ legis episcopi, lineis et minoribus vestibus sacris utuntur in adspersione ecclesiæ quam dedicant aut expiant, et in sabbato baptismali, consecrationeque fontium et immersione catechumenorum, dum ignoscuntur eorum peccata. Porro, dum his peractis procedunt ad ministrationem altaris, pretiosis et pontificalibus induuntur, prout in Scholastica fertur historia. At vero Lyra allegat Rabbi Salomonem, qui assignavit aliam rationem, quia videlicet C minister non debet esse seu ornari ut dominus. Quum ergo Sanctum sanctorum fuerit specialis locus habitationis ac residentiæ Dei, aurea mensa et alia aurea seu deaurata ibi contenta, fuerunt quasi ornamenta ipsius : ideo pontifex non debuit illum ingredi locum cum aureis ornamentis ; sed cum illis poterat ministrare et ingredi extra Sanctum sanctorum. Verum hæc ratio modici videtur momenti, quoniam præfatam expiationem in lineis, non solum fecit intra Sanctum sanctorum, sed D in loco quoque tabernaculi exterioris, et in utroque altari, quorum unum fuit in atrio.

Amplius circa istud capitulum Magister in historiis scribit, quod dies ista solennis, etiam vocabatur propitiationis : quia in ea agebatur cinis expiationis, sicut dies Jovis dicitur sancta, quia in ea sanctum chrisma conficitur. Deinde subjungit : Ea die tollebat summus sacerdos vitulam de proprio rufam et trimam, hoc est trium annorum, quæ non traxerat jugum. Nec turbemur, si quandoque vitulus nominatur, quia in femineo genere tantum intelligendum est, quoniam pro peccatis fragilitatis offerebatur ; sicque non sexum, sed naturam designat. Iterum addit : Sacerdos qui colligebat cineres reservandos ad aquas adspersionis, qua per totum annum purificabantur immundi, fuit immundus. Ex quibus verbis manifeste habetur, quod secundum istum doctorem, hic vitulus fuit vacca, seu vitula rufa, ex cujus cineribus *Num.* XIX, 9.
fuit conspersa aqua expiationis, seu lustrationis, vel adspersionis, prout in Numerorum libro legitur. Et istud etiam alii quidam sunt opinati, quibus obviare multa cernuntur. Nam caro vituli hujus simul cum carne hirci, usque ad cineres est combusta : sicque eorum cineres videntur fuisse commixti, nisi forte quis dicat, quod divisim et diversis ignibus sint combusti vitulus iste et hircus. Sed obviant alia. Nam vitulum istum obtulit pontifex pro se suaque domo, nec eo oblato fuit immundus, quia mox sacra introiit loca. Vacca autem seu vitula rufa, pro totius populi *Ibid.* 9.
offerebatur peccatis ; et qui obtulit eam, fuit immundus. Rursus hic vitulus offerebatur in atrio, sed vacca illa extra castra. Denuo vaccam illam obtulit primo Eleazarus, patre suo pontifice adhuc vivente; hunc vitulum obtulit pro se Aaron pontifex. Quæ omnia ex nunc dictis atque ex textu Numerorum sunt certa.

De hac materia scribit sanctus Thomas in prima secundæ, quæstione 102 : Immunditia quæ ex corruptione mentis aut corporis proveniebat, expiabatur per sacrificia pro peccato. Offerebantur autem specialia pro peccatis sacrificia singulorum ; sed quoniam aliqui negligentes erant circa expiationem hujusmodi peccatorum et immunditiarum, vel ex ignorantia ea omittebant, institutum fuit, ut semel in anno, decimo die mensis septimi, fieret sacrificium expiationis pro toto populo. Et primo jussus est Aaron pontifex offerre vitulum pro se ipso, in commemorationem peccati quod fecit in conflatione vituli aurei ; et

Digitized by Google

arietem in holocaustum, ad designandum quod pontificis prælatio, quam aries dux gregis exsistens significat, ordinanda erat ad Dei honorem. Deinde offerebat pro populo duos hircos, quorum unus immolabatur ad expiandum peccatum multitudinis. Hircus namque est animal fœtidum, de cujus pilis fiunt vestimenta pungentia : quatenus per hoc significarentur fœtor et immunditia, atque aculei peccatorum. Corpora vero hirci et vituli oblatorum pro peccato, oportebat comburi, ad ostendendum consumptionem culparum, non tamen in altari, quia ibi non comburebantur totaliter nisi holocausta. Unde præceptum fuit ut comburerentur extra castra, in detestationem peccati. Hoc autem fiebat, quandocumque immolabatur sacrificium pro aliquo gravi peccato, vel pro multitudine peccantium. Alter hircus mittebatur in desertum, non ut offerretur dæmonibus, quos coluerunt gentiles in deserto, sed ad designandum effectum sacrificii illius oblati. Dicebatur autem hircus portare peccata populi : vel quia in ejus emissione significabatur remissio peccatorum populi ; vel quia ligabatur super caput ejus aliqua schedula, in qua peccata populi erant scripta. Hæc Thomas.

Præterea, de his libro de Fide et legibus, scribit Guillelmus Parisiensis : Inter sacrificia solennia, valde solenne fuit sacrificium duorum hircorum, quorum unus fuit emissarius. Quem sacerdos vivum statuens coram Deo, et confitens universa peccata filiorum Israel, imputabat ea capiti ejus, quia dicebat ad hircum : Super caput tuum sunt omnia hæc peccata, seu capiti tuo imputet ea Deus. Credebant enim, et adhuc credunt Judæi, quod hircus ille portabat omnia peccata populi in desertum, et sicut disparuit, vel devoratus a feris, vel factus silvestris, sic disparerent omnia illa peccata per hujusmodi ritum. Et quia secundum eorum opinionem portavit omnia illa peccata, immundus erat; et qui abduxit eum, fuit immundus. Quomodo (inquiunt) mundus esset, qui portantem tantas immunditias tetigisset? Mirabile autem valde videtur, et etiam ridiculum, quod peccata populi imputarentur hirco, qui innocentissimus erat. Quomodo etiam portavit peccata populi, quæ non reliquerunt sua subjecta, migrando in aliud ? Quod si dicatur, quod non portavit peccata populi, sed pœnam pro illis : hoc similiter non videtur, quia liber et sanus emittebatur. Præterea, quid necessarius fuit alius hircus qui occidebatur, et postea comburebatur pro peccato populi? Si enim hircus emissarius universa populi peccata tulit in eremum, quid necesse fuit alium hircum pro peccato populi sic occidi ? Prima autem causa, ob quam hircus unus in solitudinem mittebatur, esse videtur, quoniam dæmones in desertis habitare a multis credebantur, et adhuc creduntur : ideo Deus habitationem dæmonum voluit populo suo facere abominabilem et horrendam. Secunda, ut ostenderet loca dæmonum esse loca immunditiarum et vitiorum, quasi diceretur ad hircum : Illuc perge et porta immunditias peccatorum, ubi locus proprius est ipsorum. Tertia, ut monstraret quod peccatores et peccata sint pars dæmonum. — Per hircum autem voluit Deus hæc fieri, quia in se immundus est, et forsan quia in specie hircorum seu caprarum dæmones hominibus apparere solebant. Ideo quoque voluit corpus hirci pro peccato oblati extra castra comburi, ut per hoc cunctis pateret, quantum ipse detestetur peccata. Unde in horrorem et abominationem peccatorum, voluit hircum et vitulum cum fimo pellibusque cremari. Porro, dum dicitur hircus peccata populi asportasse, vel quod in hirco cremari et consumi asserebantur, signum ibi pro veritate accipitur, quemadmodum aliquid dicitur scribi aut pingi, dum nomen ejus scribitur aut pingitur. Hostiæ namque signa et figuræ erant vitiorum : idcirco crematio, mors, ejectio, seu fugatio hostiarum, significavit cremationem, mortem, et diffugationem vitiorum. Propter quod hujusmodi hostias tangi prohibuit Dominus;

Digitized by Google

et qui tangerent eas, immundos esse decrevit : in hoc patenter ostendens, quam longe vellet populum suum esse a peccatis, quem prohibuit tangere hostias, quæ sunt peccatorum figuræ et signa. — At vero oratio quæ super hircum fiebat, videtur fuisse hujusmodi : Sicut tu ejiceris, et longe fis a populo isto, ita fiat de peccatis eorum. Vel, Sicut tu liber et sanus a morte et læsione evadis sive emitteris, ita liber et immunis fiat iste populus a peccatis. Eodem modo super vitulum : Sicut tu cremaris et consumeris, ita consumantur peccata populi hujus. Sicque dicitur pontifex aut sacerdos imprecatus fuisse peccata capiti capri. — Ne obliviscaris autem, quia per caprum emissarium voluit Deus populo suo deserta omnia abominabilia reddere et immunda, quantum videlicet ad mali communionem : tum quia malefici atque idololatræ propter hoc deserta maxime frequentabant, ut ibi dæmonum responsa audirent, et eis immolarent ibidem, sicut adhuc multi faciunt. Unde quidam magus in libro suo de Magis, ait quod causa philosophandi intravit loca destructa, omni habitatione carentia, et quod habitaverit ibi cum habitantibus lucem sex lustris annorum, didiceritque ab illis quæ in libro eodem scribit. Tum etiam propter Faunos et Satyros, qui in specie hircorum frequenter ibi illudebant hominibus, et adhuc illudere non desistunt. Si autem totam Ægyptiorum et Chananæorum ac Chaldæorum idololatriam nosceremus aut legeremus, nihil penitus dubitaremus in his ac aliis, quæ de sacrificiis legalibus absurda esse videntur.

Hæc et alia multa scribit prætacto libro Guillelmus. De quibus et Alexander de Hales super tertium scribit diffuse, sed brevitati studendum est.

ARTICULUS XXXIV

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SEXTIDECIMI INTELLECTU.

EXORDIUM præsentis capituli nos informat, ut ex aliorum ruina, plaga et damno cauti, providi, et emendatiores reddamur. Unde et Salomon contestatur : *Prov.* xix, 25. Pestilente flagellato, id est peccatore, stultus sapientior erit. Estque commune proverbium : Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Idcirco in Ecclesiastico *Eccli.* xxxviii, 23. dicitur : Memor esto judicii mei, sic enim erit et tuum. Mihi hodie, et cras tibi. Etenim Dominus ipsum pontificem exhortatus, recolit mortem, quam filii ejus pro suo incurrerunt excessu. Itaque perpendamus quam celeriter de medio sint sublati, quamque irrecuperabiliter condemnati, qui ante modicum tempus in hoc sæculo rebelles fuerunt lumini, et lucem justitiæ contempserunt, ambulantes per itinera tenebrosa in vanitatibus, carnalitatibus, et impietatibus suis, divinæ pietati et longanimitati prorsus ingrati. Hinc de talibus cum admiratione exclamat Propheta : Quomodo facti sunt in desolationem ? Subito defecerunt ; perierunt propter iniquitatem suam. *Ps.* lxxii, 19

Loquere ad Aaron, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, (quia in nube apparebo super oraculum), nisi hæc ante fecerit. Quemadmodum Origenes fatetur, omnes nos sermo iste concernit. Præcipit enim ut non ingrediamur ad sacramenta suscipienda, neque ad sacra celebranda aut participanda, nisi diligenter ac debite præparati. Qui enim accedit indigne, ad suam accedit damnationem impia mente. Per hoc quo- I *Cor.* xi, 29.

Digitized by Google

que mystice edocemur, ne incomprehen- A
Rom. XI, 33. sibilia Dei judicia perscrutari, et ea quæ fidei sunt, discutere præsumamus irreverenter, immoderate, aut curiose, quum in
Prov. XXV, 27. Proverbiis dicatur: Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. In Ecclesiastico quoque: Altiora te ne
Eccli. III, 22, 23. quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Non est enim tibi necesse ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. *In nube apparebo super oraculum.* Oraculum B est ipsa Ecclesia, mensque devota, seu locus quicumque orationis, in quibus gratiarum actio, vox laudis, atque ignitæ orationis oblatio immolantur Altissimo. Ibi
I Cor. XIII, 12. Creator apparet in nube. Videmus enim per speculum in ænigmate. Nec aliter potest nobis lucere radius lucis æternæ, nisi sensibilium fuerit specierum circumtectus velamine. Nubes rursus est Christi humanitas, sacra Scriptura, prædicator verbi
Philipp. III, 20. cœlestis, homo virtuosus, cujus conversatio est in cœlis. Per quæ omnia nobis in C vita hac relucet, innotescit, apparet Om-
Job XXXVI, 25 nipotens. Omnes etenim homines vident Deum, unusquisque intuetur procul. Verumtamen interdum anagogica contemplatione atque theorica claritate, elevatur et rapitur mens amorosa et pura in Deum,
II Cor. III, 18. dicente Apostolo: Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes.

Vitulum offeret pro peccato et arietem in holocaustum. Vitulus pro peccato offertur, dum caro indomita et lasciva jugo subjicitur disciplinæ, et jejuniis, vi- D giliis, laboribusque castigatur salubribus, atque ab omni refrenatur voluptate ini-
Galat. V, 24. qua. Porro qui ad Christum sunt pertinentes, hoc utique modo carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. Quo patet, quam pauci vere Christiani consistant. Aries autem in holocaustum offertur, dum superior pars animæ inferioribus viribus præbens ducatum, divino cultui totaliter cum inflammatione caritatis valida mancipatur. Vitulum quoque offerimus, dum Christi propter nos crucifixi virtute et meritis, veniam, gratiam et salutem obtinere precamur. Similiter arietem immolamus in holocaustum, dum amarissimam passionem Filii Dei præsentamus æterno Patri cum gratiarum actione perenni. *Tunica linea vestietur.* De spirituali significantia harum sacerdotalium vestium, et qualiter virtutibus per eas signatis omnis Christifidelis, præsertim in sacris Ordinibus constitutus, sit ornandus, in expositione capituli octavi est expressum.

Suscipietque ab universa multitudine duos hircos pro peccato. Per hircum uno modo notatur caro Christi, propter similitudinem suam cum carne peccati; alio modo caro nostra immunda, sensitivusve appetitus. Non autem sufficit ad nostram salutem, ut superior noster passionem Christi pro nostris transgressionibus offerat Patri, nisi inducat nos ad hoc, ut proprium quoque corpus divino subdamus obsequio; nec rursus sufficit servitus nostra, nisi virtus et meritum passionis Unigeniti Dei nobis communicentur. Utrumque igitur hircum accipiat is qui præest, quatenus sibi commissis indulgentiam et salutem procuret. Denique per caprum emissarium in solitudinem missum, peccata populi super se bajulantem, Christus significatur, in quem Pater posuit iniquitates omnium nostrum: Is. LIII, 6.
qui bajulans sibi crucem, exivit, et quæ non rapuit, solvit; atque in monte Calva- Ps. LXVIII, 5.
riæ rabidis canibus et atrocissimis bestiis Ps. XXI, 17, 13, 14.
expositus fuit ad devorandum, qui aperuerunt super eum ora sua, exprobrantes; Job XVI, 11.
percusseruntque maxillam ejus, et satiati sunt pœnis ipsius.

Assumptoque thuribulo. Per hoc thuribulum potest intelligi cor humanum, quod implendum est prunis altaris, id est incitamentis divini amoris et sanctæ dilectionis objectis; thymiamate quoque, id est meditationum et orationum suavitate, ac redolentia bonæ exemplarisque famæ, ut cura habeatur de bono nomine. Quumque Eccli. XLI, 15.
cor fuerit his repletum, introducendum est in contemplationis secretum ultra velum,

Digitized by Google

ut ablato obscuritatis velamine, intueatur A affectuose ac limpide, quam superincomprehensibilis sit Creatoris majestas, quam item immensa superadmirabilis Trinitatis felicitas. *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex ingredietur sanctuarium, ut roget pro se et pro domo sua*. Per pontificem intellectus accipitur, qui est summa vis animæ, atque multiplicem hostiam pro toto homine offert Deo, eum deprecando, laudando ac venerando. Quum igitur intellectus ingreditur sanctuarium, id est, verticem suum ascen- B dit, et sapientiæ mysteria aggredi parat, nullus in tabernaculo animæ maneat : quia tunc universæ distractiones, inquietudines, curæ, phantasmata, fabulationes et occupationes impertinentes, sunt prorsus abjiciendæ, quatenus soli Altissimo acies intelligentiæ infigatur, et puram, ferventissimam ac stabilem orationem immolet Domino pro se et proximis ac tota Ecclesia, pro vivis ac mortuis.

Præterea de hujus capituli mystica expositione loquitur Thomas : Christus signi- C ficatur per vitulum, propter virtutem ; et per arietem, quoniam ipse est dux fide-
Rom. VIII, 3. lium, sicut aries ovium ; atque per hircum, propter similitudinem carnis peccati.
Is. LIII, 5 *et seq.* Ipse autem Christus oblatus est pro peccatis sacerdotum ac populi. Sanguis autem vituli et hirci per pontificem illatus est in Sancta sanctorum, quia per sanguinem passionis Christi patet nobis introitus in regnum cœlorum. Combusta autem sunt illorum corpora extra castra, quoniam ex-
Hebr. XIII, 12. tra portam passus est Christus. Per hircum D autem qui emittebatur, potest significari vel ipsa Christi divinitas, quæ Christo patiente in solitudinem abiit, non locum mutando, sed virtutem solitæ protectionis ac influentiæ subtrahendo ; vel significatur concupiscentia, quam debemus abjicere, virtuososque motus Domino immolare.

Postremo de eadem materia scribit Parisiensis : Voluit Deus in hirco emissario insinuare, quod sicut hircus ille sine custode relinquebatur in deserto, expositus bestiis deserti ad devorandum pro peccatis populi, quæ in figura portabat, sic populus oneratus peccatis, atque a Deo custode ac defensore suo relictus, bestiis, id est principibus et tyrannis malorum regnorum, inimicarumque nationum, diripiendus ac dilacerandus esset : sicque Deus populum suum sapienter admonuit, ut si Deum habere vellent propitium, vitarent immunditias vitiorum. Et quod alter hircus cremabatur, alter in eremum mittebatur, significabat, quod quædam vitia sunt fuganda longe, longeque fugienda, videlicet contagiosa et scandalizativa ; alia vero consumenda et concremanda per pœnitentiam et sacrificium. Vel potius totum intelligitur de cunctis peccatis : omnia namque fuganda, fugienda et consumenda consistunt. Septena vero sanguinis adspersio fiebat contra idololatriæ ritum, quoniam quidam idololatræ totum sanguinem immolaticium apponebant dæmonibus ad bibendum, nihil de sanguine reservabant, et offerentibus * nisi propter aliquas scri- * adeo ut nec offerentibus.
pturas aut figuras inde faciendas, aliquid reservaretur : quod a multis idololatris factum esse, certum habemus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMIDECIMI : ET LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN.

PONUNTUR quædam in isto capitulo, A in cunctis sacrificiis observanda, præsertim determinatio loci. *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere Aaron et filiis ejus et cunctis filiis Israel, dicens ad eos : Iste est sermo quem mandavit Dominus, dicens : Homo quilibet,* id est quicumque, *de domo Israel,* id est semine Jacob patriarchæ, seu aliqua tribu descendente ex illo, *si occiderit ovem aut bovem sive capram :* quæ tria erant animalia immolaticia, idcirco nunc sermo est de mactatione animalium horum ad immolan- B dum ; *in castris vel extra castra,* id est in domibus seu tentoriis suis, vel extra, seu in agris : non quod ibi poterant animalia offerenda occidere, sed si ibi hoc fecerint, quod esset peccatum commissionis; *et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino,* id est, animal immolandum non adduxerit sacerdoti ad ostium atrii, ut per manum sacerdotis exsecutio sacrificii fiat : et illud non facere esset peccatum omissionis; *sanguinis reus erit,* id est mortali peccato obnoxius, vel etiam C secundum legem morte plectendus aut dignus occidi : ideo subditur, *quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi,* id est, puniendus est, quemadmodum homicida. Verumtamen non videtur quod sacrificium offerre extra debitum locum, aut illud negligere, fuerit in se tam enorme crimen ut homicidium. Quamvis enim peccata in Deum, sint graviora peccatis in proximum, loquendo in generali, non tamen semper in speciali.

Ideo offerre debent sacerdoti filii Israel D *hostias suas,* id est, animalia offerenda præsentabunt alicui sacerdotum in loco præfixo, nec sibi ipsis assument sacerdotale officium; *quas* hostias *occidunt in agro :* quia pro tunc nonnulli ex filiis Israel talia mactaverunt in agris et aliis locis, instar gentilium sacrificantes undique indifferenter, præsertim lege nondum data, et tabernaculo non constructo ; *ut sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonii, et immolent eas hostias pacificas Domino,* id est, ipsa animalia a sacerdote inspecta et apta offerri judicata, deputentur ad Dei reverentiam loco debito offerenda. *Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini,* hoc est super altare holocausti. Qualiter autem id fieri debuit, dictum est in multis capitulis. *Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus,* id est, de cetero non debent nec licebit eis hoc facere ; *cum quibus fornicati sunt,* id est spirituale adulterium commiserunt, avertentes animas suas a Deo sponso animarum fidelium, et conjungentes se dæmonibus per consensum et impii actus productionem. Porro qui creaturæ *Rom.* I, 25. serviunt magis quam Creatori, et idolis seu corporibus cœlestibus, aut elementis, aut defunctorum spiritibus sacrificant, quamvis directe non intendunt dæmonibus obsequi aut servire, tamen eis immolant atque deserviunt æquivalenter, et ex dæmonum instigatione procedit tanta impietas, et complacet eis : ipsi quoque in idolis sæpius habitaverunt, et responsa dederunt.

Consequenter quod dictum est, evidentius resumitur. *Et ad ipsos dices : Homo de domo Israel,* id est natu Israelita, *et de advenis qui peregrinantur apud vos,* id est quicumque proselytus, seu ad Judaismum conversus, *qui obtulerit holocaustum sive victimam,* id est quamcumque

Digitized by Google

oblationem legalem, videlicet hostiam pacificam aut pro peccato, *et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino* per manus sacerdotis in loco determinato et consecrato, *interibit de populo suo*. Verumtamen viri fideles et aliqui sancti in veteri Testamento leguntur extra hunc locum Domino obtulisse, ut patet de Gedeone, et patre Samsonis, Salomone, Elia : quod ex divina dispensatione, revelatione aut inspiratione creditur factum.

Judic. vi, 19; xiii, 19, 20; III *Reg.* viii, 62; xviii, 30 *et seq.*

Consequenter esus sanguinis generaliter prohibetur, quod et supra interdum expositum est, et causæ prohibitionis præhabitæ sunt, nec est difficultas in textu. *Homo quilibet de domo Israel et de advenis, qui peregrinantur inter vos :* et istud de mulieribus quoque est intelligendum ; *si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius,* id est, districte ac vindicative adspiciam illum, *et disperdam eam de populo suo :* eum plagando seu occidendo, nec erit per caritatem incorporatus synagogæ electæ seu vere fideli, nisi pœniteat, vel ex causa divinæ sapientiæ nota, differatur ultio talis ; *quia anima carnis in sanguine est,* id est, ex bona sanguinis dispositione præsertim, dependet vita animalis, seu exsistentia et permanentia animæ in corpore animato. Sicque videtur crudele, sanguinem seu aliquid ex sanguine confectum, comedere. Judæi autem ad crudelitatem et sanguinis effusionem erant proclives : ideo istud præceptum est ipsis, ut vel sic a crudelitate ad misericordiam traherentur. *Et ego dedi illum vobis,* id est, usum sanguinis ad hoc vobis concessi, *ut super altare meum expietis pro animabus vestris,* id est, quatenus sacerdos sanguinem hostiarum vestrarum super altare fundendo aut liniendo, cooperetur vestræ purgationi, et ignoscantur vobis peccata vestra. Ideo sequitur : *et sanguis pro animæ piaculo sit,* id est, pro remissione peccati animarum vestrarum fundatur, ad præfigurandum universalem et plenam purgationem ac liberationem per sanguinem Christi : ad quod præsignandum, universa legis sacrificia principaliter ordinabantur.

Anima quæ comederit morticinum, id est corpus animalis per se mortui, et liciti ad vescendum ex sua natura, et si apte paretur, *vel captum a bestia,* id est dilaniatum ab aliqua fera, et sic mortuum, antequam vivum eripiatur, seu læsum satis cito et convenienter coquatur ; *tam de indigenis quam de advenis.* Unde ante hæc verba in textu habetur *: Homo quicumque de filiis Israel venatione sive aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, ut operiat illum terra.* Itaque anima, id est homo, qui comederit morticinum vel captum a bestia, tam de indigenis quam de advenis, id est, sive civis fuerit, sive peregrinus, et ad ritum vestrum conversus, *lavabit vestimenta sua et semetipsum aqua :* ut sic aqua adspersionis purgetur ; *et contaminatus erit usque ad vesperum, et hoc ordine mundus fiet.* Istud præhabitum est supra atque expositum. Istud quoque in primitiva Ecclesia sancti Apostoli præceperunt ad tempus a conversis gentilibus observari, juxta illud Actuum : Visum est Spiritui Sancto et nobis, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. Unde per laceratum a bestia, quidam intelligunt suffocatum dumtaxat, vel diu jam mortuum.

Act. xv, 28.

Præterea de hac materia scribit Thomas compendiose in prima secundæ, quæstione 102, quod ad vitandum idololatriæ occasionem, voluit Deus sibi in uno loco offerri, quia ad idololatriam Judæi erant pronissimi, atque ut fides unius Dei in cordibus hominum firmaretur ; ad ostendendum quoque, quod corporalis cultus et legalia sacrificia non erant ei per se accepta. Secus est de cultu novæ legis, in cujus sacramentis gratia continetur. Quantum vero ad spiritualem Dei cultum, consistentem in doctrina legis ac Prophetarum, et in orationibus ac laudibus Dei, habebant Judæi loca ad hoc deputata diversa, vide-

Digitized by Google

licet synagogas, sicut et nunc habent Christiani plures ecclesias.

Sensus mysticus. Mystice vero voluit sibi Deus in uno loco sacrificari, ad præfigurandum quod in evangelica lege omnia fieri et offerri debeant in ecclesiastica unitate, atque individua caritate, in unius fidei ara, ut universæ hæreses vitentur et schismata, et quidquid caritati repugnat. Insuper et nos hostias nostras nequaquam de cetero dæmonibus offeramus, sed Deo, ita ut omne quod agimus, ad Dei honorem et gloriam sinceriter ordinemus ac faciamus, omni exclusa vanitate ac sinistra intentione. Nec sanguinem manducemus, id est, iniquis et carnalibus aliorum operibus non communicemus nec consentiamus, juxta illud Apostoli : Non acquievi carni et sanguini. (*Galat.* I, 16.) Vel sanguinem manducare, est crudelitatem in A alios exercere, seu labores et bona illorum consumere. Porro si aliquid ceperimus *venatione,* id est, aliquem ad viam salutis converterimus prædicatione, aut *aucupio,* id est oratione; antequam illum edamus, id est, conversatione ac imitatione ipsius nos reficiamus, prius fundamus *sanguinem ejus,* id est, actus et affectus carnales abstrahamus ab ipso, ut mundus sit cibus. Qui enim *comederit morticinum vel captum a bestia,* id est, ejus actibus pravis cor suum refecerit, qui ex propria infectione aut ma- B lignitate in mortalia lapsus est, vel captum a bestia, id est a malignis spiritibus victum, seu bestialium aut ferocium hominum persuasione deceptum, et spiritualiter mortuum, interibit, nisi *sua* laverit *vestimenta,* id est, vitam et actus suos per pœnitentiæ lacrimas et satisfactionem purgaverit.

ARTICULUS XXXVI

DECLARATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

DOMINUS in exordio hujus capituli quasdam resumit exhortationes ac jussiones præhabitas, deinde gradus quosdam consanguinitatis et affinitatis a matrimonio excludit. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos* ex parte mei : *Ego sum Dominus Deus vester,* quoniam vobis specialiter legem trado, gratiosus beneficusque exsisto, et a vobis adorari et coli requiro. *Juxta consuetudinem terræ Ægypti in qua habitastis, non facietis,* id est, consuetudinem idololatrandi Ægyptiorum vobis prohibeo; *et juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis,* imitando idololatrias et cetera Chananæorum facinora. Horum duorum populorum idololatrias et peccata specialiter prohibet eis, quia de consuetudinibus C Ægyptiis aliquid contraxerunt, et vitia Chananæorum faciliter incidere poterant.

Ostenso quid debeant evitare, subdit quid agere debeant. *Facietis judicia mea,* id est, judicialia mea præcepta implete, *et præcepta* moralia *servabitis* per memoriam et effectum, *et ambulabitis in eis,* perseverando usque in finem. (*Matth.* X, 22.) *Ego Dominus Deus vester. Custodite leges meas,* id est cærimonialia jussa, *atque judicia.* Quædam judicialia præcepta fuerunt instituta a Deo, quædam per ejus vicarios, per reges et D pontifices seu principes, et utraque voluit Deus impleri. *Quæ faciens homo, vivet in eis* per gratiam, in quantum ex caritate implentur, sicque per eorum impletionem ad vitam gloriæ perducetur. Nec obstat quod per Ezechielem loquitur Dominus : Dedi eis præcepta non bona, et legem seu mandata in quibus non vivent. (*Ezech.* XX, 25.)

Digitized by Google

Hoc equidem dictum est, in quantum lex non continebat gratiam, et ipsa cærimonialia ex se ipsis non justificabant, nec erant Deo accepta, nisi ex offerentium devotione et fide Salvatoris futuri. Propter
Hebr. vii, 19. quod ait Apostolus : Nihil ad perfectum adduxit lex. Et rursus : Ex operibus, inquit,
Rom. iii, 20. legis non justificabitur omnis homo.

Sequitur de impedimentis matrimonii ex parte propinquitatis. *Ego Dominus Deus vester. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus :* id est, cunctis, præsertim Ju- B dæis, prohibeo cum persona consanguinea copulam inire carnalem. De quibus autem cognatis seu affinibus istud sit intelligendum, consequenter determinatur. *Ego Dominus. Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non discooperies,* id est, nec filia patri, nec filius matri miscebitur. *Mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus :* id est, idcirco eam non cognosces, quoniam mater est tua, et per consequens, non tam irreverenter et vitiose tractanda. *Turpitudinem uxoris patris tui,* C id est genitale tuæ novercæ, *non discooperies. Turpitudo enim patris tui est :* quo-
Gen. ii, 24. niam vir et conjux reputantur una caro, et talis discoopertio valde ignominiosa est patri. Propter quod Achitophel dixit ad
II Reg. xvi, 21. Absalom : Ingredere ad concubinas patris tui, ut quum audierit omnis Israel quod fœdaveris patrem tuum, roborentur manus eorum tecum. Jacob quoque moriens, abominatus est incestum hujusmodi Ru-
Gen. xlix, 4. ben : Non crescas, inquiens, quia ascendisti cubile patris tui. *Turpitudinem sororis* D *tuæ ex patre sive ex matre,* id est, sive sit soror tua solum ex parte patris, sive tantum ex parte matris ; *quæ domi vel foris genita est,* id est ex toro legitimo seu illegitimo, vel domi, id est in Judaismo, vel foris, id est extra Judaismum ; *non revelabis :* et per consequens, imo per locum a majori, turpitudinem ejus non revelabis, si ex parte utriusque parentis sit soror tua. *Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia, non revelabis :* quoniam

A talium puellarum es avus, ideo subditur : *quia turpitudo tua est,* id est, tales puellæ sunt caro tua, quia de substantia seu semine prolis tuæ sunt natæ : sicque earum turpitudo est tua, et tibi tam propinqua, quod eam nudare non debes. *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis :* sicut jam tactum est.

Consequenter prohibentur et aliæ personæ a connubio ratione consanguinitatis vel affinitatis, et clarus est textus ex præinductis. Verumtamen quod ait, *Uxorem fratris sui nullus accipiat,* intelligendum est, fratre illo vivente, contra quod egit Marc. vi, 18.
Herodes ; vel nisi defunctus sit semine non relicto. *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius,* id est ad concumbendum cum ea meretricaliter, *non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente,* id est, priori uxore tua, sorore illius, nondum defuncta : ex quo elicitur, quod licuit priore defuncta.

Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus. De causis et intellectu hujus præcepti in expositione quintidecimi capituli est tra- Lev. xv, 24.
ctatum. *Cum uxore proximi tui non coibis nec seminis commixtione maculaberis. De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch.* Quemadmodum tertio Regum legitur, Chamos fuit idolum Moabitarum, III Reg. xi, 7.
Moloch vero fuit idolum Ammonitarum. Cultores autem Moloch, interdum miscuerunt in sacrificiis ejus aliquid seminis seu spermatis sui. Interdum parentes obtulerunt infantulos suos idolo huic : quod, ut fertur, cupreum fuit et concavum, formam habens humanam. Quumque intus fuisset igne succensum, ponebatur puerulus in ulnis seu manibus idoli, et comburebatur. Moxque sacerdotes tantum fecerunt sonum cum tympanis, quod parentes et alii qui adstabant, lamentationem infantis non audierunt, ne compassione affligerentur, sed animam pueri crederent a diis susceptam. *Nec pollues nomen Dei tui,* ipsum tam graviter inhonorando, seu incorruptibilis

Digitized by Google

et incommutabilis Dei nomen falsis diis attribuendo.

Ego Dominus : Cum masculo non commisceberis coitu femineo : quum sit Sodomiticum vitium, et ignominiosum naturæ ac propagationi individui, conservationique speciei contrarium ; *quia abominatio est.* Conformiter femina prohibetur in feminam exercere immunditiam : imo generaliter sicut prædicta prohibentur viris, ita et feminis ; sed de viris, quasi de plurali, fit mentio. *Cum omni pecore non coibis :* quia hoc esset plus contra naturam, quam Sodomia ; *nec maculaberis cum eo* per contactum, consensum seu provocationem stimulationis, resolutionisve seminis. *Mulier non succumbet jumento :* nec aliqua vitiosa affectione aut motione circa illud disponetur ; *nec miscebitur ei, quia scelus est. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, et in quibus polluta est terra : cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos. Custodite omnia legitima mea atque judicia, ut non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonus qui peregrinatur apud vos. Omnes enim exsecrationes istas fecerunt accolæ terræ,* videlicet Chananæi : quo constat, quam enormiter peccaverunt, et quam juste a Deo plagati sint. Ecce beatissimus Moyses divinis assuetus alloquiis, ut ab obsceno et libidinoso affectu ac opere nos avertat, organum sexus feminei tam viliter exprimit, ut vix aliquid vilius valeat excogitari. Tribus quippe nominibus in isto capitulo illud expressit, nunc turpitudinem, nunc ignominiam, nunc fœditatem illud appellans. Cur igitur ratio sic obtenebratur, ut tam inordinate et bestialiter moveatur, aut sensualitatem moveri permittat?

Circa hæc in Scholastica fertur historia : In primorum parentum conjugio propter hominum raritatem, solum duas personas exclusit Dominus a conjugio, dicens : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, id est, nec filius matri, nec patri

Matth. xix 5.

A filia copulabitur. Sub lege autem plures excepit, puta duodecim, quæ sunt mater, noverca, soror, neptis, amita, matertera, uxor patrui, nurus, uxor fratris, juxta sensum præhabitum, privigna, filia privigni vel privignæ, soror uxoris. Tam paucas tunc excepit, ut multiplicarentur homines. Sub gratia plures excluduntur, ubi continentia locum habet : et est hæc prohibitio circa conjugium ; a fornicatione enim omnis excluditur mulier.

Ut autem præhabita clarius intelligantur, B pensandum quod super quartum Sententiarum, distinctione 40, scribit Thomas circa quæstionem qua quæritur, an consanguinitas de jure naturali impediat matrimonium : Illud in matrimonio dicitur esse contra legem naturæ, per quod matrimonium redditur incompetens, respectu finis ad quem est institutum. Finis autem matrimonii, primo et per se, est bonum prolis, quod per consanguinitatem quamdam, scilicet inter patrem et filiam, et inter filium et matrem impeditur, non C ut omnino tollatur, quia filia ex patre potest concipere, et simul cum eo prolem instruere ac nutrire, sed sic, ut non fiat modo convenienti. Inordinatum est enim, ut filia quam oportet patri esse subjectam, tanquam ex eo procedentem, jungatur ei in sociam et comparem ad prolificandum : atque inordinatius est ut mater filio nubat, quum uxor debeat viro aliquo modo esse subjecta. Porro finis matrimonii secundarius, tamen per se, est concupiscentiæ refrenatio : contra quam esset, quod D personæ consanguineæ, præsertim quæ in eadem solent domo cohabitare, matrimonio jungerentur. Idcirco, ut Rabbi Moyses protestatur, tales personas a matrimonio lex exclusit, imo tales personæ debent suam pudicitiam mutuo custodire. Finis autem matrimonii per accidens, est confœderatio hominum, et multiplicatio amicitiæ inter eos, dum homo ad consanguineos uxoris, sicut ad suos se habet. Huic autem fini matrimonii præjudicaretur, si personæ sibi propinquæ sociarentur con-

Digitized by Google

nubio, quia ex hoc non consurgeret amicitia nova : ideo secundum leges humanas et statuta Ecclesiæ, plures consanguinitatis gradus sunt a matrimonio separati. Sicque consanguinitas quantum ad quasdam personas, impedit matrimonium de jure naturali : quantum ad aliquas, de jure divino ; quantum ad aliquas, de jure positivo humano. Hæc Thomas.

Qui iterum ait : Affinitas præcedens, matrimonium impedit contrahendum, dirimitque contractum, eadem ratione qua consanguinitas : nam sicut consanguineis, ita affinibus inest quædam cohabitandi necessitas. Et sicut est amicitiæ vinculum inter consanguineos, ita et inter affines. Si autem affinitas matrimonio superveniat, non potest ipsum dirimere. At vero in nova lege ex statuto Ecclesiæ etiam spiritualis cognatio, sicut affinitas, matrimonium impedit, prout super quartum Sententiarum, distinctione 42, doctores conscribunt.

Sensus moralis. Postremo juxta moralitatem, non debemus juxta consuetudinem terræ Ægypti facere, id est, infidelium more conversari, neque vitiosis mundi amatoribus conformari. Et specialiter religiosus nequaquam debet instar sæcularium vivere, neque sub habitu sacro, ovino ac spirituali, cor carnale, mundanum aut sacrilegum gerere, violando suæ professionis statuta aut vota. Per prohibitionem autem revelationis turpitudinis propinquarum personarum, insinuatur vitari omnis inordinata revelatio, seu detectio peccati aut defectuositatis sive secreti proximorum, sive hoc fiat directe, sive indirecte : atque (ut ait Glossa) maledictionem Cham incurrunt, qui parentum aut spiritualium patrum seu amicorum et confidentium sibi peccata ex mala radice aperiunt, improperant, vel accusant. In qua re culpabiles sunt : detractor, qui occulte alterius famam denigrat ; malevolus, qui tacendo innuit, ut alius quod pejus est suspicetur ; reprehensor quoque, qui nimis exaggerat culpam alterius ut gravior videatur ; item susurro et bilinguis, adulator et invidus, simulator et mendax atque maledicus. De semine etiam nostro non debemus dare ut consecretur Moloch, id est diabolo. Nam Moloch interpretatur princeps et rex, per quem princeps tenebrarum, rex filiorum superbiæ, designatur : cui donat et consecrat semen suum, qui vel in actibus suis quærit placere hominibus, vel ex proposito male agit, aut spiritualem filium suum aut subditum exemplo aut verbis trahit ad vitia, per quæ trahit atque incorporat eum diabolo.

Gen. IX, 22, 23. *Job* XLI, 25.

ARTICULUS XXXVII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI NONIDECIMI : LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS.

REPETUNTUR in isto capitulo aliqua, vel in Exodo vel in isto volumine habita. Multa quoque præcepta adduntur. Estque præsens capitulum sententiosum, imo (ut Rabbi Paulus testatur) apud antiquissimos Hebræorum notabilissimum reputatur. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel.* Communitatem namque respiciunt ista præcepta. *Et dices ad eos : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Hæc est dignatio Dei immensa, quod servulos suos ad sui assimilationem invitare dignatur. Unde hanc benevolentissimam ac dignantissimam suæ majestatis exhortationem præmittit, ut per ipsam populum suum ad suorum impletionem mandatorum alliciat. Et quoniam sine præ-

Digitized by Google

ceptorum custodia nemo potest sanctitatem adipisci, mox subditur : *Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat* filiali timore, ita ut parentes suos, spiritualesque patres tam cordialiter amet, et tam gratus sit eis, ut eorum offensam vereatur et vitet, quantum rationabiliter et sine Dei offensione potuerit. *Sabbata mea custodite.* De hujus intellectu et qualitate præ-
Exod. xx, 8-11; xxxi, 13-16. cepti, super Exodum dictum est copiose. *Ego Dominus Deus vester. Nolite converti ad idola,* id est, ad idololatriam mens vestra non inclinetur, non consentiat, non procedat, ne cultus vero, vivo, omnipotentique debitus Deo, creaturis aut figmentis
Job xxxi, 28. impendatur : quæ est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum. *Nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester. Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit placabilis,* id est
Lev. vii, 16. Deo accepta, *eo die quo fuerit immolata comedetis eam, et die altero.* Istud præceptum supra scriptum est atque expositum.

Quum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, id est, blada non desecabis ita totaliter, ut pro pauperibus nihil remaneat, sed aliquæ spicæ ac competens stipula pro illorum necessitate sunt relinquendæ in agro, *nec remanentes spicas colliges; neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes.* Ecce exhortatio et præceptum ad pietatem, ad liberalitatem, ad caritatem fraternam inducens ac pertinens. Quo probatur, Deum legis non esse naturaliter malum, nec justum dumtaxat, sed etiam bonum et pium : cujus oppositum dixerunt impiissimi hæresiarchæ Marcion, Manichæus, Apelles, atque Montanus. *Ego Dominus Deus vester. Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet*
Exod. xx, 7. *unusquisque proximum suum. Non pejerabis in nomine meo,* id est, me non adhibebis in testem ad confirmandum tuum mendacium ; *nec pollues nomen Domini Dei tui,* id est, Deum tuum non inhonorabis in tantum, ut ipsum qui essentialiter verus et veritas est, inducas ad confirmationem mendacii, præsertim dum illud scis falsum esse. De his quia præhabita sunt, transeo. Sed cur non resumitur hic præceptum de fornicatione seu adulteratione vitanda? Respondetur, quod inde facta est mentio partim in præcedenti capitulo, partimque fiet in sequenti.

Circa hæc loquitur Augustinus : Non mentiemini, nec calumniam facietis. In hoc præcepto videtur contineri, Neque falsum testimonium dices : quia calumnia sine mendacio fieri non potest, quod falso testimonio concluditur. Sed quæritur, an aliqua dispensatione, id est pro aliqua utilitate, facienda sint ista. Sic pene videtur omnibus, quod mentiendum sit pro salute ubi nemo læditur. An similiter ergo furandum est ei, cui per furtum consulitur, velut si quis furetur gladium volenti se trucidare, quemadmodum calumnia fiebat ad majus gaudium, quam Joseph de scypho intulit fratribus suis, quibus etiam explorationis falsum crimen intenderat? Gen. xliv, 2 et xlii, 9.
Fortassis enim furtum non est, nisi dum alieno occulte ablato proximus læditur : mendacium autem non possumus dicere tunc tantum esse; quum enim a sciente dicitur, mendacium est, sive quis, sive nemo lædatur. Absolute autem dicitur, Non mentiemini, sicut dictum est, Non occides : quia quum homo juste occiditur, Exod. xx, 13.
lex occidit, non tu. Numquid similiter potest dici, quum homo juste mentitur, lex mentitur? Mentitæ sunt obstetrices, et Ibid. i, 19.
Deus retribuit illis bona. Mentita est Rahab, et liberata est. Josue ii, 4, 5
An quoniam dictum est in lege, Non mentiemini, non licuit in tali casu et causa mentiri? Sed magis dicendum, quod quia injustum erat mendacium, idcirco prohibitum est : et non quia prohibitum, idcirco injustum est. Forsan ergo sicut obstetrices remuneratæ sunt, non quia mentitæ, sed quia liberaverunt infantes : et propter hanc misericordiam veniale fuit illud mendacium, non tamen nullum peccatum. Similiter de Rahab dicendum. Sed ne putet quisque in ceteris

Digitized by Google

peccatis, si propter liberationem hominum fiant, ita posse concedi veniam. Multa enim mala, intolerabilia, detestanda, talem sequuntur errorem. Hæc Augustinus.

Ego Dominus. Non facies calumniam proximo tuo, aliquid falsi ei imponendo, aut sua ab eo extorquendo cum apparenti motivo, sed injusto; *nec vi opprimes eum:* quia hoc esset crudele, inhumanum et impium. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane:* id est, operanti apud te pro quotidiana mercede, da justam mercedem eadem die, si tamen indigeat et requirat, et tibi possibile sit. Mercenarii enim pauperes esse solent. Unde in Ecclesiastico legitur: Qui sanguinem fundit, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.* Isti enim sunt miserabiles personæ, quibus non est addenda injusta afflictio, nec valent se juvare, respondendo et evadendo: imo nulli est maledicendum ex zelo injusto, ira, impatientia aut rancore. Similiter offendiculum nulli ponendum est, quum et Apostolus dicat: Ne ponatis offendiculum fratri aut scandalum. *Sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego Dominus sum.* Quem qui veretur, præfata mala, imo et cetera vitia detestatur, quemadmodum scriptum est: Qui timet Deum, nihil negligit. Itemque: Qui timet Dominum, declinat a malo.

Eccli. XXXIV, 27. — *Rom.* XIV, 13. — *Eccle.* VII, 19. — *Prov.* XV, 27; XVI, 6.

Non facies quod iniquum est, id est contra justitiam; *nec injuste judicabis* ex amore vel odio, timore aut cupiditate, aut aliquo impetu passionis, et summe cavendum, ne quis scienter hoc faciat. Causam vero quam judex ignorat, diligentissime perscrutetur. *Non consideres personam pauperis,* hoc est quod alio loco idem iste præcipit legislator, Pauperis non misereberis in judicio. Quamvis ergo ceteris paribus, quantum rationabiliter fieri potest, condolendum, condescendendum, et succurrendum sit pauperi, non tamen in foro judicii, in gravamen injustum alterius partis, neque sic ut derogetur justitiæ, aut in rei publicæ detrimentum. Ceterum, si pauper sit simplex, formidolosus, mœstus et innocens, aut excusabiliter reus, parsque adversa, audax, astuta et potens, pium et justum est, pauperem verbo et signo confovere et animare, quemadmodum sanctus Job loquitur: Quumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. *Nec honores vultum potentis.* Istud, sicut præcedens præceptum, est intelligendum, ut scilicet in judicio non deferatur parti adversæ, quamvis nobili ac potenti, contra justitiam; sed sine personarum acceptione fiat justitia, ita ut cuicumque, quantumlibet propinquo aut dilecto vel familiari, exhibeatur quod justum et condecens est: quoniam judex debet esse quasi lex animata ac viva justitia, a qua nihil æquitati contrarium, aut bono communi repugnans, procedere queat. Verumtamen potentes ac nobiles, in quantum sunt Dei vicarii ac ministri, et publicæ personæ in officiis constitutæ, seu virtuosi et superiores, sunt specialiter honorandi, sicut ait Apostolus: Cui honorem, honorem. Hinc subditur: *Juste judica proximo tuo,* id est, ad profectum seu utilitatem proximi tui profer justum judicium in causa ipsius, tu qui ex officio vel commissione habes judicare de illo. Porro usurpata, temeraria, et injusta judicia sunt vitanda, nec ex levi suspicione est judicandum. Si autem aliquis reus est, expedit ei ut juste dijudicetur, et in vita puniatur præsenti, ne pereat aut multo gravius puniatur in posterum.

Exod. XXIII, 3. — *Job* XXIX, 25. — *Exod.* XXIII, 6. — *Rom.* XIII, 7.

Non eris criminator, hoc est accusator malevolus aut mendosus, sed potius fratrum amator, et caritativus detector peccati proximi tui, dum caritas vel justitia id requirunt, opportunoque loco et tempore. Circa hoc scribit Hesychius: Septuaginta transtulerunt, Non ambulabis in dolo in gente tua. David quoque conjungit homicidium dolo, dicens: Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: (dolus enim est occultus gladius) ut dolum velociter fugiamus, qui tanto crimini, scilicet

Ps. V, 7.

Digitized by Google

homicidio, est conjunctus. *Nec* eris *susurro in populis,* id est seminator discordiæ inter fratres. De hoc ait Thomas in secunda secundæ : Susurro et detractor in materia ac modo loquendi conveniunt, quia uterque profert de alio malum occulte : propter quod unum frequenter pro alio. sumitur. Proprie tamen loquendo, differunt in fine : quia detractor intendit alterius famam denigrare ; susurro autem aliorum amicitiam conatur corrumpere seminando discordias. Unde in Proverbiis habetur :
Prov. xxvi, 20. Susurratore subtracto, litigia conquiescunt. Hinc susurro proprie vocatur bilinguis, quoniam inter duos duabus utitur linguis, de utroque proferens malum in aure alterius. Hinc susurratio est gravius crimen, quam detractio, imo quam contumelia. Vere ergo
Eccli. xxviii, 15. in Ecclesiastico scriptum est : Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes. *Non stabis contra sanguinem proximi tui,* id est, ad lædendum vel occidendum proximum tuum contra processum formamque juris, operam non impendes ; neque consenties, nec te conjunges his qui proximo insidiantur, sicut multi aliis sociati faciunt, quod per se non possunt.

Ego Dominus. Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Ex hoc arguitur, quia secundum legis intentionem omnis proximus, in quantum rationalis creatura ad Dei imaginem facta, et beatitudinis capax,
Matth. xxiii, 8. sit ex caritate amandus. Omnes etenim fratres sumus communione naturæ specificæ, et unius Patris cœlestis identitate, atque ex eisdem primis parentibus orti. Qui autem ejusdem religionis aut professionis consistunt, ampliori ratione sunt fratres. Unde hoc loco per fratrem, etiam soror et quilibet homo viator est intelligendus : et in isto erraverunt et errant Judæi, qui putant adversarios odiendos. Præcipue autem vitandum est, ne quis malitiose seu ex rancore observet et celet peccatum alterius, ut suo tempore in majorem illius perniciem detegat illud. Idcirco subjungitur : *sed publice argue eum,* id est evidenter et caritative, non tamen semper aut statim in aliorum præsentia, ne exasperetur, aut vilescat in cordibus proximorum, seu lædatur in fama ; sed ut docet ac jubet Salvator, primo in secreto est Matth. xviii, 15-17.
corripiendus, et si ita non acquiescit, adhibendi sunt unus vel duo testes. Quod si nec ita corrigitur, denuntiandum est Ecclesiæ, seu judici aut prælato. In aliquibus tamen criminibus bonum commune lædentibus, oportet quandoque statim judici denuntiare. Est autem increpatio ista actus caritatis, et sic spectat ad omnes : estque intermittenda vel differenda, si non sit spes probabilis de emendatione peccantis. Est etiam actus justitiæ, sicque ad præsidentem ac judicem pertinet. Et illius discretioni relinquitur, an statim increpet et castiget eum, de cujus emendatione spes parva vel nulla apparet. Si tamen ex dilatione disciplinæ lædatur bonum commune, non est amplius dissimulandum, sed rigore justitiæ est utendum. Sic ergo argue fratrem delinquentem, *ne habeas super illo peccatum,* hoc est, ne particeps sis peccati illius illud palpando, aut indebite occultando, et ne efficiaris transgressor divini præcepti : quia (ut asserit Augustinus) si increpare neglexeris, pejor eo qui peccavit, efficeris.

Non quæres ultionem, id est, injuriam tibi factam non ulcisceris, nec ulcisci optabis, præsertim ex ira per vitium ; tamen ira per zelum non reprobatur. Nam et vindicativa, quæ operatur rectitudinis zelo, est pars justitiæ. Verumtamen ceteris paribus, commendabilius est æquanimiter pati, quam vindicare. Si autem ex patientia tali derogetur justitiæ, et lædatur bonum commune, seu injuriator fiat ad injuriandum procacior, expedit justam optare ac fieri ultionem, ut reprimantur tot mala, ne pereat injuriosus in finem. *Nec memor eris injuriæ civium tuorum,* id est, ex ira et impatientia seu rancore memor non sis injuriarum tibi a proximis illatarum. Verumtamen eo modo, quo licet aut expedit quærere ultionem, licet et expedit recor-

Digitized by Google

dari injuriæ tempore opportuno, et sine animi perturbatione. *Diliges amicum tuum sicut te ipsum,* id est in Deo et propter Deum, ut simul cum eo acquiras salutem. Non tamen per istud datur intelligi, quod inimici sint odiendi, nisi in quantum iniqui, id est quoad id quod culpa in eis est. Sic enim odiuntur a Deo, quemadmodum
Sap. XIV, 9. scriptum est : Odio sunt Deo impius et
Matth. V, 46. impietas ejus. Verum (ut ait Salvator), Si diligimus eos, qui nos diligunt, tantum, quam mercedem habebimus ? Nonne et ethnici hoc faciunt ? Debemus ergo inimicos propter Deum diligere, quoniam ipse hoc jussit, atque ad ejus imaginem sunt plasmati, et ipse Creator omnipotens quantum in se est, eorum cupit salvationem, et ad salutem multipliciter eos instigat per se, per angelos sanctos, per homines bonos, per beneficia atque miracula, imo et comminando ac perterrendo.

Egó Dominus. Leges meas custodite. Jumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non seres diverso semine. Vestem quæ ex duobus texta est, non indueris. Hic ponuntur tria præcepta, per quæ tres prohibentur commixtiones. Prima est individuorum diversarum specierum ; secunda, diversorum seminum seu granorum in agro eodem ; tertia, diversorum pannorum seu colorum in una veste. Quarum jussionum ad litteram causa est, quoniam Deus voluit populum se colentem, ab idololatris distingui. Unde de his præceptis scribit S. Thomas in prima secundæ, quæstione 102 : Circa prohibitionem commixtionis animalium diversarum specierum, ratio litteralis potuit esse triplex. Una, ad detestationem idololatriæ Ægyptiorum, qui tales commixtiones fieri procuraverunt in obsequium planetarum, qui secundum diversas conjunctiones, causant diversos effectus et diversas species rerum. Alia ratio est, ad excludendum concubitus contra naturam. Tertia, ad tollendum universaliter concupiscentiarum occasionem. Animalia namque diversarum specierum non miscentur de facili ad invicem, nisi hoc per homines procuretur, et in adspectu hujusmodi coitus, excitatur homini concupiscentiæ motus. Unde (ut Rabbi Moyses narrat) in traditionibus Judæorum fuit præceptum, ut homines oculos suos averterent ab animalibus coeuntibus.— Conformiter commixtiones seminum in agricultura, ad litteram prohibitæ sunt, quia Ægyptii in venerationem stellarum, quas quasi deos colebant, diversas fecerunt commixtiones in animalibus, agris, ac vestibus, repræsentantes varias stellarum ac planetarum conjunctiones. Vel omnes tales commixtiones prohibentur, in abominationem coitus contra naturam. — Præterea sicut in Ecclesiastico dicitur, Amictus hominis annuntiat de eo, ideo voluit Dominus populum suum distingui a gentibus aliis, non solum in corpore per circumcisionis signaculum, sed etiam extra per corporis habitum. Sicque prohibuit populo suo vestes ex duobus contextas : Primo, ad evitandum idololatriæ cultum. Nam talibus vestibus utebantur gentiles in cultu deorum suorum. Secundo, ad declinandum luxuriam : quia per commixtiones varias vestimentorum prohibitas, insinuatur excludi omnis inordinata commixtio coitus. Hæc Thomas. *Eccli.* XIX, 27.

De eadem demum materia scribit Parisiensis libro de Fide et legibus : Post hæc dicemus causas prohibitionis commixtionis animalium diversi generis. Prima fuit, ut ipse ordo naturæ commendaretur populo Dei, naturaleque jus et institutio ejus. Secunda, ut omne Sodomiticum vitium vitandum monstraretur. Tertia, ut populus Dei a spurcissimis Chananæis differret. Quarta, ut modestia et repressio concupiscentiæ Deo acceptior ostenderetur : quam concupiscentiam etiam in brutis ad normam limitesque naturæ esse voluit religatam. Quinta, ut nefanda opera et maleficia, quæ fiebant de fetibus ex tali commixtione procreatis, evitarentur : de quibus in libris necromanticorum multa leguntur. Has quoque commixtiones animalium procurabant idololatræ juxta con-

Digitized by Google

stellationes et siderum conjunctiones, quia credebant ex hoc sua opera prosperari. Voluit ergo Deus a populo suo removere hujus credulitatem vanitatis, tanquam idololatrandi radicem, ne relicto Dei cultu, ad stellarum servitia traheretur. Alia multa scribit præfatus doctor, et Alexander de Hales, de istorum rationibus præceptorum, quæ brevitati studens dimitto.

Verum, ut Josephus scribit, vestis ex duobus texta, fuit communi plebi prohibita: quia in vestibus sacris summi sacerdotis et ornamentis tabernaculi, erant hujusmodi varietates, quibus alii conformare se non debuerunt. Magister quoque in historiis ait: In his præceptis subintelligendum est, ut populus Israel talia non ageret, nec haberet secundum ritum gentilium, et maxime Ægyptiorum, inter quos fuerant commorati. Nam et Salomon tertio Regum talia multa legitur habuisse. Sed Ægyptius omnigenum venerans monstra deorum, in honore diversorum deorum, quos putavit talibus præesse, diversa semina in agro, diversas materias in veste sociabat; diversos etiam cincinnos capitis, diversis diis sacrabat.

Homo natione Judæus *si dormierit cum muliere coitu seminis,* id est, in loco quo solet esse quies dormitionis, seu etiam alibi, carnaliter cognoverit mulierem, *quæ sit ancilla etiam nobilis,* tamen in famulam venumdata: ideo subditur, *et tamen pretio non redempta* a servitute, *nec libertate donata,* id est non dimissa libera a domino suo; *vapulabunt ambo, et non morientur,* id est, pro peccato suo castigabuntur flagellis, non tamen usque ad mortem. Numerus autem ictuum, modus et quantitas percussionis, non exprimuntur hoc loco, sed e Deuteronomio accipi possunt. Ideo autem non moriuntur pro isto peccato, *quia* mulier *non fuit libera,* sed ancilla. *Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem,* id est, ad ostium atrii præsentabit sacerdoti arietem, ut sacerdos ex parte ipsius offerat illum pro peccato ipsius. *Orabitque pro eo sacerdos, et pro delicto* ejus, coram Domino.* Orabit enim ut Dominus viro ignoscat, et deleat culpam ejus. *Et repropitiabitur ei, dimitteturque* ei *peccatum,* non virtute sacrificii, sed si vere pœniteat, et in quantum ex fide et obedientia tale sacrificium offert. Mulier vero, quia ancilla fuit, nec propria habens, non offerebat.

Deut. xxv, 2, 3

* peccato

Sequitur præceptum observantiæ specialis. *Quando ingressi fueritis terram* Chanaan, *et plantaveritis in ea ligna pomifera,* id est arbusta recentia et fecunda, ut per ligna pomifera intelligantur quæcumque arbusta esibilem fructum portantia. Raro autem contingit, quod ossa fructuum arboris, vel latentia semina seminentur, quoniam tardius ferrent fructum. *Auferetis præputia eorum,* id est primos flores seu gemmas, ne erumpant in fructum. Sic quidam exponunt. Cui expositioni non videtur consonare quod subditur: *Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis,* id est illicita ad edendum. Itaque per arborum præputia, intelliguntur nunc fructus quos ferunt per tres annos, quia hos Dominus voluit populo suo esse immundos, et abjiciendos instar præputiorum. *Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino,* id est, fructus quarti anni deputabitur partim Domino, et cedet in usum sacerdotum, partim vero communis erit pauperibus. *Quinto autem anno comedetis fructus,* quia tunc licuit vesci eis, *congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester.* Hoc præcepto non fuit filiis Israel prohibitus esus fructuum arborum, quas in terra promissionis invenerunt plantatas.

Circa hoc scribit Guillelmus: Quum plantaveritis ligna pomifera, auferetis præputia eorum, hoc est prima genimina, quæ Deus immunda haberi voluit contra errorem idololatrarum, qui ea tanquam primitias idolis offerebant in parte, et partim ea comederunt in domibus idolorum, et istud per tres annos a plantatione servabant. Credebant quoque primos fructus

Digitized by Google

esse faustos et fortunatos : ideo Dominus voluit fructus trium primorum annorum projici a populo suo, quatenus nihil faustæ virtutis aut fortunæ crederent esse in illis. His consonant verba Thomæ, qui addit, quod quidam gentiles fructus primitivos comburebant, ad quædam magica facienda. Aliqui vero affirmant, quod etiam ideo Dominus jussit (ut tactum est) flores et gemmas primorum annorum deleri, quia dum arbores nimis cito portant fructum, postea minus valent.

Non comedetis carnem cum sanguine. Hoc præcedenti capitulo satis tractatum est. *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Augurium est species divinationis. Divinatio autem est species superstitionis. Itaque augurium est, dum ad præcognoscendum futura, aliquid consideratur in motu, garritu, seu vocibus avium, aliorumve animalium, aut in sternutationibus hominum, saltibusve membrorum : quod totum est superstitiosum. Et quamvis in talibus non sit invocatio dæmonum manifesta, dæmones tamen in talibus ingerunt se secrete. Omnis quippe divinatio ex dæmonibus provenit, vel quia aperte invocantur, vel quoniam vanæ inquisitioni occulte se ingerunt. Propter quod in libris Periarchon asserit Origenes : Est quædam operatio dæmonis in mysterio præscientiæ, quæ artibus quibusdam ab his qui se dæmonibus manciparunt, comprehendi videtur, nunc per sortes, nunc per auguria, nunc ex contemplatione. Quæ omnia operatione dæmonum non dubito fieri.

Præterea, dæmones expresse multis modis futura prænuntiant, quandoque videlicet præstigiosis apparitionibus adspectui atque auditui hominum se objicientes seu præsentantes, et hæc divinationis species vocatur præsagium. Quandoque vero per somnia, sicque vocatur divinatio somniorum. Interdum quoque per mortuorum apparitionem seu allocutionem, quod necromantia vocatur : *necros* etenim Græce, Latine dicitur mortuus ; *mantia* autem divinatio nuncupatur. Aliquando vero per homines vivos, ut per arrepticios, et hæc est divinatio per pythones. Nonnunquam futura prænuntiant per figuras, aut signa in rebus inanimatis apparentia, puta in igne, ferro, speculo, lapide, aqua vel aere, vel in visceribus animalium, idolis seu dæmonibus oblatorum.

Præterea, ut clarius pateat, qualiter prohibitum sit somnia observare, pensandum, quod (ut S. Thomas in secunda secundæ, quæstione 95 disseruit) somnia sunt interdum futurorum effectuum causa, quemadmodum dum homo ex iis quæ vidit aut intellexit in somno, sollicitus est, et inducitur ad aliquid faciendum aut evitandum. Interdum somnia signa sunt futurorum eventuum, in quantum reducuntur ad causam ipsis somniis eventibusque futuris communem. Causa autem somniorum est duplex : una interior, alia exterior. Interior quoque est duplex. Una animalis, ut dum phantasiæ seu imaginationi dormientis illa occurrunt, circa quæ cogitatio vel affectio sua tempore vigiliæ fuerunt intentæ. Et talis causa somniorum, non est causa futurorum eventuum : imo somnia talia, habent se per accidens ad futuros effectus, et casuale exsistit, si cum eis concurrant, id est, sic fiat ut somniatum est. Alia interior causa somniorum est corporalis, quia ex interiori corporis dispositione fit motus seu apprehensio in phantasia, tali dispositioni proportionata : quemadmodum homini in humoribus frigidis abundanti, apparet in somno quod sit in aqua aut nive ; et ei qui in calidis abundat humoribus, videtur in somno, quod exsistat aut vadat in igne. Talibus autem somniis est secundum medicos intendendum, ad cognoscendum interiores dispositiones. Porro causa exterior somniorum, est duplex. Una corporalis, in quantum phantasia dormientis immutatur ab aere continente, aut impressione cœlestium corporum, ex qua dormienti apparent aliquæ similitudines vel imaginationes, elementari aut cœlesti dispositioni conformes. Alia exterior somniorum causa

Digitized by Google

est spiritualis, quæ aliquando est a Deo, qui angelorum ministerio aliqua dormienti revelat, secundum quod Joseph dixit regi Ægypti : Quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. Interdum vero ex operatione diaboli, qui in dormientis imaginativa similitudines atque phantasmata format, ex quorum intuitu dormiens futura quædam prænoscit : quod maxime his contingit qui cum dæmonibus pacta habent. Si itaque somniis quis utatur, prout procedunt ex revelatione angelica seu divina, aut ex causa naturali intrinseca, seu etiam extrinseca corporali, in quantum se potest extendere virtus hujusmodi causæ, non est divinatio illicita, quia sic Joseph ex revelatione divina exposuit somnia Pharaonis, et Daniel somnia Nabuchodonosor regis. (De ista materia pulchre scribit in speciali tractatu Boetius.) — Amplius advertendum, quod avium motiones, garritus et motus atque consimiles earum dispositiones, esse non valent causæ futurorum eventuum aut actuum humanorum : ideo si ex illis futura aliqua prænoscantur, hoc est in quantum garritus seu voces ac motus sunt effectus quarumdam causarum, quæ vel causant, aut etiam præcognoscunt futuros eventus. Causa vero operationum brutorum, est quidam instinctus quo moventur per modum naturæ et potius aguntur quam agunt, secundum Damascenum, quoniam suorum actuum non habent dominium. Hujusmodi autem instinctus est duplex. Unus corporalis, quia quum bruta non habeant nisi animam sensitivam atque organicas vires, subjacent dispositioni corporis continentis, videlicet aeris, influentiis quoque cœlestium corporum. Sicque quædam actiones brutorum esse possunt futurorum signa eventuum, in quantum dispositioni prædictorum corporum conformantur. Nam ex prædictis causis bruta cognoscunt multa, quæ naturæ eorum necessaria exstant, ut sunt immutationes ex ventis et pluviis. Unde ad talia præscienda considerare avium garritus ac gestus, non est superstitiosum : ut si quis dicat imbrem cito futurum, quia audivit corvum sæpius crocitantem. Secundo, instinctus brutorum est a causa spirituali bona, scilicet Deo, vel angelo sancto, ut descensus columbæ super Christum baptizatum, et instinctus corvi qui pavit Eliam. Interdum vero est a causa spirituali mala, videlicet dæmone, qui Deo permittente movet aliquando bruta ad hominum deceptiones. Itaque hujusmodi divinatione uti latius quam se extendit per naturam, aut per divinæ providentiæ ordinem, superstitiosum censetur. Nec obviat his quod Joseph dixit sibi non esse consimilem in augurandi scientia. Hoc enim (secundum Augustinum) joco asseruit.

Gen. XLI, 25. — *Dan.* IV, 19 et seq. — *Joann.* I, 32. — III *Reg.* XVII, 6. — *Gen.* XLIV, 15.

Ex his constat qualiter intendere liceat somniis aut auguriis. Augurium tamen secundum communem modum loquendi, sonat in vitium. Est autem periculosum, præsertim simplicibus, attendere somnia, quia in eis contingere multiplex potest fallacia. Propter quod scriptum est in Ecclesiastico : Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, secundum hoc visio somniorum. Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, vanitas est. Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi fuerit ab Altissimo emissa visitatio. Ne dederis in illis cor tuum : multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in eis.

Eccli. XXXIV, 1-7.

Sequitur : *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Circa hoc ait Glossa : Sicut faciunt Barbari. Debet enim quisque esse contentus naturalibus ornamentis, ne Creatorem videatur accusare tanquam impotentem opus suum perficere ; nec debet quis in honorem dæmonum cincinnos nutrire et fovere, sicut student pagani puerorum capita dæmonibus offerre : quod hic maxime prohibetur. Hæc Glossa sequitur : Ista ergo jussit Dominus populo in detestationem idololatrarum, qui comam attondebant rotunde in capitis gyro, et barbam suam abraserunt ; quorum etiam sacerdotes in ritibus suis vulneraverunt se ferro usque ad san-

Digitized by Google

guinem. Unde subjungitur : *Et super mortuo non incidetis carnes vestras.* Hoc tamen exponitur melius, ut scilicet filii Israel in funere propinquorum suorum non inciderent corpus suum usque ad sanguinis effusionem, instar gentilium, qui ad demonstrandum vehementiam sui doloris in morte suorum, ita se inciderunt. Hinc scriptum est in Baruch de sacerdotibus gentilium : Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas et capita et barbam rasam. Tertio quoque Regum de sacerdotibus Baal narratur : Incidebant se cultris atque lanceolis, donec perfunderentur sanguine. *Neque figuras aliquas et stigmata facietis vobis :* confidendo in talibus, quod in ipsis characteribus et protractionibus linearum, seu modo effigiandi sit virtus, præcipue per respectum ad astra, vel ex parte loci aut temporis : quæ omnia sunt idololatriarum quædam reliquiæ, contra quæ loquitur Augustinus libro de Doctrina christiana.

Baruch VI, 30.

III *Reg.* XVIII, 28.

Hinc scribit Guillelmus : Ad vitandam omnem idololatriæ exsistentiam, apparentiam, et signa ejus ac nutum, præcepit Dominus filiis Israel non consulere ariolos, nec observare somnia vel auguria, et ne inveniretur in terra Israel incantator, neque maleficus, aut qui divinos consuleret. Speciem quoque idololatriæ prohibuit zelo eodem, dicens : Neque in rotundum attondebitis comam, nec barbam radetis. Incisiones autem super mortuum faciebant idololatræ, ita monstrantes magnitudinem sui mœroris in morte carorum, ad placandum deos inferorum : quod multi adhuc faciunt in morte carorum suorum, quod utique est de reliquiis idololatriæ et sacrorum Plutonis. Stigmata vero et figuras adhuc faciunt aliqui Christiani, et deferunt ea, vocantque brevia, et in corporibus propriis, et in chartis ac metallis : quæ omnia aut sunt idololatria vera, aut species ejus, ac reliquiæ detestandæ, christianæ religioni contrariæ.

Ego Dominus. Ne prostituas filiam tuam, id est, eam in lupanari non ponas, nec libidini generali exponas, nec ad spiritualem fornicationem seu idololatriam corruere sinas ; *et * contaminetur terra, et impleatur piaculo,* id est, ne ex tali prostitutione plurimi inquinentur, et terra habitationis vestræ pollui affirmetur. *Sabbata mea custodite, et sanctuarium meum metuite,* id est, templum seu tabernaculum Dei in reverentia habetote, nec illud intrare præsumatis, nisi mundi sive mundati. *Ego Dominus. Ne declinetis ad magos,* id est maleficos sive astrologos, qui genetici * appellantur, propter considerationem dierum natalium, atque ex situ, motu, seu dispositione ac habitudine stellarum prognosticant ultra et aliter, quam naturali scientia sciri potest, vel virtus ac influentia illorum extendit se ; *nec ab ariolis aliquid sciscitemini,* id est, veritatem secretorum, aut futurorum eventum, non interrogetis ab his, qui talia divinare ac insinuare præsumunt ex intuitu viscerum et extorum animalium dæmonibus oblatorum ; *ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester,* ad quem convertere vos debetis, ad interrogandum de talibus, si fuerit opportunum, sicut per Isaiam ait Spiritus Sanctus : Numquid non a Deo suo populus quæret ?

* *ne*

* genethliaci

Is. VIII, 19.

Coram cano capite consurge. Senes enim, ceteris paribus, sunt præhonorandi corde et signo exteriori : nam et ipsa senectus est unum eorum quæ hominem efficiunt venerandum. In senibus quoque solent experientia et sapientia abundare, quamvis in decrepitis vigor sensuum visque intellectus paulatim decrescant. Si autem qui capite canus est, levis sit moribus et vitiis induratus, ipse se privat senectutis honore. Qui vero ex naturali aut inevitabili causa puerilizat in senio, est pie portandus et honeste tractandus. *Et honora personam senis :* quod a minoribus præsertim servandum est. Unde et Paulus apostolus : Seniorem, inquit, ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. Et in Ecclesiastico habetur : In multitudine presbyterorum prudentium sta, et ex corde sapientiæ illorum conjungere. Et rursus Ecclesiasticus

I *Tim.* V, 1.

Eccli. VI, 35.

Digitized by Google

Eccli. xxxii, 13. docet : Ubi sunt senes, non multum loquaris. Hinc de improbis fertur in Threnis : Thren. v, 12. Facies senum non erubuerunt. In libro Sapientiæ quoque impii dicunt : Sap. ii, 10. Non vereamur canos veterani multi temporis. *Et time Dominum Deum tuum.*

Ego Dominus. Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei : hoc est, defectum vel inopiam, expulsionem sive exsilium ejus non objiciatis ei malevole, imo quantum fieri potest, salva justitia pie eum tractetis ; *sed sit inter vos quasi indigena,* id est quasi natus et civis in terra vestra, *et diligetis eum quasi vosmetipsos,* quamvis non æqualiter. Nam amor ad alium, oritur ex amore ad se ipsum. Spirituali autem amore amandus est omnis proximus propter Deum. *Fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti.* Ideo sicut vobis factum est, aut fieri affectastis ab indigenis regni illius, sic facite aliis advenis in vestra terra, præsertim quia ex propria experientia scitis animos advenarum, quam faciliter desolati et pusillanimes fiant, dum ab indigenis dure tractantur.

Ego Dominus Deus vester. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, quo alios A judicatis, vel in foro judiciali alios accusando mendaciter, vel contra eos injuste testificando, aut certe innocentes non excusando et eripiendo pro posse, præsertim si illorum innocentiam possetis probare ; *in regula :* sumitur regula hic pro instrumento mensurandi ea, quæ linealiter aut per planum mensurantur : in quo instrumento servanda est rectitudo, ne proximus damnificetur ; *in pondere :* per quod accipitur cognitio, quantum quid valeat, aut quantum alteri debeat de re sua aut empta ; B *in mensura :* per quam liquida venduntur aut arida, ut blada. Hinc subditur : *Statera justa, et æqua sint pondera ; justus modius, æquusque sextarius :* ut sic inter concives ac reliquos medium justitiæ observetur, nullaque fraus committatur ; sed quod sibi quisque fieri cupit, aut vellet rationabili voluntate, faciat ceteris, et quod Tob. iv, 16 sibi fieri odit, nemini faciat. Justus etenim Ps. x, 8 Dominus, et justitias diligit, suosque ministros vult invicem esse fideles ac justos, et unicuique reddi quod ei debetur, virtute C misericordiæ salva. *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia, et facite ea. Ego Dominus.*

ARTICULUS XXXVIII

DE SPIRITUALITATE HUJUS NONIDECIMI CAPITULI ET QUIBUSDAM VERBIS RABBI PAULI.

L*OCUTUS est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Non solis sacerdotibus, nec solis Scribis et Pharisæis, sed universo Israelitico populo ista sunt jussa, ut sancti sint : quanto magis plebem omnem evangelicæ legis (cui lex spiritualis, et tota divina atque perfecta, desuper est collata) sanctam esse oportet ? Verum, ut ait Origenes, sanctitas in D Scripturis non solum hominibus, sed et brutis, imo et inanimatis rebus, ut templo, altari, vasis tabernaculi et vestibus cultus divini, adscribitur : in quibus illa dicuntur sancta, quæ divino sunt cultui mancipata, nec aliis possunt usibus applicari. Sic et homines merito sancti dicuntur, qui toto corde adhærent Deo, et sacro ejus obsequio cum omni posse suo intenti sunt, atque a pravis et carnalibus hominibus separantur, etsi non loco, tamen

Digitized by Google

operibus. Sanctus quoque in Græco dicitur ἅγιος, quod interpretatum est, sine terra. Tunc itaque recte dicimur sancti, dum a terrenis et mundanis affectibus fuerimus expurgati. *Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat.* Non solum carnales parentes, sed et patres spirituales, vicarii Dei, prælati nostri, nobis sunt cordialiter honorandi, timendi, et cum obedientia diligendi, propter eum cujus circa nos vicem gerunt, et quia pro nostra sollicitantur salute. Nemo igitur talibus audeat indignari, irasci, resistere. *Nolite converti ad idola.* Semper itaque, potissimum in divinis, omnia vana, phantasmata, distractiones, et fœdas imaginationes prorsus abjiciamus,
Sap. I, 5. quoniam Spiritus Sanctus aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Æterna
Prov. VIII, 12. quoque Sapientia contestatur : Ego Sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus.

Quum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges. Terra nostra est propria caro, cujus segetes sunt opera bona, quæ per corpus et membra ejus efficimus. Hujus terræ segetes metimus, dum ad memoriam revocamus bona quæ egimus, et ea in horreo cordis re-
I Cor. II, 12. ponimus, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, vel ut ea intueamur, quando de desperatione tentamur, vel ut in grandi necessitate Deum cum ampliori invocemus fiducia, exemplo sancti Ezechiæ oran-
IV Reg. XX, 3. tis : Memento, quæso, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate, etc. His nempe ex causis expedit interdum propria bona recolere, attamen cum humilitate et gratiarum actione, imo et sine incauta assertione, quum ignoremus an ex vera processerint caritate. Sed dum facimus istud, non debemus usque ad solum superficiem terræ nostræ tondere : quia non debemus nimis integraliter ea ad mentem reducere, nec ea plus quam condecet magnificare ; imo merita nostra debemus proximis, præsertim pusillis et imperfectis, libenter communicare. Considerando etenim propria

A mala, debemus potius declinare ad majus; sed considerando propria bona, declinare debemus ad minus. Opposito autem modo nos habere debemus in considerationibus vitiorum, operumque bonorum proximorum nostrorum. Istud quoque *in vinea* est agendum, id est in exercitiis saporosis ac dulcibus vitæ contemplativæ.

Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. Deus qui essentialiter verus et veritas est, omne detestatur mendacium : ideo os quod mentitur, occi- Sap. I, 11.
B dit animam ; et ipse perdet omnes qui Ps. V, 7.
loquuntur mendacium. Ipse quoque qui substantialiter justus est et infinita justitia, deceptores et deceptiones eorum abhorret : idcirco simulatores et callidi provo- Job XXXVI, 13.
cant iram Dei, et qui sophistice loquitur, Eccli. XXXVII, 23; V, 17; II, 14.
odibilis est. Denotatio etiam pessima super bilinguem ; et, Væ duplici corde. *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.* Jubet omnipotens Dominator, ut servi et subditi mutuo conversentur pacifice, caritative, juste et pie, ne poten-
C tior opprimat infirmiorem ; nec unus alteri injurietur ; nec is qui astutior est, sub colore justitiæ alium gravet injuste. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Ex hoc patet, quam graviter peccent, qui mercenariis et operariis, servis et ancillis justam mercedem non solvunt tempore opportuno, aut aliquid subtrahunt illis : imo qui solutionem differendo, sunt aliis, quibus tenentur, causa damni, illis pro hujusmodi damno satisfacere obligantur : nec dimittitur peccatum,
D nisi restituatur ablatum, aut recuperetur damnum ita illatum. Hinc juxta Scripturam, qui defraudat mercenarium, et qui Ibid. XXXIV, 27.
sanguinem fundit, fratres sunt. Jacobus quoque apostolus : Ecce, inquit, merces Jacob. V, 4.
operariorum vestrorum quæ fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Denique, his qui nobis spiritualia seminant, temporalia stipendia prompto ac celeri animo sunt præstanda. *Non maledices surdo :* quia nec absenti est maledicendum, et surdo com-

Digitized by Google

patiendum. Ei vero qui aures audiendi non habet, bona gratiæ imprecemur, ut cum obtemperatione audiat verbum Dei, et ti- Ps. LXXXIV, 9. meat. Audiat item quid in ipso loquatur Dominus Deus, et quid ei inspiret angelus bonus.

Juste judica proximo tuo. Hoc est quod Joann. VII, 24. ait Salvator : Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Qui I Joann. III, 15. enim odit fratrem suum, homicida est. Et sicut summa virtus est caritas, sic maximum peccatum est odium. *Sed publice* B *argue eum* ex caritate et pietate cum discretione. Hoc est quod Christus præcepit : Matth. XVIII, 15. Si peccaverit in te, id est te sciente, frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Prov. XXVIII, 23. In Proverbiis quoque asseritur : Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per blan- Ps. CXL, 5. dimenta decipit. Et Psalmista : Corripiet me, inquit, justus in misericordia, et arguet me. Correptus vero, cum omni patientia et gratiarum actione increpationem, tanquam interioris suæ læsionis ac C mortis medelam, accipiat, efficaciterque emendet. *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* O saluberrimum documentum ! dogma non solum Mosaicum, sed evangelicum quoque ! Ait Marc. XI, 25, 26. namque Salvator : Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem. Quod si non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. Hinc in Ecclesiastico legi- Eccli. XXVIII, 1. tur : Qui vindicari vult, a Deo inveniet vin- Prov. XX, 22. dictam. Et Salomon ait : Ne reddas malum D pro malo ; exspecta Dominum, et liberabit te. Itaque væ, et æternum væ illis, qui tam faciliter irascuntur, et difficulter ignoscunt, imo memoriæ suæ inscribunt, si eis Matth. VII, 2. in aliquo forefiat ! Etenim qua mensura mensurant, remetietur eis.

Jumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus : id est, carnales ac brutales sensualitatis tuæ motus, non permittas in actum procedere cum motibus alienorum. *Agrum tuum non seres*

A *diverso semine.* Per agrum cor potest intelligi, vel grex ovium Christi. Hi agri non sunt diverso semine seminandi, hoc est, documentis catholicis atque hæreticis instruendi, aut moribus sæcularium simul cum moribus virtuosorum instituendi, nec prudentia carnis cum prudentia spiritus est miscenda, ita nec amor mundi cum amore Dei. *Vestem quæ ex duobus texta est, non indueris.* Vestis animæ, est operatio ejus. Vestis autem ex duobus contexta, est operatio apparenter bona et foris B clara, intus autem infecta, et ex vana emanans intentione. *Ne prostituas filiam tuam :* id est, animam tibi commissam, nec verbis, nec actibus, nec omissionibus scandalizes, ita ut dæmonum incidat manus, et constupretur ab eis.

Nolite facere iniquum aliquid in judicio. Contra hoc agunt temerarie judicantes, qui propria mala excusant, extenuant, et se ipsos justificando, interpretantur illa in melius, aliorum autem facta in pejus. *In regula.* Contra hoc agunt, qui aucto- C ritates Scripturæ ad suum flectunt propositum, et per earum expositionem non rectam, culpas suas colorant, et alios gravant. *In pondere.* Contra hoc faciunt, qui festucam cernunt in oculis proximi, trabem Matth. VII, 3. autem in oculo suo non intuentur ; item scrupulosi nonnulli, et aliqui excæcati, qui de parvis culpis aut etiam rebus non malis, grandem sibi conscientiam pariunt, et mala pejora dissimulant. *In mensura.* Contra hoc peccant, qui fortia docent, et nec minora adimplent ; qui item instar D Scribarum et Pharisæorum imponunt gra- Ibid. XXIII, 4. via aliis, quæ ipsi nec digito suo curant movere.

Præterea circa istud capitulum aliqua scribit Rabbi Paulus, et primo quærit, cur Moyses hic resumit præcepta Decalogi. Quocirca reprobat responsionem dicentium, quod ideo, ut ea fortius imprimat cordibus hominum : quia ut ait, Moyses non loquitur hic ut repetitor, sed præcipit ista quasi antea ea non præcepisset, saltem sub forma qua hic traduntur. Deinde aliam assi-

Digitized by Google

gnat rationem, inter cetera dicens : In A dationc legis, populus Judæorum fuit non solum rudis, sed etiam noviter incipiens in disciplina virtutum: idcirco non fuit eis pro tunc expressus modus servandi illa præcepta, prout cadere possunt sub lege divina, videlicet ut præcepta illa ex interiori motu tanquam volentes et eligentes implerent; sed solum fuerunt eis proposita, saltem pro majori parte, quoad actus exteriores, prout possunt cadere sub lege humana, quæ de exterioribus tantum judicat. In hoc autem loco, quum populus B ille esset jam magis eruditus, præcepta Decalogi iterantur cum expressione modi quo observanda sunt, ut scilicet ex interiori motu ad exteriora virtutum opera procederetur. Nam circa parentum obsequia, in datione legis dicitur, Honora patrem tuum et matrem tuam : quod præceptum per solos exteriores actus potest impleri, quia honor qui est exhibitio reverentiæ, in solo exteriori actu consistit, in quo signa reverentiæ exhibentur. Porro, in hac hujus præcepti iteratione dicitur, Unus- C quisque patrem suum et matrem suam timeat. Timor autem essentialiter consistit in actu interiori, quod est difficilius impleri quam primum. Et in isto tangitur modus implendi præceptum hoc, ut scilicet parentes honorentur ex timore filiali et reverentiali. Idem patet in secundo præcepto hic tradito, quum dicitur, Sabbata mea custodite. In prima vero traditione singulariter dicitur, Memento ut diem sabbati sanctifices. Perfecta autem sabbati quies, debet esse per cessationem ab omni opere D servili, carnali. De prohibitione quoque idololatriæ dicitur hic, Nolite converti ad idola : ubi interior actus circa idolorum culturam prohibetur, quod in prima traditione non fuit expressum. Similiter de prohibitione homicidii dicitur hic, Non stabis contra sanguinem proximi tui : ubi consilium et auxilium occidendi vetantur, quæ non videntur in prima traditione prohibita.

Insuper dicit hic Rabbi Paulus : Præceptum de dilectione proximi, prout in lege divina traditur, non est de præceptis juris naturalis, primo per se notis. Manifestum est enim, quod talia præcepta prima juris naturalis, sunt eadem apud omnes. Constat autem quod præcipui philosophi, qui de naturali dictamine rationis maxime scrutati sunt, hoc non invenerunt. Nam tractantes de amicitia quæ apud eos virtus est, ipsam posuerunt solummodo inter bonos et virtuosos.

Hæc et alia multa scribit hic Rabbi Paulus, cujus verba non videntur pro magna parte salvari. Nempe quod ait, in prima præceptorum Decalogi traditione non fuisse expressum modum servandi illa præcepta, prout cadere possunt sub lege divina, videlicet, ut præcepta illa ex interiori motu tanquam volentes et eligentes implerent, sed solum fuerunt eis proposita, quoad actus exteriores, saltem pro majori parte, prout cadere possunt sub lege humana : istud, inquam, videtur omnino irrationabiliter et inconsiderate prolatum. Omnis etenim legislator dat præcepta sua secundum exigentiam finis suæ legis, hoc est, secundum quod per observantiam præceptorum suorum, subditi sui possunt pertingere ad finem, ad quem intendit eos perducere per suæ legis impletionem. Finis namque, secundum philosophos, imponit necessitatem his quæ sunt ad finem; atque secundum finis exigentiam, media disponi necesse est. Finis autem legis divinæ, non solum evangelicæ, sed item Mosaicæ, est vera et æterna felicitas, quæ sola est digna et plena merces dilectionis divinæ, quæ in Mosaica quoque præcipitur lege, dicente : Diliges Dominum Deum tuum ex toto *Deut.* VI, 5. corde tuo. Ad hunc autem finem observantia præceptorum Decalogi, neminem unquam perducere quivit, nisi in quantum illa præcepta ex interiori motu voluntatis ea sponte implere volentis, et mentis sibi præeligentis observabant.

Prætcrea Deus jussit præcepta illa impleri, secundum quod eorum impletiones sunt actus virtuosi et meritorii, præsertim de affirmativis loquendo præceptis : imo

Digitized by Google

præcepta illa, secundum quod primo sunt tradita, sunt præcepta justitiæ secundum doctores communiter. Intentio quoque legislatoris est, populum suum facere virtuosum. Denique præcepta Decalogi secundum quod primo sunt data, duabus tabulis sunt inscripta, et in forma illa permanent usque in præsens, et sufficienter sunt tradita, secundum quod per eorum impletionem Deo placeretur; et secundum formam illam cadunt sub lege divina, et pertinent ad eamdem tanquam prima et principaliora ejus præcepta, per quorum impletionem Deus voluit et intendit interiora populi sui purgare et reformare, et suæ majestati serviri ab eis : quod esse non potuit, nisi secundum quod observabantur ex interiori cordis affectione, et mentis deliberatione atque proposito.

Amplius, in prima præceptorum traditione Deus intendebat sibi Synagogam per caritatem unire, imo et desponsare, acceptamque facere per observantiam præceptorum secundum sensum et formam seu modum quo tradidit, prout Sancti communiter dicunt, præsertim Hieronymus, atque in Ezechiele satis describitur. (*Ezech.* XVI, 8 *et seq.*) Istud autem nequaquam verum esset, nisi in prima illa traditione expressus esset modus servandi Decalogum. At vero hoc ipsum ex textu monstratur, quoniam in Exodo legitur, qualiter Dominus decem præcepta daturus, ita exorsus est loqui ad Synagogam seu Israeliticam plebem : (*Exod.* XX, 2, 3.) Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Non habebis deos alienos coram me. Quasi dicat : Me solum habebis, coles, et adorabis pro vero Deo; ceteros qui dii vocantur, refutabis adorare et colere latriæ cultu. Hinc subjungitur ibi in textu : (*Ibid.* 4, 5.) Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, etc. Non adorabis ea nec coles. Cujus præcepti rationem protinus subdit ibidem : Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, etc. Porro zelotes proprie nuncupatur, amator volens solus amari : idcirco secundum doctores præcipuos, Alexandrum, Thomam, Albertum et ceteros, ita est sensus : Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, id est, ideo tibi alienorum deorum cultum et adorationem prohibeo, quoniam ego solus sum verus Deus et Dominus tuus, qui instar sponsi et mariti seu amatoris zelotypi, volo a fidelibus animabus solus amari, adorari, amplecti, et coli ut Deus et sponsus, ita ut in derogationem et minorationem mei amoris, nil mecum ametur : propterea plebi et sponsæ meæ prohibeo cum aliis diis fornicari, sicut sponsus sponsam suam non patitur alteri commisceri. Ecce clarissime in prima hujus traditione præcepti evidenter exprimitur modus servandi ipsum, ut scilicet ex interiori cordis intentione et affectu, Deus verus colatur et adoretur. Idcirco quoque in isto præcepto vetatur conversio mentis ad idola.

Denique, quum in actu exteriori non sit culpa aut meritum, seu aliquid virtutis aut vitii, nisi ex interiori mentis dispositione, secundum doctores, constat quod Deus in prima Decalogi datione eo modo jubet se adorari et coli, quo adoratio sui et cultus procedunt ex interiori mentis conversione ad ipsum et ex virtute. Eo etiam modo prohibet alienos deos coli et adorari, secundum quod hoc fieret ex cordis conversione ad illos. Insuper istud evidenter probatur ex prima traditione præcepti de celebratione sabbati, quum in prima ejus traditione Dominus ait : Memento ut diem sabbati sanctifices. Reminisci enim est actus interior, et verus hujus præcepti intellectus a Deo intentus est, ut dies ille solennis in virtuosis et sanctis operibus expendatur. Similiter Deus præcepit honorari parentes, secundum quod honoratio illa est actus virtutis, nec aliter placet Deo. Possent autem et alia quasi innumerabilia, verbis Rabbi Pauli objici, quæ dimitto.

Denique, quod non obstante populi ruditate, Deus in prima Decalogi datione intenderit populum illum inducere, imo et obligare ad observantiam præceptorum illorum cordialem, ex interiori promptitu-

Digitized by Google

dine et affectu atque proposito emanantem, declaratur ex ipsa Scriptura canonica. Nam in Exodo describitur, qualiter Deus volens populo dare decem præcepta, primo vocavit Moysen in altitudinem montis Sinai, *Exod.* XIX, 3-6. et dixit ad eum : Hæc dices filiis Israel : Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, et assumpserim vos mihi. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus, et eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Palam est autem, quod verba illa de sola exteriori auditione vocis Dei non possint intelligi, nec pactum seu fœdus Dei initum cum Hebræis, poterat sine interiori commemoratione et electione ac volitione servari, nec pro sola exteriori auditione ac impletione filii Israel esse promeruerunt præ ceteris gentibus peculium Dei et gens sancta. Deinde post hæc in Exodo narratur, qualiter Deo jubente, Moyses descendit de monte ad populum, *Ibid.* 7 *et seq.* verbaque Dei retulit eis. Quumque respondissent, Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, Moyses retulit verba eorum ad Dominum. Qui dixit ad Moysen : Vade, et sanctifica populum hodie A et cras ; laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium. Deinde recitatur ibidem, qualiter tertio die cœperunt de monte audiri tonitrua, micareque fulgura, et ignis operuit montem. Quæ omnia fiebant, ut populus cum majori reverentia, timore et attentione præcepta Dei susciperet et impleret. *Deut.* IV, 10. Unde et Moyses paulo post dixit : Ut probaret vos, venit Deus in igne, et ut terror illius semper in vobis sit. *Exod.* XX, 20.

Præterea, quod proximum diligere quasi se ipsum, sit de lege naturæ, doctores B fatentur concorditer. Philosophi quoque dixerunt hoc. Nam et vitiosos conabantur a vitiis ad virtutes retrahere, quod non fecissent, nisi amassent eos. Porro amicitiam quæ fundatur in bono honesto, et relationem includit, secundum quod Avicenna et Algazel in suis metaphysicis scribunt, dixerunt philosophi inter virtuosos dumtaxat haberi : quod etiam nos fatemur. De his brevitati studens pertranseo, quum et certum sit istud, dicente sancto Ambrosio : Nihil tam secundum naturam, sicut amare C consortem naturæ ; in Ecclesiastico quoque dictum sit : Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi, etc. *Eccli.* XIII, 19.

ARTICULUS XXXIX

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

QUÆ octavodecimo capitulo jussa sunt sine adjectione pœnæ transgressoribus infligendæ, nunc repetuntur cum appositione hujusmodi pœnæ : et ibi expressa sunt ista præcepta sine pœnæ expressione, ad innuendum, quod Deo sit obediendum, eo ipso quod ipse sic præcipit, et propter suæ majestatis honorabilitatem, suamque bonitatem et sanctitatem, et solo ejus intuitu ac amore ; sed quia perpauci sic serviunt Deo, nunc pœna adjicitur, ut vel pœnarum formidine obedire incipiant, qui D amore boni hoc facere renuunt. Exprimuntur quoque pœnæ vitæ præsentis potius quam gehennæ, quoniam rudes, imperiti et imperfecti in fide, magis moveri videntur horrore suppliciorum vitæ quæ nunc est, quam futuræ. Nam et pro peccatis suis cogitant se postmodum confessuros ac benefacturos.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Hæc loqueris filiis Israel : Homo de filiis Israel, et de advenis qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo

Digitized by Google

Moloch. Qualiter autem dupliciter possit intelligi datio ista seminis proprii idolo Moloch, in litterali expositione capituli octavidecimi est inductum. (*Lev.* XVIII, 21.) *Morte moriatur :* secundum quod subditur, *Populus terræ lapidabit eum,* id est filii Israel in terra eis promissa morantes, quibus crimen hoc innotuerit, quum fuerit satis probatum et dijudicatum. *Et ego ponam faciem meam contra illum,* id est, rigorose et indignanter eum adspiciam ; *et succidam eum de medio populi sui,* auferendo eum per mortem, ita quod ultra non gignet ; *eo quod dederit de semine suo Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum,* id est, templum seu tabernaculum Dei inhonoraverit, offerendo superstitiose alteri quam vero Deo, cui in sanctuario suo est immolandum. Qui autem in loco consecrato vero Deo tale quid egerit, præcipue locum sanctum contaminat : quod filii Israel sæpe fecerunt in templo a Salomone constructo, prout in libris Regum et Paralipomenon recitatur. (IV *Reg.* XVI, 10 *et seq.*; XXI, 5, 7.) Circa hoc scribit quidam, quod Scriptura sacra frequentius loquitur de Moloch quam aliis idolis ; verumtamen puto quod sæpius loquatur de Baal. *Ac polluerit nomen sanctum meum,* id est, me ipsum, quantum in se est, vilipendendum monstraverit, alteri magis quam mihi sacrificando, et alios scandalizando, seu suo exemplo inducendo ad idem. Vel, Polluerit nomen sanctum meum, tam vile idolum, falsumque deum, vocando Deum sacrificiis dignum, quum soli vero Deo sit sacrificandum.

Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dederit * *de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere ; ponam faciem meam super hominem illum* dantem de semine suo Moloch, ita quod meam non evadet vindictam ; *et* super *cognationem ejus,* quæ ei in crimine tanto communicat ; *succidamque eum* * *et omnes qui consenserunt ei* in tanto facinore : et per illos consentientes, quidam intelligunt negligentes eum occidere. Unde Lyra hic

(* dedit) (* et ipsum)

A scribit : Ex quo patet, quod illi qui debent corripere crimina, si negligant, consentientes reputantur, et eamdem pœnam incurrunt. Sed contra hoc scribit Rabbi Paulus : Ex littera non habetur, quod negligentes corrigere crimina, eamdem pœnam incurrunt, sed solum si sint consentientes. Dicitur enim in littera : Succidam eum et omnes qui consenserint ; non dixit, Et omnes qui neglexerint. Ex quo patet, quod negligentes, licet sint digni pœna, non tamen eamdem pœnam incurrunt quam transgressores, nisi cum hoc sint consentientes.

B Quocirca dicendum videtur, quod verba Lyræ satis caute prolata sunt. Illi qui debent corripere crimina, utpote quibus ex officio vel præcepto incumbit, ut in proposito, si negligant, consentientes reputantur, id est, æquivalenter tantumdem est ac si consentiant, quamvis non semper consentiant formaliter et directe : et eamdem pœnam incurrunt, quia mortaliter peccant negligendo seu omittendo quod

C eis præceptum est ; imo interdum culpabiliores censentur, quam qui peccaverunt, secundum quod asserit Augustinus : Si increpare neglexeris, pejor peccante efficeris. Præterea, quod negligentes corripere, eamdem pœnam incurrent, præsertim si præsint, videtur ex eo quod per Ezechielem Dominus bis testatur de speculatore vidente gladium venientem et tacente, quod sanguinem pereuntis requisiturus exsistat de eo. (*Ezech.* III, 17 *et seq.*) Imo qui pluribus præest, interdum gravius peccat, dum plures sub-

D ditorum suorum scit reos esse, nec corripit eos, quam aliquis eorumdem. Aliquando etiam gravius peccat non corripiendo, quam alius solum consentiendo. Verumtamen loquendo in generali, vitiosius puto consentire peccato alterius, quam non corripere illud.

Anima quæ declinaverit ad magos et ariolos ad sciscitandum aliquod secretum ab eis, ut per magicam artem aut ariolationis practicam, accipiat responsionem. Ideo subditur : *et fornicata fuerit cum eis,* id

Digitized by Google

est, in tali scelere communicaverit eis, vel etiam magis dumtaxat, aut ariolis tantum, quod est fornicatio spiritualis, puta recessus ab unione Sponsi cœlestis, et voluntatis commixtio cum adulterante secum diabolo; *ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui :* quia faciam eam occidi per homines judices, aut per angelum bonum vel malum, nisi forsan pœnitendo evaserit : et sumitur nunc anima pro homine. Quid autem sit declinare ad magos sive ariolos, in expo-
Lev. xix, 31. sitione præcedentis capituli patuit.

Sanctificamini et estote sancti, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, et facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos. — Qui maledixerit patri suo aut matri, contra præ-
Exod. xx, 12. ceptum præcedenti capitulo et in Exodo positum, *morte moriatur,* præsertim si ex deliberatione aut certa malitia vel consuetudine fecerit hoc. Quo constat enormitas sceleris hujus, quod et ingratitudinem nimium magnam includit. Unde pro confirmatione et exaggeratione istud repetitur. *Patri matrique qui maledixerit,* aut uni eorum, *sanguis ejus sit super eum,* id est, causa suæ occisionis imputetur ei.

Consequenter in littera pro variis cri-
Lev. xviii, 6 *et seq.* minibus mors infligi jubetur, et capitulo octavodecimo præcepta vitiorum illorum prohibitiva, exposita sunt. In duobus quoque casibus jubetur pecus, cum quo peccatum commissum est, occidi, in detestationem majorem tam innaturalium vitiorum, et ne inspectio bruti talis, alicui pariat imaginationem fœdissimam. *Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit ignominiam fratris ; nefariam rem operati sunt : occidentur in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, et portabunt iniquitatem suam :* si super hoc fuerint convicti in foro judicii et dijudicati, et ex proposito, id est, absque rationabili causa id egerint. Secus, si improvise aut necessaria causa. *Qui coierit cum muliere*

A *in fluxu menstruo,* id est durante fluxu sanguinis menstrualis, *et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui,* ita quod sponte hoc sustinet, *interficientur ambo,* quum in judicio fuerit comprobatum, et scienter commiserint. De hujus criminis prohibitione, prohibitionisque causa, in expositione capituli quintidecimi dictum est. *Turpitudinem materteræ tuæ et amitæ tuæ non discooperies. Qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit; portabunt ambo iniquitatem*
B *suam. Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ,* id est personæ sibi affinis, vel ejus quæ fuit una caro cum patruo aut avunculo suo, sicque ignominia talis feminæ, fuit ignominia viri sui propinqui coeuntis cum illa ; *portabunt ambo peccatum suum,* id est mortem, quæ eis infligetur pro tali incestu aut etiam adulterio, si priori marito vivente contingat. *Absque liberis,* id est sine legitimo partu et successore hereditatis, *morientur :* vel sobolem
C acquirere sunt indigni, seu justo judicio subtrahetur. *Qui duxerit uxorem fratris sui,* illo vivente, aut etiam mortuo, si semen reliquerit ; *rem facit illicitam ; absque liberis erunt,* juxta expositionem prætactam ; et inter tales non est matrimonium verum, ut patet ex introductis in elucidatione capituli octavidecimi.

Custodite leges meas atque judicia, et facite ea ; ne et vos evomat terra, quam intraturi estis et habitaturi, id est, ne propter vitia vestra violenta morte ejiciamini ex
D hac terra, tanquam vile atque superfluum quid in ea, sicut de corpore animalis violenter ejicitur superflua indigesta fœda materia. *Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, et abominatus sum eas. Vobis autem loquor : Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hereditatem, terram fluentem lacte et melle. Ego enim Dominus Deus vester, qui separavi vos a ceteris populis* habitatione et loco, circumcisione et legis traditione,

Digitized by Google

fide et conversatione. *Separate ergo et vos* A
jumentum mundum ab immundo, et avem
mundam ab immunda, id est, ea quæ se-
cundum legem prohibita sunt comedi aut
offerri, non comedatis nec immoletis ; *ne*
polluatis animas vestras in pecore et avi-
bus et cunctis quæ moventur in terra, et
quæ vobis ostendi esse polluta. Circa hoc
scribit Lyra : In Hebræo habetur, Separa-
te bestiam mundam ab immunda. Jumen-
tum enim proprie dicitur, quasi juvamen-
tum, utpote animal quod deservit homini
tantum in laborando, ut equus, asinus et B
consimilia, quæ omnia sunt quoad esum
immunda : ideo distinctio mundi ab im-
mundo, in jumentis locum non habet. Cir-
ca quod dico, quod secundum expositores,
jumentum dicitur quasi juvamentum, quia
deservit homini ad necessaria vitæ seu ad
labores. Sed non est de ratione jumenti
proprie dicti, quod solum deserviat homi-
ni ad labores ; imo bos proprie loquendo
est jumentum, qui tamen est animal mun-
dum comestibile ac immolaticium : idcirco
translatio ista est apta, et distinctio hæc C
in jumentis locum sortitur. *Eritis mihi*
sancti, quia sanctus sum ego Dominus,
et separavi vos a ceteris populis, ut essetis
mei, id est ad majestatis meæ honorem,
quia cultores meos ab infidelibus volo di-
stingui magis, quam animalia munda ab
immundis.

Vir sive mulier, in quibus pythonicus
vel divinationis fuerit spiritus, id est, qui
ex subsidio dæmonis sponte et libere ex-
ercuerit magicam artem a Pythone inven-
tam, vel futura prædixerit ; *morte morian-*
tur : et qua morte, subjungitur, *lapidibus*
obruent eos. Sanguis eorum sit super illos.
Istud (ut ait Guillelmus) præcepit Deus, ne
per divinationem pythonicam ad idolola-
triam declinarent Judæi. Python quippe,
qui alio nomine appellatur Apollo, magi-
cam quamdam reperit artem, qua mortui
suscitati videntur, quia in eorum similitu-
dine seu persona aliquis dæmon apparet :
quod incantationibus agitur. Interdum vero
per vivos dæmon revelat futura, et tales
vivi dicuntur spiritum pythonem habere,
id est spiritum divinationis, cujus auctor
fertur Apollo fuisse. Sicque dupliciter con-
tingit divinatio illa pythonica, scilicet per
mortui apparitionem præstigialem, et per
alicujus vivi revelationem, per quem spi-
ritus malus prædicit quædam futura : imo
et hoc quoque duobus accidit modis. In-
terdum enim homo talis est arrepticius
sive obsessus, ita quod sine sua procura-
tione spontanea prædicuntur per ipsum
futura : et hoc potius habet rationem pœ-
næ quam culpæ, nec de talibus pythonicis
loquitur hic Scriptura. Talisque fuit puella *Act.* XVI, 16, 18.
pythonissa, de qua in Actis legitur, de qua,
Paulo jubente, exiit spiritus nequam. In-
terdum vero est sanæ mentis, voluntarie
utens hujusmodi arte, qualis exstitit mu- I *Reg.* XXVIII, 7 *et seq.*
lier pythonissa, de qua primo Regum ha-
betur. Et de talibus est nunc sermo.

Spiritualis demum hujus capituli sensus
ex præhabitis innotescit.

ARTICULUS XL

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI PRIMI : DIXIT QUOQUE DOMINUS AD MOYSEN.

MODO traduntur quædam præcepta sa- D
cerdotes concernentia, qualiter de-
beant ab exteriori immunditia, corporali-
que defectu esse immunes, ut per hoc
insinuetur, qualiter intus debeant esse sin-
ceri : imo et quam virtuosi ac sancti esse
debeant legis evangelicæ sacerdotes, in
quorum figura, præcepta nunc exponenda

Digitized by Google

sacerdotibus legalibus sunt præfixa. *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Loquere ad sacerdotes filios Aaron,* ipso pontifice inferiores, *et dices ad eos : Non contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum,* id est, nullus sacerdotum inferiorum incurrat inidoneitatem intrandi sanctum locum et sacrificandi in eo, ingrediendo ad aliquem defunctum in urbe seu villa habitationis suæ, *nisi tantum in consanguineis ac propinquis, id est super patrem et matrem et filios ac filias, fratrem quoque et sororem virginem, quæ non est nupta viro,* id est, ad has personas defunctas poterit ingredi, et earum interesse funeribus : et tamen ex hoc contaminabitur, præfatam irregularitatem incurrendo, a qua per adspersionem aquæ expiationis indigebant purgari. *Sed nec in principe populi sui contaminabitur,* id est, ad ejus funus et sepelitionem non ingrediatur, ne maculetur.

Circa hoc scribit Thomas in prima secundæ : Malefici et sacerdotes idolorum, in suis ritibus utebantur ossibus seu carnibus hominum mortuorum : ideo ad exstirpandum idololatriæ cultum, præcepit Dominus ut sacerdotes minores, qui certis temporibus ministrabant in sanctuario, non inquinarentur in mortibus nisi valde propinquorum. Pontifex autem semper debuit esse paratus ad ministerium sanctuarii : ideo ei prohibitum fuit accedere mortuum, quantumcumque propinquum. De eadem materia libro de Fide et legibus scribit Guillelmus : Mortuos generaliter, tam viros quam mulieres, immundos esse lex voluit, ut elongaret populum Israel a ritu funerandi quem habebant idololatræ, et ab operibus maleficis ac necromanticis, quorum multa legimus : ideoque qui tangeret mortuos, esset immundus. Sacerdotes autem prohibiti sunt intrare ad mortuos, præterquam ad sex, ad quos introire permissi sunt, ne lex videretur nimis inhumana et dura. In Numerorum quoque libro legitur, mortuum esse immundum, et tabernaculum omnemque supellectilem ejus, et eos qui ingrediuntur tabernaculum illud. (*Num.* XIX, 13, 14.)

Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras. Istud supra legitur filiis Israel generaliter esse prohibitum, propter causas ibi expressas; (*Lev.* XIX, 27, 28.) nunc vero specialiter sacerdotibus prohibetur, qui præ ceteris debuerunt ab idololatris et curiosis ac vanis hominibus esse distincti. Et quod nunc dicitur, Non radent caput, non est intelligendum quod novacula nunquam ascenderet caput eorum, sicut de perpetuis nazaræis fuerat jussum, sed (*Num.* VI, 5.) ne in rotundum attonderent caput, prout capitulo nonodecimo continetur. Unde in Ezechiele habetur : Caput non radent, nec comam nutrient, sed tondentes attondent capita sua; (*Ezech.* XLIV, 20.) utpote medium observantes inter omnimodam abrasionem et immoderatam prolongationem. Unde Septuaginta transtulerunt ibidem : Et comas non ad pressum tondebunt. *Sancti erunt Deo suo,* id est, cum speciali munditia Deo vacabunt, præsertim tempore ministerii sui. *Et non polluent nomen ejus. Incensum enim Domini et panes Dei sui,* id est panes Domino consecratos, *offerunt; et ideo sancti erunt,* id est, esse tenentur et merito essent, quamvis sæpe contingat oppositum. Hæc equidem sunt præcepta, quamvis per modum præcepti non exprimantur.

Scortum et vile prostibulum non ducet uxorem, id est meretricem seu prostitutam, quia hoc vergeret in dedecus sacerdotis, *nec eam quæ repudiata est a marito,* quia de illa habetur suspicio mali, quamvis forte immunis sit; *quia consecratus est Deo suo :* ideo ab exteriori quoque vilitate et fœditate debet cavere. Inhonestas autem uxoris redundat in virum, quum una sint caro. Redundat quoque in sobolem. Hinc asserit Thomas : Præceptum est etiam eis, ne ducerent uxorem meretricem aut repudiatam, sed virginem : tum propter reverentiam sacerdotum, quorum dignitas ex tali conjugio videretur quodammodo minui; tum propter eorum filios, quibus esset ad ignominiam turpitudo matris, quod tunc maxime erat vitandum, quando sacerdotii dignitas secundum successionem generis

Digitized by Google

conferebatur. Hæc Thomas. Verumtamen A viduatam a sacerdote poterat sacerdos accipere, ut in Ezechiele conscriptum est. *Et panes propositionis offeret. Sit ergo sanctus, quia et ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos.*

Ezech. XLIV, 22.

Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, id est, probari possit quod sponte se permisit violari seu deflorari, *et violaverit nomen patris sui,* id est, patrem suum sacerdotem tam graviter inhonoraverit : quia in patris sui improperium specialiter hoc redundat, qui cum omni sobole sua B debuit præcipua honestate pollere ; *flammis exuretur :* quia gravius peccavit quam aliæ virgines violatæ, quæ nec tam graviter puniebantur, nisi fuissent viro addictæ seu affidatæ. Unde nec verum videtur, quod aliqui dicunt passum istum intelligendum esse de filia sacerdotis affidata, non de omnino libera ab affidatione.

Consequenter traduntur ad pontificem pertinentia. *Pontifex, id est sacerdos maximus* dignitate *inter fratres suos,* id est consanguineos seu reliquos sacerdotes, *super cujus caput fusum est unctionis oleum,* C *et cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet,* illud nudando instar aliorum defunctos lugentium. Unde cidarim a capite suo non deponet illa ex causa. Ex eadem quoque causa *vestimenta* sua *non scindet.* Legitur autem pontifex in Christi passione vestes suas scidisse, quasi blasphemiam audire non valens, nisi in signum doloris scinderet vestimenta. *Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino,* D id est ad nullum defunctum, imo nec ad parentes, sicut subjungitur. *Super patre quoque suo et matre non contaminabitur,* id est, ad eos jam mortuos non intrabit, ne contaminetur modo prætacto, et multo minus intrabit ad alios jam defunctos. Circa hoc loquitur Augustinus : Quare pontifex prohibetur super funus patris sui intrare, quum esse non potuerit summus sacerdos, nisi patre suo defuncto, cui lex jubet eum succedere ? Sed necesse erat nondum sepulto pontifice, statim substitui alium, propter continuationem incensi. *Nec egredietur de Sanctis,* id est, de sanctuario non exibit prosequendo funus parentum ad sepeliendum. Si autem objiciatur, quod istud videatur pietati contrarium, quæ defunctis, præsertim parentibus et propinquis, debetur : dicendum, quod una virtus aliquando cedit alteri (potissimum inferior superiori) ex rationabili causa, sicque in proposito, misericordia caritasque fraterna cedunt et deferunt caritati divinæ ac latriæ. *Ne polluat sanctuarium Domini,* id est, ne inhonoret tabernaculum Dei aut templum, in quod redundat inquinatio summi ministri ipsius. Nam locus seu habitaculum ex suo habitatore dicitur clarificari aut vilificari. *Quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est,* id est, super caput ipsius in sua consecratione fusum est sanctæ oleum unctionis, sicut capitulo octavo patuit. Hinc præcipua debet honestate ac puritate pollere, et jugiter esse paratus ad consistendum ac ministrandum in templo. *Ego Dominus.*

Virginem ducet uxorem. Viduam autem et repudiatam et sordidam, id est fœdam aut monstruosam, *et meretricem,* id est ullam talem, *non accipiet* conjugem, *sed puellam virginem de populo suo.* Per populum suum, quidam intelligunt tribum Leviticam, ita quod sine dispensatione non licuerit pontifici sumere contoralem de alia tribu. Unde et Lyra ait : Hoc fuit institutum a principio ; tamen fuit concessum ut posset accipere de regia stirpe, scilicet tribu Juda, propter illius stirpis nobilitatem, et ut rex qui præest in temporalibus, et summus sacerdos qui præest in spiritualibus, essent magis concordes, quod profuit ad bonum regimen plebis, atque ut reges per familiaritatem sacerdotum essent magis edocti in lege divina. Talis quoque conjunctio videtur concedi per hoc quod subditur : *Non commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ,* id est, se ipsum aut successorem suum non jungat matrimonialiter communibus de

Digitized by Google

populo Israel. Per quod concedi videtur A cum regia stirpe commixtio. His verbis Lyræ contradicit Rabbi Paulus : Per hoc, inquiens, quod dicitur, De populo suo, non intelligitur de genere sacerdotali vel Levitico tantum. Nunquam enim (ut credo) legitur fuisse prohibitum summo sacerdoti contrahere cum virgine de quacumque alia tribu. Nec in hoc fuisset dispensatum cum eo. Quod vero dicitur, Non commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ, in Hebræo habetur, Non polluat : quod intelligitur facere, si commisceret se ali- B cui prædictarum personarum sibi prohibitarum. *Ego Dominus qui sanctifico eum.*

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad Aaron, præcipiendo ei ex parte mei : *Homo de semine tuo per familias,* id est, per quamcumque familiam descendat a te et a posteris tuis, *qui habuerit maculam,* id est monstruositatem aut notabilem defectuositatem, aut deformitatem per quam quis fit contemptibilis in aliorum adspectu ; *non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus,* C id est, sacerdotale officium exsequi non præsumat, ne ex ejus deformitate sacerdotale officium vilipendatur. Si enim hujusmodi macula fuit in sacrificiis seu animalibus immolandis vitanda, quanto magis in sacrificantibus Dei ministris? Nec accedet ad ministerium ejus. Quasi dicat, Non omnes qui de sacerdotali sunt genere, apti sunt esse sacerdotes, et actum sacerdotii adimplere, seu consecrari in sacerdotes. Glossa : Oportet sacerdotem animo et conversatione esse immaculatum, quem sicut D Moyses præcepit esse immunem a duodecim maculis (secundum Septuaginta), sic Paulus monuit eum conservare virtutes
I *Tim.* III, 3. duodecim, dicens : Non iracundum, non vinolentum, etc. Est enim Dei dispensator, qui subjectis debet præminere virtutibus.

Deinde exprimuntur deformitates istæ in speciali. *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus ; non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.* Hic planus est textus. Quæ autem in eo aliquam habent obscuritatem, paulo post exponentur. *Vescetur tamen de panibus qui offeruntur in sanctuario,* id est in atrio a populo, quia hereditatem non habet, sicut nec sacerdotes ; *ita dumtaxat, ut intra velum templi non ingrediatur,* id est in Sancta sanctorum, etiamsi sit primogenitus pontificis, *nec ad altare accedat* ad offerendum in eo ; *quia maculam habet, et contaminare non debet sanctuarium meum,* id est inhonorare, faciendo ibidem quod ei prohibitum est. *Ego Dominus qui sanctifico eos,* videlicet sacerdotes, determinando qui debeant mihi in sacerdotes consecrari, quos et dedico cultui meo in templo, non alios : ideo alter non ingerat sese.

Circa hoc advertendum, quod Magister in historiis ait : Sacerdotes habuerunt tria genera panum, videlicet panes sacerdotales, et Leviticos, ac laicos. Sacerdotales erant panes propositionis, qui de publico sumptu fiebant, quibus vesci solis sacerdotibus licuit. Panes Levitici seu offertorii erant, quibus soli de genere Levi vescebantur, et etiam hi, qui propter maculam non poterant ministrare in sanctuario ; et filiafamilias, sed non uxorata, vel vidua, aut repudiata, nisi necessitate rediret ad domum patris, ut esset quasi filiafamilias. His etiam panibus non vescebantur advena, inquilinus, et mercenarius sacerdotis ; sed verna vel empticius ejus poterat inde comedere. Laicos vero panes quicumque poterat manducare. Rursus in Scholastica fertur historia, et sumptum videtur ex Josepho : Sacerdotibus prohibuit etiam eas accipere in uxores, quæ vivunt de cauponis et pandochiis, id est de rebus venalibus in apothecis seu locis fenestræ, ubi exponuntur venalia. Pontificem vero jussit Dominus ad nullum ingredi mortuum. Unde et dominus Papa nullis exsequiis dicitur interesse ; nec parochia ejus muros Urbis excedit.

Digitized by Google

ARTICULUS XLI

DE SPIRITUALI INTELLECTU HUJUS CAPITULI VICESIMI PRIMI.

AD intelligendum clarius præinducta de sacerdotibus, et a ministerio sacerdotali prohibitis, advertendum quod in prima secundæ, quæstione 102, loquitur Thomas : Intentio legis erat inducere populum ad reverentiam cultus divini, et hoc dupliciter : uno modo, excludendo a cultu divino quidquid poterat esse contemptibile ; alio modo, apponendo ad cultum divinum omne quod videbatur ad reverentiam pertinere. Et si hoc observabatur in tabernaculo et vasis ac animalibus offerendis, multo magis observandum hoc fuit in ipsis ministris. Hinc ad removendum contemptum ministrorum, præceptum fuit ut non haberent maculam vel corporalem defectum, quia hujusmodi homines solent contemni. Hinc etiam institutum fuit, ut non sparsim ex quolibet genere ad Dei ministerium applicarentur, sed ex certa prosapia secundum generis successionem, ut ex progenie clariores reputarentur. — Fuit etiam ratio figuralis, cur propter maculam ministrare non poterant ex sacerdotibus nati : quoniam corporales illi defectus designant vitia et peccata diversa, quibus sacerdotes debent carere. Prohibetur etenim sacerdos esse cæcus, id est ignorans et indoctus. Item claudus, id est instabilis et ad diversa leviter se inclinans. Parvo quoque, grandi aut torto naso, id est indiscretus, ne per discretionis defectum excedat, plus aut minus aut perverse quid agens. Per nasum quippe, qui est perceptivus odoris, notatur discretio. Et ne sit fracto pede aut manu, id est, ne virtutem bene agendi ac proficiendi amittat. Prohibetur quoque esse gibbosus retro sive in pectore, id est elatus aut terrena superflue amans. Et lippus, ne mens ejus per carnalem obtenebretur affectum, et ne hebes sit ad intelligendum pertinentia ad suum officium. Lippitudo namque causatur ex fluxu humoris. Prohibetur item albuginem habere in oculo, id est præsumptionem candoris justitiæ in propria reputatione. Albugo enim vocatur subtilis membrana visum impediens, tenuisque pellicula, albedo et glaucitas oculorum. Et jugem scabiem, id est petulantiam carnis. Et impetiginem, quæ sine dolore corpus occupat, et membrorum fœdat decorem, per quam avaritia designatur. Aut herniosus seu ponderosus, id est pondus turpitudinis aut passionum gravamen ferens in corde, quamvis non prosequatur in opere. Et ne nimis ad inferiora afficiatur, nec turbatus sit cerebro, sed pacatus et sincerus ad proximos, atque tranquillus in domo.

Si ergo hæc vitia erant sacerdotibus illis corporales hostias immolantibus, detestanda et abjicienda : quanto magis sacerdotibus Ecclesiæ, qui superdignissimum offerunt Sacramentum ? Rursus, si corporalis macula, natos ex stirpe sacerdotali fecit indignos offerre panes solum materiales, inanimatos, et pecorum carnes : quanto magis culpæ mortalis turpitudo fœdissima, indignissimum efficit sacerdotem ad immolandum Deo Patri corpus et sanguinem unigeniti Filii sui, imo ipsum Unigenitum ejus ? Sit ergo omnis sacerdos Ecclesiæ videns, mente illuminatus a Spiritu Sancto, constans in via justitiæ, immobilis a firmitate virtutum, nequaquam in duas claudicans partes, sed regia jugiter via incedens. Sit quoque discretus in omnibus, decenter et ordinate omnia agens, et luce suæ discretionis alios efficaciter ducens ac dirigens. Non sit remissus in ope-

Digitized by Google

re, nec frigidus a spirituali affectu, non A elatus aut tumidus, non lascivus aut cupidus; sed omni humilitate, liberalitate, continentia, caritate repletus, omni pondere iræ et impatientiæ, omni onere pravæ tristitiæ carens in corde. *Non contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum,* id est, peccatis aliorum nullo modo communicet.

Præterea quæ de magno sacerdote dicuntur in textu, Origenes bene et allegorice exponit de Christo, qui vere et absolute fuit et est magnus et summus Sacerdos. De B
Luc. I, 32. quo Gabriel dixit : Hic erit magnus. Ceteri peccando facti sunt parvi. Peccatum quippe efficit hominem parvum atque exiguum ; virtus, magnum et eminentem. Quemadmodum namque corporis ægritudo reddit illud exiguum et exile, sanitas autem lætum et validum : sic ægritudo peccati reddit animam parvam et vilem ; sanitas vero interioris hominis, excellentem et magnam. Christus ergo est magnus Sacerdos inter fratres suos, id est Apostolos,
Joann. XX, 17. de quibus locutus est : Vade, dic fratribus C meis. Super cujus caput fusum est oleum unctionis : quia cordi ejus copiosissime est infusum oleum sanctæ jucunditatis, abundantia omnis superni charismatis, juxta
Ps. XLIV, 8. quod scriptum est : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. Unde per Isaiam fate-
Is. LXI, 1. tur : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Propter quod princeps ait Apo-
Act. X, 38. stolorum in Actis : Unxit eum Dominus Spiritu Sancto et virtute.

Circa hæc loquitur Origenes : Qui magnus est, non scandalizatur, sed qui pusillus est. D Qui magnus est, quodcumque viderit, quodcumque passus fuerit, non declinat a virtute. Qui autem pusillus est, occasiones quærit quomodo scandalizetur. Talibus ergo oportet nos maxime prospicere, ne labantur. An ostendes mihi de Scripturis, ubi aliquis peccator aut meriti parvi, appellatus sit magnus ? Hæc Origenes. Qui in hoc ultimo verbo insinuare videtur, quod iniqui et pusilli non vocentur magni in Scripturis canonicis. Et quamvis id raro inveniatur, aliquando tamen invenitur, quum primo Regum de Nabal legatur : Erat homo ille *I Reg.* XXV, 2. magnus nimis. Et in Zacharia : Quis tu, *Zach.* IV, 7. mons magne, coram Zorobabel ? in planum. Ubi per montem magnum, ad litteram designatur diabolus.

Denique Christus non est contaminatus in patre aut matre, quia ex Deo Patre est genitus ab æterno, nec Mater virgo eum concepit aut peperit in peccato. Hic non nisi virginem ducit uxorem, quia etsi animas peccatrices convertat et copulet sibi misericordissime, tamen antequam uniantur ei per amplexum internum, purgat et ornat easdem, atque per fidem, spem, caritatem reducit eas ad spiritualem integritatem et mentis virginitatem.

Postremo, quod dictum est, *Non egredietur de Sanctis :* secundum quod asserit Origenes et probat, non potest proprie verificari de sacerdote magno in lege, qui virginem jubetur in conjugem sumere, quam in tabernaculum non potuit introducere atque cognoscere; imo pro multis causis sanctuarium exiit. Sed Dominus noster Jesus Christus semper permansit in Sanctis : in sanctis utique meditationibus, verbis et actibus, qui sponsam, hoc est animam, valde puram et valde sinceram requirit; quia quæ ei conjungitur, unus *I Cor.* VI, 17. secum efficitur spiritus. Pulchra a Deo creata est anima. Vide quam pulchra, quæ ad imaginem et similitudinem Dei creata est. Hanc pulchritudinem videns diabolus et angeli ejus, concupiscunt; et quia sponsi ejus fieri nequeunt, cum ea meretricari desiderant : quibus si acquieverit et consenserit anima, meretricatur cum illis, et adulteros amplexatur. Si spiritus iræ, spiritus superbiæ, spiritus impudicitiæ tentaverit eam, et ipsa consenserit, meretricatur cum illis.

Digitized by Google

ARTICULUS XLII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SECUNDI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : LOQUERE, ETC.

PAUCA in isto continentur capitulo quæ præhabita non exsistant; specialiter vero nunc sermo est, qualiter filii Israel, potissime sacerdotes, se habere debuerint circa oblata. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron et filios ejus,* præcipiendo tam pontifici quam sacerdotibus reliquis, *ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel,* hoc est, ut caute se habeant circa ea quæ filii Israel per manus sacerdotum immolant, ac consecrant seu deputant mihi, ad majestatis meæ honorem; *et non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt,* hoc est, sacrificia mihi oblata per eos, non tractent irreverenter, nec redigant ea in usus illicitos: per quod talia mihi sanctificata seu consecrata, nomen sacrificii et sanctificati quasi amitterent, ipsumque nomen nominans ac nominatum, pollui et in abusum venire judicarentur. *Ego Dominus. Dic ad eos,* puta ad Aaron ejusque filios, *et ad posteros eorum:* quos vel tunc habuerunt, quia Phinees filius Eleazari fuit tunc; vel habituri fuerunt, non quod illi tunc possent hæc verba audire, sed quia hæc verba eos concernebant tempore suo. *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel, in quo est immunditia:* hoc est, quicumque de stirpe sacerdotali habens deformitatem, quæ (ut in præcedenti capitulo dictum est) facit eum ad sacerdotale officium inidoneum, si accesserit ad offerendum ea quæ populus ordinavit, et præsentavit ad ostium atrii, ut per manus sacerdotum Domino immolentur; *peribit coram Domino:* quia peccat mortaliter, et forsan plagabitur, quemadmodum percussi fuerunt Nadab et Abiu. Vel sensus est, ut isti maculati de stirpe sacerdotali, edere non præsumant de his, quorum esus licuit sacerdotibus tantum, ut fuerunt panes propositionis, qui de communi sumptu plebis offerebantur. *Lev.* x, 1, 2.

Consequenter diversi excipiuntur et prohibentur a comestione immolatorum : et hoc, quatenus hostiæ Deo consecratæ et sacerdotii dignitas, sacer locus et cultus Dei in eo, in ampliori reverentia haberentur. *Ego Dominus. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis,* juxta sensum in expositione quintidecimi capituli introductum, *non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi,* hoc est de hostiis mihi oblatis, *donec sanetur:* sicque eo sanato, cessavit in eo hæc prohibitio. *Qui tetigerit immundum super mortuo,* id est, qui immundus est ex contactu, videlicet quia tetigit aliquid quod ideo fuit immundum, quia fuit in domo mortui, dum exspiravit, et pertinebat ad ipsum : omnia namque quæ erant in domo morientis, erant immunda, ut in Numeris legitur; *et ex quo egreditur semen quasi coitus:* hoc est, qui tetigerit eum qui sustinet seminis fluxum; *et qui tangit reptile, et quodlibet,* id est quodcumque, *immundum, cujus tactus est sordidus,* id est inquinans tangentem; *immundus erit usque ad vesperum.* De hujus instituti intellectu et causis, dictum est in undecimi expositione capituli. *Et non vescetur his quæ sanctificata sunt,* hoc est immolatis. *Sed quum laverit carnem suam aqua,* id est, perfusus fuerit aqua adspersionis, *et occubuerit sol; tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est,* id est, de jure com- *Ibid.* xv, 2, 3. *Num.* xix, 14.

Digitized by Google

petit ei, tanquam de stirpe sacerdotali nato, quum impedimentum utendi suo jure fuerat deletum. *Morticinum,* id est per se mortuum, *et captum,* id est suffocatum, *a bestia,* diuque mortuum ex bestiæ laceratione, *non comedet* * natus de stirpe hac, *nec polluetur* * *in eis,* id est in esu istorum. Istud mandatum undecimo capitulo et alibi plenius continetur atque expositum est. *Custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato, et moriantur in sanctuario, quum polluerint illud. Ego Dominus, qui sanctifico eos.*

* *comedent*
* *polluentur*

Omnis alienigena non comedet de sanctificatis. Certum est quod his qui non erant natione Judæi, nec ad Judaismum conversi, non licuit vesci oblatis : idcirco nomine alienigenæ potest modo intelligi omnis non exsistens de tribu sacerdotali, demptis tamen his, qui paulo post excipiuntur. *Inquilinus sacerdotis,* id est alienus ad tempus in domo commorans sacerdotis, *et mercenarius,* qui servit sacerdoti pro mercede, nec de ejus est semine, *non vescentur ex eis :* quia sunt sui juris, nec ad sacerdotem pertinent multum. *Quem autem sacerdos emerit,* id est servus ejus empticius, *et qui vernaculus domus ejus fuerit,* id est nutritus et natus in domo atque obsequio sacerdotis ; *hi comedent ex eis,* dum fuerint mundi : nec enim sunt proprii juris, sed res ac possessio sacerdotis hujusmodi. *Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit,* id est alicui viro non exsistenti de stirpe sacerdotali ; *de his quæ sanctificata sunt, et de primitiis* Deo oblatis, *non vescetur :* quia cum marito tali facta est caro una, et emancipata a patre, idcirco de cetero conformatur marito in rebus domesticis victuque corporis. Nam conjugatorum una est mensa. *Sin autem vidua vel repudiata et absque liberis, reversa fuerit ad domum patris sui ; sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui,* id est oblatis quibus ante suam emancipationem licite utebatur, quia tunc ratio cessat præfata. *Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem.*

A *Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam,* nec est de sacerdotum progenie, *addet quintam partem cum eo quod comedit,* id est, tantum restituet, quantum sic illicite manducavit, et ultra hoc pro quinta parte tantum, pro inadvertentia et negligentia sua, quæ non excusat eum in toto ; *et dabit sacerdoti in sanctuarium,* id est, ad atrium tabernaculi deferet ista ad sacerdotem, cui sua illicita comestione intulit damnum, et ut sacerdos oret pro eo, atque illatam sibi injuriam indulgeat illi. *Nec* B *contaminabunt sanctificata filiorum Israel,* id est hi qui non sunt sacerdotes, nec eorum domestici modo prætacti, non usurpabunt oblata, *quæ offeruntur Domino ; ne forte sustineant iniquitatem sui delicti, quum sanctificata comederint,* id est, ne forsan mox puniantur antequam pœnituerint.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad Aaron et filios ejus, et ad omnes filios Israel, dicesque ad eos : Homo de domo Israel, id est natione Is- C raelita, *et de advenis qui habitant apud vos,* id est quicumque ad Mosaicam legem conversus, et inter vos commorans, *qui obtulerit oblationem suam* Deo per manum sacerdotis, *vel vota solvens,* id est oblationem ex promissione debitam exhibens, *vel sponte offerens,* puta ex devotione et supererogatione ; *quidquid obtulerit in holocaustum Domini,* quod ad Dei honorem totaliter consumebatur, *ut offeratur per vos,* id est per obsequium sacerdotum, quorum fuit hostias populi Deo offerre, D *masculus immaculatus erit,* hoc est animal masculini sexus, *ex bobus et* ex *ovibus et ex capris,* id est ex speciebus pecorum hujusmodi seu ex aliqua specie eorumdem : quia ut dictum est sæpe, ex pecoribus seu jumentis nullum animal fuit immolaticium, nisi individua trium specierum istarum. Et quoniam holocaustum fuit dignissimum sacrificium, idcirco non nisi animalia masculina poterant in holocaustum offerri, ut frequenter præhabitum est : ideo capra non notat hic sexum, sed

Digitized by Google

naturam, imo pro hirco accipitur. *Si maculam,* id est notabilem deformitatem aut monstruositatem *habuerit* animal, *non offeretis, neque erit acceptabile,* quia prohibitum est.

Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, hoc est hostiam pacificam in gratiarum actionem pro beneficio dato, vel in postulationem pro beneficio dando, *vel vota solvens, vel sponte offerens,* secundum sensum jam habitum, *tam de bobus quam de ovibus* aut etiam capris, quæ nunc causa brevitatis non exprimuntur, quia ex præcedenti mandato satis intelligi dantur; *immaculatum offeret, ut acceptabile sit.* Poterat tamen indifferenter esse masculini aut feminei sexus. *Omnis macula non erit,* id est nulla erit, *in eo.* Et deinde exprimuntur maculæ in speciali. *Si cæcum fuerit,* imo et si uno dumtaxat caruerit oculo, *si fractum,* hoc est læsum aut ruptum, *si cicatricem habens,* id est deformem et perceptibilem fœditatem ex illato vulnere, eo curato, *si papulas,* id est parvas cutis erectiones cum rubore, seu pustulas habens, *aut scabiem vel impetiginem,* hoc est scabiem siccam, aut scabiem alterius generis habens; *non offeretis ea Domino,* cui perfecta et integra sunt offerenda.

Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre quis *potest**. Hoc contrariari videtur verbo quod dictum est: Homo qui obtulerit hostiam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, immaculatum offeret. Ad hoc quidam respondent, quod istud sit intelligendum de oblatione sacerdoti facta, non ut offerat Deo, sed ut vendita ea, pretium ejus convertat in utilem aliquem templi usum, puta in reparationem vasorum aut cortinarum. *Votum autem ex eis solvi non potest:* hoc est, votivum aut solenne sacrificium ex eis fieri prohibetur. Unde dicendum, quod sacrificari talia poterant Deo in casu necessitatis articuloque inopiæ, quando quis obligatus non erat ad sacrificium, nec aliud animal habuit, habereve poterat.

* potes

Votum autem ex his solvi non poterat, hoc est oblatio ex debito aut promisso, juxta illud Malachiæ: Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Deo. (*Malach.* I, 14.) Et rursus: Si offeratis claudum vel debile, nonne malum est? (*Ibid.* I, 8.) *Omne animal quod vel contritis, vel tunsis, vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino,* quum sit monstruosum et vile.

De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro. Hoc aliqui sic exponunt, quod sacerdotibus Judæorum non licuit a gentilibus incircumcisis aliquid accipere, ut illud idem ex parte ipsorum immolaretur super altare Dei. *Et quidquid aliud dare voluerit* alienigena, non accipietis illud ad offerendum; *quia corrupta et maculata sunt omnia,* quæ alienigenæ ita dederint vobis ad offerendum: non quod omnia illa essent in se ipsis corrupta et maculata, sed quia Deo accepta non erant sacrificia inde facta, nec ex se, nec ex offerentium fide et devotione, quia alienigenæ circumcisionem (quæ erat signum fidei) non habentes, reputabantur immundi; *non suscipietis ea,* o sacerdotes, ad offerendum. Poterant tamen ab alienigenis sumi pecuniæ, donaque alia, ex quibus emerentur sacrificia immolanda. Sicque secundo Machabæorum libro scriptum est, quod Seleucus rex Asiæ, ex sumptibus suis præstabat ea quæ ad sacrificia pertinebant. (II *Mach.* III, 3.) Hanc expositionem sequitur Lyra. Verum (ut refert) Rabbi Salomon aliter exponit, dicendo quod ista lex datur ad dubium removendum. Lex etenim data fuit non gentilibus, sed Judæis: idcirco præceptum immolandi immaculata, solum adstringebat Judæos: ideo sacerdotes Judæorum credere poterant animalia maculata oblata a gentibus, ex devotione posse offerri per manus suas in altari holocaustorum, et hoc removet Dominus per litteram istam, quæ talis est in Hebræo: De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro: quia corruptiones eorum in eis sunt, et macula in eis est, non proficient eis.

Digitized by Google

Dicit tamen Rabbi Salomon, quod animalia immaculata immolaticia poterant ab alienigenis recipi et offerri. Similiter panes mundi et immaculati ; non autem immundi ex commixtione et maculati. Huic dicto videtur favere quod in libro Esdræ (*I Esdr.* VI, 8-10.) ait rex Darius : A me præceptum est quid oporteat fieri presbyteris Judæorum, ut ædificetur domus Dei. Quod si necesse fuerit, et vituli, et agni, et hœdi, in holocaustum Deo cœli, frumentum, sal, vinum, et oleum secundum ritum sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, dentur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia, et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis et filiorum ejus. Præterea multi alienigenæ seu gentiles erant vere devoti atque fideles, ut Job : ergo eorum sacrificia ex præfatis animalibus facta, poterant esse Deo accepta, ex ipsorum fide et devotione. Insuper in Job legitur, qualiter (Deo (*Job* XLII, 8-10.) jubente) tres amici Job sumpserunt septem tauros et septem arietes, quos Job immolavit pro eis, et placuit Deo sacrificium illud etiam ex parte amicorum Job, in quantum ex obedientia et contritione fecerunt animalia illa offerri pro ipsis : magis tamen placuisse videtur ex parte Job offerentis, et orantis pro illis.

Deinde describitur (quod et antea habitum est) in qua ætate poterant animalia munda offerri. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Bos, ovis et capra quum genitæ fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ :* quia tamdiu præ nimia teneritudine non sunt ad offerendum idonea ; *die autem octavo et deinceps offerri poterunt Domino,* quia extunc sunt solidiora. *Sive illa bos, sive ovis, non immolabuntur uno die cum fetibus suis,* id est, nec vacca, nec ovis eodem die offerri debet cum suo fetu, videlicet cum vitulo, aut agniculo : quod in detestationem idololatriæ prohibitum creditur, et in contemptum maleficorum, qui fecerunt oppositum ad placandum amplius deos suos, vel ut ex sic simul oblatis maleficia aliqua perpetrarent; itemque ad exercendum et instruen-

A dum Judæos, ad crudelitatem proclives, circa pietatem in homines. Ad crudelitatem etenim quamdam pertinere videtur, matrem cum fetu simul mactare. *Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis, eodem die comedetis eam.* Hoc septimo capitulo (*Lev.* VII, 12-15.) scriptum est atque expositum. *Ne polluatis nomen sanctum meum,* id est, ne per inobedientiam inhonoretis, et quasi vilem parvipendatis me Sanctum sanctorum, sed potius honorificetis et magnificetis me ; B *ut sanctificer in medio filiorum Israel,* id est, a toto Israelitico populo tanquam vere sanctus recte honorer, ita ut mihi in sanctitate deserviat, ex vestra conversatione virtuosa et exemplari excitatus et ædificatus. *Ego Dominus qui sanctifico vos,* etc. *Ego Dominus.*

(Sensus spiritualis.) Postremo, sicut dicta in isto capitulo, quasi plene præhabita sunt, ita et spiritualis eorum intelligentia ex præinductis patere censetur. Nempe quod præfatæ personæ immundæ, defectuosæ et viles forinsecus, C prohibebantur edere immolata, præfiguravit quod homines intrinsecus vitiosi non debeant ad sacram ire communionem, nec sacramenta suscipere, nisi confessi et expurgati. In speciali autem per leprosum notatur hæreticus; per seminifluum, verbosus sive lascivus ; per immundum ex contactu, consentiens et communicans alienis peccatis; per immundum ex esu, gulosus ; per inquilinum, discurrens et vagus, nunc hic, nunc alibi degens ; per mercenarium, is qui intuitu et amore temporalium magis D quam propter Deum, agit bona ex genere ; per alienigenam, infidelis, excommunicatus, sive schismaticus ; per filiam sacerdotis populari marito nuptam, religiosa persona, ad exteriora et mundana vitiose conversa. Debemus quoque Deo offerre sacrificia illibata, hoc est opera vere virtuosa, aliorum non infectiva, nec infecunda, quæ per animalia testiculis carentia designantur ; sed fecunda, per quæ alii convertantur, ædificentur, et accendantur in Domino.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI TERTII : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS.

De festis legis, et festorum sacrificiis nunc tractatur. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel : Hæ sunt feriæ Domini quas vocabitis sanctas,* id est celebres, et ad divina opera peragenda specialiter deputatas. *Sex diebus facietis opus,* id est, sex primi dies in hebdomada erunt feriales, in quibus licebit manualiter atque mechanice operari, nisi inter hos dies contingat solennitas alia ; *dies septimus,* scilicet ultima dies hebdomadæ, *quia sabbati requies est,* hoc est deputata ad quiescendum ab operibus exterioribus servilibus, in commemorationem quod Deus omnipotens septimo die (Gen. II, 2, 3.) quievit ab omni opere quod patrarat : propter quod benedixit diei septimo, et sanctificavit illum ; *vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo. Sabbatum Domini est,* hoc est dies requiei, designans quietem Dei præfatam ; *in cunctis habitaculis* * *vestris :* quia in die illo manserunt domi communiter, nec ignem accenderunt, nec præparaverunt cibaria, imo nec manna collegerunt, prout super Exodum dictum est plenius. *Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis* nunc exprimendis : sicque intelligitur istud de festis solennibus, quæ per plurimos dies durabant, ut infra habetur.

* *habitationibus*

Mense primo anni, secundum computationem et ordinem mensium apud Hebræos : qui mensis secundum ordinem mensium apud nos, est tertius aut quartus : *quartadecima die mensis* ejusdem *ad vesperum, Phase Domini est,* id est solennitas designans transitum, quo Dominus seu angelus ejus transiit illo vespere et de nocte per Ægyptum, percutiens primogenita Ægyptiorum, et Hebræos non vastans : in cujus rei memoriam paschalis illa solennitas incepit a vespera quartædecimæ diei mensis primi ; et ipsa solennitas fiebat in memoriam liberationis filiorum Israel ex Ægypto, quæ liberatio facta fuit quintadecima mensis istius die. Hinc subditur, *et quintadecima die mensis hujus solennitas Azymorum Domini est,* id est solennitas paschalis, in qua per septem dies non licet uti panibus fermentatis, sed azymis tantum : in signum ac recordationem quod Ægyptii compulerunt filios Israel tam velociter egredi, quod ipsi Israelitæ non poterant fermentatum sibi panem parare, sed farinam conspersam, (Exod. XII, 34.) antequam fermentaretur, ligantes in palliis secum tulerunt, ut in Exodo continetur. *Dies primus* solennitatis paschalis, *erit vobis celeberrimus sanctusque,* hoc est celebris valde, atque celebrior quinque diebus ejusdem festi ipsum immediate sequentibus. *Omne opus servile non facietis in eo ; sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus* quibus durat festivitas. Et quale fuerit sacrificium illud, in Numeris describitur, quo habetur : Offeretis incensum holocaustum Domino, vitulos (Num. XXVIII, 19 et seq.) de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem, etc. *Dies autem septimus erit celebrior et sanctior* quinque præfatis diebus intermediis, utpote tam festivus et sanctus ut primus. Unde in Numeris vocatur (Ibid. 25.) celeberrimus sicut primus. Verumtamen quando sabbatum occurrebat in altero horum dierum, fuit absolute celebrior. *Nullumque servile opus facietis in eo.*

Consequenter subditur speciale mandatum de primitiis spicarum Domino offe-

Digitized by Google

rendis altera die post primam diem solennitatis paschalis. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem.* Aliqui dicunt, quod tunc nondum exstitit communis segetum messis, et quod cito evenire non potuit, sed quod homines tunc colligebant spicas maturitati magis appropinquantes in aliqua parte terræ illius, et inde offerebant istas primitias. Verumtamen prout super Exodum scripsi, Glossa et alii multi, imo et Augustinus aliter sentiunt, utpote quod regionis illius natura et dispositio habeant hoc, vel saltem tunc habuerunt, ut tam mane sit ibi messis. Hoc quoque textus videtur evidenter prætendere. Nam ait, Quum messueritis. Non autem fit messio ante communem segetum maturitatem. Denique subditur : *feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem.* Ergo tunc messis fuit communiter ibi. *Qui levabit fasciculum,* hoc est manipulum spicarum, *coram Domino, ut acceptabilis sit* oblatio illa *pro vobis.* Sacerdos namque divinæ majestati cum oratione et oblati elevatione præsentavit quod obtulit, ut ex fide, devotione, et obedientia offerentis, et meritis suæ orationis ac ministrationis, oblatio illa Deo placeret. *Altera die sabbati,* hoc est sextadecima die mensis primi, quæ fuit altera dies sabbati, id est paschalis festivitatis, cujus primus integer dies fuit quintadecima primi mensis dies. Vocatur autem prima illa Paschæ dies sabbatum, quia tunc cessabatur a cunctis operibus, a quibus quiescebatur in sabbato. *Et sanctificabit illum,* hoc est, manipulum divino deputabit honori, et usui sacerdotis. *Atque eodem die quo manipulus consecratur,* id est, offertur et sanctificatur modo præfato, *cædetur,* hoc est mactabitur, *agnus immaculatus anniculus,* id est, qui non sit ultra annum unum habens ætatem, *in holocaustum Domini.* Istud non est intelligendum de agno paschali, qui offerebatur quartadecima die mensis primi ad vesperum. *Et* A *libamenta offerentur cum eo,* hoc est, materiæ liquore perfusæ immolabuntur cum agno illo : de quibus subjungitur, *duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum.* Quæ verba in expositione quartidecimi capituli satis exposita sunt. (Lev. XIV, 10, 21.) *Liba quoque vini, quarta pars hin.* Hin est nomen mensuræ, atque (ut dictum est sæpe) mensuræ apud diversos diversificantur, etiam illæ quæ ejusdem sunt nominis : ideo quantitatem hin, certitudinaliter scire non possumus. B Offerebant autem etiam primitias uvarum.

Panem et polentam et pultes non comedetis ex segete, usque ad diem quo offeretis ex ea Deo vestro : id est, ante oblationem primitiarum segetis novæ, non manducabitis aliquem cibum factum ex segete nova, ut de fructibus terræ vestræ primo honorificetur Deus, in recognitionem quod omnia sunt ab eo, sicque etiam in hoc primum quæri videatur regnum cœlorum. (Matth. VI, 33.) Polenta autem nunc dici potest esca facta ex granis novis tostis, quæ confricata sunt C manibus. Super Leviticum vero hoc exstat expositum. (Lev. II, 14.) Puls vero vocatur cibus factus ex farina et aqua seu lacte. *Præceptum est sempiternum,* id est jugiter duraturum, durante Testamenti veteris cursu, *in generationibus cunctisque habitaculis vestris.*

Sequitur de solennitate Pentecostes. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum,* hoc est a secundo die solennitatis paschalis, diem illum secundum includendo, *septem hebdomadas* dierum *plenas,* quæ reddunt dies D quadraginta novem ; *usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ,* id est usque ad diem immediate sequentem ultimum diem illarum septem hebdomadarum, *id est quinquaginta dies :* ita quod dies illa sequens ultimum diem præfatum, est quinquagesimus dies. *Et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris,* id est principalis ex qualibet domo ; *panes primitiarum duos,* id est duos panes ex primitivis novisque fructibus, ex quibus in Pascha grana obtuli-

Digitized by Google

stis, *de duabus decimis similæ fermentatæ,* A ita quod uterque panum illorum constabit ex totidem similæ decimis. Vel (ut alii opinantur) in utroque fuit tantum una similæ decima. Vocaturque decima, decima pars ephi, de qua mensura prædictum est. Præterea quæri potest, quomodo hic dicatur, Similæ fermentatæ, quum secundo capitulo
Lev. II, 11. dictum sit, Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet. Ad quod patet responsio ex dictis in expositione secundi
Ibid. VII, 13. capituli, et etiam septimi quo habetur, Panes quoque fermentatos cum hostia, etc. B *Quos coquetis in primitias Domino,* id est, quos panes formabitis, ut Domino in primitias offerantur, ut tactum est.

Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos; et erunt in holocausto, ita quod offerentur in holocaustum: nec unusquisque hæc omnia obtulit, sed de communi potius offerebantur pro omnibus. Duravit autem solennitas illa Pentecostes sicut paschalis septem diebus, in quorum quolibet ista offerebantur, ut C Magister in historiis ait. Erunt ergo in holocausto *cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domino.* Hinc in Numeris
Num. XXVIII, 27-29. habetur de sacrificiis hujus festi: Offeretisque holocaustum, vitulos de armento duos, arietem unum, et agnos anniculos septem; atque in sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas, per singulos vitulos; per arietes, duas; per agnos, decimam decimæ: quæ verba suo exponentur in loco. Sed inter hæc quæri potest, qualiter in isto dicatur capitulo, quod D offeretur vitulus unus, et arietes duo; Numerorum vero præfato capitulo, quod erunt vituli duo, et aries unus. Ad quod responderi posse videtur, quod utrumque fieri poterat, secundum quod loco et tempori amplius congruebat. *Facietis et hircum pro peccato,* hoc est, pro remissione peccati offeretis hircum, qui immundum est animal; *duosque agnos anniculos* offeretis *in hostias pacificorum,* ut sæpe expositum est. Verumtamen de his duobus agnis non fit mentio in Numeris. Ideo quidam putant istud intelligendum de agnis duobus jugis *Num.* XXVIII, 3, 4. sacrificii, qui offerebantur quotidie, unus de mane, alter de vespere. Vel, quod hic exprimitur, ibi tacetur, ut ex præhabitis datur intelligi. *Quumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum.* Solennitas namque Pentecostes fuit valde magna et sancta in lege, et una præcipuarum celebritatum. *Omne opus servile non facietis in eo.*

Postquam autem messueritis segetem terræ, non secabitis eam usque ad solum; nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester. Istud præceptum *Lev.* XIX, 9. supra habitum expositumque consistit.

Sequitur de festo Tubarum. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum memoriale,* hoc est solennitas, in qua sicut in sabbato ab exterioribus servilibusque operibus est quiescendum, in memoriam liberationis Isaac a morte, quando pater ejus ex Dei *Gen.* XXII, 10. præcepto extendit manum suam ad ipsum immolandum, quemadmodum in Genesi describitur; *clangentibus tubis:* illo etenim die clangebant Judæi cornibus pecorinis, eo quod aries pro Isaac immolatus, cornibus hæsit inter fruteta; et illarum clangor tubarum, fuit excitatio præparatoria ad agendum hilariter ac devote omnia mensis septimi festa, qui quasi totus erat celebris apud eos. *Et vocabitur sanctum* sabbatum, tanquam divino cultui deputatum. *Omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino.* Nec solum tunc offerebatur holocaustum, sed et alia sacrificia quædam, quæ non hic, sed in Numerorum libro exprimuntur, quo legitur: Offeretis holocaustum Domino, vi- *Num.* XXIX, 2, 5, 6. tulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem, et hircum pro peccato, præter holocaustum calendarum cum sacrificiis.

Digitized by Google

Consequenter agitur de festo Expiationis. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Decimo die mensis hujus septimi, dies Expiationis * erit celeberrimus.* Hoc festum vocatum est Expiationis, in recognitionem et gratiarum actionem, quod Dominus illa die ignovit filiis Israel de crimine adorationis aurei vituli, ut dictum est sæpe. *Et vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo,* orationibus, vigiliis, atque jejuniis insistendo, quia etsi culpa fuit indulta, non tamen pœna in toto, et interim peccaverunt ; *et offeretis holocaustum Domino,* prout in Numeris conscriptum est. Eadem sacrificia offerebantur in isto festo ac præcedenti. *Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus, quia dies propitiationis,* hoc est divinæ miserationis atque placationis, *est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester.* Ex hoc elicitur, quod licet festivitas ista exstitit instituta in commemorationem remissionis peccati adorationis vituli, nihilo minus ultra hoc instituta fuit ad impetrandum ceterorum quoque remissionem peccaminum, et ad satisfaciendum pro idololatria illa gravissima. *Omnis anima quæ afflicta non fuerit in die hoc,* id est, omnis homo adultæ ætatis ac vestræ religionis, qui se ipsum non castigaverit in hoc die per vigilias, orationes, jejunia, seu consimilia pœnitentiæ virtutumque opera, *peribit de populis suis :* quia peccando mortaliter, meretur damnari, aut etiam temporaliter est plaganda, et nisi pœnituerit, condemnabitur. *Et quæ operis quidpiam fecerit,* id est aliquid notabile de opere servitutis aut vitiorum, *delebo eam de populo suo.* Nam et contra præceptum agendo, separabatur a mystico corpore Synagogæ electæ, et incorporabatur diabolo. *Nihil ergo operis facietis in eo. Legitimum sempiternum erit vobis. Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras die nono mensis. A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata,* hoc est festa *vestra.* Hoc dicitur ad insinuandum quod præcedens festivitas (sicut et alia quædam festa in lege) inchoabat a vespera præcedentis diei, et usque ad vesperam durabat diei sequentis.

* Expiationum

Num. XXIX, 8.

Nunc de solennitate Tabernaculorum subjungitur : *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel : A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino :* hoc est, ad laudem et gloriam Domini, atque in recognitionem beneficiorum ipsius celebrabitur festivitas ista septem diebus, eo quod filii Israel habitaverunt in solitudine in tabernaculis atque umbraculis quadraginta annis, et ibi protegebantur ac nutriebantur a Deo. *Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus. Omne opus servile non facietis in eo ; et septem diebus offeretis holocausta Domino,* utpote quolibet festi istius die. De hoc in Numeris diffuse habetur. *Dies quoque octavus,* scilicet dies præfatam solennitatem proxime sequens, *erit celeberrimus dies atque sanctissimus,* et in eo fuit solennitas alia. Unde mox additur : *et offeretis holocausta Domino. Est enim Cœtus atque collectæ :* et de sacrificio tunc agendo, habetur in Numeris. Porro (ut Lyra dicit) hoc festum vocatum est Cœtus atque collectæ, quia eadem die colligebatur pecunia pro sacrificiis per annum fiendis, et aliis necessitatibus templi aut tabernaculi, de communi sumptu præstandis.

Num. XXIX, 12 et seq.

Sed his contradicit Rabbi Paulus : Ex hoc, inquiens, quod dies ista dicebatur Cœtus et collectæ, non habetur quod in ea fiebat illa pecuniarum collectio, etc., quia similiter dies septima festi Paschæ dicebatur Collectæ, ut in Deuteronomio legitur, et tamen nullus dicit, quod in ea colligebantur pecuniæ. Manifestum est quoque apud doctores Hebræorum communiter, quod præfata pecuniarum collectio fiebat per totam terram promissionis primo die duodecimi mensis, ut habetur per scripturas eorum authenticas, in quibus credendum est eis in his quæ non pertinent ad eorum errores. Ideo autem festum hoc dicebatur Cœtus et collectæ, quia in eo po-

Deut. XVI, 8.

Digitized by Google

pulus debuit adunari et colligi ad vacandum divinis, et per consequens cessare ab operibus servilibus. Unde huic verbo, Cœtus seu Collectæ, semper adjungitur in hac materia cessatio ab operibus. Sed circa hoc attendendum, quod ista festivitas quæ agebatur post septimum diem festi Tabernaculorum, nullam rationem habuit litteralem pertinentem ad præteritorum memoriam. Unde tota ejus ratio est figurativa futuri. Nec est dicendum, quod præfiguravit adunationem et pacem populi Israel in terra promissionis. Sic namque cessasset post ingressum in terram illam, quemadmodum cessat figura, figurato adveniente. Hinc dicendum videtur, quod figuravit congregationem fidelium in ecclesia ad orandum, vel in regno cœlorum. Cujus signum est, quod in tota lege Mosaica septenarium celebrabatur, ut patet de sabbato, et septem diebus Paschæ, ac totidem Pentecostes, ac Tabernaculorum, et de sabbato terræ post sex annos. Dies autem octava non fuit celebris, nisi in hoc loco : in quo manifeste notatur, quod expletis omnibus festis veteris Testamenti, quæ omnia in hoc capitulo recitantur, succederent festa Christi, quæ in die octavo, hoc est in Christi resurrectione, sumpserunt exordium, prout ista plenius in Glossa tractantur : quæ non sunt intelligenda ad sensus mysticos pertinere, sed ad litteram ratione prædicta. Hæc Rabbi Paulus.

Attamen verbis Lyræ concordat quod in Scholastica fertur historia : Octava illa dies fuit solennis, quia in ea conveniebant ad faciendum collectam, forte in usus pauperum, vel in alios usus communes. Verba quoque S. Thomæ quæ sequenti ponentur articulo, non consonant verbis Rabbi Pauli.

Deinde recapitulantur prædicta. *Hæ sunt feriæ Domini,* hoc est dies festivi, *quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas; offeretisque in eis oblationes Domino holocausta et libamenta,* id est liquida sacrificia, *juxta ritum uniuscujusque diei,* hoc est secundum quod jussum est fieri in utroque horum dierum solennium ; *exceptis sabbatis Domini,* quæ scilicet celebrantur assidue per totum anni decursum, *donisque vestris,* id est beneficiis quæ ex supererogatione aut simili causa dederitis ministris templi, *et quæ offeretis ex voto,* hoc est ex promissione aut obligatione, *vel quæ sponte tribuetis Domino,* id est, ex devotione, et ultra constitutum seu debitum Domino offeretis : his, inquam, demptis, offeretis quæ dicta sunt in solennitatibus illis præcipuis, quæ semel occurrunt in anno.

A quintodecimo ergo die mensis septimi, secundum computationem Hebræorum, cui apud nos correspondet September, *quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus :* quibus agebatur festum Tabernaculorum, ut dictum est. Quocirca pensandum, quod secundum legem ter in anno solvebantur primitiæ : primo de novis granis in Pascha ; secundo de novis panibus in Pentecoste ; tertio de omnibus fructibus terræ, de quibus erant solvendæ. Nempe ut aliqui dicunt, non dabantur de terræ nascentibus, nisi de septem speciebus, utpote de frumento, hordeo, vinea, oliva, malogranato, ficu et palma. Et ista solutio in Septembri fiebat. *Die primo et die octavo erit sabbatum. Sumetisque vobis die primo* festi Tabernaculorum, *fructus arboris pulcherrimæ,* scilicet poma citrina, ut aliqui opinantur, quæ decora sunt valde, *spatulasque,* id est ramos, *palmarum et ramos ligni,* id est arborum, *densarum frondium, et salices de torrente,* id est torrentibus, ubi crescunt ; *et lætabimini coram Domino Deo vestro : celebrabitisque solennitatem ejus septem diebus per annum.* Hæc enim sumpserunt in commemorationem, quod quadraginta annis in solitudine desuper pasti sunt cibo clarissimo, et nube per diem contra solis ardorem protecti, in tentoriisque morati, ac inde perducti sunt in terram lacte et melle manantem ; et ne obliviscerentur mirabilium quæ Deus fecit eis in solitudine, in qua per quadraginta annos vestimenta eorum Deut. xxix, 5.

Digitized by Google

non sunt attrita. Quæ omnia in observantia A hujus festi, quasi in libro quodam (secundum Guillelmum Parisiensem) leguntur. Hinc in textu subjungitur : *Mense septimo festa celebrabitis, et habitabitis in umbraculis* factis de præfatis materiis, *septem diebus. Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis : ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, quum educerem eos de terra Ægypti.* Parentes namque exposuerunt filiis suis causam habitationis et observantiæ hujus. *Ego Dominus Deus vester. Locutusque est Moyses super solennitatibus Domini ad filios Israel.*

ARTICULUS XLIV

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE HUJUS CAPITULI VICESIMI TERTII, ET VERBIS QUORUMDAM DOCTORUM.

SECUNDUM quod compendiose scribit B in prima secundæ Thomas, quæstione 102, in veteri lege erant septem solennitates temporales, id est, certis anni temporibus venientes ; et una quasi continua, quia in ea continue mane et vespere immolabatur agnus. Festorum autem temporalium primum erat, quod iterabatur omni hebdomada : et hæc erat solennitas Sabbati, quæ celebrabatur in memoriam creationis. Alia solennitas fuit in exordio cujuslibet mensis, videlicet festum Neomeniæ, quod celebrabatur in memoriam C divinæ gubernationis : quia hæc inferiora secundum motum lunæ præcipue variantur. Ideo servabatur hoc festum in novitate, non in plenitudine lunæ, ad evitandum idololatriæ cultum, quoniam in plenitudine lunæ sacrificabant idololatræ ipsi lunæ. Et quia hæc duo beneficia sunt communia toti generi humano, ideo frequentius iterabantur. Alia quinque festa celebrabantur semel in anno, et recolebantur in eis specialia quædam beneficia, populo Israelitico specialiter condonata. Celebra- D batur enim festum Phase, in memoriam liberationis populi ex Ægypto ; et quinquagesimo die festum Pentecostes, in memoriam beneficii legis datæ in Sinai, quinquagesimo die post Paschæ exordium. Alia tria festa recolebant specialia beneficia populo illi exhibita, et celebrabantur septimo mense, qui quasi totus apud eos fuit solennis, sicut et septimus dies. In prima etenim die mensis septimi erat festum Tubarum, in memoriam liberationis Isaac ; decima die mensis illius fuit festum Expiationis, ut dictum est ; quintodecimo die fuit festum Tabernaculorum, in quo sumpserunt fructum arboris pulcherrimæ, utpote citrum, et lignum densarum frondium, id est myrtum, quæ sunt odorifera, spatulasque palmarum et salices de torrente, quæ diu retinent suum virorem (et hæc in terra promissionis inveniuntur) : quæ fiebant ad significandum, quod per aridam terram deserti Deus duxerat eos ad terram deliciosam. Octavo die celebrabatur festum Cœtus atque collectæ, in quo colligebantur a populo ea quæ necessaria erant ad expensas cultus divini : per quod significabatur adunatio populi, et pax præstita in terra promissionis. — Figuralis vero ratio horum festorum est, quia per juge sacrificium agni figuratur perpetuitas Christi æterna, qui est Agnus Dei, de quo ad Hebræos fertur : Jesus Christus heri et hodie, *Hebr.* XIII, 8. ipse et in sæcula. Per sabbatum significatur quies nobis data per Christum ; per Neomeniam, quæ est incensio lunæ, illu-

minatio primitivæ Ecclesiæ; per festum A Pentecostes, descensus Spiritus Sancti in Christi discipulos; per festum Tubarum, prædicatio Apostolorum; per festum Expiationis, emundatio populi christiani a suis peccatis; per festum Tabernaculorum, peregrinatio fidelium in hoc mundo, in quo ambulant in virtutibus proficiendo; per festum Cœtus atque collectæ, congregatio fidelium in regno cœlorum: idcirco hoc festum dicebatur sanctissimum. Et hæc tria festa erant ad invicem continua: quoniam a vitiis expiatos in virtutibus B oportet proficere, quousque ad Dei perveniant visionem.

Hæc Thomas. In quibus duo tanguntur contra Rabbi Pauli verba præcedenti articulo introducta. Primum est, quod in festo Cœtus et collectæ fiebat collectio necessariorum ad divini cultus expensas. Secundum est, quod per ipsum figurabatur collectio populi, et pax in terra promissa. Nec inde sequitur quod Rabbi Paulus concludit, nisi dicatur, quod institutum fuit dumtaxat ad illa præfiguranda. C

Denique de his festis et eorum appellationibus ac sacrificiis plura induci possent ex Josepho aliisque auctoribus, de quibus usque ad præallegatum librum Numerorum transeo. In generali quoque assignatæ sunt rationes ad litteram, cur Deus jusserit sibi sacrificia de præfatis animalibus potius quam de aliis immolari. In speciali vero de singulis reddere rationem, ut cur præcepit sibi tot præcise vitulos sive agniculos offerri in illo, vel illo festo, et cur tot in illo, cum aliis eis adjunctis, videtur D supra hominem esse, ita quod ad hujusmodi quæstiones liceat respondere: Quis consiliarius ejus fuit? Et rursus: Non discutit servus dominum suum. Tamen (ut tangit Guillelmus) si in speciali plene sciremus omnia sacra et sacrificia, ac observantias idololatrarum, possemus faciliter de multis, aut omnibus his, rationabiles tradere causas. At vero de spirituali significatione Paschæ et concernentium festum illud, dictum est super Exodum.

Num. XXVIII. *Is.* XL, 13.

Moraliter autem docemur ex isto capitulo, ut in præcipuis evangelicæ legis solennitatibus Deo omnipotenti cum præcipua devotione vacemus, ac spiritualia munera offeramus. Imo quidquid præcipuum fuerit in nobis in actu vel habitu, aut in potentia, sive in naturalibus, sive in donis gratuitis, Creatori et justificatori nostro cum singulari devotione, gratiarum actione, atque interna munditia jugiter immolemus et adscribamus: imo tanto humilius et integrius, quanto hujusmodi donum in nobis fuerit majus, ut nunquam de aliquo tali inaniter gloriemur vel extollamur. Quid autem per immolationem agni, bovis, arietis, capræ, similæ, olei, et consimilium intelligendum sit, ubertim præhabitum est. Præterea, omne tempus, videlicet septem hebdomades, quæ inter Pascha et Pentecosten eveniunt, numerare ac mensurare debemus, ita ut ipsum fructuose pertranseamus: sicque de Christi resurrectione gloriemur in Domino, ut per omne hoc tempus ad copiosam adorandi Spiritus Sancti susceptionem nos præparemus, atque in ipsa dignissima Pentecostes celebritate, offeramus Domino panes duos primitiarum, id est omnem actum præcipuum, tam contemplativæ vitæ quam activæ, cum septem agnis, id est puris et innocentibus actibus septem donorum Spiritus Sancti.

Celebremus insuper festum Tabernaculorum, non sic, sicut in veteri lege, sed quod per festum illud est præfiguratum. Unde et Zacharias scribit: Omnes qui reliqui fuerint, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem Tabernaculorum. Quemadmodum enim Hebræi septimo mense jussi sunt agere festum illud in memoriam deductionis eorum per desertum, usque in terram promissam; ita et nos quotidie cum cordis celeberrima gratiarum actione debemus recolere, qualiter per Christi adventum et passionem, de vitiorum caligine et dæmonum potestate erepti, per vallem hanc lacrimarum tanquam per so-

Sensus moralis. I *Cor.* I, 31. *Zach.* XIV, 16.

Digitized by Google

litudinem, ad patriam æternæ deducimur A
claritatis, et interim in isto exsilio quasi
Ps. LXII, 3. in terra deserta, invia, et inaquosa, pa-
scimur et potamur, protegimur et guber-
namur a Domino : in quorum omnium
gratam memoriam debemus accipere *fru-
ctus arboris pulcherrimæ,* id est, actus et
opera Christi considerare, fructum et me-
ritum suæ præstantissimæ passionis parti-
Prov. III, 18. cipare. Christus quippe est lignum vitæ, et
pulcherrima sapientiæ arbor, qui se ipsum
vocavit viride lignum etiam tunc, dum
Is. LIII, 4. tanquam leprosus et quasi percussus a B
Joann. XIX, 17. Deo, bajulans sibi crucem exivit. Iterum
arbor ista est crux Salvatoris, arbor vere
decora et fulgida, ornata regis purpura,
cujus fructus est meritum Christi, salvatio
mundi, salus æterna. *Spatulasque palma-
rum,* id est documenta et exempla Aposto-
lorum, qui sublimiter justi, floruerunt ut
palmæ, et ramos doctrinarum atque virtu-
tum extenderunt ad nos, ut inde pasca-
mur. *Et ramos ligni densarum frondium.*
Hoc lignum est gloriosissima Christifera
Virgo, plena omnium supernorum donis
charismatum, quæ de sua opulentia libe-
ralissime nobis communicat ; quæ alis
suæ pietatis ac potestatis, tanquam densis-
simis frondibus nos tuetur. *Et salices de
torrente.* Salix est sterilis arbor, sed suum
diu servans virorem. Per salices ergo in-
telligi possunt virgines sacræ, quæ carne
infecundæ, omni floruerunt castitatis can-
dore. His omnibus Ecclesiam Christi, ha-
bitaculum cordis nostri, conversationem
nostram in isto exsilio decorare debemus:
sicque cogitationes nostræ diem festum Ps. LXXV, 11.
agant Deo in animo.

ARTICULUS XLV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : ET LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN.

REPETUNTUR in hujus capituli exor- C
Exod. XXV. dio aliqua in Exodo scripta et habita;
similiter in fine capituli hujus. *Et locutus
est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe
filiis Israel, ut afferant tibi oleum de oli-
vis* expressum, *purissimum,* non fæculen-
tum aut mixtum, *ac lucidum :* quoniam
præstantiora pro divino cultu sunt exhi-
benda, et de hujusmodi oleo clarior flam-
ma gignitur et nutritur ; *ad concinnandas
lucernas jugiter,* id est, quatenus ex oleo
illo lucernæ, in exteriori tabernaculi parte
positæ ac lucentes, decenter impleantur ac D
foveantur ; *extra velum testimonii in ta-
bernaculo fœderis.* Hoc additur, quia (ut
tactum est) lucernæ sitæ erant in exteriori
parte tabernaculi, quæ dicta est Sanctum
seu Sancta, inter quam et interiorem ta-
bernaculi partem, quæ vocata est Sancta
sanctorum, velum pendebat. *Ponetque eas
Aaron a vespere usque in mane coram
Domino,* id est, pontifex de sero ordinate
disponet, implebit, accendet istas lucer-
nas, ut ardeant, luceantque in tabernaculo
tota nocte usque in mane, et tunc exstin-
guebantur, vel omnes ut aliqui dicunt, vel
ut Josephus recitat, tres per diem permit-
tebantur lucere; *cultu rituque perpetuo in
generationibus vestris.* Oleum istud lucer-
narum ministrabatur a populo de sumptu
communi ; erantque aliqui deputati ad of-
ferendum illud, ac providendum de eo.
*Super candelabrum mundissimum ponen-
tur semper in conspectu Domini,* id est,
jugiter positæ erunt ac permanebunt super
candelabrum aureum quod in exteriori
parte tabernaculi stetit : et lucernæ hæ
erant septem, imo secundum Josephum,
septem lampades erant insertæ et innexæ
candelabro.

Digitized by Google

Accipies quoque similam, id est puram et delicatissimam tritici farinam, *et coques,* id est, per sacerdotes formari parari que facies : quia ad sacerdotes hoc pertinebat, et forsan Moyses primo eis modum faciendi monstravit. Coques, inquam, *ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas,* id est, in unoquoque panum illorum erit tanta similæ quantitas, scilicet bis decima pars ephi. *Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues,* id est, in una parte mensæ aureæ pones sex panes propositionis simul, et unum super alium, atque in alia parte ejusdem mensæ ex opposito collocabis sex alios panes ; *et pones super eos thus lucidissimum,* id est, super quemlibet cumulum horum panum, pones thus optimum et odoriferum in aureo vasculo ; *ut sit panis,* id est, ut congeries horum panum sit, *ibi in monumentum,* id est in memoriale, *oblationis Domini :* quia per totam hebdomadam stabant ibi in signum et testimonium obedientiæ filiorum Israel, de quorum sumptu atque materia erant formati ac immolati. *Per singula sabbata mutabuntur coram Domino :* nam quolibet sabbati die removebantur panes veteres, moxque alii recentes super mensam reponebantur in loco priorum ; *suscepti a filiis Israel,* qui materiam panum istorum sacerdotibus exhibuerunt, et ob hoc panes isti dicuntur suscepti a filiis Israel, *fœdere sempiterno ; eruntque Aaron et filiorum ejus,* quia in eorum esum cesserunt, *ut comedant eos in loco sancto,* puta in atrio, aut in aliqua æde aut exedra prope sita, *quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.*

De ista materia nunc breviter transeo, quoniam super Exodum, præsertim in expositione capituli vicesimi quinti diffuse inde tractatum est. Verum ut Josephus scribit, hi panes azymi erant, et singulis aurea superponebatur patena thure plena, atque diluculo sabbati panes duodecim recentes et calidi imponebantur, et stabant ibi immoti usque ad sabbatum sequens ; A tuncque illis sublatis, et thure super altare succenso, ac dulci odore inde surgente, novi cum alio thure substituebantur. Erant autem duodecim, juxta numerum duodecim tribuum Israel, in quorum sempiternam memoriam coram Domino positi erant. Verum, sicut ex primo Regum et Evangelio (I Reg. xxi, 6; Matth. xii, 3, 4.) comprobatur, in necessitatis articulo poterant aliis, quam sacerdotibus, ad edendum communicari.

Præterea, quia diabolus jugiter elaborat tritico superseminare zizania, consequen- (Ibid. xiii, 25.) B ter narratur casus adversus ac sceleratus, qui inter bona tot accidit. *Ecce autem egressus* de habitaculo suo, et de impio mentis conceptu prorumpens in actum malignum, *filius mulieris Israelitidis, quem peperit de viro Ægyptio inter filios Israel.* Circa hoc quidam satis assertorie refert, quod ille vir Ægyptius fuit, quem in Exodo (Exod. ii, 12.) legitur Moyses occidisse, quia injuriam fecit Hebræo, et quod mulier ista de adulterio concepit a viro illo. Sed istud incertum videtur, præsertim quum in Scriptu- C ris mariti communiter viri feminarum vocentur. Unde potius puto, quod ista Hebræa nupserat illi Ægyptio. Nam aliqui et aliquæ Hebræorum, cum Chananæis atque Ægyptiis inierunt connubia, nec ante Moysis legem hoc eis prohibitum erat. *Jurgatus est in castris cum viro Israelita. Quumque blasphemasset nomen Dei, et maledixisset ei :* quod supersceleratissimum fuit ; et impius ille amaritudinis felle repletus, ac iræ et impatientiæ stimulis agitatus, prorupit in verba tam criminosa ; D *adductus est ad Moysen,* tanquam ad principem et judicem. *Vocabatur autem mater ejus Salumith, filia Dabri, de tribu Dan. Miseruntque eum in carcerem.* Hoc fecerunt ex Moysis jussione, cui nondum (ut apparet) fuerat formaliter revelatum, qua morte puniendi essent blasphemi, quamvis jam ei revelatum exstiterit, quod maledici in suos parentes, et blasphemi in Deum omnium patrem primum ac summum, essent necandi. Sed qualem carcerem habuerunt in eremo illa, in qua nullam sibi

Digitized by Google

domum construxerant? Respondetur, quod A nomine carceris, potest intelligi fovea aliqua, aut strictus pœnalisque locus, ubi reum hunc forsan vinxerunt. *Donec nossent quid juberet Dominus,* id est, quousque Deus per Moysen revelaret eis genus mortis huic infligendum.

Qui locutus est ad Moysen, dicens: Educ blasphemum extra castra, id est extra habitacula seu tentoria populi, tanquam indignum mori ac vivere in medio plebis Deum colentis, *et ponant omnes qui audierunt* verba suæ blasphemiæ, *manus* B *suas super caput ejus,* ut zelo justitiæ imprecentur ei debitam pœnam, et contra eum testentur. Si autem tam multi audissent blasphemias ejus, quod omnes simul non potuissent manus superimponere capiti ejus, fecissent hoc successive, vel quidam principales ex omnium parte. *Et lapidet eum populus universus,* id est aliqui ex parte universorum, ita ut ceteri adstando, consentiendoque lapident, secundum quod Paulus Stephanum lapidavit. Act. VII, 59.

Deinde occasione hujus facti, dantur C leges communes de justa ultione ac talione. *Et ad filios Israel loqueris: Homo qui maledixerit Deo suo,* utpote vero Deo, aut etiam Sanctis ejus, quorum blasphemia redundat directe in Deum, *portabit iniquitatem suam**, id est, ultionem debitam sustinebit. *Et qui blasphemaverit nomen Domini,* id est Deum nomine designatum, *morte moriatur,* id est, lapidetur, sicut subjungitur: *lapidibus eum opprimet,* id est obruet et occidet, *omnis populi multitudo:* quia etsi pium sit propriam æqua- D nimiter ferre injuriam, impium tamen est Dei injuriam, præsertim blasphemiam, dissimulare aut sustinere. Imo quum homo debeat Deum incomparabiliter plus quam se ipsum et cetera cuncta diligere, zelum suum debet in tali casu pro Deo demonstrare. Denique tam enorme crimen est maledicere Deo, ut Scriptura in aliis locis horreat illud exprimere, atque ob id per bonum contrarium illud designet, sicut in Job: Nisi in faciem benedixerit tibi. Et Job I, 11.

* peccatum suum

tertio Regum: Benedixit Naboth Deo et regi. III Reg. XXI, 13. *Sive ille civis,* id est natione Judæus, seu diutinus habitator in loco vestro, *sive peregrinus fuerit,* id est conversus ad Judaismum, aut advena inter vos, quia etsi nondum ad fidem conversus esset, non tamen blasphemia ejus esset ferenda.

*Qui percusserit aut** *occiderit hominem* ex ira, odio, proposito, contra processum et formam juris, *morte moriatur:* secus si fortuito, vel a casu, seu nescienter, quia tunc erat in civitate aliqua refugii suscipiendus ac defensandus. *Qui percusserit animal,* id est, jumentum alterius injuste occiderit, *reddet vicarium, id est animam pro anima,* utpote pecus seu bestiam ejusdem valoris ac speciei. *Qui irrogaverit maculam,* id est gravem et irreparabilem deformitatem aut læsionem, seu mutilationem, *cuilibet civium suorum; sicut fecit, sic fiet ei. Fracturam,* id est vulnerationem aut membri dissipationem, *pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet,* id est, restituere compelletur, ita ut oculi sui erutionem, seu dentis excussionem pati cogatur, sicque satisfaciat ei, cui tale quid violenter inflixit. Sic quoque in aliis. *Qualem* quis *inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem,* non usque ad mortem, mutilationem, vulnerationem, aut deformationem præfatam, *punietur* pecuniaria aut simili pœna, præfatis pœnis minori, juxta sententiam judicis. Verum ut fertur, in Hebræo habetur, Qui percusserit hominem, morietur: et sic quidam per hominem intelligunt patrem aut matrem carnalem, pro quorum notabili percussione, mortis pœna infligebatur. *Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit: quia ego sum Dominus Deus vester.* De his, quia super Exodum diffuse exposita Exod. XXI, 12, 15. sunt in expositione vicesimi primi capituli, pertranseo.

* et

Præterea mirum videri potest, quod lex pro occisione, læsione aut mutilatione, non nisi simplicem intulit ultionem, pro furto

Digitized by Google

autem multiplicatam. Ad quod dici potest, A quod homines proniores sunt ad diripiendum occulte bona aliorum, quam ad lædendum eos aperte in propria eorum persona. Ideo illud oportebat per multiplicatam pœnam restringi. Est autem quæstio, an læsus in corpore aut injuriatus, poterat se ulcisci, absque prævia judicis sententia. Sed de hoc super Exodum dictum est.

Exod. xxi, 24, 25; ii, 12.

Sensus spiritualis.

Postremo de spirituali hujus capituli intelligentia introducta sunt multa, præsertim super Exodum. Cognoscimus quoque ex isto capitulo, rigorem et imperfectionem B legis Mosaicæ; pietatem vero et perfectionem evangelicæ legis, in qua percutienti unam maxillam consulitur altera exhiberi, adversariusque jubetur amari, et malum vinci in bono. At vero per blasphemum illum ex parte Ægyptium, et ex parte Israelitam, jurgantem contra eum qui ex parte patris et matris fuit Israelita, intelliguntur hæretici et ficte devoti, ac forinsecus justi, qui vere catholicos et devotos ac justos impugnant. Itaque afferamus in Ecclesiam Christi *purissimum oleum*, id est C opera pietatis, quibus nil vanitatis sit mixtum, ex quibus foveantur *lucernæ*, id est claritas bonæ famæ, sermo prædicationis, et lumen scientiæ salutaris. Qui autem nondum æquanimiter ferre potest aut vult illatas sibi injurias, saltem non cupiat majus malum rependere, nec gravius vindicare. Potius vero simus contra omnia vitiorum et tentationum prælia, impugnationes et tela omni virtute armati; sintque *duodecim panes* semper in mensa animæ nostræ, hoc est duodecim Apostolorum doctrinæ, virtutes, exempla, nec quemquam scandalizando lædamus. Nulli oculum eruamus, inducendo eum ad cordis excæcationem, ignorantiam vel errorem. Nec excutiamus alicui dentem quo teritur cibus cordis, nec mentis integritatem frangamus in proximo, nec maculam inferamus alicui per detractionem aut impiam diffamationem: imo qui quidpiam fecerit horum, ipse se ipsum vulnerat, cæcat, prosternit; et *sicut fecit, fiet ei*, juxta quod ait Salvator: Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

Matth. v, 39. *Rom.* xii, 21. *Rom.* xiv, 21. *Matth.* vii, 2.

ARTICULUS XLVI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI QUINTI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

Diversa in hoc capitulo traduntur præcepta, quorum quædam sunt cærimonialia, quædam judicialia. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizetis sabbatum Domino*, id est, ad Dei honorem quiescat terra a solita cultura et seminatione, sicut in sabbato cessatur ab opere omni servili. *Sex annis seres agrum tuum*. Istud præceptum in Exodo scriptum est, et ibi diffuse expositum; estque ostensum ibidem, quemadmodum secundum communem Hebræorum D opinionem, non fiebat aliqua agrorum aratio, seminatio, messio in septimo anno. Et hanc opinionem (quam et Josephus approbat) sequuntur Magister in historiis, et Andreas, ac alii quidam expositores catholici. Augustinus vero et Glossa, ac alii quidam dicunt, quod septimo anno terra seminabatur ac metebatur, non tamen ad propriam seminantium commoditatem, sed potius ad pauperum usus ac sustentationem. Verumtamen ex isto passu habetur, quod ea quæ septimo anno sponte nascebantur in agris, venerunt in usum et esum communem, tam seminantium seu domi-

Exod. xxiii, 10, 11.

Digitized by Google

norum ipsorum agrorum, quam aliorum, scilicet pauperum ac brutorum. Et quod de agris dictum est, de vinea quoque et olivetis est intelligendum. Nam fertur in littera : *Septimo autem anno sabbatum,* id est quies, *erit terræ, requietionis Domini,* id est talis quies, ut est quies in septimo die hebdomadæ, ita quod in tota terra vestra cessabitur ab agricultura, seminatione, et messione. Unde subjungitur : *Agrum non seres, et vineam non putabis.* De oliveto autem fit mentio in Exodo.

Exod. XXIII, 11.

Quæ sponte gignit humus, non metes. Terra seu agri dicuntur illa sponte producere, quæ sine humana cultura gignunt, sive ex decidentibus granis segetum anni prioris, sive ex innata fecundatione. Occulta etenim quædam semina latent in hujus mundi corporeis elementis. *Et uvas primitiarum tuarum,* id est primos botros vitis tuæ, et per consequens, nec ceteros in tuos usus præcise, *quasi vindemiam non colliges,* id est, ut colligi solent uvæ vinearum aliis annis. *Annus enim requietionis terræ est. Sed* fructus horum, puta agrorum et vinearum septimo anno nascentes, *erunt vobis in cibum,* videlicet *tibi et servo tuo et ancillæ tuæ et mercenario tuo, et advenæ, qui peregrinatur apud vos. Jumentis tuis et pecoribus :* in Exodo dicitur, et bestiis, per quas intelliguntur animalia silvestria; *omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum.* Denique textus iste, dempto eo quod ait, Et advenæ, sonat, ac si ista sponte nascentia, solum redigenda essent in usum dominorum terræ in qua nascuntur, et domesticorum ipsius. Textus vero Exodi sonare videtur, quasi totum illud esset pauperibus derelinquendum ac brutis. Nam dicitur ibi, Anno septimo dimittes terram et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, et quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri. Ex quibus omnibus colligitur, quod fructus hujusmodi erant communes usui tam dominorum agrorum et domesticorum ipsorum, quam advenarum, pauperum ac brutorum. Verumtamen ut loquitur Augustinus, satis mirum apparet, qualiter terra sine cultura et seminatione poterat notabiles fructus producere, ex quibus omnes hi vescerentur, nisi forte natura terræ illius hoc habeat.

Ibidem.

Subditur de anno jubilæo : *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum :* quarum hebdomadarum quælibet continet septem annos, sicut hebdomada dierum continet septem dies : hinc subjungitur, *id est septies septem,* supple, annos : *quæ* hebdomadæ annorum *simul, faciunt annos quadraginta novem. Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis* illius, *propitiationis tempore,* id est, in quo decimo die est festum Expiationis, ut vicesimo tertio habetur capitulo, *in universa terra vestra,* propter imminentis jubilæi solennitatem, atque ut omnes se præparent ad illam : sicque in diversis terræ partibus erant plures buccinatores. Tamen, ut in Scholastica recitatur historia, aliqui dicunt, Septem annis jubilæum præcedentibus in singulis neomeniis, id est novis lunationibus, clangebant tubis, et septem diebus continuis ante jubilæi inceptionem solennizabant tubis clangentes.

Lev. XXIII, 27.

Sanctificabisque, id est, ad multa divina ordinabis et applicabis, *annum quinquagesimum.* De intellectu hujus verbi est duplex opinio apud Hebræos atque Catholicos, quoniam quidam per hunc quinquagesimum annum intelligunt ultimum annum prædictarum septem hebdomadarum, videlicet annum quadragesimum nonum : quem tamen quinquagesimum vocant per comparationem ad præcedentem jubilæum, seu potius ad ultimum annum illius, per inclusionem anni ejusdem : sicque annus jubilæus concurrebat seu idem erat cum anno remissionis ultimatæ hebdomadæ prædictorum annorum. Alii per quinquagesimum annum intelligunt annum proxime subsequentem præfatas septem hebdomadas : et ita tam in ultimo illo anno septem hebdomadarum seu quadragesimo nono, quam in anno immediate sequente, utpote jubilæo, terra Israel sab-

Digitized by Google

batizavit. *Et vocabis remissionem,* id est annum gratiosum, *cunctis habitatoribus terræ tuæ,* remissione et gratia ejus egentibus. *Ipse est enim jubilæus,* id est jucundus et prosper propter ea quæ fient in eo. De quibus subjungitur :

Revertetur homo ad possessionem suam, quam ante vendiderat, seu quæ hereditario jure ad ipsum pertinere debebat, quamvis ad tempus fuit impedimentum ; *et unusquisque rediet ad familiam pristinam,* a qua, fuga, exsilio, conjugio aut simili modo fuerat separatus ; *quia jubilæus est et quinquagesimus annus. Non seretis neque metetis* in jubilæo *sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis,* prout fit in aliis annis, vehendo ea in horrea vestra ad proprium usum, *ob sanctificationem jubilæi ; sed statim ablata* * comedetis,* id est, ea quæ inde cursim et partim tuleritis, tanquam de quodam communi bono comedetis.

* *oblata*

Circa hæc scribit Thomas in prima secundæ, quæstione 105, et primo sic arguit : Societas hominum per hoc maxime conservatur, quod homines emendo et vendendo sibi invicem res suas commutant quibus indigent, ut in Politicis dicitur. Sed lex vetus abstulit vim venditionis : mandavit enim quod possessio vendita rediret ad venditorem in jubilæo. Ad idem respondet : Sicut Philosophus dicit in secundo Politicorum, Regulatio possessionum, multum confert ad conservationem civitatum, gentis ac patriæ. Unde refert, quod in quibusdam gentium urbibus fuit statutum, ut nullus possessionem suam vendere posset, nisi pro manifesto detrimento. Si enim passim possessiones vendantur, potest contingere, quod omnes possessiones ad paucos deveniant, et ita necesse erit civitatem vel regionem habitatoribus vacuari. Idcirco lex vetus ad hujusmodi periculum evitandum sic ordinavit, quod et necessitatibus hominum subveniretur : propter quod admisit venditionem usque ad certum tempus, et cum hoc removit periculum, præcipiens ut certo tempore possessio vendita ad vendentem rediret ; et hoc constituit, ut sortes non confunderentur, sed semper remaneret eadem distinctio determinata in tribubus.

A

Sequitur modus servandi justitiam in contractibus. *Quando vendes quidpiam civi tuo,* id est alicui de populo tuo : alienis enim gentibus non poterant vendere agros suos Judæi, nisi forte fuissent ad Judaismum conversi ; *vel emes ab eo* agrum, olivetum aut vineam ; *ne contristes fratrem,* id est proximum *tuum,* ipsum injusto B contractu gravando ; *sed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo,* id est, plus aut minus dabis vendenti pro re venali, secundum quod plures aut pauciores anni restant usque ad proximum jubilæum futurum, seu a proxime elapso fluxerunt : quod redit in idem ; *et juxta supputationem frugum vendet tibi,* id est, plus aut minus de pretio exiget, secundum quod fructus nascituri probabiliter æstimantur majores aut minores futuri, vel prout res vendenda fertilior est. Hinc quasi exposi- C torie sequitur : *Quanto plures anni remanserint post jubilæum* præteritum usque ad jubilæum sequentem, *tanto crescet et pretium* exponendum pro agro emendo, aut re consimili ; *quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris emptio constabit. Tempus enim frugum vendet tibi,* id est fructus nascituros usque ad jubilæum : nam fundum non potest vendere absolute. Præterea Josephus ait : In jubilæo conveniebant venditor agri et emptor, computabantque fructus ex agris susce- D ptos : quibus compertis exuberasse ultra expensas factas in agro, recipiebat venditor agrum. Quod si expensæ transcenderent, hoc quod deerat emptor recepit, et a possessione sua discessit.

Nolite affligere per circumventionem, aut alium modum injustum, *contribules vestros,* id est eos qui ex eadem vobiscum sunt tribu aut natione : imo nullus injuste est affligendus corporali aut spirituali afflictione, quum hoc sit de lege naturæ : Ne facias alteri, quod non vis fieri tibi. *Tob. iv, 16.*

Digitized by Google

Sed timeat unusquisque Deum suum: quem qui timuerit, omnia ista implebit, quia qui timet Deum, nil negligit; *quia ego Dominus Deus vester. Facite præcepta mea* moralia, et ea quæ sunt de lege naturæ, *et judicia* mea, id est judicialia mandata, *custodite* memoriter, *et implete ea* per effectum. Neminem enim vult Deus otio dare locum, sed juxta vires suas vult unumquemque fructificare. Vires quoque (ut ait Glossa) conscientia cujusque examinat. Circa hæc ait Glossa: Ne quis audita moderatione vendendi et emendi, sævior* fieret, et condescensio ipsa noceret, caute adjungit: Facite præcepta mea. Audito quippe præfato moderamine, in contractibus observando, poterat emptor amaricari, eo quod parum esset lucraturus emendo, et venditor remissior fieri et prodigus in utendo, tanquam qui venditum esset rehabiturus vel in se ipso, aut in sobole sua: ideo ad excludendum ab utrisque hæc mala, sapienter admonuit Dominus, ut unusquisque secundum divina præcepta se regulet.

Eccle. vii, 19.

* segnior

Consequenter tangit Dominus quasi rationem seu præmium observandi sua præcepta. *Ut habitare possitis in terra* vobis promissa, *absque ullo pavore* carnali, mundano, inordinato, pœnali; *et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem* exclusive, si per saturitatem intelligatur gulosa comestio, juxta quod ait Salvator: Væ vobis qui saturati estis. Vel, Usque ad saturitatem inclusive, intelligendo nomine saturitatis sufficientem refectionem. *Nullius* persecutoris *impetum formidantes,* certi quod Deus non deseret vos, nisi prius deseratur a vobis. Verumtamen contra tentationes et impetus invisibilium hostium, oportet nos jugiter esse præcinctos, et cum filiali timore et tremore inde nascente, nostram operari salutem. Ne autem ex diffidentia providentiæ Dei, et ex sollicitudine mundiali negligerent Hebræi præcepta de sabbatizatione septimi anni et requie jubilæi servare, Dominus subdit: *Quod si dixeritis, Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam,* id est copiosam et supernaturalem multiplicationem terræ nascentium, *vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum:* id est, terra vestra tantum proferet fructum uno anno, utpote sexto, quantum naturaliter solet proferre tribus annis. *Seretisque anno octavo,* quiescentes septimo anno ab agricultura, *et comedetis fruges veteres,* utpote fructus sexti anni, *usque ad annum nonum; donec nova nascantur, edetis vetera:* atque ut Josephus refert, istud in obedientibus implebatur. Quocirca loquitur Glossa: Quia per duos annos Dominus terram vacare præceperat, ne conturbarentur tanquam solliciti quid comederent, ait: Dabo benedictionem meam. Et notandum, quia quum Christus dicat, Nolite cogitare de crastino, lex jubet ne cogitent de tribus annis.

Luc. vi, 25.

Philipp. ii, 12.

Matth. vi, 34.

Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est. Non dubium quin jure creationis et gubernationis, ac universalis dominii, universa terra totusque mundus sit Dei; sed nunc specialiter mentio est de terra promissionis, quam Deus suo cultui specialiter deputavit. Unde nunc jubet, ut nec tota, nec aliqua ejus pars in æternum vendatur a filiis Israel, quasi ipsi essent domini terræ illius, qui solum erant advenæ et coloni ipsius Dei in ea: sicut colonus fertur, qui colit et incolit terram seu domum alterius. Verum ut recitat Augustinus, alia littera habet, Terra non vendetur in profanationem, ne quis terram quam accepit, audeat vendere profanis hominibus, qui in ea impietatem exerceant, alienosque deos colant. Alii autem habent, In confirmationem, ut scilicet venditio non ita firmetur, quin in jubilæo venditum redeat ad venditorem. Ideo qui habet terram, utatur ea secundum Dei præceptum. *Unde cuncta regio possessionis vestræ, sub redemptionis conditione vendetur,* id est, nulla pars terræ vestræ aliter vendatur a vobis, nisi sub hac conditione, quod redimi poterit. Unde subjungitur:

Digitized by Google

Si attenuatus frater tuus, id est proximus tuus compulsus inopia aut difffortunio, *vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat :* et hoc ratione consanguinitatis quæ facit cognatos quodammodo unum, quemadmodum multi rami et frondes sunt unum in radice. *Sin autem non habuerit proximum,* id est, si venditor nullum habuerit cognatum volentem et potentem redimere quod venditum est, *et ipse* venditor, *pretium ad redimendum potuerit invenire,* id est obtinere in promptu ; *computabuntur fructus* levati ab emptore de terra quam emit, *ex eo tempore quo* venditor *vendidit,* id est terram talem ; *et quod reliquum est,* id est, id quod computatis fructibus illis, adhuc deest ab integritate pretii, quod ab emptore pro terra sua accepit, *reddet emptori* si potest, *sicque recipiet possessionem suam. Quod si non invenerit manus ejus ut reddat pretium,* id est, si potestas sua non extendit se ad hoc, quod reddere possit emptori præfatum residuum ; *habebit emptor quod emerat usque ad annum jubilæum. In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum suum, et ad possessorem pristinum.*

Qui vendiderit domum suam intra muros urbis situatam, *habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Si non redemerit* eam primo anno, *et anni circulus fuerit evolutus :* an autem propinquus poterat eam redimere, non exprimitur hic ; *emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit etiam in jubilæo. Sin autem in villa fuerit domus, quæ* villa *muros non habet, agrorum jure vendetur,* id est tali manerie, quod redimi poterit semper usque ad jubilæum, eo modo quo de redemptione agrorum venditorum est dictum. *Sin autem* * *redempta non fuerit* ante jubilæum, *in jubilæo revertetur ad dominum suum,* id est ad venditorem, seu ejus heredem.

* si ante

Sed circa hæc oritur quæstio, quæ sit causa diversitatis istius circa venditas domos. Iterum, quoniam dictum est, quod in jubilæo omnis possessio seu venditio redit ad dominum ac pristinum possessorem, ergo et domus in urbe sita et vendita, saltem in jubilæo potest redimi, imo sine redemptione ad venditorem reverti. — Ad primum horum aliqui dicunt, quod urbes oportet esse magis populosas : idcirco statutum est, ut domus earum venditæ, non possent redimi nisi primo anno, quatenus possessores essent minus proni vendere ipsas. Porro Thomas in prima secundæ, quæstione 105, respondet : Quia domus urbanæ non erant sorte distinctæ, Deus concessit ut in perpetuum vendi possent, sicut et bona mobilia. Reditio namque venditi ad venditorem, est instituta ut sortes non confunderentur, id est divisio terræ tribubus facta per sortium missionem ; nec erat statutus numerus domorum civitatum, sicut erat certa mensura possessionis, ad quam non addebatur. Sed domus villarum non muratarum, in perpetuum vendi non poterant, quia hujusmodi domus non construuntur, nisi ad cultum atque custodiam possessionum. — Ad secundum respondetur, secundum Magistrum in historiis, quod a generali regula illa excipiebantur domus urbium. Verumtamen domus Levitarum venditæ, semper redimi poterant. Unde mox subditur :

Ædes Levitarum quæ in urbibus sunt, semper redimi possunt. Si redemptæ non fuerint ante jubilæum, *in jubilæo revertentur ad dominos* suos. Cujus ratio subditur, *quia domus urbium Levitarum, sunt pro possessionibus inter filios Israel :* id est, domus Levitarum, quas habent in urbibus seu etiam in villis, sunt quasi hereditaria bona eorum, eo modo quo agri et vineæ sunt hereditates tribuum aliarum ; nec Levitæ agros in hereditatem sortiti sunt. Ideo domus Levitarum, quamvis sitæ in urbibus, redimi possunt, et redeunt ad suos possessores, quemadmodum agri tribuum aliarum. *Suburbana autem eorum non veneent* *, id est, Levitæ non poterunt sua vendere suburbana, *quia possessio sempiterna*

* veneant

Digitized by Google

est. Suburbana quippe Levitarum, erant A loca pascualia extra et prope urbes ipsorum sita, et communiter deputata alendis eorum pecoribus, et ita erant quædam communia bona : propter quod a singularibus vendi non poterant, sed erant bona perpetua, quia communitas illa Levitica, cui attinebant, secundum se totam non defecit.

Sequitur alia lex pietatis de proximo non gravando. *Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu :* id est, si proximus tuus natu Judæus fuerit depauperatus, et facultate seu robore operandi destitutus ; *et susceperis eum* ad cohabitandum tibi, *quasi advenam et peregrinum,* eo quod in alienis domibus commoretur, *et vixerit tecum* inter te conversando ; *ne accipias ab eo usuras* pro eo quod ei accommodaveris, *nec amplius quam dedisti,* id est nullam superabundantiam ultra sortem : quia non est afflicto addenda afflictio, præsertim dum ejusdem religionis et nationis consistit. *Time Deum tuum,* caritative et timorate te habendo, secundum quod exigit filialis timor Dei, *ut vivere* C *possit frater tuus apud te* per tuam subventionem, et non cogatur præ paupertate et aggravatione ei facta ex te, abire et fugere. Deinde quasi expositorie subditur: *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges,* plus de bladis petendo, quam ei accommodasti : quia usura committitur non solum in pecuniis, sed et in fructibus terræ ac consimilibus, quorum usus est eorum consumptio. Hoc loco prohibetur Judæis usura in suos ; alibi vero videtur eis permitti in D extraneos, ut ibi dicetur.

Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan, et essem vester Deus : ideo volo, quod sicut ego fui omnibus vobis gratiosus et pius, ita et vos mutuo sitis. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater,* id est proximus *tuus* in servum, seu proxima in ancillam, *non opprimes eum servitute famulorum,* id est tam dure sicut tractari solent servi et ancillæ alterius sectæ ac nationis ; *sed quasi mercenarius et colonus erit,* id est, ita tractabis eum atque reficies, ut solent mercenarii et coloni tractari, qui quasi medio modo habentur inter prolem et servum empticium. Servus quoque Hebræus empticius, non fuit penitus mercenarius et colonus, quoniam domum suam et agrum fuit cito recuperaturus, ut dicit Glossa. *Usque ad annum jubilæum operabitur apud te,* id est, tibi deserviet. Verumtamen si interim occurrebat annus remissionis, scilicet sep- B timus annus ab exordio quo cœpit servire, poterat egredi liber, prout in Exodo præhabitum est. *Et postea,* scilicet in exordio jubilæi, *egredietur* domum et servitutem tuam, *liber cum liberis suis* et uxore, *et revertetur ad cognationem,* id est ad habitandum inter suos cognatos, *et* ad *possessionem patrum suorum* quæ ad tempus fuit alienata ab eo. *Exod.* XXI, 2.

Mei enim sunt servi : id est, filii Israel sunt immediate servi mei, quia de servitute Ægyptia eos redemi, et meo obsequio mancipavi. Hinc additur : *et ego eduxi eos de terra Ægypti. Non veneent* * *conditione servorum,* id est, hoc jubeo, ut non vendantur ut solent vendi ceteri servi ad serviendum perpetuo, qui et dura servitute premuntur ; *nec affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum. Servus et ancilla sint vobis,* id est, servos et ancillas ematis ac jugiter teneatis, *de nationibus quæ in circuitu vestro sunt,* puta de infidelibus, quamvis nondum conversis, *et de advenis qui peregrinantur inter vos,* id est de conversis ad Judaismum, *vel qui ex his nati fuerint in terra vestra ; hos habebitis famulos* et item ancillas ex illis, *et transmittetis hereditario jure ad posteros,* secundum quod in libris Josue, et Regum, et Paralipomenon, et Esdræ, legitur de Gabaonitis, seu Nathinæis, aliisque quibusdam impletum ; *ac possidebitis in æternum.* Hæc promissio fuit conditionaliter intelligenda, sicut et aliæ multæ, videlicet si Judæi in Dei cultu manerent constantes, nec peccando obicem ponerent

* veneant

Josue IX, 27. I *Par.* IX, 2. I *Esdr.* II, 58.

Digitized by Google

impletioni promissionis divinæ. *Fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam.*

Si invaluerit apud te manus advenæ atque peregrini : hoc est, si aliquis ad Judaismum conversus, in terra vestra fuerit dives et potens factus, aut manserit talis ; *et attenuatus frater tuus* natione Judæus, *vendiderit se ei* in servum, *aut cuiquam de stirpe ejus, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus,* id est consanguineis *suis, redimat eum, et patruus et patruelis,* id est filius seu filia patrui, *et consanguineus et affinis,* id est quicumque cognatorum seu affinium ejus. *Sin autem et ipse potuerit, redimet se, supputatis dumtaxat annis a tempore venditionis suæ usque in annum jubilæum ; et pecunia qua venditus fuerat, juxta annorum numerum* etiam computata, *et ratione mercenarii supputata :* id est, redimendo se attendet, et computabit quantum servitus sua profuit venditori a tempore quo se vendidit illi, et item quot anni restent usque ad proximum jubilæum futurum ; sicque in redemptione sua defalcabitur de restitutione pretii, quo vendidit se, tantum, quantum interim valuit servitus sua, seu alibi promeruisset deserviendo. Et rursus, quo jubilæus magis aut minus distat, secundum hoc magis aut minus reddet pro sua restitutione, sicut de redemptione agrorum jam dictum est. Ex quibus planus est textus sequens. *Si plures fuerint anni, qui remanent usque ad jubilæum, secundum hos reddet pretium. Si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, et reddet emptori, quod reliquum est annorum, quibus ante servivit, mercedibus imputatis. Non affliget eum violenter.* Quod si per hæc redimi non potuerit, anno jubilæo egredietur cum liberis suis, sicut expositum est.

Mei enim sunt servi filii Israel : idcirco in servitutem humanam non sunt perpetuo redigendi, nisi forte per suos excessus aliud mereantur, vel nisi sponte eligant in servitute manere; prout super Exodum fuit expositum. Hinc Josephus et Magister in historiis protestantur, quod quamvis Judæi essent contribules et concives eorum a quibus aliquando emebantur, tamen voluit eos servitutis schemate castigare propter legum seu Mosaicæ legis præceptorum transgressionem. Atque ut ait Glossa, constat ex his, quantum diligatur a Domino, et quantum sit diligenda libertas. Ideo enim Israelitam noluit alienis servire, sed redimi jussit. Denique si indecens fuit, natione Hebræum servire alieno, quamvis ad Judaismum converso : quanto indecentius est, Christianum aut Christianam induratis perfidisque servire Judæis ? Non ergo hoc permittant fideles.

ARTICULUS XLVII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI VICESIMI QUINTI INTELLECTU.

Q*UANDO ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis,* sabbatizet terra sabbata sua. Terra ista est Ecclesia militans, quæ peregrinatur in terra ; vel monastica religio, seu propriæ fragilitatis consideratio humilis : quæ terra a Deo donatur, dum quis ab ipso per fidem et caritatem incorporatur Ecclesiæ, vel gratiam conversionis perfecte sortitur, sive ad veram humilitatem perducitur. Quum igitur quis has terras, aut earum aliquam est ingressus, tunc ipsa Ecclesia gloriatur in Domino, et pace pectoris conquiescit. Similiter sacra religio de suis professoribus gaudet. Hu-

Digitized by Google

militas quoque facit mentem repausare in Christo. *Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam.* Per agrum, inferior pars animæ; per vineam, portio ejus superior designatur. Per senarium autem annorum, qui est numerus completus, totum vitæ nostræ tempus in hoc sæculo accipi potest. Itaque indesinenter omni quo vivimus tempore in hoc mundo, non cessemus tam inferiorem rationem sensitivumque appetitum, quam vim intellectivam ac voluntatem circa spiritualia ac divina versantes seminare, fecundare, excolere, et implere actibus virtuosis, affectionibus sanctis, apprehensionibus et considerationibus vere salubribus, ne exprobrari valeat nobis illud Proverbiorum:
Prov. XXIV, 30, 31. Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum operuerunt urticæ. Amputandæ ergo sunt a vinea cordis urticæ et spinæ passionum ac vitiorum.

Septimo autem anno sabbatum erit terræ. Per septimum annum intelligitur tempus beatæ remunerationis, sive in particulari uniuscujusque judicio, sive in resurrectione finali, in quibus non erit tempus seminandi ac promerendi, seu per profectum colligendi; sed de eo quod seminavimus et profecimus, beatificam refectionem suscipiendi pro præmio, juxta quod scri-
Ps. CXXVII, 2. *Apoc.* XIV, 13. ptum est: Labores manuum tuarum quia manducabis. Et iterum: Opera eorum sequuntur illos. Hinc subditur: *Sed erunt vobis in cibum, tibi et servo tuo et ancillæ tuæ:* quoniam in resurrectione finali præmiabuntur electi in corpore et in anima, in intellectivis ac sensitivis potentiis, pro meritis vitæ præsentis. *Quæ sponte gignit humus, non metes:* hoc est, de his quæ propria efficis voluntate aut naturalis rationis dictamine, sine caritatis et gratiæ condimento, mercedem gloriæ non habebis, quum absque caritate nihil sit meritorium.

Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ. Per annum hunc quinquagesimum jubilæum, præfi-

A guratus videtur annus jubilæus evangelicæ legis, quo plena confertur peccatorum remissio cunctis hominibus, qui per veram contritionem et confessionem ad tantam gratiam se disponunt: quo anno instante, buccina prædicationis undique intimatur *Is.* LVIII, 1.
tanta celebritas. Rursus per jubilæum legis, intelligitur tempus gratiæ Christi, qui prædicavit annum acceptabilem Domino. Nihilo minus per eumdem jubilæum designatur quietissima et æterna duratio electorum in patria. Propterea Glossa dicit:
B Interrogemus Judæos, si septimum diem Moyses honoravit, et ab operibus vacare *Exod.* XX, 10.
præcepit, cur quinquagesimum annum celebrari mandavit. Non utique hoc mandasset, nisi mysterium designasset, quod Judæorum non capit infirmitas. Per hæc etenim duplex omnium consummatio significatur a Deo: una cujusque singularis, altera omnium generalis. Prima designatur per septenarium, secunda per jubilæum seu quinquagesimum. Nempe in hebdomadam dierum, duratio vitæ humanæ modo
C dividitur. Quum ergo hic numerus fuerit in semetipso multiplicatus, et tota sæculi ætas completa, et tempus diu volutum, ad finem pervenerit, jubilæus succedet. Ante quem buccina clanget, quia in tuba Dei I *Thess.* IV, 15.
Christus descendet de cœlo ad judicandum pro suis electis. Tunc *revertetur homo ad possessionem suam,* ad cœlestem videlicet paradisum; *et ad familiam pristinam,* id est ad angelicam societatem, cum qua præordinatus est Deo servire. In fine etenim dicturus est Judex: Venite, benedicti Patris *Matth.* XXV, 34.
D mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.

Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum. Dominus et Salvator in Evangelio loquitur: Negotiamini dum venio. Est itaque *Luc.* XIX, 13.
spirituale quoddam commercium seu mercatum, quo prælatus seu prædicator impendit auditoribus talentum verbi cœlestis, *Matth.* XXV, 14, 15.
donum doctrinæ et gratiam sibi collatam illis communicat, quatenus illi pro hujusmodi bonis referant fructum, spiritualiter-

Digitized by Google

que ditentur. Verumtamen non sunt ultra A modum requirendi ad exhibendum hu- *Matth.* xviii, 29. jusmodi incrementum, sed patienter sunt tolerandi, et cum modestia corripiendi, ut saltem paulatim proficiant. *Nolite affligere contribules vestros.* Nemo alteri sit molestus, injuriando aut ulciscendo injuste, *Galat.* vi, 2. imo alter alterius onera portet. Advertamus quod per Ezechielem Dominus contestatur *Ezech.* xiii, 22. contra iniquos : Mœrere fecistis quem ego non contristavi.

Implete præcepta mea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore. Obser- B vantia etenim præceptorum, bonam conscientiam parit, generatque fiduciam, et *Prov.* xxviii, 1. imperterritum facit. Unde justus quasi leo *Job* xv, 21. confidens, absque terrore erit. Porro sonitus terroris semper in auribus impii, et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Hinc et Philosophus ait, quod hi qui bene se habent in divinis, sunt audaciores. *Et gignat vobis humus fructus suos,* id est, caro obediendo spiritui exerceat actus virtutum. *Quibus vescamini usque ad saturitatem,* ut scilicet in patria coronemini pro C hujusmodi factis, pro jejuniis, disciplinis, vigiliis, lacrimis.

Terra quoque non vendetur in perpetuum. Terra nostra, est caro nostra mortalis, quam quasi diabolo pro voluptatis et iniquitatis denario vendimus, dum eam *Rom.* vi, 13. exhibemus arma iniquitatis peccato. Quod et si quis ad tempus effecerit, absit ut vel proposito vel opere faciat hoc usque in finem vitæ suæ; sed protinus resipiscat, seque per pœnitentiam redimat, et a jugo atque obsequio iniquitatis ac dæmonum D conetur eruere. *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam :* id est, si quis onere tentationum, aut pondere adversitatum, charismata gratiæ sibi infusa amiserit, consentiens tentatori, et locum *Ephes.* iv, 27. in se præstans diabolo, propinquus ejus potest redimere eum : tunc enim ceteri debent pro eo orare, et omni quo quiverint modo, ad statum salutis eum reducere.

Qui vendiderit domum suam intra muros urbis, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Domus intra muros posita, est status salutis, seu gradus meritorum, vel locus quem quis habet in Ecclesia, quæ est civitas Dei viventis, cujus muri sunt angelica custodia et ipse Salvator, prælatorum quoque præsidentia. Qui hanc suam vendiderit domum, egrediendo Ecclesiam per peccatum, vel ecclesiasticam unitatem per schisma vel hæresim, vel individuam caritatem per mentis aversionem, potest eam redimere primo anno. Si autem perseveraverit, induratusque fuerit in his malis, vix aut nunquam se emendabit, dicente Apostolo : Hæreti- *Tit.* iii, 10, 11. cum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, et delinquit proprio judicio condemnatus. *Sin autem in villa fuerit domus.* Domus in villa, est exsistentia meritorum, seu locus virtutum inter pusillos et fragiles : qui si peccaverint ex ignorantia aut infirmitate, non ex proposito atque malitia, veniam facilius adipiscuntur, et convertibiliores exsistunt : ideo semper redimi possunt venditæ domus ipsorum, quia ad pristinum gratiæ statum citius reparantur. *Si autem redempta non fuerit, in jubilæo revertetur.* Sæpe enim contingit, ut per misericordissimam Dei præventionem quasi in jubilæo pœniteant et salventur, qui nec suis laboribus, nec aliorum suffragiis ad hoc devenissent. Quod et in jubilæo anno Ecclesiæ copiosius solet accidere. *Ædes Levitarum quæ in urbibus sunt, semper redimi possunt.* Ædes Levitarum, possunt intelligi virtutes et merita religiosorum et perfectorum, qui si interdum corruerint, tot et tanta habent præsidia resurgendi, quod facilius recuperantur, et memores quales paulo ante exstiterint, fortius ad meliora nituntur. *Suburbana autem eorum non veneent :* id est, libri Scripturæ canonicæ atque authenticæ non sunt alienandi, quoniam sunt perpetua hereditas electorum.

Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu : id est, si proximus aut subditus tuus fuerit vitiis obrutus, et tentatione

Digitized by Google

oppressus, et susceperis eum ad curandum, A ad informandum ac protegendum, noli esse austerus ad ipsum, sed caritative, patienter et discrete te habe ad ipsum, nec amplius quam potest ab ipso requiras, Rom. xv, 1. quum dicat Apostolus : Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum portare. Galat. vi, 1. Itemque : Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.

Si paupertate compulsus, vendiderit se tibi frater tuus, etc. Hoc loco docentur fi- B deles Domini, quam pie et humiliter habere se debeant ad fideles eis obsequentes, tanquam ad participes gratiæ, et sicut ad fratres fide ac religione, et velut ad Luc. vi, 20. pauperes Dei, quibus ait Salvator : Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei ; imo sicut ad eos, qui ipsis forsan multo meliores, aut magis electi consistant. Hanc doctrinam tangit et Paulus in suis epistolis. *Servus et ancilla sint vobis de nationibus.* Vere sic decet, ut hæretici, schismatici, et ceteri infideles serviant Christianis, qui sunt genus electum, rega- I Petr. ii, 9. le sacerdotium, gens sancta. *Fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam :* hoc est, vere catholicos non tractetis indigne. Sed heu ! quoniam Christiani suis vitiis opprimi, et servire iniquis merentur ; et ipsi dimissis perfidis hostibus suis, contra se invicem præliantur ; imo scientes quam dire et inhumane fratres eorum fideles catholici, ab impiis Sarracenis, Turcis et barbaris redigantur in servitutem, in captivitatem et mortem, non redimunt, nec succurrunt.

Mei enim sunt servi filii Israel quos eduxi de terra Ægypti : id est, Christifideles quos de tenebris et peccatis hujus sæculi nequam eripui, sunt servi mei servitute dignissima, quæ est vere dominium, quia mihi servire regnare est, utpote mundo, carni, vitiis, ac dæmonibus, imo et proprio animo dominari : ideo non sunt vendendi, neque tractandi conditione et more servorum.

ARTICULUS XLVIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEXTI : EGO DOMINUS DEUS VESTER.

SCIENS Dominus populum illum cui C tradidit legem, esse durum ac rudem, nunc exhortatur eos ad suæ observantiam legis, et hoc variis modis : videlicet, prospera pollicendo obedientibus, adversa minando rebellibus, et omnes consolatorie refovendo. Denique, quia futurorum, æternorum, et spiritualium vix erant capaces, promittit eis temporalia bona, et transitoria prospera. Talia quoque comminatur adversa, ut carnales et rudes saltem vel sic allicerentur ad cultum Dei. Verumtamen sub temporalibus illis bonis promis- D sis, comminatisque malis, intelligenda sunt bona cœlestia et æterna, mala quoque infernalia sempiterna : quia nec bona temporalia et terrena, sunt spiritualium et virtuosorum actuum merces condigna, sed beatitudo cœlestis et æternalis ; nec temporalia mala sunt sufficiens pœna inobedientiæ præceptorum incircumscriptibilis Dei, cujus offensio est gravitatis immensæ.

Primo autem repetit Dominus quædam præcepta sua interdum præhabita. *Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis idolum.* De quali idolo hoc dicatur, constat ex eo quod subditur, *et sculptile.* Itaque per idolum intelligitur statua fusilis ; per sculptile, imago sculpta. *Nec titulos erigetis,* id est notabilia et velut honorifica

Digitized by Google

signa memorativa in honorem deorum; vel, ut quidam exponunt, altaria pro idolorum cultura; *nec insignem lapidem ponetis in terra vestra ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester.* Id est, non constituetis hinc inde, imo nullibi aliquem præclarum ornatumque lapidem idolorum imagine pictum, seu saxeam statuam, ut adoretis eum. *Custodite sabbata mea.* Per sabbata possunt omnes solennitates legis intelligi, vel specialiter septimi dies tunc celebres. Custodienda sunt ergo sabbata in memoria et effectu, ut in eis mala vitentur, a servilibus operibus quiescatur, atque virtutibus insistatur. *Et pavete ad sanctuarium meum,* id est, reverenter habete vos circa templum seu tabernaculum, non ingrediendo illud, nisi cum puritate et devotione.

Deinde obedientibus prospera promittuntur. *Ego Dominus. Si in præceptis meis ambulaveritis,* id est, per observantiam præceptorum divinorum vixeritis vita gratiæ, et recte tenderitis ad ultimum finem, *et mandata mea custodieritis, et feceritis ea; dabo vobis pluvias temporibus suis,* id est opportunis, prout expedit fecundationi fructificationique terræ vobis promissæ, quæ pluviis irrigatur et fecundatur; Deut.xi,10. terra vero Ægypti, inundatione Nili, prout in Deuteronomio tangitur; *et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam,* id est, tam copiosa nascentur blada, ut ante depositionem uvarum, vix colligantur et excuti queant; *et vindemia occupabit sementem,* id est, bonorum copia erit tam magna, ut eorum depositio et expressio extendantur usque ad novam seminationem; *et comedetis panem vestrum in saturitate,* id est, victualium sufficientiam habebitis: nomine equidem panis, omnis cibus aut etiam materia refectionis, utpote cibus et potus, intelliguntur; *et absque pavore* visibilium hostium *habitabitis in terra vestra:* imo et absque omni inordinata formidine. *Dabo pacem in finibus vestris,* id est, pacem temporis, imo et pe-

A ctoris, dabo habitatoribus terræ vestræ, scilicet vobis et posteris vestris, vestigia vestra sectantibus. *Dormietis, et non erit qui exterreat,* suscitando vos ad resistendum hostibus. *Auferam malas bestias,* ita quod vobis nocivæ non erunt; *et gladius,* id est persecutor cum gladio, *non transibit terminos vestros,* id est partes et sortes terræ vestræ. *Persequemini inimicos vestros. Persequentur quinque de vobis, centum alienos,* ita quod fugient; *et centum ex vobis, decem millia.* Hoc aut simile, vel B etiam plus aliquid interdum accidisse creditur bonis Judæis, sicut ex libro Regum, Paralipomenon, et Machabæorum, posset II Par.xx, 15 et seq. I Mach.iv, 30 et seq. probari. Omnipotens quippe Deus, universorum hominum corda et corpora juxta omne libitum suum alterat et immutat, debilitat et confortat, stupefacit et relevat, erigit et prosternit, animat et perterret, lætificat et contristat: nec aliter credibiles essent historiæ, quæ in divinis leguntur Scripturis.

Respiciam vos oculo pietatis, *et crescere* C *faciam. Et firmabo pactum meum vobiscum,* id est, fœdus seu promissum meum adimplebo in vobis. *Comedetis vetustissima veterum,* id est fructus valde antiquos præ abundantia residuos annis prioribus; *et vetera* germina terræ, *novis* fructibus *supervenientibus, projicietis* tanquam superflua: quia nec pauperes inter vos erunt qui eis indigeant, sicque brutis projicientur. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri,* id est tabernaculum istud materiale jussu Moysis factum, deinde et D templum constituam inter vos in terra promissionis; et inter vos, imo in cordibus vestris gratiose morabor; *et non abjiciet vos anima mea,* id est, mens mea non detestabitur neque repellet vos. Anima autem adscribitur Deo metaphorice, et ipse omnipotens Dominus frequenter loquitur affectu et more humano, condescendens infirmitati capacitatis humanæ. Hinc asserit Augustinus: Animam suam vocat Deus voluntatem suam. Non enim est animal habens corpus et animam. *Ambulabo inter*

Digitized by Google

vos, id est, ubique familiariter adero vobis, A *et ero vester Deus* per specialem adsistentiam, protectionem et opem; *vosque eritis mihi populus*, id est, ad honorem et gloriam majestatis meæ eritis plebs mea peculiaris et cultrix præ ceteris gentibus. *Ego Dominus, qui confregi catenas cervicum vestrarum*, id est jugum durissimæ servitutis, quo ab Ægyptiis depressi fuistis, saxa, lutum et lateres deferendo, et ex tristitia dejecto capite incessistis, juxta illud Baruch, Anima tristis super magnitudine mali incedit curva; *ut incederetis erecti*, B id est jucundi et liberi, erectoque capite, ut moris est liberatis a magnis pressuris.

Baruch II. 18.

Sequuntur comminationes. Atque ut in Scholastica fertur historia, in his inveniuntur triginta clausulæ promissionum; transgressoribus vero multo plures maledictiones ingeminat. Glossa quoque fatetur: Triginta benedictiones in præsenti capitulo lex prædicit, quas in translatione Septuaginta interpretum distinctas reperies. Denique plures ponuntur maledictiones seu comminationes, quam promissiones: quo- C niam pravi et duri homines, quales isti fuerunt, magis retrahuntur a vitiis per terrorem malorum, quam per amorem bonorum. *Quod si non audieritis me* aure cordis, *nec feceritis omnia mandata mea*. Oportet enim omnia adimplere, quum Salomon dicat: Qui in uno deliquit, multa bona perdet; imo ut Jacobus ait apostolus, Si quis totam legem implevit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Et spreveritis leges meas*, id est jussiones cærimoniales, non solum ex infirmitate D aut ignorantia, sed ex certa malitia eas transgrediendo; *et judicia*, id est judicialia præcepta, *contempseritis, ut ad irritum perducatis pactum meum*, id est, legem meam, quantum in vobis est, evacuetis, quasi in vanum et cassum duxeritis; *ego quoque* qui essentialiter et interminabiliter justus sum, nullumque malum culpabile impunitum relinquo, *hæc faciam vobis:*

Eccle. IX, 18.

Jacob. II, 10.

Visitabo vos, id est puniam, *velociter in egestate* ex terræ sterilitate, *et ardore*, id est æstuanti angustia seu exteriori incendio, *qui conficiat oculos vestros:* quia ex vehementia egestatis et ardoris illius, exteriores oculi vestri miserabiliter erunt dispositi, interioresque oculi mœrore et pavore obtenebrabuntur; *et consumat animas vestras*, id est, omnino dejiciat, ita quod quasi mortuæ erunt, quia eas nil delectabit. Unde et de mœstissimo Jacob jam consolato ait Scriptura, quod revixit spiritus ejus. *Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos*, id est, indignanter et rigorose adspiciam vos; *et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemini his qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente*, id est, ex solo timore adventus adversariorum vestrorum fugam accipietis, quia nec in Deo, nec in viribus vestris confidetis, sed timore eritis victi.

Gen. XLV, 27.

Sin autem nec sic obedieritis mihi: sicut nec modo obediunt infelicissimi obduratissimique Judæi, et tempore persecutionum quas a Chaldæis atque Assyriis pertulerunt, per præfata correcti non obedierunt; *addam correctiones* * *vestras septuplum*, id est, ultiones meas in vobis perfecte augebo, *propter peccata vestra*, scilicet incorrigibilitatem, obstinationemque vestram; *et conteram superbiam duritiæ vestræ*, id est, per pœnas gravissimas dissipabo et dejiciam vestri indurati cordis elationem, ita quod cunctis gentibus miseriores et infortunatiores, aspernatioresque eritis, sicut nunc videmus ad oculum. *Daboque vobis desuper cœlum sicut ferrum*, id est, nullam habebitis consolationem ex influentiis cœlestium corporum, nec ex cœlo aereo imber defluet vobis aut ros, imo sole nascente timor et miseria major vos apprehendent; *et terram æneam*, id est durissimam, non irrigatam nec fructuosam. *Consumetur incassum labor vester*, id est, frustra laborabitis in agricultura, in fuga, vel ad resistendum; *non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.*

* *correptiones*

Si ambulaveritis ex adverso mihi, id est, nec per præfatas pœnas cessaveritis ab

Digitized by Google

operibus et omissionibus mihi et meis præceptis contrariis; *addam,* id est augebo, *plagas vestras in septuplum,* id est plene secundum dictamen justitiæ meæ, *propter peccata vestra,* ut quanto plus creverit vestra iniquitas, tanto plus crescat justitiæ meæ effectus in vobis; *immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant,* videlicet feras voraces; *desertæque fient viæ vestræ:* quia vobis et jumentis vestris occisis, viæ a paucis aut nullis terentur.

Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi; ego quoque contra vos adversus incedam, id est, agam quæ contraria erunt vestræ voluntati, quasi adversarius vester, quantum ad id quod estis per culpam. Loquitur autem Dominus de se metaphorice, quasi de homine contra suos hostes irato animo incedente ad repugnandum ac ulciscendum. *Et percutiam vos septies propter peccata vestra. Inducamque super vos gladium,* hoc est exercitum armatum ad vindicandum cum gladio transgressiones, quibus prævaricati estis legem meam. *Quumque fugeritis in urbes* extra propriam terram, *mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in manus hostium, postquam confregero baculum panis vestri,* hoc est, abstulero vobis sustentamentum et refectionem ciborum vestrorum; *ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes,* id est, tanta sit vestra caristia, ut unus fornax mediocris pro una domo factus, sufficiat decem domibus ad panes calore consolidandos, *ut reddant eos ad mensuram,* hoc est cuilibet adstantium aut domesticorum, videlicet parce.

Sin autem nec per hæc audieritis me, id est, tanta vexatio vobis non dederit intellectum; *ego incedam adversus vos in furore contrario,* hoc est, per inflictionem acerrimarum pœnarum, ex quibus quasi per modum furiosi me contra vos habere videbor; *et percutiam* * *vos septem plagis,* id est universis pœnis residuis nondum

* corripiam

A expressis, ac durioribus ceteris, *ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum:* secundum quod quarto Regum tempore Elisei legitur factum in obsidione Samariæ. (IV *Reg* VI, 29.) Jeremias quoque in Threnis: Manus, inquit, mulierum misericordium coxerunt filios suos; facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei: (*Thren.* IV, 10.) quod fuit in obsidione Jerusalem a Chaldæis. Josephus etiam libro de Judaico bello recitat idem accidisse in obsidione Jerusalem a Romanis. (De Bello Jud. VI, 20.) Unde in Glossa exprimitur Maria Eleazari filia. B *Destruam excelsa vestra,* hoc est fana atque altaria, quæ in locis sublimibus construxistis ad exercendum ibidem idololatrias vestras. *Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum:* quia ibi occidemini ab adversariis vestris; *et abominabitur vos anima mea in tantum, ut urbes vestras redigam in solitudinem.* In his Moyses non solum tanquam legislator præcipit quid agendum, sed tanquam propheta prædicit futura, seque præscisse demonstrat ventura Judæorum facinora et flagella. C

Et deserta faciam sanctuaria vestra, id est, templum, altaria, synagogas, et sacrificia per manus hostium destruam: quod factum est per Assyrios, Chaldæos, Romanos; *nec recipiam ultra odorem suavissimum,* id est sacrificiorum oblationem quæ mihi valde fuit accepta, quando devoti et obedientes fuistis. *Disperdamque terram vestram,* hoc est habitatores et habitacula, urbes et fortalitia; *stupebuntque super ea,* id est, de tanta eorum dissipatione D mirabuntur, *inimici vestri, quum habitatores illius fuerint,* hoc est, quum terram vestram obtinuerint, inhabitareque cœperint. Hinc Jeremias frequenter prædixit: Omnis qui transierit per eam, sibilabit et stupebit super universis plagis ejus. (*Jer.* XLIX, 17.) Itemque: Dabo vos, inquit, in opprobrium, et in maledictionem, et in stuporem universis gentibus. (*Ibid.* XXIX, 18.) *Tunc placebunt terræ sabbata sua:* id est, terra vestra tam diu erit deserta, et ab operibus agriculturæ quieta, quod habebit se per modum placentis de

Digitized by Google

hujusmodi requietionibus. Dum namque aliquid placet alicui, libenter solet illud diu secum tenere. *Quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit, et,* pro id est, *requiescet in sabbatis solitudinis suæ :* in quietionibus quas habebit durante sua derelictione. Quod totum completum est sæpe. Nam tempore captivitatis Babylonicæ,
Jer. xli, 16, 17. Godolia occiso, terra illa mansit pro magna parte non habitata. Primo quoque Macha-
1 *Mach.* i, 40. bæorum narratur, quod Jerusalem non habitabatur. *Eo quod non requievit in sabbatis vestris,* id est, quia vos ipsi non cessastis in diebus solennibus ab operibus tunc prohibitis, *quando habitabatis in ea.*

Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium. Terrebit eos sonitus folii volantis. Hyperbolicum verbum est. Ac si dicat : In tanta erunt pusillanimitate atque formidine, ut ex sola suspicione, imaginatione, aut levi sonitu adversitatis, concutiantur, quasi grandis instet adversitas. Ideo subditur : *et ita fugient quasi gladium,* etc. *Et propter peccata patrum suorum et sua affligentur :* in quantum vitia patrum suorum secuti sunt ; et quoniam posteri quandoque puniuntur propter suorum peccata parentum corporalibus pœnis, sicut ab illis corporaliter descenderunt, prout alibi clarius est expressum, et infra suis declarabitur locis. *Donec confiteantur iniquitates suas,* hoc est, juste se talia pati recognoscant, pœniteant, et emendent, sicque redimi mereantur ; *et erubescat incircumcisa mens eorum,* id est, cor eorum quod diu fuit vitiosum, tandem de suorum turpitudine et enormitate facinorum salubriter verecundetur ; tanquam illuminata ad intuendum salubriter, quæ ante non consideravit.

Et recordabor fœderis mei, hoc est pacti quo promisi me miserturum et bene-
Gen. xv, 18; xvii, 8; xxii, 17; xxvi, 4; xxviii, 14. facturum filiis Israel pœnitentibus, *quod pepigi,* id est inii, *cum Jacob, et Isaac, et Abraham :* quibus, ut in Genesi patuit, istud promisi. Nominantur autem hic hi tres Patriarchæ ascendendo secundum or-
A dinem generationis. *Terræ quoque memor ero,* hoc est, memorem me esse per effectum ostendam, reducendo ad eam filios Israel, sicut patribus eorum spopondi. *Attamen quum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos :* quia semper reliquiæ manserunt ex eis, ex quibus postmodum propagati sunt multi ; *neque sic despexi, ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, et recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra*
B *Ægypti,* id est, quod cum eis inivi, eisque promulgavi statim, dum eos de Ægypto eduxi.

Ex his sumere et formare valemus vera et efficacissima argumenta contra Judæos : quod scilicet in hanc captivitatem longissimam sunt redacti, propter sua et patrum suorum gravissima scelera, quæ nondum recognoscunt, neque deplorant, propter quod erui non merentur. Quum enim omnia adversa nunc prætacta, eis per tot annorum centenaria sint inflicta, nec interim
C coluerint idola, et quum hoc die ac nocte Deum rogent, ut liberet eos : certissimum est, quod infidelitate pessima detineantur, et Deo prorsus displiceant, eo quod sua non confiteantur peccata, propter quæ in ista diuturnissima inciderunt adversa gravissima ; nec captivitas atque calamitas istæ, universis eorum præteritis captivitatibus et calamitatibus quasi tam incomparabiliter graviores, tam diu durarent, nisi et eorum facinora proportionabiliter enormiora consisterent cunctis excessibus, propter
D quos patres eorum præcedentes captivitatem miseriamque perpessi sunt : quum in isto capitulo jam sæpe protestatus sit Dominus, quod nisi per inflictas correptiones obedierint ei, inflicturus sit eis pœnas septuplum graviores, quousque sua confiteantur peccata. Unde et demonstratur quod modo in ista captivitate non obediant, neque veraciter serviant ei ; neque (ut dixi) perpendunt veram causam hujus suæ captivitatis ac molestissimæ calamitatis, quia nec regem habent, nec pa-

Digitized by Google

triam, nec templum, nec sacerdotes, nec A hostias, et ita sunt cunctis gentibus miserabiliores. Et si suæ captivitatis atque miseriæ tantæ causam adverterent, confiterentur ac deplorarent, non dubium quin mox a Domino misericordiam consequerentur : quod quia non faciunt, in suis manent miseriis.

ARTICULUS XLIX

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI VICESIMI SEXTI.

LITTERALIS vel potius superficialis B hujus capituli intellectus præcedenti articulo est inductus. Et posset quis argumentari, quod ille non sit verus et litteralis intellectus hujus capituli, eo quod multi in veteri Testamento justi, imo perfecti exstiterint, qui prosperitates seu benedictiones et remunerationes hic tactas consecuti non sunt ; imo adversa gravissima habuerunt, ut patet de Jeremia, Baruch, filiis Rechab, multisque aliis. Nam et per Ezechielem Dominus ad Jerusalem *Ezech.* xxi, 3. ait : Occidam in te justum et impium. Un- C *Ps.* xxxiii, 20. de et Psalmista de talibus loquitur : Multæ tribulationes justorum. Quod et in libris Machabæorum docetur in multis Judæis sub Antiocho adimpletum. De quibus et *Sap.* iii, 6. in libro Sapientiæ habetur : Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus. *Hebr.* xi, 36, 37. De talibus quoque scribit Apostolus : Alii distenti sunt, alii ludibria et verbera experti, insuper vincula et carceres ; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, egentes, angustiati, afflicti. De- D nique multi injusti et vitiosi fuerunt in veteri Testamento, quibus comminationes, maledictiones, seu pœnæ in isto capitulo recitatæ non contigerunt, sed prospera, ut constat de Saul, Doeg et aliis multis. Hinc asserit Glossa : Ista ad litteram stare non possunt. Multi enim in præceptis Dei ambulaverunt, et multa adversa perpessi sunt. Verumtamen dici potest, quod præinducta expositio ad litteram potest salvari, quoniam intelligenda est non de suppositis singulis, sed potius de communitate et secundum cursum communem. Nam sicut in libris Judicum, Regum, Paralipomenon, Machabæorum describitur, communiter contigit, quod quando filii Israel generaliter seu pro majori parte Deo fideliter servierunt, præfata prospera sunt adepti ; quando autem impii erant atque idololatræ, sustinuerunt adversa præhabita. Lex autem communitatem, non unamquamque personam concernit.

Itaque Dominus loquitur : *Si in præceptis meis ambulaveritis, dabo vobis pluvias temporibus suis.* Pluviæ istæ sunt sermocinationes verbi cœlestis, infusio gratiæ, ros consolationis divinæ, irrigatio Spiritus Sancti. Unde per Isaiam prolatum est : Ros tuus, Domine, ros lucis. Et Dominus *Is.* xxvi, 19; ipse : Mandabo, inquit, nubibus meis, ne *v, 6.* pluant super eam imbrem. In cantico quoque Deuteronomii legitur : Concrescat ut *Deut.* xxxii, 2. pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam. Has pluvias vere salubres et animam fecundantes, dat Dominus obedientibus sibi tempore suo, tempore scilicet opportuno, atque ab eo æternaliter præordinato. Quocirca (ut Origenes fatetur) pensandum, quod sicut pluvia materialis si inepto tempore aut immoderatius cadat, obest agro et fructibus magis nocet ; ita qui verba prædicationis informationisve ingerit tempore non suo, aut modo inordinato, lædit magis quam sanet. Hinc in Proverbiis asseritur :

Digitized by Google

Prov. xxv, 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur A verbum in tempore suo. In Ecclesiastico Eccli. xx, 7, 8. quoque : Imprudens non servabit tempus. Et : Qui multis utitur verbis, lædit animam suam. *Et terra gignet germen suum.* Quod fit, dum gratia excitante et operante, caro cum membris suis animæ in omni Dei obsequio deservit et paret. *Et pomis arbores replebuntur :* id est, homines actibus abundabunt virtutum, seu ipsæ virtutes procedent copiose in actum. Quod totum peragitur, dum præfatæ pluviæ descendunt in mentem, et actualis motio Spiritus Sancti B excitat eam. Quemadmodum autem, Salo- Prov. III, 18. mone testante, Sapientia lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam; sic fides, sic humilitas, ceteræ quoque virtutes arbores dici queunt. Et certe pulcherrima, fructuosissima atque altissima arbor est caritas. Nemo itaque sine præfatis pluviis arbitretur se posse fructificare; et qui per Jer. IX, 23, 24. eas fructificat, non insipienter in se, sed sapienter in Domino glorietur.

Apprehendet messium tritura vindemiam. Messium tritura, est virtuosa ex- C ercitatio vitæ activæ, quæ apprehendit vindemiam, id est, ad contemplativæ vitæ actiones pertingit. Nam sicut per januam intratur ad domum, ita per exercitia vitæ activæ, atque per actus virtutum moralium, ad contemplationem, intellectualiumque perfectiones virtutum pertingitur. Sed quia in exercitio vitæ contemplativæ copiosior gratia obtinetur, per quam rursus ad opera vitæ activæ decenter proceditur, recte subjungitur : *et vindemia occupabit sementem,* id est, contemplatio extendet se D Luc. VIII, 11. ad germen operis boni, et semen suscipiet verbi Dei. Rursus ut tangit Glossa, messis purganda in area, est intellectus Scripturæ proferendus in medium, et cum ceteris doctoribus ac divinis voluminibus conferendus, ut si quid paleæ aut aristæ, id est vanitatis aut falsitatis contineat, spiritu discretionis excutiatur, solumque triticum conservis suo tempore dispensandum re- Galat. II, 1, 2. maneat. Hinc quippe Paulus testatur : Ascendi Jerosolymam, et contuli cum illis Evangelium quod prædico, ne forte in vanum currerem. *Et comedetis panem vestrum in saturitate,* corpus videlicet Salvatoris, imo ipsum Dominum in Sacramento, qui ait : Ego sum panis vitæ. Et : Caro mea Joann. VI, 35, 56. vere est cibus. Est item panis bonæ ope- Ibid. IV, 34. rationis, de quo disseruit : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui misit me. Rursus, est panis vitæ et intellectus, Eccli. XV, 3. panis lacrimarum et contritionis, panis Ps. LXXIX, 6. supersubstantialis qui per contemplationem gustatur. His panibus saturantur fideliter obedientes.

Et absque pavore habitabitis in terra vestra, hoc est in militante Ecclesia. Unde ait Salvator : Nolite timere eos qui corpus Matth. X, 28. occidunt. Et princeps Apostolorum : Timo- I Petr. III, 14. rem eorum ne timueritis, et non conturbemini. Itaque qui Deo vere obedit, passionem timoris refrenat, servilem repellit timorem, et per timorem initialem ascendit ad filialem : quo adepto, omnem excludit vilem, effeminatam et inordinatam formidinem, sciens omnipotentem Deum sibi ubique præsentem, sine cujus permissu aut jussu nil sibi valet accidere, et qui in adversis gratiosius adest. De angelica quoque est securus custodia, et in Deo quasi fidelissimo atque piissimo patre filialiter sperans. Talis veraciter confitetur : Do- Ps. XXVI, 1. minus illuminatio mea et salus mea : quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo ? Talis demum invisibiles hostes magis perterret, quam terreatur ab ipsis. Talis fuit sanctus Job : Si expavi, Job XXXI, 34. inquiens, ad multitudinem nimiam. *Dabo pacem in finibus vestris :* id est, pacem pectoris infundam congregationibus et cordibus vestris, sicut orat Apostolus : Pax Philipp. IV, 7. Christi custodiat corda vestra. Etenim pax Ps. CXVIII, 165; CXLVII, 14. multa diligentibus legem Dei, qui ponit pacem fines Ecclesiæ, et corda servorum suorum facit quieta et requiescentia in se. Unde in Isaia Dominus ait : Erit opus ju- Is. XXXII, 17, 18. stitiæ pax; et sedebit populus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. Hæc interiora et præclarissima beneficia Spiritus Sancti, auferre

Digitized by Google

nequivit Ecclesiæ persecutio tyrannorum, rabies perfidorum, crudelitas injustorum.

Dormietis, et non erit qui exterreat. Contemplativi in Domino dulciter et frequen- [*Gen.* II, 21.] ter obdormiunt eo sopore, quem Dominus misit in Adam : quo et corpus ab exterioribus soporatur. Virtuosi quoque meliora somnia habent, et sapientes phantasmatum ludificationes contemnunt. *Auferam malas bestias.* Scimus quod pessimæ feræ et crudelissimæ bestiæ sanctis Patribus obedientes fuerunt, et plurimos martyrum tangere non audebant. Bestiæ quoque malæ sunt dæmones, de quibus orat vir ju- [*Ps.* LXXIII, 19.] stus : Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. Quos Dominus aufert, dum eos a nobis vinci facit. Unde et in Job habetur : [*Job* V, 22.] Bestias terræ non formidabis. *Et gladius non transibit terminos vestros.* Persecutionem enim tyrannorum abstulit Deus frequenter a suis fidelibus, et quamvis gladius pertranseat terminum nostrum, id est, corpus occidat, terminos tamen nostros, videlicet corpus et animam, seu intellectum et voluntatem pertransire non valet, quoniam anima cum præfatis potentiis suis est immortalis. Potest rursus per gladium, diabolicæ impugnationis acumen intelligi, ad quod illud in Job poterit [*Ibid.* 20.] pertinere : In bello eruet te de manu gladii. Iterum gladius accipi potest in bono, [*Ephes.* VI, 17.] quum dicat Apostolus : Gladius spiritus est verbum Dei. Qui gladius non pertransit terminos nostros exeundo et relinquendo, sed firmus et stabilis in Ecclesia permanet.

Persequemini inimicos vestros, scilicet invisibiles hostes et aciem vitiorum ac sæculi vanitates, eis viriliter resistendo, atque virtutibus, præsertim caritati, humilitati et concordiæ, insistendo. *Et corruent* [*Ps.* XVII, 38.] *coram vobis,* sicut ait Propheta : Persequar inimicos meos, et comprehendam eos. *Persequentur quinque de vobis,* qui circa exteriorum quinque sensuum objecta non occupantur, nec afficiuntur inordinate, hoc est non nisi secundum rectæ rationis judicium, ac divinæ legis tenorem, *centum alienos* de hostibus nunc prædictis ; *et centum ex vobis, decem millia,* imo unus fidelium persequitur sæpe et vincit tantam dæmonum vitiorumque turbam, quemadmodum ait Scriptura : Cadent a latere tuo [*Ps.* XC, 7.] mille, et decem millia a dextris tuis ; ad te autem non appropinquabit.

Respiciam vos oculo miserationis et subventionis, sicut respexit Dominus Jesus [*Luc.* XXII, 61, 62.] Petrum : ex quo respectu ille mox compunctus, flevit amare. *Et crescere faciam,* merito et numero : quia præelectis fidelibus tanta gratiarum charismata largitur Omnipotens, ut orando, loquendo, imo caritatis merito et exemplaribus actibus convertant et alios, et spiritualem procreent sobolem. *Comedetis vetustissima veterum :* id est, consideratione et imitatione patrum, qui fuerunt in lege naturæ et lege scripta, reficientur animæ vestræ ; cærimonialia quoque veteris Testamenti, quantum ad litteram consumetis, et ultra non esse servanda probabitis. *Et vetera, novis supervenientibus, projicietis :* id est, evangelicæ legis testimonia, consilia et præcepta amplectendo, legem quantum ad cærimonialia et judicialia ejus præcepta derelinquetis. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri.* Hoc Filius Dei promisit, loquens : Si quis diligit me, sermonem [*Joann.* XIV, 23.] meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Ambulabo inter vos, et ero vester Deus, vosque eritis mihi populus.* Hoc est quod in Apocalypsi promittitur : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et [*Apoc.* XXI, 3.] habitabit cum eis ; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. *Et confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti.* Christus in sua dignissima passione vincula et catenas cervicum nostrarum, jugum peccati, dominationem diaboli, omne pondus iniquitatum prementium mentem deorsum, dirupit et tulit a nobis, per suorum sufficientiam meritorum. Deinde in Baptismatis sacramento, in sacramento quoque Pœnitentiæ, et per suam gratiosissimam præventionem

Digitized by Google

ista frequenter in nobis operari dignatus est, ut qui eramus ad carnalia et terrena depressi, simus ad cœlestia et æterna erecti.

Ecce in textu triginta benedictiones istæ obedientibus Deo denuntiantur, quia (ut Luc. III, 23. Glossa fatetur) quum Christus fuisset triginta annorum, venit ad Baptismum, ut in ætate perfecta donorum perfectionem ostenderet, quia extunc Evangelium prædicavit, in quo consistit omnis plenitudo vitæ et perfectionis, quæ in hoc capitulo designantur.

Sequuntur mala inobedientibus prænuntiata et comminata. *Quod si non audieritis me, visitabo vos velociter in egestate,* abstrahendo vobis spiritualia dona, in quibus consistit opulentia animæ; *et ardore* concupiscentiarum ac vehementia passionum: quia dum Deum offendimus, juste nos deserit, moxque carnalium desideriorum ac stimulorum calorem illabimur, passionumque vehementia superamur, ex quibus oculi mentis cæcantur, et anima spiritualiter annihilatur. *Frustra seretis sementem :* quoniam opera bona ex genere, facta extra caritatem, non proficiunt ad salutem. Opera quoque meritoria prius peracta, per sequens mortale peccatum evacuantur, et ab invisibilibus adversariis devorantur. *Corruetis coram hostibus vestris,* id est, tentationibus dæmonum superabimini: qui hostes intensissime odiunt vos, qui nil aliud quærunt, nisi æternam nostram damnationem: idcirco stultissime agit qui ipsis consentit.

Conteram superbiam duritiæ vestræ. Qui Ibid. XVIII, 14. namque exaltant se, humiliabuntur; et eos qui spiritualiter intumescunt, Deus frequenter permittit in manifesta corruere vitia, ut vel sic deprimere se cogantur, qui magni erant in oculis suis. *Daboque vobis desuper cœlum sicut ferrum, et terram æneam.* Hoc fit dum tales spirituali consolatione privantur, nec desuper fecundantur, exteriori quoque et corporali adversitate ac desolatione gravantur, ita quod undique sic punguntur, juxta illud Osee: Ecce ego sepiam viam tuam spinis. *Con-* Osee II, 6. *sumetur incassum labor vester.* Iter enim Ps. I, 6. impiorum peribit, et impius nil Deo acceptum exercet, imo reprobis omnia cooperantur in malum, et labor labiorum ipsorum operiet eos. Ps. CXXXIX, 10. Ideo sero dicturi sunt illud Sapientiæ : Lassati sumus in via Sap. V, 7. iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles. *Non proferet terra germen suum.* Caro enim iniqui, fructum virtutum non parit, nec ipsi sunt arbores fructuosæ. Hinc justo judicio mittuntur in eos bestiæ agri, quarum una, Circuivi, inquit, terram Job I, 7. et perambulavi eam : quæ eos et bestialia eorum opera ad mortem trahit gehennæ, et cuncta bona ad paucitatem perducuntur in ipsis. *Desertæque fient viæ vestræ:* quia eorum operationes destitutæ sunt et privatæ directione et gratia Spiritus Sancti. Insuper pestilentiam Dominus mittit in eos, quia se invicem scandalizant ac spiritualiter perimunt, atque diversis modis peccata unius redundant in alios. Nam prava societas necat se ipsam. Aufert item eisdem spiritualia alimenta in tantum, quod etsi verbum Dei audierint, aut sacramenta susceperint, spiritualem gustum et fructum non sortiantur ex eis; imo panes vitæ gratiæ, fiunt eis pabula mortis culpæ.

Ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes. Decem mulieres, possunt intelligi animæ prælatorum, decem præcepta servantes : qui panes coquunt in clibano, id est in audientium corde, in quo panes doctrinæ optant perficere, et ad opus perducere; tuncque in uno clibano agunt hoc, quando paucissimos habent auditores obedientes. Et comedetis *carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum :* id est, sobolem vestram carnaliter diligendo, eamdem ad vitiosam vitam trahetis, per quod spiritualiter devorabitis illam. Vel, de prava eorum vita per consensum et complacentiam detestandam reficietis cor vestrum. Sic et Isaias testatur : Unusquisque Is. IX, 20. comedet carnem brachii sui. Rursus hoc agitur, dum parentes aut præsidentes injusti, prolem suam aut subditos suos se-

Digitized by Google

cum incorporant ecclesiæ malignorum, Antichristo atque diabolo ; sicut et sancta mater Ecclesia comedit et incorporat sibi electos et singulos quos convertit, qui sunt partes ejus nutrimentales.

Destruam excelsa vestra, id est cornua vestræ elationis, præsumptiones, jactantias, prælationes et eminentias, cum quibus peribitis, juxta illud : Vidi impium superexaltatum, et transivi, et ecce non erat. *Et simulacra vestra confringam.* Simulacra ista sunt turpia immundorum phantasmata ; phantasiæ auri et argenti in cordibus cupidorum ; apprehensiones et species dignitatum, honorum et excellentiarum in mentibus superborum : quæ omnia reprobat Dominus et condemnat. Et tales talia apprehendendo cadunt per culpam, deinde cum vanitatibus suis corruent in gehennam. *Et deserta faciam sanctuaria vestra :* id est, corda vestra, quæ erant aliquando per fidem et caritatem templa Dei, relinquam. *Nec recipiam ultra odorem suavissimum :* id est, spiritualia sacrificia vestra, videlicet orationes et laudes, quæ ex suo genere valde commendabiles sunt, non erunt meritoria apud me. Nempe qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Et peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ?

Ps. XXXVI, 35, 36. *Prov.* XXVIII, 9. *Ps.* XLIX, 16.

Disperdamque terram vestram, id est terrena consortia vestra et conventicula ecclesiæ malignantis, in tantum ut perfidi de vestra perditissima vita mirentur : quibus et propter vestros excessus subditi eritis, qui et dies festivos in magnis vitiis expendistis. Isti facillime perterrentur, dum audiunt prædicari quam arcta sit via salutis : ita quod virtutum exercitia, pœnitentiæ quoque laborem, semitamque salutis, tanquam difficillima quædam atque durissima aggredi trepidant, quia non figunt spem suam in Domino, nec ejus implorant auxilium, nec aliorum qui viriliter sunt conversi pensant exempla, sed propriam fragilitatem et pronitatem in vitia inordinate attendunt : ideo fugiunt a salutis itinere, et labuntur ex propria infirmitate, ignorantia aut malitia, nemine extrinsecus impellente, nec hostibus suæ salutis opponunt se. Hinc relinquuntur, et dire multipliciterque vulnerantur in anima, quousque suas confiteantur iniquitates. Quod si fecerint, mox recolit Dominus, quemadmodum pœnitentibus veniam repromisit.

Matth. VII, 14. *Ezech.* XVIII, 21-23.

Denique etsi in populo christiano multi sint vocati et pauci electi, nunquam tamen Dominus Ecclesiam suam relinquit in toto, sed misericordiam suam in ea frequenter quasi de novo mirificat, miracula renovat, sanctos homines mittit, per quorum doctrinam, merita et exempla convertit quamplurimos. Postremo et hoc intuendum, quod sicut præfata adversa Judæi propter scelera sua multa corporaliter passi sunt, utpote egestatem, famem, dolores, angustias, deprædationes et expugnationes ab infidelibus gentibus, Assyriis, Chaldæis, Chananæis et Philistæis ; ita et Christiani interdum, imo et sæpe talia pertulerunt ob suas transgressiones a Turcis, Sarracenis, Tartaris, et aliis barbaris. Interdum quoque absque sua culpa hujusmodi corporalia damna, nocumenta, imo et crudelissimas mortes ab impiissimis toleraverunt, ut gloriosius coronarentur a Deo, eorumque patientia ac virtutes proponerentur ceteris in exemplum, et tali occasione Deus fidem catholicam per præclara augeret miracula, sicut de sanctis constat beatissimisque martyribus.

Matth. XXII, 14. *Ps.* XVI, 7.

Digitized by Google

ARTICULUS L

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

De obligationibus, redemptionibusque votorum, de consecratis quoque et decimis nunc tractatur. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Homo qui votum fecerit, et spoponderit Deo animam suam,* id est, se ipsum promiserit Deo, ita ut se offerat illi, seu ejus honorificentiæ mancipet vitam suam. Unde Symmachus transtulit, Si separaverit se Deo. Et Septuaginta, Si spoponderit honorem animæ suæ Deo. *Sub æstimatione dabit pretium,* id est, secundum certam taxationem se redimet, secundum mensuram sui valoris, si se redimere voluerit, ut sicut ante, vel instar aliorum, actibus vacet humanis. Nam illa promissio sic fuit intelligenda, et Deo instituente ita fiebat. Unde et primogenita quæ Domini erant, redimebantur. Nec homo fuit animal immolaticium : propter quod factum votum de ejus oblatione, persolvendum non erat per ejus mactationem, sed redemptionem. Nec tunc poterat quisque sic applicari divinis, quando sacerdotium fuit in una tribu, et per generationis successionem cultus Dei conservabatur in una dumtaxat plebe, sicut nunc potest. Deinde æstimatio seu mensura pretii determinatur : quod pretium secundum varietatem ætatum ejusdem et sexus diversorum diversificabatur.

Si fuerit masculus a vicesimo anno usque ad sexagesimum, dabit quinquaginta siclos argenti, id est pecuniam tanti valoris. Siclus autem (ut infra dicitur) viginti obolos habet, atque (ut alii dicunt) siclus in Scripturis pro uncia sumitur, pro quo Septuaginta transtulerunt, δίδραχμα. Porro ad insinuandum qualitatem ponderis pretii hujus, subjungitur, *ad mensuram sanctuarii.* Tanquam dicat, Pretium hoc erit illius sicli vel ponderis, cujus usus est in templo seu tabernaculo Dei : quod pondus differebat ab eo, cujus usus fuit in mercationibus aliis. Refertque Josephus, quod siclus quo utebantur in templo, continebat quatuor drachmas, et quælibet drachma obolos quinque. Obolus quoque (ut legitur) est media pars nummi. Est etiam obolus scrupulus, qui tribus appenditur siliquis. Scrupulus vero sex siliquarum pondere constat. Tamen (ut dixi) frequenter numismata et mensuræ ac pondera apud diversos diversificantur, ita quod eorum quantitatem pro certo scire non possumus quantum ad omnes. Sicli demum, per quos voventes se Deo ita se redemerunt, divinis usibus templi seu ministrorum ejus applicabantur. *Si mulier, triginta,* id est, si femina vovit se Deo ab anno vicesimo usque ad sexagesimum, dedit pro sua redemptione triginta siclos. Vir enim muliere præstantior, validiorque censetur.

A quinto autem anno usque ad vicesimum masculus dabit viginti siclos ; mulier *, id est puella, *decem* siclos : non quod proles in quinto suæ vitæ anno poterat se Deo vovere aut pretium solvere, sed in tali ætate interdum vovebantur Deo a suis parentibus, a quibus et redimi poterant. Unde et primo Regum Anna legitur Samuelem nondum natum Deo vovisse. Si autem parentes obiissent, poterant pueri Deo promissi se ipsos redimere, quum ad discretionem venissent. *Ab uno mense usque ad quintum annum pro masculo* sic promisso ac redimendo, *dabuntur quinque sicli ; pro femina, tres.* Quare non potius duos cum medio, scilicet pro media parte tantum, quantum pro masculo ? Forsan

* femina

I Reg. 1, 11.

Digitized by Google

quoniam in ætate tam tenera minor apparet elegantia masculi ultra femellam, vel quia frequenter tunc mori solent. *Sexagenarius et ultra masculus dabit quindecim siclos,* id est, si quis a sexagesimo anno vel majori et ulteriori ætate voluerit se redimere a voto quo vovit se Deo, dabit pro sua redemptione quindecim siclos ; *mulier* *, *decem.* Ab illa namque ætate valor viri deficere incipit, nec tantum eminet mulieris valori ut ante, nec ad bella aptus videtur : ideo minus tunc dedit, nec duplum respectu feminæ. Itaque quatuor gradus ætatis expressi nunc sunt, per quos (ut apparet) alii proportionabiliter erant taxandi.

* femina

Si pauper fuerit is qui se aut sobolem suam nondum adultæ ætatis vovit Deo, *et æstimationem,* id est quantitatem, *pretii reddere non valebit* pro sua aut prolis suæ redemptione ; *stabit coram sacerdote,* id est, sacerdoti ad hoc deputato causam suam inopiamque exponet et comprobabit ; *et quantum ille,* puta sacerdos discretus, *æstimaverit, et viderit eum posse reddere, tantum dabit :* quoniam ultra vires viri non vult Deus ulla requiri.

Animal autem quod immolari potest Domino, si quis voverit, id est, si quis promiserit Deo immolare animal ei aptum offerri, ut sunt bos, ovis et capra, deformitatis maculam non habentes ; *sanctum erit,* id est, ad Dei honorem offeretur ; *et mutari non poterit, id est nec melius malo, nec pejus bono,* id est, aliud animal pro ipso offerri non licebit, sive aliud sit melius, sive pejus : quoniam illud sic Deo promissum, ex hujusmodi promissione quamdam idoneitatem et consecrationem ad ea quæ Dei sunt, sortitum videtur. *Quod si mutaverit,* id est, si vovens adduxerit aliud animal ad immolandum pro illo, *et ipsum quod mutatum est,* id est animal deputatum offerri pro alio per viam mutationis, *et illud pro quo mutatum est,* scilicet animal prius promissum, *consecratum erit Domino :* ita quod utrumque immolabitur Deo, quia et illud secundum, ratione suæ deputationis ad sacrificationem, jam quamdam consecrationem consecutum censetur.

Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit. Istud secundum Glossam stare non potest, non enim licuit immunda animalia Deo voveri aut immolari. Verumtamen salva hac Glossa interlineari, dicere possumus, quod animal immundum nunc appellatur, non quod secundum legem nec offerri licet nec manducari, sed quod per immunditiam, id est maculæ deformitatem seu monstruositatem aut debilitatem immolari non potest, quamvis ex sua specie immolabile esset. Tale itaque animal *adducetur* a vovente *ante sacerdotem, qui dijudicans utrum bonum vel malum sit,* id est aptum offerri vel non, *statuet pretium,* id est, determinabit quantum dandum sit pro redemptione hujusmodi animalis, postquam judicaverit ipsum animal non esse immolaticium. *Quod* pretium *si dare noluerit is qui offert,* id est, si ille qui animal illud ineptum adduxit ad offerendum, non voluerit ipsum redimere cum pretio a sacerdote taxato, sed rehabere voluerit animal illud ; *addet supra æstimationem quintam partem,* id est, pro animali illo rehabendo dabit pretium a sacerdote statutum, et ultra hoc quintam partem illius pretii, ita quod carius emet animal illud, quam emeretur ab alio. Cujus causam expositores assignant, dicentes : Ne voventes adspirarent ad rehabendum quod voverant, quasi pœnitentia ducti, sicque votum eorum esset inacceptius Deo ; ne etiam reputarent se digniores in emptione talium rerum, quia dederant eas.

Circa hæc scribit Petrus Comestor : Distinguendum est de hujusmodi votis. Aliquando enim aliquid ex voto sanctificabatur sic Domino, quod anathematizabatur, id est separabatur, ita ut eo nullus uteretur, et tunc non poterat vendi a sacerdotibus, vel alienari ; quandoque autem non sic obligabantur votiva, sed poterant a sacerdotibus vendi pretio determinato secun-

Digitized by Google

dum mensuram utilitatis, quæ ex re votiva poterat provenire, sive esset animal, sive fundus.

Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit eam Domino, id est, si quis domum suam aut domos suas promiserit ac deputaverit Deo, ut ejus consecrentur honori aut cultui; *considerabit eam sacerdos* peritus et constitutus ad hoc, *utrum bona sit an mala,* id est, an domus illa sit bene disposita ad applicandum divinis obsequiis, an non; *et juxta pretium quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur,* id est, domus illa, præsertim si apta non est ad divina, vendetur pro pretio quod sacerdos statuerit, qui valorem domus pensabit. *Sin autem ille qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra,* id est, quintam pretii partem addet, ut dictum est in casu præcedenti, *et habebit domum* illam ut ante.

Quod si agrum possessionis suæ, id est agrum hereditario jure possessum : quod dicitur, ad differentiam agrorum emptorum aut aliter acquisitorum; *voverit et consecraverit Domino; juxta mensuram sementis æstimabitur pretium,* id est, tanto plus valere judicabitur, quanto plus de semine requiritur ad ejus seminationem, hoc est, quanto majoris est quantitatis : et hoc intelligendum est, ceteris paribus. Alioqui contingere potuit, quod minor ager fuerit appretiabilior agro majore, utpote fertilior illo. *Si triginta modiis hordei seritur ager,* id est, si tot modii hordei requiruntur ad seminationem alicujus agri; *quinquaginta siclis argenti vendetur*.* Et proportionabiliter dicendum videtur de agris qui aliis seruntur seminibus. Sed quia in jubilæo agri et cetera vendita ad pristinum revertebantur possessorem, valor agrorum fuit etiam attendendus penes distantiam a jubilæo minorem aut ampliorem. Hinc subditur : *Si statim ab anno incipientis jubilæi voverit agrum,* id est, si quis voverit agrum talem Deo in anno jubilæi instantis et inchoantis, scilicet in ipso anno jubilæo, aut in anno jubilæum

* *venundetur*

A immediate sequente, si in jubilæo non licebat venditio; *quanto valere potest, tanto æstimabitur,* id est, tam care vendetur, sicut valor ejus secundum se extendit se, seu tam pretiose sicut secundum legem fieri potuit, jamque prætactum est, quinquaginta videlicet siclis, ut sic pro quolibet anno siclus unus acciperetur. *Sin autem post aliquantum temporis,* id est, si voverit agrum aliquibus annis a jubilæo evolutis; *supputabit sacerdos pecuniam,* id est, justum pretium dandum pro re-
B demptione seu emptione agri illius pensabit atque taxabit, *juxta annorum qui reliqui sunt, numerum,* id est secundum multitudinem, paucitatemve annorum restantium *usque ad jubilæum, et detrahetur ex pretio,* id est, tanto plus de pretio præfato defalcabitur, quanto plures anni fluxerunt a jubilæo proxime elapso, ita quod pro quolibet anno tali detrahetur a pretio illo quinquaginta siclorum unus siclus.

Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æsti-
C *matæ pecuniæ,* id est pretii prætaxati propter causas præhabitas, *et possidebit eum* sicut et ante votum : imo quintam hanc partem pretii addidit iste qui vovit, obtulit et redemit agrum, non solum propter rationes illas prætactas, sed item, quia ex hoc quod ipsemet agrum redemit, damnum sacerdotibus imminebat. Dum etenim alteri venundabatur, rediit in jubilæo ad sacerdotes, et fuit possessio Domino consecrata, seu ejus ministris deputata. Dum vero vendebatur voventi, non ad sacerdo-
D tes revertebatur in jubilæo, sed mansit ejus qui vovit atque redemit eum. Istud tangit littera sequens. *Si autem redimere noluerit* agrum, qui vovit et obtulit eum, *sed alteri cuilibet fuerit venundatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit,* id est, is qui voverat agrum, non poterat eum ultra redimere, postquam alter aliquis eum emit a sacerdote; *quia quum jubilæi venerit dies,* id est tempus sive exordium, *sanctificatus erit Domino,* id est, redibit ad sacerdotes, deputatusque erit usui mi-

Digitized by Google

nistrorum templi; *et possessio consecrata, ad jus pertinet sacerdotum :* qui etsi hereditaria bona non possidebant, tamen quæ Domino vovebantur et offerebantur, erant eorum aliquo modo.

Si ager emptus est, et non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino, id est, si quis voverit Deo agrum emptum, quem non habet hereditario jure ex possessione progenitorum suorum; *supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad jubilæum, pretium,* id est, taxabit pretium seu valorem illius agri juxta numerum annorum qui restant a tempore voti facti de agro illo, usque ad proximum jubilæum; *et dabit* pretium tale pro agri redemptione, *ille qui voverat eum, Domino. In jubilæo autem revertetur* ager ille *ad priorem dominum qui vendiderat eum* præfato voventi, qui (ut dictum est) per emptionem acquisierat agrum illum : propter quod non potuit eum tenere pro se, nisi usque ad jubilæum, nec longius vendere; *et habuerat in sortem possessionis suæ,* id est, prior ille dominus seu possessor agri, habuit agrum illum hereditario jure ex sortium distributione.

Circa hæc omnia ait breviter Glossa : In sequentibus, hujus scilicet capituli, verbis dicitur : Omne quod Domino consecratur, sive homo, sive animal, sive ager, redimi non poterit; nunc autem præcipit redimi domum et agrum. Sed forsan hoc secundum diversas vendentium intentiones decernit, tanquam ibi, scilicet in votis in quibus infra prohibetur redemptio votivorum, non habuerint voventes voluntatem habendi ulterius, quod penitus consecraverunt, id est, Deo voverunt; in præcedentibus autem votis, de quibus jam mentio facta est, aliam habuerint intentionem. Verum de ista materia paulo post dicetur diffusius.

Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur, id est, universus valor, omneve pretium in præfatis redemptionibus, determinabitur quantitate seu numero siclorum, quorum usus est in sanctuario seu

A in templo. *Siclus viginti obolos habet.* Circa quod Lyra allegat Rabbi Salomonem, dicentem : Siclus communis, quo scilicet utebantur vulgares in suis commutationibus, erat siclo sanctuarii major, quia continebat viginti quatuor obolos. Quidam tamen affirmant oppositum, asserentes quod pondus sanctuarii fuerat respectu communis ponderis duplex. *Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit et vovere.* Primogenita enim pertinebant ad Dominum ex institutione ipsius, in

B memoriam quod primogenita Ægyptiorum percussit. Ideo subditur : *sive bos sive ovis fuerit* primogenitum, *Domini sunt.* Nemo autem potest Deo vovere ac libere deputare, nisi quod suum est; et rursus, ut tangit Glossa, quoniam primogenita ex divino statuto sanctificata sunt Deo. *Quod si immundum animal est,* id est inidoneum immolari ob maculam suam; *redimet qui obtulerit juxta æstimationem suam,* id est, qui animal tale præsentaverit sacerdoti ad offerendum, redimet illud secundum ta-

C xationem sui valoris, *et addet quintam partem pretii,* ob causas præhabitas. *Si redimere noluerit, vendetur alteri quantumcumque fuerit æstimatum* valore, id est pro pretio a sacerdote juste determinato.

Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, id est brutum : sumitur enim genus pro specie subalterna; *sive ager, non veniet,* id est, non vendetur, *nec redimi poterit* pretio a vovente seu consecrante. Hinc subditur: *Quidquid semel consecratum,* id est oblatum ac de-

D putatum, *est, sanctum sanctorum erit Domino,* id est, ad gloriam Dei manebit valde sanctum, seu divinis applicatum, nec in usum redigetur humanum. *Omnis consecratio,* id est omnis res consecrata, *quæ offertur ab homine,* sive se ipsum, seu sobolem suam, aut agrum, aut brutum, aut mobilia aliqua bona voverit, et sanctificaverit Deo, *non redimetur, sed morte morietur.*

Ista plena sunt difficultate. Primo enim videntur manifeste contraria præinductis

Digitized by Google

in isto capitulo in quo jam multa de talium votivorum et consecratorum redemptione sunt dicta. Denique homo non est animal immolaticium, nec Deo consecratus aut voto ei adstrictus, potest occidi. Ager quoque, et cetera inanimata quæ Deo voventur et consecrantur, interfici nequeunt, quia nec vivunt. Hinc fertur in Glossa : Secundum litteram multa obscura et insolubilia hic interposuit legislator. Verumtamen ex præmemoratis Glossæ et Petri Comestoris verbis patet aliquantula horum intelligentia atque concordia. Et rursus ex verbis Glossæ dicentis : Aliud est anathematizare, id est separare, aliud sanctificare. Quod enim anathematizatum est, in nullius usum humanum, imo nec in sacerdotis usum, reverti potest. Ideo qui

Josue VII, 1, 25. de rebus Jericho aliquid furabatur, periit, quia anathematizatæ fuerunt; quæ autem filii Israel rapuerunt ab inimicis suis, videlicet Chananæis, cum quibus amicitiam jungere prohibiti erant, præcipiente Domino anathema fecerunt, quia videlicet de talibus rebus aliqua sponte obtulerunt, ut

Num. XXXI, 28, 29, 50. in libro Numerorum de rebus et personis Madian legitur factum : et talia juxta formam præscriptam, vel redimi, vel non redimi poterant.

De hoc super hunc locum diffusius scribit Lyra : Consecratio, inquiens, sumitur hic pro deputatione alicujus ad cultum divinum, absque reditu ad usus communes : et tale consecratum non potuit vendi aut redimi. Juxta hoc dictum, consecratio sumitur hic magis stricte quam ante. Insuper ait, quod in Hebræo habetur hic nomen, quod designat non solum consecrationem, sed item destructionem, non qualemcumque, sed factam ad Dei hono-

Josue VI, 21, 24. rem, quemadmodum Jericho cum suis habitatoribus fuit destructa; spolia vero urbis quæ ad divinum poterant cedere cultum, ut aurum, argentum, ferrum et æs, fuerant Domino consecrata, ita quod aliis usibus ea non licuit applicari. Consecratio autem hæc stricte sumpta, poterat esse in persona humana, vel in animali, vel in re inanimata : sicque quum dicitur, Morte morietur, mors æquivoce sumitur, quia homo consecratus non occidebatur, neque res inanimata. — Itaque si res Domino consecrata erat persona humana, vel erat Hebræa, vel gentilis. Si Hebræa, vel erat de tribu Levi, vel de alia. Si de tribu Levi, sic pueri poterant a parentibus Domino consecrari ad serviendum in tabernaculo

Dei usque ad mortem : sicque Samuel fuit *I Reg.* I, 28.
a parentibus consecratus. Sic quoque, ut videtur, Levita adultus poterat se ipsum *Deut.* XVIII, 6, 7.
Domino consecrare, ut in Deuteronomio habetur. Si autem persona Hebræa erat de alia tribu, non poterat taliter consecrari, quia non licuit ei accedere ad ministerium sanctuarii aut altaris : poterat tamen Domino consecrari per aliquem modum vivendi perfectiorem communibus, quemad-

modum Samson per abstinentiam a cibo *Judic.* XIII, 7.
immundo et potu inebriativo. Si autem erat persona gentilis, utpote servus vel ancilla Hebræi, sic erat res domini sui, et per consequens eam poterat consecrare, quia erat persona serva simpliciter ad semper, non tamen consecrabatur ad faciendum opera Levitarum, sed ad servilia opera quædam templo et ejus ministris necessaria, sicut est cædere ligna, et portare aquas ad locum cultus divini : sicque

Josue decrevit Gabaonitas esse in ministe- *Josue* IX, 27.
rium populi et altaris. Hoc autem modo non poterat consecrari persona Hebræa, quia non erat serva simpliciter, sed ad tempus, videlicet usque ad septimum annum, qui fuit annus remissionis, vel ad longius usque ad jubilæum, si septimo anno egredi libera recusavit. — Porro si res consecrata erat inanimata, aut erat immobilis ut ager, et tunc distinguendum : quia aut erat ager de hereditate paterna, et sic poterat Domino simpliciter consecrari, quia in jubilæo non revertebatur ad pristinum dominum, sed mansit possessio templi aut sacerdotum ; si vero acquisitus fuit per emptionem, non poterat taliter consecrari, quia in jubilæo ad dominum revertebatur priorem. Si vero res consecrata fuit mobi-

Digitized by Google

lis, ut aurum, argentum, æs, etc., de quibus A fieri poterant sanctuarii vasa ac instrumenta; poterat Domino consecrari, nec potuit ultrà ad usus alios applicari.—Quod si res consecrata fuit animal immolaticium, sine mutatione et redemptione Domino offerebatur, nisi post consecrationem suam facta esset ad immolationem inepta, antequam ad locum immolationis veniret. Et tunc interficiebatur absque venditione seu redemptione, quia non poterat aliis usibus applicari. Si autem erat animal non immolaticium, utile tamen ad ministerium B templi aut sacerdotum, ut equus et asinus, mansit in obsequio sacerdotum aut templi usque ad mortem.—At vero si prætactum verbum Hebraicum sumatur hoc loco pro destructione ad Dei gloriam ordinata, talis destructio fuit implenda, aut ex sententia Dei, aut ex sententia judicum ejus, aut ut impleretur promissio Deo facta. Si primo modo, tunc erat simpliciter inferenda tam in homines, quam in bruta. Unde filii Israel reprehendebantur, quia Chananæos
I Reg. xv, 9-23. non occiderunt; et Saul, quia pepercit pe- C coribus Amalec. Si secundo modo, tunc etiam fuit infligenda, videlicet quando aliquis per judices fuit morti adjudicatus, propter homicidium aut simile crimen. Si tertio modo, iterum erat infligenda, secun-
Num. xxi, 2. dum quod legitur in Numeris, quod Israel voto se obligans Domino, ait: Si tradideris populum istum in manus meas, delebo urbes ejus. — Itaque quum dicitur, Omne quod Domino consecratur, morte morietur, mors æquivoce sumitur. Nam homines consecrati Deo, puta Levitæ, dicebantur D mortui morte civili, sicut apud nos religiosi. Ager autem et res inanimatæ dicebantur mori seu mortuæ, sicut possessiones Ecclesiæ dicuntur amortizatæ. Eodem modo de servis et ancillis dicendum est. Animalia vero immolaticia proprie occidebantur. Hoc quoque pensandum, quod consecratio prædictorum quandoque cessit in usum sacerdotum, interdum vero in necessaria templi, secundum quod vovens et consecrans exprimebat in consecrando.

Sequitur de decimis. *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus,* id est bladis et fructibus, *sive de pomis,* id est fructibus arborum, sumendo pomum pro quocumque hujusmodi fructu accommodo, sicut et in Marco, fructus arboris fici, pomum voca- *Marc.* xi, 13.
tur; *Domini sunt,* id est, Deo sunt offe- *Osee* ix, 10.
rendæ, *et illi sanctificantur,* id est, ad sustentationem ministrantium sibi in templo deputantur ac dantur. *Si quis autem voluerit redimere decimas suas,* quas debuit immolare seu obtulit, *addet quintam partem earum,* id est, quintam partem pretii quo redimet eas, dabit ultra pretium illud principale, eadem ratione qua ita fiebat in redemptione votorum, ut dictum est. *Omnium decimarum ovis et bovis et capræ, quæ sub pastoris virga transeunt:* quia a pastore diriguntur, educuntur et reducuntur cum virga, pala seu baculo pastorali: horum itaque animalium *quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino,* id est, offeretur ad laudem ipsius in usum ministrorum ejusdem, sive nascendo, sive numerando decimum erat. *Non eligetur nec bonum, nec malum,* id est, pro decimo tali animali, non licebit assignare aliud melius eo, neque deterius. *Si quis mutaverit* decimum animal, dando aliud pro eo; *et quod mutatum est,* id est illud aliud, *et pro quo mutatum est,* utpote decimum pro quo aliud assignatur, *sanctificabitur Domino,* sicut expositum est, *et non redimetur,* juxta expositionem præhabitam.

Hæc sunt præcepta quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel: id est, Moysi ea insinuavit et jussit, ut ea filiis Israel ex parte Dei denuntiaret atque juberet.

Præterea, circa præsens capitulum multa possent induci de voto quid sit, et de comitibus ejus, et cujus virtutis sit actus, de obligatione quoque et dispensatione ac mutatione votorum: de quibus doctores super Sententias, et in Summis suis, specialiter vero Thomas in secunda secundæ, et super quartum pulchre et magistraliter scribit; sed brevitati studens, pertranseo.

Digitized by Google

Postremo, de decimis scribit S. Thomas A in secunda secundæ, quæstione 87 : Decimæ in veteri Testamento dabantur ad sustentationem ministrorum Dei. Sicque præceptum de decimis persolvendis, partim fuit morale, utpote naturali inditum rationi : quoniam naturale est, ut necessaria vitæ ministrentur a populo eis, qui propter totius plebis salutem divino sunt cultui mancipati, quemadmodum et militibus dantur stipendia. Partim vero erat judiciale, in quantum determinatio decimæ partis ex divina ordinatione est instituta. Multa B namque instituta sunt in populo Hebræorum a Deo, ad conservandam æqualitatem justitiæ inter eos. Ex hoc autem quod decima pars dabatur, et nunc datur, servatur æqualitas ista justitiæ, quia ministris templi sufficienter providetur, et populus non gravatur : imo qui primitias, oblationes et decimas fideliter solvunt, copiose et multipliciter remunerantur a Deo, etiam in præsenti atque in corporalibus bonis. Rursus, præceptum de decimis, ex consequenti fuit et cærimoniale, in quan- C tum aliquid significavit. Nam omnia in figura contingebant illis. (I Cor. x, 11.) Denarius namque perfectus est numerus, et decima ejus unitate seu parte sublata, manent novem, quæ sunt numerus imperfectus : sicque per decimarum persolutionem significatur, quod ipse persolvens et offerens, recognoscit se imperfectionem suam a se ipso habere, perfectionem vero exspectare a Deo, et eam adscribere Domino. Nunc autem determinatio ista decimæ partis, quæ solvitur ex instituto Ecclesiæ, observatur : imo Ecclesia posset determinare aliam partem, sive majorem, sive minorem, esse solvendam, opportunitatibus personarum, causarum ac temporum consideratis. Porro ante legem scriptam, videlicet in lege naturæ, ministri cultus divini non erant ita determinati ut modo, sed primogeniti erant (ut dicitur) sacerdotes : idcirco non erat tunc determinata pars decima, sed unusquisque offerebat sacerdoti, prout occurrebat sponte quod voluit. Hinc Jacob legitur decimas vovisse, quia ad certam determinatamque partem non tenebatur. (Gen. xxviii, 22.)

ARTICULUS LI

SPIRITUALIS INTELLIGENTIA EJUSDEM CAPITULI VICESIMI SEPTIMI.

L*OCUTUS est Dominus : Homo qui votum fecerit, et spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium.* Vota illa legalia, imperfecta et typica, figuræ fuerunt votorum, quæ nunc in Ecclesia fiunt perfecte, præsertim dum utriusque sexus personæ religionem sanctam monasticam intrare promittunt, vel potius profitentur in ea, et solenni se voto adstringunt ad tria illa omni religioni substantialia, sive ad certa quædam. Aliqui quoque in sæculo ad continentiam, absti- D nentiam, aut consimiles actus virtutum se voto adstringunt : estque multo laudabilius talia facere ex voto, quia sic arbor cum fructibus Deo offertur ; et idem actus ex pluribus virtutibus principiatur, et ipsum votum est actus præclaræ virtutis, quæ latria nuncupatur. Quemadmodum autem in lege quædam vota sub redemptione cadebant, et quædam non, ita in evangelica lege quædam vota dispensabilia, quædam indispensabilia reputantur. Itaque homo qui vovit Deo animam suam, hoc est, ad opera supererogationis seu consiliorum impletionem, sive ad actus virtutum præcipuarum voto adstringit se, sub æstimatione dabit pretium. Per pretium istud, quo

Digitized by Google

redimit se coram Deo a periculo et peccato A transgressionis sui voti, intelligenda est vera atque idonea sui voti impletio, quæ justa æstimatione solvenda est, ut quanto quis altiora et plura promiserit, eo virtuosius vivat. Ideo subditur :

Si fuerit masculus a vicesimo anno usque ad sexagesimum, dabit quinquaginta siclos ; si mulier, triginta. In illa quippe ætate homo est fortior corpore, et validior mente. Vir quoque in naturalibus multo exstat perfectior muliere. Cui autem plus datum est, plus requiretur ab ipso. (*Luc.* xii, 48.) Per siclos autem quinquaginta, intelliguntur exercitationes virtutum cum speciali tranquillitate, et abundantia gratiæ Spiritus Sancti exhibitæ, qui datus est quinquagesimo die. Annus etiam quinquagesimus, fuit tempus remissionis et quietis et magnæ jucunditatis. Per siclos vero triginta, tricesimus potest intelligi fructus continentiæ conjugalis, vel decem præceptorum impletio, in fide, spe, et caritate superbenedictæ Trinitatis exhibita. *A quinto autem anno,* etc., quia in illa ætate minor virtutum perfectio exigitur. *Sexagenarius et ultra masculus dabit quindecim siclos; mulier, decem :* quia in ætate senili non requiritur ab homine tantus exterior labor. Quindecim tamen siclos reddere debet, decem implendo præcepta, cum sensuum spiritualium quinque custodia, ut sit coram proximis exemplaris, et coram Deo internus seu contemplativus. Feminæ magnum est si observet præcepta, nec est ad contemplationem tam idonea ut vir, nisi ex gratia speciali. *Si pauper fuerit,* etc., hoc est, ab imperfecto, inexercitato, pusillo, rudi, et eo qui incipit, nil ultra ejus vires requiratur : sed paulatim ædificetur, informetur, enutriatur, et perficiatur. Quis enim fit subito summus, nisi quod Omnipotenti cuncta facilia sunt ? Sed ipse dona gratiæ variis modis largitur.

Animal quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit, et mutari non poterit : hoc est, si quis voverit aliquem actum virtutis implere, religionem intrare, aut Christi visitare sepulcrum, per se ipsum hoc facere et implere tenetur; nec in his quæ sibi possibilia sunt, substituat alium ; et si substituerit, nihilo minus personaliter operetur. Hoc est contra eos, qui horas canonicas quas legere obligantur, faciunt legi per alios, putantes se excusari, quum et quotidie tot horas infructuose, imo et vitiose expendant. *Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit, adducetur ante sacerdotem,* etc. Per animal immundum B Deo promissum, designatur opus illicitum, ad quod quis sub specie boni se obligat, qui se exponere debet sui sacerdotis seu confessoris ac prælati discretioni, et juxta illius judicium opus tale redimere, hoc est, per pœnitentiam de stulta promissione, et per actum vere virtuosum se a periculo expedire.

Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit eam Domino, hoc est, sobolem suam atque familiam, seu corporis sui motus et opera proposuerit ad Dei honorem C efficaciter gubernare, et divino cultui applicare, considerare debet superior ejus, an digne hoc impleat quantum valet ; et quo defectuosior in hoc fuerit comprobatus, eo major ei satisfactio imponatur ; et si domesticos suos voluerit a periculo liberare, oret pro eis, et omni quo potest modo conetur eos ad salutis trahere viam. *Si agrum possessionis suæ voverit et consecraverit Domino, juxta mensuram sementis æstimabitur.* Ager iste est proprium cor semine verbi cœlestis seminatum, gra- D tiarumque donis ornatum, et meritis fecundatum : quem vovet quis Deo, dum de omnibus bonis his firmiter statuit soli Altissimo grates et debitam servitutem rependere, a quo tanto majora ac plura exiguntur a Judice, quanto plus fuerit eruditus, gratiosiusque præventus, et affluentius adimpletus. *Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit et vovere.* Primogenita sunt perfecti discipuli, qui humana sanctificatione non indigent, et ipsi Deo intime sunt conjuncti.

Digitized by Google

Omne quod Domino consecratur, non A *veniet, nec redimi poterit.* Quum igitur in Baptismo, in sacrorum Ordinum susceptione, in sacramentali benedictione, in professione monastica consecrati simus Creatori nostro ac Salvatori, non committamus sa- *Rom.* VI, 13. crilegium detestandum, exhibendo membra nostra arma iniquitatis peccato, nec animæ nostræ Sponso unitæ superno, dæmonum fiant adulteræ; sed in sanctitate et justitia proficientes quotidie, cum ampliori puritate et fervore obsequamur in- I *Cor.* III, 16. desinenter Domino Deo nostro. Templum B etenim Dei sumus, si tamen Spiritus Sanctus demoratur in nobis. Non igitur profanemus templum Dei altissimi : imo ut bonæ oves, transeamus cum omni obedientia sub summi Pastoris et ejus Vicarii virga. Postremo, in verbo nunc præinducto, et in eo quod subditur, *Quidquid semel consecratum est, sanctum sanctorum erit Domino,* quidam fundaverunt se, asserentes quod nec dominus Papa possit in voto solenni continentiæ dispensare; quod et Albertus affirmat, allegans pro C se quod beatissimus evangelista Matthæus noluit sanctam Iphigeniam virginem consecratam, velatam, tradere conjugem regi, quum tamen rex ille promitteret se cum omni regno suo fidem accepturum catholicam. Hoc idem Thomas defendit in secunda secundæ, quæstione 88. Verumtamen super quartum Sententiarum, distinctione 38, dicit oppositum.

Postremo, in fine expositionis Levitici dicit Glossa, et videtur esse verbum Hesychii : Paulus et Barnabas aliquando dis- *Act.* XV, 37-40. senserunt. Nam Barnabas dixit Marcum assumendum; Paulus sensit oppositum, et assumpsit Silam, Barnabas Marcum. Qui in tantum claruit, ut fieret unus de quatuor Evangelistis. Verumtamen (salva reverentia istud dicentis) hoc ipsum non potest salvari : quoniam Marcus ille quem Barnabas secum duxit, fuit consobrinus ipsius, et vocabatur Joannes, cujus mater, ut in *Ibid.* XII, 12. Actibus Apostolorum habetur, in Jerusalem habitavit. Marcus vero unus quatuor Evangelistarum, fuit natione Alexandrinus, et specialis gloriosissimi principis Apostolorum discipulus, qui cum ipso sacratissimo Petro Romam profectus est. Deinde in Aquilegia, post hoc in Alexandria prædicavit, martyriumque perpessus est. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI LEVITICI

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM NUMERI

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

QUI *educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat*. Is. XL, 26. De numeris, numerorumque rationibus, speciebus, proportionibus, proprietatibus atque mysteriis, non a philosophis tantum, sed a theologis quoque multa subtilia sunt conscripta. Unde et unus sapientium locutus est Deo : In numero, pondere et mensura omnia constituisti. Et alter : Qui numerat multitudinem stellarum. Etenim Domino Deo, antequam crearentur, nota sunt omnia. Hic ergo Dominator omnipotens, cujus sapientiæ non est finis, volens populum suum esse ordinate dispositum, et instar exercitus sibi subjectum, postquam populo suo tradidit legem, volensque populum suum ad legis suæ executionem procedere, jussit ut populus ille recte inter se distingueretur, loco, situ, numero, origine, auctoritate. Hinc multiplicem numerationem fieri jussit, sicut in libri hujus patebit processu : non quod ipsum omnium Creatorem, gubernatorem ac judicem numerus populi sui lateret ; sed ut insinuaret quod plebis suæ fidelis specialem habeat curam, et aliis numerus talis, quantum ad singulas tribus, pateret ; et propter mysterium, ut infra tangetur.

Sap. XI, 21. *Ps.* CXLVI, 4.

Hinc liber iste Numerorum vocatur, non quod de numero, ejusque speciebus et proprietatibus, tanquam de subjecto seu genere scibili tractet, sed quia de populo Israel multipliciter numerato, facit in suo exordio mentionem. Est namque consuetudo Hebræis, libros a materiis, de quibus in exordiis suis loquuntur, intitulare. Itaque qui in triumphanti Ecclesia certum instituit numerum civium beatorum, ipse in militanti Ecclesia numerat suos, monstrans se prædeterminasse ac scire, quos et quot ad cœlestium civium perducturus sit thronos. Infidelium vero et reproborum, quos quasi ignorat, non legitur quod fecerit numerari catervas, quia in illis confusa sunt omnia. De quibus et protestatur : Non est anima mea ad populum istum. *Jer.* XV, 1.

Quod si quæratur, cur igitur populum christianum nunquam numerari præcepit : respondetur, quod populus christianus ubique terrarum supra numerum multiplicatus est ; et tamen ut agnoscatur, quam admiranda et supernaturalis exsistat tanta multiplicatio populi christiani, paucitas ejus describitur in exordio primitivæ Ecclesiæ, ut quod fuerunt duodecim Apostoli, et septuaginta duo discipuli, atque turba eorum in die Pentecostes, dum Spiritum Sanctum affluentissime susceperunt, fere centum viginti : ex quibus, imo ex quorum aliquibus, per universum orbem diffusa et suscepta est fides catholica et evangelica lex, sine armis et bellis, sine artibus falsis, sine terrenis promissis et commodis. Nec impedire hoc potuit rabies tyrannorum, argumentatio philosophorum, perfidia et crudelitas Judæorum, hæreticorum vesania, imperatorum et regum renitentia furiosa, invisibilium hostium repugnatio tentatioque assidua : quoniam omnipotentia Creatoris per signa, prodigia atque miracula, per virtutes et varias Spiritus Sancti distributiones, pro sua lege ac plebe pugnavit, sicut et olim in Ægypto, in mari Rubro, in eremo et terra promissionis, pro Israelitico populo, quem extunc reliquit, quando legem Christi diffudit ac roboravit.

Act. I, 15.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM NUMERI

HEBRAICE VAIEDABBER

IN QUO AGITUR DE NUMERATIONE, MURMURATIONEQUE POPULI ISRAEL, DE PROPHETIA BALAAM, DE MANSIONIBUS POPULI IN DESERTO, ET VICTORIA CONTRA REGES CITRA JORDANEM.

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN IN DESERTO SINAI.

LEGE jam data, et tempore procedendi A ad terram promissam instante, locutus est Dominus Moysi de quibusdam præambulis, puta de populi numeratione, de tribuum ordinata collocatione, de tabernaculi dedicatione ac deportatione, de Levitarum separatione officiisque distinctis. Itaque, *Locutusque est Dominus* per angelum *ad Moysen in deserto Sinai,* hoc est in deserto in quo mons Sinai situs est, et facta est allocutio ista, *in tabernaculo fœderis :* in quo scilicet tabernaculo continebantur tabulæ testamenti seu fœderis Dei ad po- B pulum. Processit autem vox Dei ad Moysen
Exod. XXV, 22. de propitiatorio, quod erat quasi thronus seu sedes Dei, ut super Exodum atque Leviticum frequenter est dictum. *Prima die mensis secundi, anno altero,* hoc est secundo, *egressionis eorum ex Ægypto.* In
Ibid. XL, 15. Exodo scriptum est : Mense primo anni secundi, in prima die mensis, collocatum est tabernaculum. Ex quo constat, quod allocutio ista facta sit per unum mensem post tabernaculi erectionem, et infra hoc tempus locutus est Deus Moysi ea quæ in Levitico scripta sunt.

Dicens : Tollite summam, id est, certum numerum accipite, *universæ congregationis filiorum Israel, per cognationes et domos suas et* per *nomina singulorum :* id est, totum populum istum sic numerate, ut primo numeretis personas cujuslibet tribus, dempta tamen Levitica tribu ; numerum vero personarum cujuslibet tribus accipite, numerando personas uniuscujusque familiæ ipsius tribus. In una enim tribu erant tot familiæ, quot erant filii Patriarchæ tribus illius : et quoniam Dan patriarcha non habuit nisi filium unum, non nisi una erat familia in tribu ipsius, ut infra habetur. Numerum quoque personarum familiæ numerate, numerando singula familiæ supposita, sicque ex omnibus his sumite summam multitudinis universorum. *Quidquid sexus est masculini a vicesimo anno et supra.* Non exprimit lit-

Digitized by Google

tera, quousque illud *supra* extendebatur, seu ad quem terminum ætatis ascendebatur in computando ab anno vicesimo. Aliqui autem putant, quod omnes viri qui vicesimum annum attigerant, numerabantur in undecim tribubus : quod nequaquam putandum est, quia subjungitur, *omnium virorum fortium ex Israel,* qui scilicet poterant ad bella procedere : quod de senibus atque decrepitis accipi nequit. Porro aliqui dicunt, quod numerabantur usque ad sexagesimum annum. Josephus vero refert, quod usque ad quinquagesimum. *Et numerabitis eos per turmas suas, tu et Aaron; eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum,* id est familiarum, ita quod in qualibet undecim tribuum, vel etiam duodecim tribuum : nam tribus Joseph divisa est in duas tribus, pro eo quod tribus Levi a ceteris tribubus exstitit separata, ut sequenti habetur capitulo ; itaque in qualibet tribu numerata præfuit unus princeps, tamen sub Moyse. Deinde exprimuntur principes isti in textu, qui planus est. Adjuncti sunt autem principes isti, quia tam in numerando quam in dirigendo præstabant præsidium Moysi. Adjuncti sunt quoque præter et ultra eos, quos ad consilium Jethro Moyses prætulit populo, hoc est præter tribunos, centuriones, quinquagenarios, et decanos, prout ex verbis B. Augustini probatur in Glossa.

Denique in isto capitulo sumuntur tribus, cognatio, et generatio pro eodem ; familia quoque et domus. Interdum tamen inter domum et familiam insinuatur distinctio, ut quum in isto capitulo legitur, Recensentes, id est numerantes, eos per cognationes et domos ac familias. Aliquando vero sic scriptum est in hoc ipso capitulo, Per generationes et familias ac domos suas. Unde dicendum videtur, quod familia quandoque accipitur prout plura includit quam domus. Nonnunquam fit econverso, imo frequenter omnia ista pro eodem accipiuntur. In translatione vero Septuaginta interpretum, sic habetur : In descriptione numerationis cujuslibet tri-

A bus secundum propinquitates eorum, secundum populum eorum, secundum domos familiarum eorum, secundum capita eorum, secundum numerum nominum eorum. Insuper, quoniam Deus de populo Israel sæpe testatus est, Eritis mihi in peculium ; et rursus, Elegit te Dominus ut sis ei populus peculiaris : ideo sicut quis frequenter numerat peculium suum quod amat, sic Deus populum istum in hoc libro describitur bis ac pluribus modis enumerasse. In Exodo quoque summa populi B hujus sæpius est descripta, et item in Genesi : utpote cum quot personis Jacob intravit Ægyptum, quanta exstitit multitudo exeuntium de Ægypto.

Exod. XIX, 5. *Deut.* VII, 6. *Exod.* XII, 37. *Gen.* XLVI, 26.

Littera demum descriptionis numeri tribuum, plana est, nisi quod de numeratione tribus Dan, sic legitur : *De filiis Dan, per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti,* id est numerati *sunt,* etc. Jam quippe præhabitum est, quod Dan non habuit nisi unicum filium, et quod una dumtaxat familia ab ipso descendit : C quorum primum patet ex eo quod in Genesi habetur, Filii Dan, Husim, ubi plurale pro singulari accipitur, utpote Filii pro Filius ; secundum vero, ex hoc quod infra in isto narratur volumine : Filii Dan, Suham. Omnes fuerunt Suhamitæ ; sicque qui in Genesi dicitur Husim, in libro Numerorum vocatur Suham. Quæ quum ita se habeant, quomodo nunc de numeratione tribus Dan fertur, Per generationes et familias ac domos cognationum suarum ? Responderi potest juxta nunc tacta, quod su- D mitur plurale pro singulari, vel cognationes et familiæ ac domus istæ computantur non ab immediatis filiis Dan, sed ab his qui de immediato ejus filio nunc expresso, descenderunt.

Ibid. 23. *Num.* XXVI, 42, 43.

Fueruntque † *omnes* simul *filii Israel per domos et familias suas,* id est, personas domorum ac familiarum pariter computando, *a vicesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia,* id est sexcenta millia et tria millia, *virorum, quingenti quinquaginta.* In Exodo

Digitized by Google

Exod. XII, 37. scriptum est : Profecti sunt filii Israel de Ramesse in Socoth sexcenta fere millia peditum virorum, absque mulieribus et parvulis : quomodo ergo potuerunt jam post unum annum et mensem unum esse tam multi, ut dictum est, præsertim quia quos interim genuerunt, non sunt annumerati ? Dicendum videtur, quod infra hoc tempus multi ad virilem pervenerunt ætatem, qui ante nondum erant viginti annorum.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Tribum Levi noli numerare. Quid
Num. III, 15. est hoc, quum infra legatur, Locutus est Dominus ad Moysen, Numera filios Levi per domos patrum suorum ? Et respondendum, quod Dominus nunc prohibet filios Levi numerari inter alias tribus, et eo modo quo aliæ tribus sunt numeratæ, videlicet a vicesimo anno et supra. Tertio autem capitulo præcipit eos numerari seorsum specialique modo, puta ab uno mense et
Ibidem. supra, prout infra dicetur. Ex his etiam innotescit dignitas sacerdotalis. *Neque ponas summam eorum cum filiis Israel,* id est cum multitudine populari, cui debet præesse. Cœtus namque sacerdotalis, a plebeia concione debet conversatione et loco distingui, ut aliis in exemplum ponatur, et Deo vicinius appropinquet ac vacet. *Sed constitues eos super tabernaculum testimonii, et cuncta vasa ejus, et quidquid ad cærimonias pertinet. Super* non dicit hic situm, sed curam, provisionem, obsequium, quemadmodum Pharao dixit ad
Gen. XLI, 40 Joseph : Tu eris super domum meam. Itaque, Constitues eos super tabernaculum et super vasa et super omnia quæ ad cærimonias pertinent, id est super sacrificia et cetera cærimonialia, ut omnium horum curam, provisionem, ac ministerium habeant,
Num. IV. prout infra copiose habetur. Unde mox subditur : *Ipsi portabunt tabernaculum* in profectione et mutatione locorum, *et omnia utensilia ejus,* vasa et instrumenta cultus divini ; *et erunt in ministerio* sanctuarii, *ac per gyrum tabernaculi metabuntur,* id est, tentoria sua figent in circuitu tabernaculi, propinquius quam aliæ tribus, quæ etiam in tabernaculi gyro sua statuerunt tentoria. *Quumque proficiscendum fuerit,* hoc est, dum nube procedente populus motum nubis sequetur, *deponent,* id est, a suo loco removebunt, et secum ferent *Levitæ tabernaculum ; quum castra metanda,* id est, dum nube alicubi quiescente tentoria fuerint figenda, *erigent,* id est, tabernaculum in altum figent ipsi Levitæ.

Quisquis externorum accesserit, hoc est, quicumque qui non est de tribu Levi, usurpaverit sibi officium Levitarum circa sanctuarium Dei, *occidetur* morte, id est, secundum legem mori meretur, vel a Deo plagabitur, aut sententialiter dijudicabitur : idcirco Ozias rex thurificare præsu- II *Par.* XXVI, 16-19.
mens, percussus est lepra. Gedeoni quoque *Judic.* VIII, 27.
et domui ejus factum est in ruinam, quod se de sacerdotali officio plus quam licuit, intromisit. Septuaginta transtulerunt : Alienigena qui accesserit, moriatur. In quibus verbis alienigena improprie sumitur, utpote non pro gentili, sed pro Hebræo non Levita, ut Augustinus testatur.

Metabuntur autem, hoc est figent, *castra filii Israel, unusquisque per turmas suas et cuneos atque exercitum suum,* id est unusquisque in loco suæ tribui et tribus suæ exercitui deputando, ut infra describitur. *Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria,* sicut expositum est, *ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel,* id est, ne ex inordinata Levitarum *Num.* IV, 20.
dispositione et inobedientia alii scandalizentur, et percuti mereantur. Interdum quippe tota communitas temporaliter corporaliterque punitur pro peccato partis suæ, in quantum omnes sunt quodammodo unum. Ad Levitas quoque pertinebat orare pro populo, et Deum eis reconciliare : ideo si et Levitæ peccassent, potuisset populus indignationem Dei facilius graviusque incurrere. Ex scandalosa etiam spiritualium personarum dispositione et vita, populares cito labuntur, et illorum peccata in se mutuo redundare videntur, ac variis modis communicant sibi in vi-

Digitized by Google

tiis : sicque directe aut occasionaliter ex peccato unius, indignatio super alios venit. *Et excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii :* hoc est, Levitæ vigiles et intenti erunt circa ea, quæ ad tabernaculi observantias, cultum, honorem, tuitionemque pertinent.

Præterea, sicut non solum in populo christiano, sed et gentili tres status consistunt, videlicet conjugatorum seu popularium, qui in urbanos et agricolas seu rusticos dividuntur ; et militarium, qui tuentur rem publicam ense et armis ; ac sacerdotalium seu spiritualium, qui circa divina intenti sunt, et causam populi coram Domino gerunt : ita in populo Judæorum fuerunt hi status. Verumtamen in deserto non fuit in eis ordo agricolarum, quia (*Exod.* XVI, 4.) de cœlo consequebantur annonam. Sed alii status fuerunt in eis ibidem. Ideo postquam in libro Levitico, de pertinentibus (*Lev.* VIII, IX, X.) ad sacerdotes et ministros templi tractatum est, nunc in hujus principio libri de concernentibus militarem statum fit sermo. Hinc Josephus materiam libri hujus præhabitam, sic inducit : Moyses prædictam legum constitutionem in Sinai a Deo accepit, et eam Hebræis tradidit scriptam : quumque circa legislationem ista putaret sufficere, ad militaris exercitii jura conversus est, numeravitque capita populorum pugnare valentium, et super hoc Dominum asserit sibi esse locutum.

Postremo Magister in historiis addit : Moyses prætermittit hic quædam, quæ facta fuerunt in primo mense anni secundi, videlicet oblationem duodecim principum (*Num.* VII, IX, VIII.) in dedicatione sanctuarii, et solennitatem Phase, et forsan de sanctificatione Levitarum, de quibus infra.

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI PRIMI SENSU.

NON caret mysterio, quod Dominus data lege suum jussit populum numerari, et eos dumtaxat in numero computari, qui ætate et robore apti erant ad bella procedere. Per hæc quippe signatur, quod domesticorum legis ac fidei specialem curam et providentiam habeat Deus ; et item quod talibus acriora instant certamina ab invisibilibus inimicis, contra quos efficaciter præliari non competit, nisi confortatis a Deo per charismata gratiarum. Tunc quoque facta est numeratio ista virorum ad bella idoneorum, quando ad terram promissionis mox profecturi erant Israelitæ a Sinai monte : ad figurandum quod ad spiritualem virtutum profectum, quo ad terram viventium finaliter repromissam itur ac pervenitur, non exstat idoneus, nisi qui ad dominandum suo animo est robustus, qui fortis est ad crucifigendum corpus (*Galat.* V, 24.) suum cum vitiis ac concupiscentiis, qui per sæculum istud nequam, tanquam per solitudinem pergit, renuens in his quæ (*Ps.* LXXVI, 3.) mundi sunt consolari ; qui puerilem exuit sensum, et omnem femineam abjicit levitatem, nec impietatis jugo subdi se patitur, neque barbarica crudelitate decerpitur : ad quod insinuandum, nec pueri, nec mulieres, nec servi, nec senes, nec barbari sunt numerati. Hi igitur in cœlesti Jerusalem in prædestinatione divina, in libro vitæ sunt scripti, qui taliter viri sunt, atque a vitiis prætactis immunes. Hinc loquitur Origenes : Divino numero non omnes condigni sunt, sed certis prærogativis ornati. Idcirco in libro hoc, nec mulieres educuntur ad numerum, propter infirmitatem femineam ; nec servi, tanquam vita mori-

Digitized by Google

busque degeneres ; neque Ægyptii Israelitis admixti, nec alienigenæ, nec etiam barbari.

Insuper, Deus creator universa et singula distinctissime sciens, qui unico verbo celerrime poterat Moysen, et per Moysen alios certificare de numero Israeliticorum virorum ad bella dispositorum, jussit numerationem hanc fieri per Moysen : nec tantum per eum, sed et per Aaron fratrem ejus, et per duodecim nobilissimos principes duodecim tribuum Israel : ad insinuandum, quod prælati et principes, tam superiores quam minores, debent sibi commissos diligentissime considerare, pusillos a fortibus, effeminatos a virilibus, vitiosos a virtuosis discernere, et unicuique secundum quod capax est, indigensque consistit, prospicere, verbum salutis impendere, ad meliora provehere, virtuosiores quoque in auxilium cooperatores sibi assumere, ad defendendum imperfectos ac labiles ab impugnationibus vitiorum ac dæmonum.

Præterea, per Moysen legislatorem ac ducem Israeliticæ plebis, Christus unigenitus Patris, rex et legifer noster designatur, qui proprio ore testatur : Ego scio quos elegerim, quorum non solum personas, sed et capillos perhibet numeratos a Patre. Per Aaron vero princeps Apostolorum beatissimus Petrus accipitur, quem sibi Dominus et Salvator in primum et summum cooperatorem assumpsit : Pasce, inquiens, oves meas. Et rursus : Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Per duodecim nobilissimos principes, ceteri duodecim Apostoli, Paulo connumerato, intelliguntur. Hi omnes vigilantissime consideraverunt vultus pecorum, utpote subditorum, et viros virtutum voluerunt ad spiritualia bella jugiter esse accinctos : imo eos qui tales non erant, prædicando, orando, atque sanctissime conversando, sed et miracula perpetrando, tales fecerunt. Verumtamen præinducta non sunt ita intelligenda, quasi omnes illi Israelitæ qui numerabantur, fuerint virtuosi, melioresque illis qui non computabantur ; sed figuralis ratio in illis est observata, quatenus si inter electos Dei cupimus numerari, non cessemus conari pro assiduo incremento virtutum, pro constantia in adversis, pro victoria in omni tentatione. Sicque in omnibus coram Deo simus solliciti, timorati et fructuosi.

Is. xxxiii, 22. *Joann.* xiii, 18. *Luc.* xii, 7. *Matth.* xvi, 17-19. *Joann.* xxi, 17. *Luc.* xxii, 32. *Prov.* xxvii, 23.

Locutusque est Dominus ad Moysen : Tribum Levi noli numerare. Per hoc præfiguratum est evidenter, quod sacerdotes, religiosos et clericos, omnesque in sacris Ordinibus constitutos, oporteat præ ceteris in Ecclesia Dei omni sanctitate et exemplaritate fulgere, quemadmodum præminent ordinis dignitate, religionisque consecratione ; qui ecclesiam cum omni reverentia debent intrare, custodire, tueri, et sacra vasa ac divini obsequii instrumenta mundis manibus contrectare : sicque populum christianum opere et sermone, directione et sollicitudine indesinenti præcedere, nec sæcularibus commisceri. Hinc Rabanus contestatur : In tribu Levi sacerdotalis ordo signatur, qui super tabernaculum testimonii, id est supra Ecclesiam, in qua testamenta Dei sunt condita, constituitur, ut curam gerat fidelium, et omnia vasa, id est fideles ad Dei cultum electi, sine errore, vitiorumque sorde permaneant. Hic ordo procurare debet quidquid ad cærimonias pertinet legis, quia ipsius est populum informare, qualiter secundum legem Dei ordinate et honeste in ecclesia conversetur. Hic ordo tabernaculum portat et utensilia ejus, quoniam sacerdotes compatiendo, infirmorumque mores tolerando, et consolando pusillos, quasi humeris patientiæ ac laboris portant Ecclesiam.

Digitized by Google

ARTICULUS III

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

RECITATA tribuum enumeratione, nunc A enarratur numeratorum coordinatio, quantum ad situm et motum. *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: Singuli per turmas* suas, *signa atque vexilla et domos cognationum suarum, castrametabuntur filii Israel, per gyrum tabernaculi fœderis.* Hucusque hæret littera et condependet constructio seu ordo verborum, et est sensus : Singuli filiorum Israel figent tentoria sua, seu unusquisque vir aut paterfamilias numeratus, statuet suum papilionem in turma suæ tribus, ha- B bente signum atque vexillum sibi deputata. Solent namque pugnatores in scutis seu vestimentis habere signaculum, quo discernantur ab aliis. Vexilla vero deferuntur in hastilibus elevata, quorum vexillorum intuitu et præcessu dirigitur atque ad prælium excitatur et confortatur exercitus. Sic itaque metabuntur seu figent tentoria per gyrum tabernaculi fœderis. Voluit quippe Dominus, ut tabernaculum in medio castrorum semper consisteret, ad designandum quod ipse dignanter esset in C medio populi sui, atque ut tota plebs vere monstraret se esse paratam usque ad sanguinem pro defensione legis Dei sibi datæ et tabernaculi ejus.

Ad orientem, id est in orientali plaga respectu tabernaculi, *Judas,* utpote tribus Judæ, quæ ceteris principalior, numerosior, atque potentior fuit, *figet tentoria per turmas exercitus sui :* quoniam in totali illo exercitu Judæ fuerunt plures turmæ particulares familiarum suarum. *Juxta eum castrametati sunt* nati *de tribu Issachar,* D etc. *In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon,* etc. Hæ duæ tribus junctæ fuerunt tribui Judæ in quiescendo ac procedendo, et quælibet harum per aliquantam distantiam exstitit separata ab aliis ; sed tres tribus sic junctæ, multum distabant ab aliis turmarum ternariis. Porro Judas, Issachar et Zabulon, fuerunt fratres uterini, nati de Jacob ex Lia, cujus quartus filius fuit Judas, quintus Issachar, sextus *Gen.* xxix, 35; xxx, 17-20. Zabulon. Deinde in textu qui difficultatem non habet, describitur, quod tribus Ruben cum adjunctis sibi tribubus Simeonis et Gad, castra fixerunt ad tabernaculi plagam meridionalem. Erantque Ruben et Simeon filii Jacob ex Lia ; Gad autem fuit filius Jacob ex Zelpha Liæ ancilla. Ad occidentem castra fixerunt filii Ephraim et Manassæ ac Benjamin. Nempe (ut dictum est) tribus Joseph in duas divisa est tribus, videlicet in tribum Ephraim et tribum Manassæ filiorum Joseph. Benjamin autem, sicut et Joseph, fuit natus Rachelis. In parte aquilonari sita fuerunt tentoria tribus Dan filii Balæ, quæ fuit Rachelis ancilla. Cui tribui junctæ fuerunt tribus Aser filii Jacob ex Zelpha, et tribus Nephthali filii Jacob ex Bala.

Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel, ob causam præhabitam, quia occupati erant circa altiora, scilicet circa divina. Unde ut dicitur, non tenebantur ire ad prælia ad pugnandum ; poterant tamen pugnare pro causa justa, ut patet de Jonatha et Simone fratribus Machabæi. Ali- I *Mach.* v, 17 *et seq.*; x, 74. qui quoque tenebantur exire tempore pugnæ ad populum exhortandum, ut in Deu- *Deut.* xx, 2. teronomio legitur. Circa hæc scribit Lyra : Aliam causam assignat Rabbi Salomon, cur Levitæ non fuerunt inter alios filios Israel numerati, quia sententia mortis fuit a Deo prævisa super omnes bellatores hic numeratos, cui sententiæ noluit Dominus subja-

Digitized by Google

cere Levitas, quoniam non peccaverunt in A adoratione aurei vituli, saltem pro parte majori. Contra quod scribit Rabbi Paulus, dicendo : Sententia lata contra murmuratores tempore exploratorum, fuit præcise contra illos, qui fuerunt numerati a vicesimo anno et ultra : in quo manifeste ex-
Num. IV, 3; III, 15. cludebantur Levitæ, qui a tricesimo anno, vel ab uno mense sunt numerati, ut infra habetur.

Insuper circa illud, Per signa atque vexilla, recitat Lyra : Dicunt quidam Hebræi, quod vexillum cujuslibet tribus fuit simile B in colore lapidi posito in rationali, in quo sculptum erat nomen sui Patriarchæ, ita quod vexillum tribus Ruben fuit rubei coloris, quemadmodum sardius, in quo sculptum fuit nomen Ruben. Quocirca Rabbi Paulus adjungit : Secundum antiquos Hebræorum expositores, signa vexillorum quatuor tribuum harum, quibus junctæ sunt aliæ tribus, fuerunt hæc : In vexillo Ruben fuit figura hominis, quoniam Jacob dixit de
Gen. XLIX, 3. eo : Ruben primogenitus meus. In vexillo Judæ fuit leo, quia de Juda dixerat Jacob : C
Ibid. 9. Catulus leonis Juda. In vexillo Ephraim fuit figura tauri, cui Moyses eum assimi-
Deut. XXXIII, 17. lavit in Deuteronomio : Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus. In vexillo Dan, fuit figura aquilæ. Nam Jacob assimilaverat
Gen. XLIX, 17. eum colubro, quod non est animal pulchrum ad ponendum in vexillo. Moyses vero assimilavit eum catulo leonis in Deu-
Deut. XXXIII, 22. teronomio, dicens : Dan catulus leonis : quod signum pertinebat ad Judam. Ideo dicunt, quod data sit aquila pro signo, conformiter ad quartum animal, de quo D
Ezech. X, 14. in Ezechiele legitur, quatenus in istis vexillis figurarentur quatuor animalia illa. Sed huic ultimo dicto, de causa ob quam data dicitur aquila tribui Dan pro signo, videtur ordo historiæ obviare, quoniam deportatio et insignitio vexillorum istorum diu præcessit comparationem, de qua in Deuteronomio legitur Moyses ipsum Dan *Deut.* XXXIII, 22. catulo comparasse leonis.

Præterea, circa præfatam tribuum dispositionem, Josephus et Magister in historiis dicunt : Ternæ tribus per quatuor partes tabernaculi excubabant, ita tamen remote ab invicem, ut maximam in medio plateam haberent. Erantque ornatus castrorum, quasi forum rerum venalium, singulis in ordine constitutis. Opifices artium mechanicarum in stationibus suis, id est in fenestris et officinis fuerunt, ita ut urbi ædificatæ castra eorum simillima viderentur. Porro inter tabernaculum et castra excubabant Levitæ in tabernaculis suis, propinquiores tabernaculo quam castris ; et excubabant similiter per quatuor plagas, videlicet Moyses et Aaron cum suis ad orientem, reliqui Caathitæ ad meridiem sub custodia Eleazari filii Aaron ; Gersonitæ ad occidentem, Meraritæ ad septentrionem, et erant utrique sub custodia Ithamar. Hæc in Scholastica historia.

Postremo quæri potest, cur præfatæ quatuor tribus fuerunt principales in quatuor illis ordinibus, ita quod eis adjunctæ sunt ceteræ, utpote duæ cuilibet earum. Responderi potest, quod tribus Juda fuit una et prima ob multiplicem eminentiam suam prætactam, et quoniam Jacob prophetavit ex ea Christum et reges nascituros. Tribus *Gen.* XLIX, 10.
Ruben, quoniam Ruben primogenitus erat, quamvis primogenitura sua fuit privatus. *Ibid.* 3.
Tribus Ephraim, quoniam Jacob prætulerat ipsum Ephraim Manassæ. Tribus Dan, *Ibid.* XLVIII, 20.
quoniam fortior et populosior fuit tribubus sibi adjunctis : erat quoque Dan primogenitus Balæ.

Digitized by Google

ARTICULUS IV

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SECUNDI INTELLECTU.

L*OCUTUS est Dominus : Singuli per turmas* suas, *signa atque vexilla metabuntur*. Ex littera edocemur, quam vere *Rom.* xiii, 1. dixit Apostolus : Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Sapientis namque est, ordinatum et pulchrum opus producere. Ideo voluit Deus populum illum Hebræum ab extra tam ordinate disponi, tam decenter procedere, tam reverentialiter circa tabernaculum se habere, ut designaret quam recte et juste oporteat eos intus qualificari, quam virtuose proficere, quam devote conversari, qui Omnipotenti cupiunt complacere, æternaliterque salvari. Ideo dixit Apostolus : *I Cor.* xiv, 40. Omnia autem decenter et secundum ordinem fiant in vobis. Spiritualiter ergo unusquisque vere Israelita, id est Christifidelis, per turmas suas, id est inter eos qui ejusdem secum sunt vocationis aut professionis, per signa, id est opera bona quæ sunt fidei vera indicia, seu per baptismalem characterem aut ordinem sacrum ; vel, per signa, id est miracula sua aut patrum sanctorum, et per vexilla, id est sanctæ crucis signacula aut præclara virtutum insignia : metetur, id est, mentis suæ quietem et sedem seu mansionem figat in Domino per gyrum tabernaculi, id est, undique adhærendo Ecclesiæ, nec longe recedendo ab ea.

Ad orientem Judas figet tentoria. Tabernaculum istud, ut tactum est, designat Ecclesiam, seu quamcumque congregationem devotam, seu animam solidam, justam, catholicam. In gyro Ecclesiæ principes, id est duodecim Apostoli, sua fixerunt tentoria, id est stationes ac mansiones, ad muniendum et confortandum Ecclesiam. Animam vero justi duodecim virtutes morales decorant ac protegunt ; vel duodecim

A istæ virtutes (utendo extense nomine virtutis) sunt tres virtutes theologicæ, septemque dona Spiritus Sancti, gratia gratum *Is.* xi, 2, 3. faciens, et gratia sacramentalis, si tamen ab invicem distinguantur ; vel certe duodecim fructus Spiritus. *Galat.* v, 22, 23. Porro oriens Ecclesiæ est vel Christus, de quo Zacharias, Ecce, inquit, vir, Oriens nomen ejus ; *Zach.* vi, 12. vel fides, per quam primo illuminatur a Sole sapientiæ ; vel respectus ad gratiam gratificantem, vel status incipientium. Meridies Ecclesiæ est prosperitas, vel ardor sancti B amoris, vel affluentia supernorum charismatum, seu proficientium status. Occidens est mors salubris, coram Domino pretiosa, *Ps.* cxv, 15. vel finis mundi, vel status perfectorum, in quantum in eo finitur profectus omnis vitæ præsentis. Aquilo est adversitas, tentationum duritia, refrigescentia caritatis. In quolibet horum quatuor multi morantur. At vero per quadripartitam duodecim tribuum divisionem, vel quatuor Evangelia, vel quatuor virtutes cardinales, vel quatuor principales partes mundi ad Christum conver- C sæ intelliguntur, quæ omnes ad Christum et ejus Ecclesiam respexerunt. Per hoc quoque, quod in qualibet parte quaternarii illius erant tres tribus, significatur, quod fides superbenedictæ Trinitatis ubique terrarum in sancta Ecclesia concorditer est suscepta.

Itaque in exercitu ecclesiastico jugiter maneamus, hæreticorum et schismaticorum conventicula, vitiosa consortia, loca periculosa vitantes. In exercitu, imo et in anima nostra princeps sit Judas, id est D confessio laudis divinæ, confessio propriæ culpæ, et protestatio credendorum. Nam Judas interpretatur confessio. Cui jungatur Issachar, id est spes seu consideratio

Digitized by Google

retributionis æternæ, ut omnis vana con- A temnatur intentio, nec propter laudem humanam aliquid fiat. Issachar namque, vir mercedis interpretatur. Et Zabulon, id est firma in Deo stabilitas, ne mens in bonis distrahatur a Domino. Zabulon quippe, habitaculum fortitudinis dicitur. Conformiter per alia Patriarcharum nomina, secundum variam eorum interpretationem, diversæ intelliguntur virtutes.

ARTICULUS V

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : HÆ SUNT GENERATIONES AARON ET MOYSIS.

NUMERATIO, dispositio et proprietates B aliquæ Levitarum, nunc describuntur. *Hæ sunt generationes Aaron et Moysis.* Nominatur hic Aaron ante Moysen, quoniam senior erat, et propter pontificii dignitatem. Frequentius tamen dum pariter recitantur, Moyses ante exprimitur, quia simpliciter major fuit et sanctior. *In die qua locutus est Dominus ad Moysen :* non quod in die seu tempore illo genuerint, sed quia tunc habuerunt generationes seu filios generatos. *In monte Sinai.* Nam ante tabernaculi constructionem et erectionem C Dominus ad Moysen loquebatur communiter in vertice montis illius ; tabernaculo autem erecto, in ipso tabernaculo.

Et hæc sunt nomina filiorum Aaron : Primogenitus ejus Nadab, deinde Abiu et Eleazar et Ithamar. Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui uncti sunt, id est consecrati in sacerdotes, *et quorum repletæ et consecratæ sunt manus, ut sacerdotio fungerentur.* Qualiter intelligendum sit istud, et qualiter filii Aaron dicantur uncti et consecrati, et repletæ seu initiatæ manus D eorum ad fungendum sacerdotio, clare expressum est in Exodo et Levitico quoque. [*Exod.* XXIX. *Lev.* VIII.] Breviter tamen repetendo, dicunt nonnulli quod solus pontifex ungebatur oleo sancto in capite ac manibus, inferiores autem sacerdotes in manibus tantum : et hoc textus videtur interdum innuere, sicut et isto in loco. Alii dicunt quod non ungebantur oleo puro, sed quadam confectione ex oleo et sanguine sacrificii facta ; quod item unctio illa non fuit nisi adspersio, qua ipsi et vestes eorum adspergebantur hujusmodi commixtione. Sed secundum hoc non apparet, cur manus eorum dicantur specialiter consecratæ, nisi forte quod ideo, quoniam mixtura illa ex adspersione, tetigerit nudas eorum manus. Vel ideo dicuntur manus eorum repletæ et consecratæ, quia in eorum consecratione pontifex posuit [*Exod.* XXIX, 24.] quasdam sacrificiorum materias super manus eorum, per quod dedit eis auctoritatem sacrificandi, prout super Exodum expositum est. Nec aliter poterant sacerdotali officio legitime uti.

Locutusque est Dominus ad Moysen : Applica tribum Levi, id est, ab aliis divide eam, et coram Aaron ipsam præsenta. Ideo subditur : *et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei* tanquam pontifici, prosequendo inferiora obsequia, *et excubent,* id est, vigilanter intenti sint die ac nocte tempore opportuno. Videtur autem B. Augustinus sentire, quod Excubare hic accipiatur proprie, utpote pro nocturna vigilatione quæ certis horis fit in castris pro custoditione exercitus, quasi Levitæ putaverint, vel ne putarent, se esse debere immunes a vigiliis talibus propter honorem quo in tabernaculo serviebant, præsertim quum et eos oporteret vicissim servare propter opera tabernaculi vigilias tales, quales observabantur circumquaque in aliis castris. *Et observent quidquid ad*

Digitized by Google

cultum pertinet multitudinis, id est, ea quæ pro communi populo Israel erant agenda in hostiis et oblationibus, exsequantur ex parte communitatis, et pro prosperitate ac salute universorum secundum regulam officii Levitis præfixam, *coram tabernaculo testimonii,* id est in atrio in quo Levitæ tale officium exercuerunt communiter; *et custodiant vasa tabernaculi,* id est instrumenta cultus divini eis commissa, ut infra dicetur, *servientes in ministerio ejus,* id est Deo obsequentes in his quæ in tabernaculo ac atrio fiunt. (*Num.* IV, 5 *et seq.*)

Dabisque dono Levitas Aaron et filiis ejus, id est, Levitas assignabis gratuito ac subdes pontifici et sacerdotibus aliis, *quibus traditi sunt a filiis Israel,* id est, ex parte filiorum Israel, et pro ipsis dati et assignati ac subditi sunt Levitæ pontifici ac sacerdotibus. Siquidem pro tota communitate divino sunt cultui deputati. *Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii,* id est, eorum exsecutionem quæ ad summum sacerdotem, inferioresque sacerdotes pertinent, eis committes. Istud enim jam exstitit factum in consecratione ipsorum. *Externus,* utpote de stirpe Levitica non exsistens, *qui accesserit ad ministrandum,* id est ad faciendum Leviticum aut sacerdotale officium, *morietur,* sicut in expositione primi capituli dictum est.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Ego tuli Levitas a filiis Israel, id est, tribum Levi elegi et assumpsi ad ministerium meum in sanctuario, *pro omni primogenito qui aperit vulvam in filiis Israel,* id est pro primis filiis Israelitarum exeuntibus uterum maternum ante ceteram prolem; *eruntque Levitæ mei,* id est meo cultui specialiter deputati. *Meum est enim omne primogenitum,* id est mihi specialiter consecratum seu consecrandum ex mei ipsius statuto, in commemorationem et gratiarum actionem, quod primogenita Israelitarum non tetigi, sed salvavi quando Ægyptiorum primogenita interfeci. Ideo subditur: *Ex quo percussi primogenitos* (*Exod.* XXII, 23.) A *in terra Ægypti, sanctificavi,* id est, offerendum et deputandum *mihi* institui, *quidquid primum nascitur in Israel, ab homine usque ad pecus* inclusive, *mei sunt,* præsertim quia primitiæ cujuslibet fructus Deo debentur.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Numera filios Levi per domos patrum suorum et familias, id est, numerando eos qui descenderunt ex semine Levi per tres filios ejus, videlicet Caath, Gerson et Merari, quorum filii vocantur tres B domus; numerando quoque natos ex posteris illis, qui fecerunt multas familias: sicque domus, ut hic sumitur, includit familiam, quemadmodum tribus domum. Possunt tamen nunc accipi pro eodem, quia et infra posteritas cujuslibet filiorum Levi, vocatur familia, quum dicitur: Caath a quo familia Caathitarum. (*Num.* XXVI, 57.) *Omne masculinum* * *ab uno mense et supra.* (* *Omnem masculum*) Primogeniti namque aliarum tribuum, pro quibus isti commutabantur, offerebantur in templo, dum erant unius mensis et paulo C plus, scilicet quadragesimo die a sua nativitate. *Numeravit Moyses ut præceperat Dominus,* etc.

Filii Gerson, qui erat filius Levi patriarchæ, fuerunt *Lebni et Semei,* de quibus natæ sunt duæ familiæ, et continebant septem millia quingentos. *Hi post tabernaculum castrametabuntur ad occidentem. Et habebunt excubias,* id est vigilantem custodiam, *in tabernaculo fœderis,* exercendo ibidem suum officium, diligenter custodiendo *ipsum tabernaculum et ope-* D *rimentum ejus,* imo operimenta, quorum unum fuit de sagis cilicinis, secundum de pellibus arietum rubricatis, tertium de pellibus hyacinthinis; *tentorium,* id est velum, *quod trahitur ante fores tecti fœderis,* id est sanctuarii, cujus tectum fuit planities, et operiebatur præfato triplici operimento; *tentorium quoque, quod appenditur in introitu atrii tabernaculi,* id est velum quod ante januam seu aditum atrii pependit: unde alia littera habet, (*Exod.* XXXVIII, 18.) Velum ostii atrii; *et quidquid ad ritum*

Digitized by Google

altaris pertinet, id est ad observantias eorum officio deputatas circa altare holocaustorum, quod stetit in atrio ; *funes tabernaculi et omnia utensilia ejus.* Circa hæc enim obsequium quoddam. habebant per modum qui infra tangetur : præsertim si per tabernaculum, atrium tabernaculi intelligatur, ut ante frequenter est factum. Ideo reprobatio cujusdam hoc loco non prævalet.

Sequitur de domo Levitarum secunda. *Cognatio Caath,* id est progenies totalis descendens de Caath filio Levi, *habebit populos,* id est quatuor familias, utpote *Amramitas et Jesaaritas et Hebronitas et Ozielitas.* Hæ quatuor familiæ natæ sunt ex quatuor filiis Caath, puta ex Amram et Jesaar et Hebron et Oziel. Hi *habebunt excubias sanctuarii,* quod deferebant ; *et castrametabuntur ad meridianam plagam* tabernaculi. *Et custodient arcam, mensamque et candelabrum, altaria et vasa sanctuarii in quibus ministratur.* Hæc portabant propriis humeris involuta. Dura enim ferebant, et cum illis unum molle, de quo subditur : *et velum,* quod inter Sancta sanctorum et Sancta pendebat. Sicque apparet, quod utrumque altare portabant, et vasa amborum saltem præcipua, ut quæ altaribus propria erant, ut aliqui dicunt. *Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron, erit super excubitores custodiæ sanctuarii.* Iste Eleazar fuit princeps generalis specialium principum, qui præerant in suis familiis, et communiter præfuit excubitoribus tabernaculi, cui et præfati principes particulares rationem reddebant.

Subditur de tertia domo Levi. *At vero de Merari erunt populi Moholitæ et Musitæ,* quæ duæ familiæ natæ sunt de duobus filiis Merari, puta de Moholi et Musi. *In plaga septentrionali castrametabuntur ; eruntque sub custodia eorum tabulæ tabernaculi et vectes et columnæ ac bases earum, columnæque atrii cum basibus suis.* Ad Meraritas namque pertinuit ferre dura, quæ extra tabernaculum erant : sic- A ut ad Caathitas dura, quæ intra illud fuerunt. Nec obest quod subditur, *et paxilli cum funibus,* quia de funibus, qui inseparabiliter erant innexi duris, exponitur hoc. Portabant autem ista in curribus.

Sequitur de situ superiorum, qui erant Caathitæ. *Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est ad orientalem plagam, Moyses et Aaron cum filiis suis, habentes custodiam sanctuarii.* Hi enim habuerunt principalem respectum, curam et gubernationem tabernaculi Dei, in quod B intrabatur ab oriente.

Deinde subjungitur summa omnium horum sic numeratorum. *Omnes Levitæ quos numeraverunt Moyses et Aaron ab uno mense et supra, fuerunt viginti duo millia.* Hoc verum est, juxta morem Scripturæ, quæ minutias temporum et numerorum non computat. Stricte enim numerando et consociando præfatos numeros partiales, faciunt viginti duo millia et trecenta. Insuper dici potest, quod trecenti illi omittuntur in summa hac, quoniam primogeniti C erant, sicque ratione primogenituræ pertinebant ad Dominum, sicut et primogeniti alii : idcirco pro aliis primogenitis non poterant commutari, ac Domino deputari.

Et ait Dominus ad Moysen : Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel a mense uno et supra. Hoc intelligitur de primogenitis tribuum aliarum. *Tollesque Levitas mihi,* etc., id est, eos meo cultui in tabernaculo applicabis ; *et pecora eorum,* scilicet Levitarum, *pro universis* D *primogenitis pecorum filiorum Israel.* Verumtamen pecora munda ac primitiva aliarum tribuum Domino offerebantur. Ideo de pecoribus earum immundis seu non immolaticiis quæ redimebantur, exponitur hoc. *Recensuit,* id est numeravit, *Moyses sicut præceperat Dominus. Et fuerunt primogeniti* earum, id est tribuum, *masculi ab uno mense et supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres. In pretio autem ducentorum septuaginta trium primogenitorum tribuum* ceterarum, *qui excedunt*

Digitized by Google

numerum Levitarum jam prætaxatum, qui A commutari poterant pro filiis Israel ; *de primogenitis filiorum Israel accipies quinque siclos per singula capita,* id est, pro quolibet illorum primogenitorum aliarum tribuum Israel, accipies in pretium eorumdem quinque siclos, *ad mensuram sanctuarii :* quorum scilicet usus in sanctuario fuit, prout sæpe expositum est. Illi namque residui non poterant redimi per Levitas, ideo per pecuniam sunt redempti a parentibus suis communiter, et illa pecunia data est Aaron et filiis ejus, tanquam Dei B tabernaculique ministris, qui communem totius plebis curam gerebant, et causam salutis eorum agebant, et clarus est textus.

Circa exordium hujus capituli quæri potest, cur ibi dicatur, Hæ sunt generationes Aaron et Moysis, quum consequenter non fiat mentio ibi de filiis Moysis, nec fuerunt sacerdotes. Ad hoc refert Lyra, Rabbi Salomonem respondere, quod Moyses fuit spiritualis pater Aaron filiorumque ejus, quoniam docuit eos legem. Quam responsionem reprobat Rabbi Paulus, quoniam simili ratione dici posset pater totius Israelitici populi. Addit quoque quod filii Moysis, quamvis non exprimantur in speciali, recoluntur tamen in generali, videlicet in summa Amramitarum. Sed dictum hoc Rabbi Pauli non videtur magni vigoris, quoniam Moyses non solum ratione doctrinæ, imo et ratione suæ præsidentiæ, potuit dici pater plebis illius.

ARTICULUS VI

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI TERTII INTELLIGENTIA.

QUOD Dominus sacerdotalem et Levi- C ticam stirpem fecit numerari specialiter et seorsum, designat quod ei sit specialis cura circa sacerdotes, et prælatos spiritualesque homines, a quibus et majora ac plura requirit : specialiter quoque diligit eos, si digne se habeant ; si quo minus, intolerabilior imminet eis damnatio, hoc est, si instar duorum filiorum Aaron, qui (*Lev.* x, 1.) ignem obtulerunt alienum, excesserint : quod agunt, qui corda sua Spiritui Sancto consecrata, relicto sanctæ dilectionis igne, implent carnali et turpi amore, et bona D quæ agunt, intentione prosequuntur sinistra, aut falsa seminant documenta. *Applica tribum Levi,* etc. Ex his docemur, quam integro ac fervido vigilantique corde sacerdotes et omnes qui in sacris constituti sunt Ordinibus, habere se debeant circa divina, suis quoque superioribus obedire, ita ut unusquisque efficiat quod sibi injunctum est, nec transgrediatur terminos sibi præfixos. *Ego tuli Levitas a filiis Israel.* In lege naturæ primogeniti erant communiter sacerdotes ; verum in lege Moysis unam tribum Deus specialiter sibi assumpsit in sacerdotale Leviticumque officium, (*Deut.* xviii, 5.) quatenus ex ipsa successione sacerdotalis dignitas in majore haberetur honore.

Amplius, ex præhabita commutatione filiorum Levi pro primogenitis tribuum aliarum, et ex residuorum primogenitorum Israel redemptione, diligentique numeratione, commendatur nobis rectitudo, imo et districtio divinæ justitiæ. Per tres vero familias Levitarum, intelligi potest triplex ordo sacer, seu triplex eorum distinctio, qui in sacris sunt constituti Ordinibus ; seu triplex status religiosorum, videlicet status animalis et rationalis ac spiritualis ; seu triformis diversitas famulantium Deo, videlicet servorum fidelium, et amicorum, ac filiorum ; vel via

Digitized by Google

purgativa, illuminativa et perfectiva. Sed A amandi, honorandi ac sustentandi. Amplius, per hoc quod Moyses et Aaron cum suis habuerunt custodiam ante fores tabernaculi ab oriente : innuitur quod majores prælati ac principes debeant Ecclesiam cum omni diligentia ac fidelitate respicere, observare, tueri, ne hæretici, schismatici, perfidi aut tyranni eam invadant, corrumpant aut persequantur, quibus vel materiali, aut spirituali, aut vicissim utroque obviandum ac resistendum est gladio.

Num. IV. hoc infra amplius ostendetur, ubi Levitarum et sacerdotum officia plenius describuntur.

Rursus, per hoc quod Levitæ in circuitu tabernaculi per quatuor plagas loca sortiti sunt et castra fixerunt, in quibus et aliæ tribus : insinuatur quod sacerdotes et prædicatores jugiter debent plebi de propinquo adsistere, ut eam informent ac tueantur ; et quoniam pro communi omnium laborant salute, ab omnibus filialiter sunt

ARTICULUS VII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN ET AARON.

NUNC Dominus jubet, qualiter circa de- B portationem tabernaculi et contentorum in eo, habere se debeant filii Levi. *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Tollite summam,* id est certum numerum, *filiorum Caath de medio,* id est universitate, *Levitarum.* Vel, De medio, quoniam inter filios Levi medius fuit Caath, primogenitus vero Gerson et ultimus Merari, sicut in Exodo scriptum
Exod. VI, 16. est : Filii Levi, Gerson, Caath et Merari. Glossa quoque ex Origene hoc dicit. *A tricesimo anno et supra, usque ad quin-* C *quagesimum annum, omnium qui ingrediuntur tabernaculum, ut stent et ministrent in tabernaculo fœderis.* Isti de stirpe Caath non idem habuerunt officium, quia in duos status erant divisi. Nam quidam eorum sacerdotes fuerunt, videlicet Aaron et posteri ejus, qui descenderunt de Caath per Amram patrem Moysis, Aaron et Mariæ. Alii fuerunt tantum Levitæ, et sacerdotibus servierunt in tabernaculo, et circa sacrificia, atque in deferendis his quæ nunc describuntur, imo et præcedenti ca- D pitulo sunt expressa.

Præterea quæstio oritur, quomodo hic dicatur, A tricesimo anno et supra : quum infra scribatur, A viginti quinque annis et supra ; translatio quoque Septuaginta hoc loco habet, A vicesimo quinto anno : quem numerum annorum in ordinatione sacerdotum nos observamus, ut in historiis ait Magister. Respondetur, quod in anno vitæ suæ vicesimo quinto applicabantur, ut obsequium Levitarum addiscerent ; anno autem tricesimo, hi qui per experientiam inventi fuerunt apti officio exercendo, instituebantur ad ministrandum, inepti vero repellebantur. Recte quoque in anno tricesimo factum est hoc, quia usque ad illud tempus proficit homo in rationis vigore ac viribus corporis ; vis autem corporis a quinquagesimo anno decrescere incipit. Unde ut in Decreto habetur, Ecclesia diu sic observavit, quod ante tricesimum annum non poterat quis ad sacerdotium promoveri.

Num. VIII, 24.

Dist. 77, c. In veteri. Dist. 78, c. Presbyter.

Consequenter narratur officium Caathitarum, Aaronitarum, utpote sacerdotum. *Hic est cultus,* id est observantia cærimonialis, *filiorum Caath,* non omnium, sed eorum de quibus subjungitur : *Tabernaculum fœderis,* id est exteriorem sanctuarii partem, quæ aliquando Sanctum seu Sancta vocatur, *et Sanctum sanctorum ingre-*

Digitized by Google

dientur Aaron et filii ejus, videlicet sacerdotes, *quando movenda sunt castra,* id est, quando Israelitæ loca mutabunt et progredientur, motum nubis sequendo ; *et deponent velum, quod pendet ante fores,* videlicet velum quod inter Sancta et Sancta sanctorum pendebat, et ante aditum interioris partis tabernaculi ; *involventque eo,* scilicet velo isto, *arcam testimonii,* in qua videlicet erant tabulæ testamenti : et ut in Scholastica fertur historia, hoc velo involvebantur simul cum arca propitiatorium et Cherubim ; *et operient arcam* cum his sibi annexis, *rursus velamine hyacinthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum :* sicque triplici operimento fuerunt ista operta. Hinc loquitur Origenes : Septem sunt quæ operiri sunt jussa. Primo, tanquam omnium pretiosior, arca operta est velo. Pelle quoque hyacinthina desuper tegitur ; additur etiam aliud velamen desuper hyacinthinum. Secundo, operta est mensa ; tertio, candelabrum ; quarto, altare aureum ; quinto, vasa ministerii ; sexto, operimentum altaris cum quibusdam velamentis appositis ; septimo, operitur et labrum : et nihil horum nudum relinquitur. Denique additur : Nolite exterminare de tribu sua plebem Caath, ut scilicet exterminandos se scirent, si forte ad hæc movenda manus suas mitterent, nisi unumquodque eorum prius fuisset a sacerdotibus tectum. Hæc Origenes. *Et inducent vectes.* Non est sensus, ut vectes inducerent arcæ, quum in Exodo sit dictum, quod vectes jugiter manebant in arca, nec extrahebantur, sed ut inducerent eos portantium humeris. Verumtamen extrahi poterant, quando aliquid fuit reparandum in eis : quo facto, rursus annulis aureis imponebantur.

Exod. XXV, 15.

Mensam quoque propositionis, super quam omni sabbato mane ponebantur duodecim panes propositionis, *involvent* sacerdotes *hyacinthino pallio, et ponent cum ea thuribula et mortariola* aurea, *cyathos et crateras ad liba fundenda.* De his divini cultus vasis et instrumentis, super Exodum dictum est. Atque ut dictum est in Exodo, thuribula illa aurea duo erant, in quorum uno ponebatur incensum super sex panes propositionis, in alio super alios sex. Mortariola erant vasa, in quibus terebantur radices et species pro unguentis et consimilibus conficiendis. Cyathi erant vascula parva, phialisque minora, ex quibus vinum fundebatur super altare. Crateræ sunt scyphi, quibus liquida materia siccæ commiscebatur, fiebantque liba. *Panes semper in ea erunt :* quia ut patuit, quando duodecim panes deponebantur de mensa illa, mox alii totidem super eam collocabantur. Quumque mensa ad alium locum deferebatur, panes cum ea involvebantur. *Extendentque desuper,* id est super mensam illam et super contenta in ea, *pallium coccineum.*

Ibid. XXV.

Sument et pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum aureum, *cum lucernis et forcipibus suis et emunctoriis et cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt.* Lucernæ illæ septem erant, fueruntque lampades insertæ candelabro. Forceps vocatur instrumentum, quo calidum quid tenetur : interdum pro novacula, quandoque pro emunctorio sumitur. Vasa, in quibus oleum continebatur pro præfatis lucernis concinnandis, id est componendis atque fovendis, aurea erant. De his cunctis pertranseo, quoniam super Exodum, Leviticumque diffuse exposita sunt. *Inducentque vectes.* In Exodo non legitur candelabrum hoc vectes habuisse. Verumtamen quum involutum erat, ad deportandum vectes in superficie operimentorum ponebantur, ut convenientius bajularetur.

Exod. XXV, 29 *et seq.* *Lev.* XXIV.

Deinde in textu subjungitur de involutione aurei altaris, omniumque vasorum per quæ in sanctuario ministrabatur, et planus est textus. *Sed et altare mundabunt cinere.* Hoc de altari holocaustorum sumendum est, super quo holocausta comburebantur : propter quod cineres remanentes inde ejiciebantur, per quorum ejectionem mundabatur altare. *Et involvent*

Digitized by Google

illud purpureo vestimento. Sub hoc altari A continebatur ignis perpetuus desuper datus: quomodo ergo congruebat ut purpura operiretur? et cur magis opertum est purpureo operimento, quam præfata, quæ hyacinthinis operta sunt velamentis? Quocirca refert Lyra Rabbi Salomonem dicentem : Ignis in altari hoc semper erat; sed dum castra movebantur, ponebatur desuper operimentum æneum et pallium desuper, nec comburebatur, sicut nec ignis ille exstinguebatur a vento aut pluviis, tempore quietis castrorum discoopertus sub dio. B Hoc dictum approbat Lyra, additque : Fiebat etiam hoc divino mysterio, quia in populo illo erant miracula quædam transeuntia, sicut divisio maris Rubri; et quædam permanentia, quemadmodum descensio mannæ, et continuatio hujus ignis sine exstinctione. Litteralius tamen veriusque dicendum videtur, quod ex quo holocaustum fuit dignissimum sacrificium, ideo propter divinæ reverentiam majestatis, altare illud tam præclaro operiebatur tegumento.

Exod. XIV, 21, 22. *Ibid.* XVI, 13 *et seq.*

Ponentque in eo vasa, quibus in mini- C *sterio ejus utuntur,* id est in sacrificiis et immolationibus quæ in isto fiebant altari, *id est ignium receptacula,* id est instrumenta seu vasa, in quibus sacerdotes posuerunt prunas ardentes, quas de igne altaris holocaustorum sumpserunt, easque tulerunt in tabernaculum ad altare thymiamatis seu incensi, ad cremandum super illud ipsum thymiama suave; *fuscinulas,* quæ sunt instrumenta, quibus coqui extrahunt de caldaria carnes; *ac tridentes, uncinos.* Tridens est instrumentum ha- D bens tres dentes. *Et batilla,* quæ sunt vasa, in quibus portantur carbones seu prunæ. Porro in Exodo non nominantur tridentes, uncini atque batilla, sed alia quædam non expressa hoc loco, puta lebetes, in quibus ponebantur quæ ex sacrificiorum combustione in altari holocausti manserunt, forcipes atque craticula ænea instar retis formata. *Cuncta vasa altaris* holocaustorum *operient simul velamine hyacinthinarum pellium.*

Ibid. XXVII, 3, 4.

Quumque involverint Aaron et filii ejus sanctuarium, id est contenta in eo, *et omnia vasa ejus* jam dicta, *in commotione castrorum,* id est instante progressu filiorum Israel cum suis tentoriis; *tunc intrabunt filii Caath,* id est prædicti Caathitæ, quorum ministerium fuit propinquius officio sacerdotum, quam officia Gersonitarum et Meraritarum : tunc itaque intrabunt exteriorem tabernaculi partem, *ut portent involuta; et non tangant vasa sanctuarii* nuda, *ne moriantur :* quia si tangerent ea nondum involuta, mererentur plagari a Domino, contra ejus præceptum agendo : quod fuit jussum, ut cultus Dei et sacerdotium, ejusque instrumenta, in reverentia haberentur majori, et propter mysticam rationem sequenti articulo inducendam.

Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis : quia materiæ illæ imponebantur eorum humeris deportandæ in prima seu exteriori tabernaculi parte; *super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis.* Circa hoc scribit Lyra : Præcedenti capitulo dictum est quod erat super omnes Levitas, ergo non solum super Caathitas. Ad quod respondet, quod erat super Caathitas immediate, super Gersonitas vero et Meraritas mediate. Quocirca sciendum, quod præcedenti capitulo sic habetur : Princeps autem principum Levitarum Eleazar. Ex Scholastica quoque historia allegatum est, quod Caathitæ qui excubabant ad meridiem, erant sub custodia Eleazari, Gersonitæ autem et Meraritæ sub custodia Ithamar: imo hoc infra in isto capitulo evidenter narratur. Itaque præcedenti capitulo dictum est, quod Eleazar præfuit principibus Levitarum, juxta sensum in expositione præcedentis capituli introductum.

Num. III, 32.

Ad cujus Eleazari *curam pertinet oleum ad concinnandas,* id est componendas ac fovendas, *lucernas,* quæ super aureum erant candelabrum. Oleum autem illud fuit de fructibus arborum olivarum. Denique in Exodo Dominus jubet : Collocabunt eam, puta lucernam, imo septem lucernas candelabri aurei Aaron et filii

Exod. XXVII, 21.

Digitized by Google

ejus : cur ergo nunc dicitur, quod ad cu- A ram Eleazari spectet oleum ad concinnandas lucernas ? Respondetur, quod specialiter pertinebat ad eum oleum illud usque ad locum candelabri apportare : atque ut fertur, attulit illud in dextera manu. Pertinuit item ad ejus curam *et compositionis incensum,* id est thymiama : sic quod attulit illud ad altare incensi in manu, ut fertur, sinistra. De cujus compositione et materiis in Exodo scriptum est. (*Exod.* XXX, 35.) Incendebatur autem pars aliqua thymiamatis super altare incensi, in prima tabernaculi B parte, ad faciendum ibi suavem odorem, ne odor qui in atrio ex combustione sacrificiorum ascendit, molestiam pareret ministrantibus in sanctuario, aut locum jam sacrum abominabilem redderet. *Et sacrificium quod semper offertur,* id est juge sacrificium, quo quotidie offerebantur duo agni anniculi, unus de mane, et alter de vespere, cum aliis quibusdam materiis, prout in Exodo describitur. (*Ibid.* XXIX, 38 *et seq.*) Hujus itaque sacrificii materiam præfato modo adduxit Eleazar, et post eum cui ex successione et C ordine competebat. Eratque sacrificium istud præcipuum, et offerebatur in holocaustum. *Et oleum unctionis,* de cujus compositione ac materiis scriptum est in Exodo. (*Ibid.* XXX, 23-25.) Provisio itaque et custodia olei hujus Eleazaro est commissa. *Et quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum quæ in sanctuario sunt :* non quod Eleazar omnia exercuit, quæ in toto tabernaculo agebantur, imo multa illorum ad solum pertinebant pontificem ; sed quia Eleazar post Aaron fuit præcipuus, tan- D quam senior filius ejus, duobus primis defunctis : idcirco pertinebat ad eum cura eorum, quæ in exteriori parte tabernaculi exercebantur, et cura de usu vasorum sacrorum.

Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum, id est, non permittatis Caathitas transgredi legem eis præfixam circa tabernàculi et vasorum ejus obsequium ; imo diligenter eos instruite de agendis. Ex hoc probatur, quod damnatio inferiorum pereuntium imputatur a Deo superioribus eorumdem, nisi circa inferiores diligenter impleverint debitum sui officii. *Sed hoc facite eis, ut vivant* non solum vita naturæ, sed etiam vita gratiæ obediendo divinis præceptis ; *et non moriantur* morte culpæ per inobedientiam, aut etiam morte corporali ante finem naturalis periodi in pœnam sui peccati, *si tetigerint sancta sanctorum,* id est præfata valde sacra in sanctuario, præsertim in interiori ejus parte contenta, antequam fuerint involuta. *Aaron et filii ejus* sacerdotes, *intrabunt* sanctuarium ad operiendum, involvendumque sacra prædicta, ut patuit. *Alii* de tribu Levi non sacerdotes, et multo plus nati ex aliis tribubus, *nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario,* præsertim ultra velum, quod inter duas sanctuarii partes divisit ac pependit, *priusquam involvantur ; alioqui morientur.*

Sequitur de officio Gersonitarum. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Tolle summam filiorum Gerson,* juxta expositionem in principio hujus articuli positam de summa et numeratione filiorum Caath. *Hoc est officium familiæ Gersonitarum, ut portent cortinas tabernaculi.* De numero, materiis, coloribus, quantitate et usu cortinarum istarum, dictum est in Exodo : (*Exod.* XXVI, 1-6.) ideo brevitati studens, non immoror. *Et tectum fœderis,* id est operimentum de sagis quo tabernaculum tegebatur, quod non habuit tectum de asseribus aut consimilibus materiis compaginatum. Hinc scriptum est in Exodo : Facies et saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi. (*Ibid.* 7.) Porro sagum est pannus asper factus de pilis caprarum ; et ponebantur saga supra cortinas, quibus etiam tabernaculum fuit opertum. *Operimentum aliud,* quod item superponebatur tecto tabernaculi, factum de pellibus arietum rubricatis ; (*Ibid.* 14.) *et super omnia velamen hyacinthinum.* Hoc fuit quartum tabernaculi operimentum, factum de pellibus hyacinthinis, quæ cœ-

Digitized by Google

lestis aereique consistunt coloris. Hoc ergo A velamen super omnia, id est ultra prædicta Gersonitæ portabant. *Tentorium quoque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis,* id est velum quod pendebat ante exterioris tabernaculi fores seu aditum; Exod. xxvii, 9 et seq. *cortinas atrii,* de quibus scriptum est in Exodo; *et velum in introitu quod est ante tabernaculum.* Hoc intelligitur de velo quod pendebat ante introitum atrii.

Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos et vasa ministerii, jubente Aaron et filiis ejus, portabunt filii Gerson. Jam in B isto capitulo dictum est, quod omnia vasa quibus ministratur in sanctuario, scilicet in altari incensi, et in altari holocausti, Caathitæ portabant : quæ igitur vasa ministerii Gersonitæ tulerunt? Respondetur, quod Caathitæ portabant vasa instrumentaque dura; Gersonitæ, alia quædam vasa, id est instrumenta ad officium suum spectantia, puta funiculos et consimilia, quibus funes cortinarum et aliorum tabernaculi operimentorum figebantur in locis quietis. Est autem consuetudo sermonis C Hebræi, quodcumque instrumentum vocare vas. *Eruntque sub manu Ithamar sacerdotis,* sicut præhabitum est. Et dicunt nonnulli, quod immediate erant sub Ithamar, mediate sub Eleazaro. Verumtamen supra Num. iii, 24. scriptum est, quod erant sub principe Eliasaph filio Lael, qui fuit immediatus princeps eorum. Isti tamen diversimode, et quantum ad diversa, Gersonitis præfuisse videntur, sicut ex textu præcedentis capituli, et littera capituli hujus colligitur.

Sequitur de numeratione atque officio D Meraritarum. *Filios quoque Merari recensebis. Hæc sunt onera eorum : Portabunt tabulas tabernaculi et vectes ejus,* per quos tabulæ ad invicem fortiter tenebantur; *columnas et bases earum,* in quibus basibus columnæ sustentabantur ac figebantur; *columnas quoque atrii,* in quibus figebantur et extendebantur atrii cortinæ, *per circuitum :* non quod atrium fuerit circularis figuræ, sed per circuitum, id est ex utraque parte, inter quas fuit spatium magnum quasi grandis platea, prout hæc omnia in Exodo plenius scripta sunt Exod. xxvi. atque exposita. *Hoc erit officium Meraritarum et ministerium in tabernaculo fœderis* in suscipiendo, deportando, et custodiendo præfatas materiales integralesque partes tabernaculi ac atrii. Itaque ut loquitur Origenes, et patet ex textu, Caathitæ erant sacerdotibus viciniores, ideo humeris suis sacratiora quæque involuta portabant. Gersonitæ vero Caathitis in ordine successerant dignitatis, et molliora ferebant in plaustris. Meraritæ autem erant prædictis inferiores, bajulabantque grossiora et graviora super quadrigas. Infra namque habebitur, quod duæ tribus simul offerebant Num. vii, 2-8. unum plaustrum, id est, duodecim tribus sex plaustra, ex quibus duo plaustra data sunt Gersonitis, quatuor Meraritis. *Eruntque sub manu Ithamar.* Quum Eleazar fuerit senior Ithamar sacerdote, cur duæ familiæ Levitarum, videlicet Gersonitæ et Meraritæ, subjectæ sunt Ithamar, et una, utpote familia Caathitarum, Eleazaro? Respondetur, quod Eleazaro tanquam seniori majora commissa sunt, quia et principes trium familiarum istarum fuerunt subditæ ei. Ad ejus quoque pertinuit curam oleum unctionis, incensum compositionis, sacrificium juge, et quidquid ad tabernaculi pertinet cultum, sicut in isto capitulo dictum est.

Recensuerunt ergo, id est numeraverunt, *Moyses et Aaron et principes synagogæ,* videlicet duodecim principes tribuum, *filios Caath,* etc. Ex hoc perpenditur, quod quamvis in præinductis interdum solus Moyses exprimatur inter eos, qui numerationes istas fecerunt, Aaron tamen et principes adstiterunt et adjuverunt. Quæ autem in textu sequuntur, expositione non indigent.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII

SPIRITUALIS EXPLANATIO EJUSDEM QUARTI CAPITULI.

QUEMADMODUM ex præcedenti ac præsenti patet capitulis, Levitæ dupliciter et bis numerati sunt. Primo, ab uno mense et supra; secundo, ab anno tricesimo usque ad quinquagesimum annum. Litterales horum rationes inductæ sunt. Mystice vero per primam illam ab uno mense et supra numerationem, præfiguratum censetur, quod hi potissimum ad sacros sunt Ordines promovendi, divinoque cultui mancipandi, ita ut alios corripiant et castigent, erudiant et gubernent, purgent, convertant, et reconcilient Deo, qui in innocentia baptismali manserunt: sicut de hoc in Decreto multæ auctoritates et constitutiones leguntur. Tales enim non habent quod increpetur, nec objici eis potest: Medice, cura te ipsum. Verumtamen, quia hoc paucis concessum est, hi saltem promoveantur dumtaxat, qui in fide superbeatissimæ et incomprehensibilis adorandæ Trinitatis, atque per spem et caritatem impleverunt Decalogum, et pro suis satisfecerunt peccatis, et corde, ore ac opere stabiliter sunt conversi; qui jam in virtutibus exercitati, in gratia roborati, divinis charismatibus adeo sunt repleti, ut de plenitudine sua aliis queant communicare, influere, et sibi commissos purgare, illuminare, perficere: quod totum designatur per numerationem ab anno tricesimo, qui perfectus est numerus: in qua ætate Dominus et Salvator universorumque conditor, in assumpta humanitate orsus est prædicare; Joseph quoque evidens Christi figura, Ægypto prælatus est, et David Israelitico populo; Ezechiel etiam vaticinari incepit.

Num. III, 15. — Dist. 23, c. I *et seq.* Dist. 25, c. III. — *Luc.* IV, 23. — *Matth.* IV, 17. — *Gen.* XLI, 46. — II *Reg.* V, 4. — *Ezech.* I, 1.

Præterea, quamvis tales consistere debeant universi qui ceteris præficiuntur, et A in quocumque ordine sacro constituuntur, divino Dionysio protestante ac asserente, Non est audendum aliis fieri ducem, nisi quis in omni virtute deiformis effectus sit; nihilo minus in hac perfectione diversi sunt gradus. Quidam namque sunt viri excellenter heroici et divini, quorum omnia mentis interiora in sincerissimæ caritatis viscera sunt conversa, atque in purum totius boni honesti affectum: qui summi et increati et incircumscriptibilis boni sancto amore assidue et incomparabiliter B ardent; boni quoque communis desiderio, imo prææstuanti affectu conversionis salutisque omnium jugiter inardescunt, cruciantur, suspirant. Isti ad mysticæ theologiæ visiones, ad theoricas contemplationes, ad considerandum limpide mirabilia legis divinæ ac fidei orthodoxæ, excellenter dispositi sunt, imo facillime elevantur ac rapiuntur in Deum: sed et frequenter præveniuntur in hoc, et sic mente præstringuntur, et velut rapidissimo coruscamine luminis increati valide præoccupantur, tanguntur ac perfunduntur, C ut etiam si velint reniti aut resistere, nequeant. Hi ergo per summam et primam Leviticæ stirpis portionem et ordinem, hoc est per Moysen et Aaron, ejusque filios, qui ad orientem situm habebant, signantur. Hi ingrediuntur in sanctuarium Dei, et in Sancta sanctorum: quoniam in secretum æternæ Sapientiæ transferuntur, cujus immenso circumplectuntur splendore, audiuntque auditu interno ineffabilia verba, II *Cor.* XII, 4.
et ea quæ christianæ sunt fidei, ad quæ naturalis non valet pertingere ratio, clarissimo D atque certissimo contemplantur intuitu: ita ut eis nihil tam certum sit, nil tam rationabile, profundum et conve-

nientissimum videatur, ut ea quæ sacrosancta credit et tenet Ecclesia.

Insuper, post hos Caathitæ sequuntur, id est viri religiosi, proficientes et virtuosi, nondum tamen ita illuminati, nondum tam purificati et reformati, ut modo prætacto stent quasi in assiduo Solis æterni contactu. Verumtamen appropinquant, et sublimia atque arcana cum sensibilium formarum velamine speculantur. Sicque infinitam sapientiam, pietatem, justitiam, omnipotentiam, bonitatem Creatoris, quas in se ipsis anagogice ac mystice nequeunt contemplari, in Christi incarnatione, passione ac ceteris ejus mysteriis speculari conantur. Sicque in suis cordibus cum involutione multiplici gerunt arcam Dei, id est humanitatem Verbi æterni, quæ et ipsa per comparationem ad Verbum æternum, in quantum ab illo assumpta est ad ipsius esse hypostaticum et increatum, omni quoque divino charismate, quantum capax fuit, impleta, imo et beatifica fruitione ab incarnationis instante, incomprehensibilis nobis est. Gerunt et mensam propositionis, id est sacram Scripturam multiplici sensu refertam; candelabrum cum suis lucernis, id est vitam et documenta Apostolorum; altare in interiore homine, in quo sacrificium laudis, incensum amoris, thymiama orationis Deo offerunt incessanter. *Ps.* XLIX, 14. Præterea advertamus, cum quanta reverentia velit omnipotens Deus sua sacramenta ac sacra mysteria contrectari. Si Caathitis sub pœna mortis prohibitum fuit, sacra illa nuda attingere : quam ingenti damnatione sunt digni, qui ecclesiastica sacramenta, præsertim corpus et sanguinem Salvatoris, irreverenter, indevote, indigne conficiunt, suscipiunt aut contrectant ?

Amplius, post Caathitas Gersonitæ sequuntur, qui mollia bajulabant : per quos designantur, qui simplici præceptorum observantia sunt contenti, et ardua consiliorum refugiunt opera, nec corpus suum ab omni voluptate restringere enituntur; sed quantum sibi licere putant, corpori suo parcunt, nec arduis observantiis se volunt gravare. Per Meraritas qui graviora portabant, significantur quidam zelum Dei habentes, sed indiscrete, qui non attendentes quod ait Apostolus, Pietas ad omnia utilis est, *I Tim.* IV, 8. in corporalibus exercitiis immoderate se occupant et fatigant, atque in illis magnam constituunt perfectionem. Non autem satagunt se intrinsecus reformare, voluntatem propriam abnegare, cum devotione interna vacare Altissimo, atque cum ipso in latitudine cordis deambulare, et ei stabiliter inhærere, cum actuali attentione ipsius in meditando, orando, psallendo : ideo etsi multum laborent, parum tamen intus proficiunt, quia non assuescunt refrenare se ipsos, et suo animo dominari. Hinc proni sunt indignari, et alios aspere judicare, et putant se aliquid esse; *Galat.* VI, 3. portantque tabulas tabernaculi et columnas, quoniam sanctos patres in prætactis corporalibus exercitationibus imitantur, sed non referunt eas ad debitum finem, quemadmodum patres sancti, nec cum debita discretione et humilitate insistunt eisdem.

*De moralitate autem et allegoria capituli hujus pertranseo, quoniam super Exodum *Exod.* XXVI, XXVII, XXX. de his introducta sunt multa, videlicet de mystica significatione tabernaculi et contentorum in eo.

ARTICULUS IX

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

ALIQUA in Levitico dicta, in hujus capituli repetuntur exordio. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo.* Non solum conjunctim, sed et divisim intelligenda sunt ista, ut sit sensus, quod quicumque habuerit aliquam harum trium immunditiarum, et multo plus si habuerit earum duas aut tres, sit ejiciendus de castris. Sed quæri potest, de quibus castris. Si enim de omnibus castris: ubi manebant aut morabantur seminiflui, aut super mortuo polluti ? Ad hoc respondetur ex dictis Hebræorum, quod in populo Israel erant triplicia castra. Prima erant castra Dei, videlicet tabernaculum et atrium : et de illis ejiciebantur hi omnes. Secunda erant castra seu habitacula Levitarum, quæ circa Dei castra jam dicta, fuerunt situata: et de illis ejiciebantur, seu ea ingredi prohibebantur, leprosi atque seminiflui, non autem super mortuo polluti. Tertia fuerunt castra populi, de quibus soli leprosi ejiciebantur, qui et cogebantur habitare seorsum. Porro de leprosis, et causis, *Lev.* XIII, XIV. speciebus diversitatibusque leprarum, dictum est in Levitico. Lepra autem quum sit fœda et infectiva, reddidit leprosos a cunctis castris ejiciendos. Immunditia vero patientis fluxum seminis, non erat sic infectiva ; attamen fuit fœda, ideo fecit ejici a castris Levitarum : quæ castris populi puriora esse debebant. Immunditia vero contracta ex tactu mortui, vel ex ingressu habitaculi ejus, exstitit minor : idcirco a solis Dei castris ejici fecit. De immunditia *Ibid.* XV. quoque, causa et diversitate fluxus seminis, dictum est satis in Levitico. Similiter *Ibid.* XI, XVII, XXI. in pluribus locis super Leviticum, de immunditia super mortuo est tractatum.

A *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Vir sive mulier, quum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere,* id est quodcumque peccatum non inhumanum, sed consuetum : et ut ex verbis patet sequentibus, istud dicitur de peccatis injustitiæ quæ fiunt in proximum, ad quæ Judæi avari et cupidi erant proni; *et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini* dicentis, Non furtum *Exod.* XX, 15. facies : quod quis transgredi potest per negligentiam valde damnabilem, qua non B curat implere Dei præceptum, vel illud non attendit, nec debito tempore recolit illud aut pensat ; vel per negligentiam venialem quæ est inadvertentia quædam, ex contemptu aut malitia non procedens, sed ex fragilitate mentis humanæ, aut distractione vel occupatione ad alia. Unde subjungitur : *atque deliquerint,* per omissionem diligentiæ adhibendæ ; *peccatum suum confitebuntur* sponte, antequam de hoc per testes aut facti evidentiam convincantur; *et reddent ipsum caput,* id est, C rem alterius injuste ablatam, restituent ei sponte, *quintamque partem desuper,* id est, ultra hoc reddent ei pro quinta parte tantum, quantum valet res illa fraude aut vi ablata : reddent, inquam, *ei in quem peccaverint* per injustitiam talis defraudationis, in cujus recompensam reddent quintam hujusmodi partem. Loquitur ergo præceptum hoc in casu, quo defraudator aut fur voluntarie pandit suum peccatum, et ad satisfactionem se offert. Si autem fur vendidisset quæ erat furatus, vel apud D eum res furata fuisset inventa, aut testibus de furto fuisset convictus, gravius puniebatur, prout in Exodo habetur. *Ibid.* XXII.

De hoc Magister in historiis ait : Possessio rei alienæ aliquando fuit ex industria,

Digitized by Google

furto aut rapina, aliquando ex negligentia, interdum ex ignorantia. De re ablata
Exod. XXII, 1, 4. scienter in Exodo legitur, quod restituebatur in quadruplum, si res illa perierat; quod si superfuit, in duplum. De re sublata per ignorantiam agitur hic, ut reddatur caput seu capitale, et quinta pars desuper; vel de re furata, dum omnino latebat, et fur pœnitens confitebatur. Istud autem ex verbis Augustini est sumptum, et Glossa concordat. Augustinus tamen hunc passum secundum translationem Septuaginta exponit. Sicque expositio ejus a præinductis aliqualiter discrepare videtur. Verum de his et multiplici ratione istorum, in Exodo diffuse est disputatum.

Sin autem non fuerit qui recipiat, id est is cui de jure receptio competit, ut si defunctus est dominus rei, nec heredem reliquerit qui possit adiri, *dabunt Domino*, id est ministro Dei, videlicet sacerdoti, *et erit sacerdotis.* Talia namque in pium usum sunt convertenda, dando ea ministris Ecclesiæ aut egenis, ut Rabanus scribit. Hic tamen determinatur, ut sacerdoti tradatur. Josephus demum testatur, quod argentum et aurum reddebatur in duplum, jumenta in quadruplum, solus bos in quintuplum: quia quo ceteris utilius possidetur, eo damnosius perditur. Sed quoniam alienæ rei ablator peccavit non tantum in proximum, sed item in Deum, cujus violavit præceptum, subjungitur : *excepto ariete qui offertur pro expiatione,* id est, ultra caput et quintam partem rependet de suo arietem, quem ad sacerdotem deducet, ut pro sui peccati remissione immoletur, *ut sit placabilis hostia,* id est, quatenus oblatio illa valeat ei ad placandum sibi Dominum, in quantum ex fide, devotione et contritione offertur.

Omnes quoque primitiæ, id est primitivi fructus pecorum vel agrorum, *quas offerunt* aut offerre tenentur *filii Israel, ad sacerdotem pertinent,* id est ad aliquem sacerdotum ex institutione legis divinæ, quoniam potiora Deo sunt immolanda. Erat autem tale oblatum sacerdotis cui adducebatur, seu cui ex ministerio quod suo loco et tempore exercuit, competebat. Propter quod subditur : *et quidquid in sanctuario offertur a singulis,* id est, quidquid ceteri Israelitæ, non exsistentes de tribu Levi, adduxerint, ut immoletur Deo in atrio sive in tabernaculo, *et traditur manibus sacerdotis,* ut per eum Domino sacrificetur, *ipsius erit :* non quod semper poterat totum in suum usum convertere ; imo holocausta totaliter comburebantur. Pelles tamen pecorum, quæ in holocaustum offerebantur, ad sacerdotes spectabant. Ideo sensus est, quod quidquid de talibus fuit residuum incensioni et parti, quæ in aliquibus hostiis offerenti dabatur, puta in hostiis pacificis, pertinebat ad sacerdotem. Aliqui vero exponunt de decimis, quæ ex determinatione legis erant sacerdotibus dandæ : ideo eis fuit reddendum aut persolvendum, quidquid de decimis aut primitiis istis fuit eis subtractum. Et quia hic dicitur, Et traditur manibus sacerdotis, aliqui dicunt, quod sacerdotes non poterant talia vi auferre a domibus dominorum, sed solum accipiebant tradita sibi ab aliis. Verumtamen puto, quod per viam juris poterant ea exigere, quando non tradebantur.

Sequitur de lege zelotypiæ, usque ad hujus capituli finem. *Locutusque est Dominus : Vir cujus uxor erraverit* a via justitiæ per vitium incontinentiæ, *maritumque contemnens,* id est, proprium virum inhonorans, aut tanquam vilem aspernans ; *dormierit,* id est, mœchata fuerit, sive in lecto sive alibi, *cum altero viro,* vel soluto, vel non soluto ; *et hoc maritus deprehendere,* id est pro certo cognoscere, aut per effectum scire, *nequiverit* via humana ; *sed latet adulterium, et testibus argui,* id est probari, *non potest, quia non est inventa in stupro,* id est adulterio ; *si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem.* Ut in Scholastica fertur historia, zelus proprie dicitur amor viri in uxorem : ob quem amorem ferre non potest, ut uxor alteri misceatur. Hinc mari-

Digitized by Google

tus talem habens amorem, vocatur zelotes. A Zelotypia quandoque dicitur mœchia, et zelotypus, adulter. Solet quoque zelotypia dici sola suspicio adulterii, et ita nunc sumitur. Et quia hic dicitur, Si spiritus zelotypiæ, aliqui opinantur, quod sicut specialiter aliquis dæmon vocatur spiritus fornicationis aut alterius vitii, sic aliquis dæmon vocetur spiritus zelotypiæ, qui præsit vitio huic : quod satis probabiliter sonat, sumendo zelotypiam prout sonat in malum. Aliquando tamen est suspicio vehemens atque probabilis, quæ non est cul- B pa in se.

Si ergo spiritus zelotypiæ, id est animus suspicionis de adulterio, aut vehementis zeli seu affectionis viri in conjugem, aut spiritus nequam tentans hominem de hac culpa, excitaverit virum contra uxorem, *quæ vel polluta est* adulterio, *vel falsa suspicione appetitur,* id est, a marito invaditur aut accusatur : ad quod quidam mariti, de propria incontinentia et infidelitate sibi conscii, sunt proclives. Estque grande peccatum secundum Chrysostomum C super Matthæum, videlicet ex levibus signis tantum malum suspicari de conjuge. *Adducet eam ad sacerdotem :* id est, hoc facere potest secundum legem, ne in graviorem incidat culpam, videlicet occidendo aut vulnerando uxorem ex tali suspicione tanquam adulteram, ut dicit Guillelmus Parisiensis, et ita instituta est lex ista simili ratione, qua et lex de libello repudii dando ; *et offeret oblationem pro ea,* id est, pro cognoscenda veritate de ipsa, an exsistat adultera, *decimam partem sati fari-* D *næ hordeaceæ,* id est modicam talis farinæ quantitatem, cujus mensura sati nomine designatur : quæ tamen mensura, quoad suam determinatam capacitatem, nobis ignota est, et juxta Josephum fuit assarium hordeaceæ farinæ, quod est decima pars sati. *Non infundet super eam oleum, nec imponet thus : quia sacrificium zelotypiæ est,* id est ex zelotypia procedens, *et oblatio investigans adulterium :* quasi dicatur, Eo ipso quo ex tali radice procedit, atque ad talem refertur finem, non debet sacerdos huic oblationi superfundere oleum nec thus ei imponere.

Quocirca in libro de Fide et legibus scribit Parisiensis : Hoc sacrificium non erat nisi modicum farinæ hordeaceæ, super quam fundi oleum, et poni thus prohibuit Dominus : quia nec propter Dei honorem fiebat, nec ex bona voluntate processit, sed solum causa detegendi occultum adulterium. Ideo autem ex farina hordeacea sine thure et oleo offerebatur, ut viris esset rubori, quia ostendebatur Deo offerri, non ex devotione, sed suspicione ; tum, quoniam vile erat in se, imo omnium sacrificiorum vilissimum. Noluit etiam Dominus in hac parte sacerdotibus dare occasionem cupiditatis, ne invitarent aliquem ad hujusmodi sacrificium offerendum, quod non tam honorificentia Dei exegit, quam malitia maritorum extorsit. Hæc Guillelmus.

Rationabiliter demum fuit hoc sacrificium institutum, quia ut ait Thomas in prima secundæ, quæstione 105 : Mulieres pronæ sunt ad adulterium propter delectationem, et occulte illud committunt, quoniam oculus adulteri observat caliginem. *Job* xxiv, 15. Præterea quæri potest, cur lex non instituit, ut feminæ simili modo possent maritos ex suspicione adulterii accusare, examinare, impetere. Forsan propter nimiam pronitatem mulierum ad suspiciones hujusmodi, et quoniam vir caput est conjugis. *Ephes.* v, 23. Et rursus, quoniam adulterium uxoris amplius dehonestat maritum ac sobolem, quam adulterium viri uxorem et prolem. Itemque, quia non fuit periculum, quod mulier ita occideret maritum suum ex suspicione adulterii, sicut econtra. Insuper, quia adulterans comparatur jumento, recte farina hordeacea, quæ pabulum est brutorum, pro investigando adulterio offerebatur. Cui sacrificio oleum non miscebatur, quoniam oleo pietas significatur et claritas. Hoc autem sacrificium non venit ex pietate, atque in tenebris fieri solet hoc vitium. Thure quoque devotio et odor bonæ famæ signantur. Quum

Digitized by Google

ergo oblatio ista non ex devotione processerit, diffamiamque pepererit, non debuit ei thus misceri.

Offeret igitur eam sacerdos, id est, mulierem præsentabit, *et statuet coram Domino,* ad faciendum circa eam quæ subsequuntur, et ad experiendum, an terrore imminentis periculi tanquam conscia sibi de culpa imposita, suum fateatur excessum. *Assumetque sacerdos aquam sanctam.* Secundum quosdam fuit aqua viva : et dicitur sancta, quia sacrificio applicata, et in atrio sancto reposita; vel quia (ut Josephus contestatur) schedula in qua scriptum exstitit nomen Dei, seu nomen Domini tetragrammaton scriptum in illa, diluebatur in aqua hac. Sive, ut aliqui arbitrantur, sumpta fuit de aqua ænei labri, in qua sacerdotes sacrificia oblaturi, suas lavabant manus. *In vase fictili,* quod fragilitati adulteræ et vilitati hostiæ correspondet; *et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi,* id est modicum pulveris sumpti de fundo sanctuarii seu atrii ejus, *mittet in eam,* id est in illam oblationem, ad innuendum quod oblatio illa erat pro carnali et turpi negotio cognoscendo.

Quumque steterit mulier in conspectu Domini, puta in atrio circa altare holocausti, *discooperiet* sacerdos *caput ejus,* pro eo quod ipsa in tenebris commisit aut commisisse putatur, et ut ex illa confusione aliæ feminæ terrerentur, nec tale quid perpetrare auderent, imo confabulationes et nutus, amplexus, oscula atque munuscula, ex quibus mali suspicio gignitur viro, vitarent. *Et ponet super manus illius sacrificium recordationis,* id est sacrificium jam præfatum, quod tendit ad hoc, ut peccatum ejus præteritum in notitiam deveniret, vel ut ipsa illud recolendo confiteretur, *et,* pro id est, *oblationem zelotypiæ :* quod sic vocatum est ob causam præhabitam. Posuit autem hæc super feminæ manus, ad insinuandum quod pertinebat ad eam, et quia in adulterio manus
Rom. vi, 13. exhibentur arma iniquitatis peccato. *Ipse autem* sacerdos *tenebit aquas amarissimas*
A in vasculo : quæ aquæ amarissimæ nuncupantur ex suo effectu, quia in muliere adultera amarissimos pariebant effectus, ut statim dicetur; *in quibus cum exsecratione maledicta congessit,* id est, imprecatus est maledictiones sequentes feminæ aquam hanc potaturæ. Aliqui tamen dicunt, quod maledictio illa non fuit nisi præfatæ schedulæ lotio aut rasio in hac aqua, ex cujus effectu infligebantur adulteræ pœnæ sequentes. Sed primum verius esse apparet, quum infra dicatur : Scribetque sacerdos
B in libello ista maledicta. Magister autem in historiis dicit, quod sacerdos fecit jurare mulierem, quod viro suo non fregit fidem; et si hoc non sufficiebat marito, subdebat sacerdos maledictiones sequentes.

Adjurabitque eam, et dicet : Si non dormivit, id est non concubuit, *vir alienus tecum; non te nocebunt,* id est non lædent, *aquæ istæ amarissimæ* ex effectu. *Sin autem concubuisti cum altero viro; his maledictionibus subjacebis,* hoc est pœnis sequentibus seu imprecationibus earum-
C dem. *Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo tuo,* hoc est, ita te puniat, ut cuncti terreantur tuo exemplo, et juste maledicaris ab eis. Vel, quum quis voluerit maledicere alteri, dicat, Faciat tibi Deus, vel tibi contingat, quemadmodum illi adulteræ. *Putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus dirumpatur.* Nominantur et puniebantur hæ partes quæ ad committendum scelus, propinquius suo modo deserviebant; et per expressionem ventris ac femoris, in-
D terposita pars potest intelligi. Istam maledictionem proferebat sacerdos zelo justitiæ, non affectu invidiæ aut vindictæ. *Et respondebit mulier : Amen, amen :* quasi secura de innocentia sua, et tanquam applaudens divinæ justitiæ, et velut utrique præfatæ imprecationi consentiens : ut scilicet non læderetur ex potu aquæ, si esset innoxia; et læderetur, si esset culpæ obnoxia.

Scribetque sacerdos in libello ista maledicta. Per libellum intelligitur membra-

Digitized by Google

na, atque ut dicitur, membrana proprie A appellatur ala vespertilionis; sed hic vocatur vile ac tenue pergamenum, sicut et ala illa vilis tenuisque consistit. Et dicitur pergamenum a Pergamo oppido, ubi primo fertur inventum. Verumtamen secundum Josephum, non scripsit sacerdos in libello, nisi nomen Domini tetragrammaton, cujus virtute infligebantur adulteræ isti vindictæ. *Et delebit ea aquis amarissimis,* id est, maledicta illa seu nomen Domini scriptum in illa membrana abradet, et pulverem abrasionis in aquas illas cadere B sinet. *Dabitque ei bibere* aquas illas. *Quas quum exhauserit.* Dicunt quidam, quod ista potatio post sacrificii oblationem fiebat: quia gesta non semper recitantur eo, quo facta sunt, ordine. Sed hoc non videtur, quia in textu hoc continetur, Quas quum exhauserit, *tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ :* quod non videtur posse verificari, si sacrificatio, quæ nunc consequenter describitur, exhaustum illum præcessit. *Et elevabit illud coram Domino,* cui obtulit illud pro veritatis C ostensione, *imponetque super altare,* quod fuit in atrio; *ita dumtaxat, ut prius pugillum sacrificii tollat de eo quod offertur,* hoc est, de farina hordeacea jam præfata, *et incendat* quantitatem illam farinæ *super altare* holocaustorum, projiciendo tantumdem illius farinæ in ignem altaris : quod ipse sacerdos fecit in primis ad Dei honorem, a quo veritatis manifestatio petebatur. *Et sic potum det mulieri aquas amarissimas.* Ex hoc non sequitur, quod potatio illa facta est sacrificio immolato; sed quod D incensio partis illius, potationem et oblationem præcessit : quod innuit littera, dicens, Ita dumtaxat, ut prius pugillum sacrificii tollat. Sic quoque Magister in historiis tangit, qui ordinem hujus rei gestæ diligenter consideravit.

Quas quum biberit, si adulterii rea est, inflato ventre putrescet femur ejus : et hoc fuit speciale miraculum, quoniam aquæ illæ in se ipsis non erant amaræ nec infectivæ. *Quod si polluta non fuerit* crimine sibi imposito, *erit innoxia,* id est, innocens apparebit per hoc, quod ex aquæ illius potatione nullam incurrit læsionem; *et faciet liberos.* Circa quod scribit Lyra, quia si ante sterilis fuit, fiebat fecunda. Dicunt etiam quidam Hebræi, quod virtute aquæ illius concepit, etiam absque virili semine : et hoc erat unum de miraculis permanentibus, sicut dictum est de descensu mannæ. Hæc Lyra. Quibus partim concordat, quod in Scholastica fertur historia, quæ super illud, Innoxia erit, addit : Imo sæpe concipiet, et masculum pariet mense decimo. In eadem quoque Historia legitur : Si mulier rea erat adulterii, computruit femur ejus, et uterus tumuit in hydropisi, non tamen statim, sed usque ad decimum mensem. Sed contra illud, quod Lyra refert dicere quosdam Hebræos, quod mulier innoxia sine virili conciperet semine, scribit Rabbi Paulus : Non recolo me legisse in voluminibus Hebræorum, quod mulier talis conciperet sine virili semine. Nam et pari ratione diceretur, quod si aliqua virgo conjugata accusaretur a viro modo prædicto, et esset innoxia, conciperet sine semine viri : quod singularissimum fuit in Virgine gloriosa. Unde ridiculum videtur dicere, quod Deus tantum miraculum fecerit in facto zelotypiæ pro tam modica re, qui probatur hoc solum fecisse pro liberatione totius generis humani.

Si declinaverit mulier, id est, si adultera præmemoratas maledictiones incurrerit, peractis rite circa eam quæ dicta sunt; *maritus absque culpa erit,* hoc est, ei non imputabitur, quod mulier sua tam vitiosa præfatis subjicitur plagis. Circa hoc scribit Lyra : Ex hoc sequitur, quod illa purgatio non erat illicita tempore veteris Testamenti, quia et ibi fiebat divinum miraculum. Sed obviare videtur quod in Scholastica affirmatur historia : Hæc lex introducta fuit ad duritiam cordis eorum, sicut permissus est libellus repudii, quia prompti erant ad effundendum sanguinem, supple, uxorum. Denique fieri potuit, quod ex levibus signis vir suspicaba-

Matth. XIX, 7, 8. *Deut.* XXIV, 1.

Digitized by Google

tur adulterium de sua uxore vere adultera, accusabatque eam : quod non videtur fuisse sine peccato, quamvis illa exstiterit rea. Dictum est quoque, quod non processit sacrificium zelotypiæ ex bona voluntate. Ad istud respondendum videtur, quod potuit examinatio ista secundum formam hujus legis fieri sine peccato, et aliquando cum peccato. Si enim vir zelo justitiæ principaliter movebatur, et ex probabilibus signis, non videtur in tali facto peccasse. Si autem ex zelo immoderatæ affectionis, et levibus signis, vel si et ipse eodem exstitit crimine aut majori fœdatus, non sine peccato censetur talem investigationem fecisse; et quia communiter ex suspicione non bona fecerunt istud mariti, dicuntur ex voluntate non bona id peregisse. Quia etiam communiter erant crudeles, atque ad uxoricidium proni, introducta fertur hæc lex propter duritiam cordis ipsorum. *Et illa,* scilicet adultera, *recipiet iniquitatem suam,* id est, adulterii sui debitam punitionem jam dictam in vita hac : quam si patienter et contrite pertulerit, erit illa punitio animæ suæ purgatio.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO SPIRITUALIS HUJUS CAPITULI QUINTI.

QUEMADMODUM super Exodum dictum est plenius, per leprosum significatur quicumque hæreticus, aliorumve spiritualiter infectivus, seu verbo et opere scandalosus, discordiam seminans, seu ad alia alliciens vitia : in quo est color diversus, quoniam fide, doctrina et moribus a veris differt Catholicis. At vero semine fluens, est homo lubricus et verbosus, mente carnalis et levis, qui carnalium desideriorum profluvio et cogitationibus vanis defluit et vagatur. Pollutus autem super mortuo est, qui alienis consentit communicatque peccatis. Hi omnes extra Ecclesiam projiciuntur, quia ad corpus spectant diaboli; nec ad mysticum pertinent corpus Christi, secundum præsentem justitiam, quamvis aliqui tales ad illud pertineant secundum prædestinationem æternam : ideo non sunt incaute dijudicandi aut penitus contemnendi; periculosa tamen est mala societas, et abscindendum est membrum scandalizans, quantum ad suum abusum.

Vir sive mulier, quum fecerint ex omnibus peccatis, peccatum suum confitebuntur. Hoc est quod Salomon ait : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. (*Prov.* xxviii, 13.) Si ergo quocumque modo inciderimus culpam, citius quo valemus, ad sacramentalis confessionis remedium ac medelam curramus. Correpti quoque gratanter accipiamus, nec culpam propriam excusemus, imo et nondum correpti accusemus nos ipsos assidue et ex corde coram Deo atque hominibus. Ideo sanctus Job dixit : Si abscondi quasi homo scelera mea. Et rursus : Vias meas in conspectu Dei arguam, et ipse erit salvator meus. (*Job.* xxxi, 33; xiii, 15, 16.) Hinc Rabanus loquitur : Hoc capitulo admonemur, ut si quid per negligentiam deliquimus, per confessionem et pœnitentiam diluamus, et damnum restituamus. Si autem proximo damnum intulimus, coram illo pœniteamus, et damnum reddamus. Si vero non superest, confitendo, pœnitendo, et eleemosynas largiendo, Domino satisfaciamus. Hinc subditur : *Reddent ipsum caput, quintamque partem desuper, ei in quem peccaverint.* Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, et venia postuletur ab inju-

Digitized by Google

riato : et qui Deo aut ejus vicario abstulit animam falsa suggestione, pravo exemplo aut alio modo, satagere debet omni modo sibi possibili, ut eamdem animam ad Deum gratiamque reducat; et ultra hoc per pœnitentiam et opera virtuosa satisfaciat Deo. Arietem quoque offerat pro suo peccato, proprium corpus cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo, seu Christum propter nos passum, ejusque passionem Deo Patri repræsentando. (Galat. v, 24.)

Insuper, monet nos littera hæc ut decimæ et primitiæ atque oblationes ministris Dei fideliter persolvantur : quod qui fecerint, copiosum et multiplex præmium a Domino assequuntur, etiam in præsenti.

Vir cujus uxor erraverit, etc. Vir iste, est bonus diligensque prælatus, cujus uxor est anima subditi sibi commissi, quam caritate complectitur, et instruendo, hortando, increpando, ac bene agendo fecundare conatur, ut illa sit quasi oliva in domo Dei fructifera. (Ps. LI, 10.) Hæc uxor maritum suum contemnit, et cum alio dormit viro, quando prælato tali non acquiescit nec obedit, sed dæmonibus suggestionibusve iniquis præbet consensum. Quumque prælatus hoc pro certo nequit cognoscere, eo quod illa astute excuset, et ipse nimio zelo salutis illius torquetur, debet eam sacerdoti adducere, hoc est ad veram confessionem movere, seu Christo per ferventem orationem humiliter commendare; sacrificium quoque offerre pro ea *decimam partem sati farinæ hordeaceæ,* quoniam merita sua, quibus implet decem præcepta, debet illi caritative communicare. *Non infundet super eam oleum,* non utique oleum adulationis, *nec thus,* id est odorem laudis; sed oleum pietatis, fragrantiam orationis oportet impendere animæ devianti, in qua etiam rigor justitiæ vicissim est exercendus. *Assumetque aquam in vase fictili,* id est salubrem doctrinam in ore suo; cui miscebit *pauxillum terræ :* quoniam alium increpando, debet et propriam fragilitatem parumper attendere, sicut ait Apostolus : Te ipsum considerans. (Galat. VI, 1.) *Quumque steterit mulier in conspectu Domini,* id est, anima seu persona talis ad forum confessionis seu ad tribunal judicii sui pervenerit, *discooperiet caput ejus,* id est, mentem ipsius in manifestum deducere enitetur, et prædicet animæ tali, quod si rea est, et in sua pravitate permanserit, pertransibunt eam amarissimæ aquæ, quia comminationes sacræ Scripturæ complebuntur in ea; et femur ejus putrescet, uterusque tumebit ac disrumpetur, quia omnis immunda ejus voluptas in amaritudinem convertetur, quemadmodum scriptum est : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. (Apoc. XVIII, 7.) Uterus autem animæ talis, est cor superbum, quod nunc tumet elatione, postea tormentorum repletione. Unde in Osee Dominus protestatur : Occurram eis ut ursa raptis catulis; dirumpam interiora eorum, et consumam eos ut leo. (Osee XIII, 8.) Si ergo prælatus hæc fecerit, non ei imputatur a Domino culpa animæ subditi sui; sed ipsa, nisi pœnituerit, in iniquitate sua peribit.

Postremo, ut præinducta clarius intelligantur, quæritur, an per suspiciones sit procedendum ad alterius accusationem, judicationem aut punitionem. Quocirca pensandum, quia (ut in secunda secundæ, quæstione 60, scribit Thomas) suspicio, prout Tullius scribit, opinionem seu æstimationem mali importat, quæ ex levibus causis concipitur, et procedere potest ex tribus : Primo, ex malitia suspicantis, qui sibi de proprio merito conscius, alios putat tales qualis est ipse. Secundo, ex mala affectione ad alium : quia dum quis ad alium male afficitur, odiendo, irascendo, aut simili modo, tunc ex levibus faciliter atque celeriter malum de ipso opinatur. Tertio, ex experientia : sicque secundo Rhetoricæ ait Philosophus, quod senes sunt maxime suspiciosi, quoniam aliorum defectus sunt magis experti. Constat autem, primas duas suspicionis causas esse injustas; sed tertia rationem suspicionis diminuit, eo quod rectitudini magis propinquet. Hinc suspicio vitium est. Est autem triplex gradus suspicionis : Primus, dum quis ex

Digitized by Google

levibus causis incipit dubitare de bonitate alterius : et hoc est veniale peccatum, pertinens ad tentationem humanam. Secundus, dum ex levibus causis aut signis aliquis pro certo tenet et sentit malum de altero : et si malum illud est mortale, su- A spicio talis est culpa mortalis, quum sit contra caritatem, nec sit sine contemptu proximi. Tertius gradus est, dum quis ex suspicione procedit ad alterius condemnationem ac punitionem : et hoc gravius est prædictis, et directe contra justitiam.

ARTICULUS XI

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS : VIR SIVE MULIER.

QUIDAM sunt excellenter boni, non solum observantes præcepta, sed etiam supererogationis opera exercentes : et talia quidam agunt ex solo bono proposito; alii autem ex voto, qui in veteri Testamento vocabantur Nazaræi, qui interpretantur sancti, vel florentes, aut germinantes, de quibus nunc agitur. Alii autem sunt præcipue mali, qui nec præcepta observant,
Num. v, 12 *et seq.* nec graviora vitant facinora, sicut adulterantes, de quibus in præcedenti tractatum est capitulo. Alii medio modo se habent. Ut ergo opposita juxta se posita, clarius elucescant, postquam in præcedenti capitulo de pessimis dictum est, nunc de optimis recitatur.

Locutusque est Dominus : Vir sive mulier, quum fecerint votum ut sanctificentur, id est, quum voverint, quod divino se cultui mancipabunt ultra debitum legis per exercitia supererogationis, vacando orationibus, jejuniis aut consimilibus, *et se voluerint Domino consecrare,* ei per specialem sanctimoniam adhærendo ; *a vino et omni quod inebriare potest, abstinebunt,* ut per talem abstinentiam adipiscantur gra-
Dan. i, 8, 16, 17. tiam ampliorem, sicut de Daniele, ejusque sociis legitur factum. Vinum quoque et potus inebriativus ad carnalia incitant, rationem obnubilant, et divinorum inducunt oblivionem, quemadmodum Osee propheta
Osee iv, 11. testatur : Vinum et ebrietas et fornicatio
Prov. xx, 1. auferunt cor. Salomon quoque : Luxu- B riosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas. *Acetum ex vino et ex qualibet alia potione,* id est de quocumque potu inebriativo confectum, *et quidquid de uva exprimitur, non bibent,* utpote nec agrestam. *Uvas recentes, siccasque non comedent,* quia in talibus est aliquid de vini vigore, et ad vini potum alliciunt ; *cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur.* Ex hoc constat, quod nunc sit sermo de eis qui Nazaræi erant ad tempus, ut adulti qui proprio voto ad certum tempus consecra- C bant se Domino. Aliqui vero erant Nazaræi per omne tempus vitæ suæ, vel ex voto
parentis, ut Samuel ; vel ex commissione *I Reg.* i, 11.
et revelatione divina, ut Samson, ut patet *Judic.* xiii, 5.
in libro Judicum ; vel ex proprio voto, a tempore quo voverunt. *Quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa* inclusive, *usque ad acinum,* id est granum uvæ, inclusive, *non comedent :* quasi dicatur, Nil prorsus ex fructu vitis gustabunt, ut per abstinentiam tam diligentem, ad mentis proficiant puritatem.

D *Omni tempore separationis suæ,* qua a communi hominum vita se dividunt per speciale obsequium Dei, *novacula non transibit super caput ejus,* id est, crines suos non faciet nec permittet Nazaræus abradi, *usque ad completum diem quo Domino consecratur,* id est, quousque tempus suæ consecrationis sit finitum. *Sanctus erit,* id est Deo specialiter deputatus, vacans

Digitized by Google

et serviens, *crescente cæsarie capitis ejus.* A Cur caput radere prohibebatur ? Forte ut omnem exteriorem, adventiciumque ornatum abjiceret, quatenus interiori decori magis esset intentus ; et item quoniam sacerdotibus assimilabatur in multis. Nam
Lev. x, 9. et illis fuit præceptum : Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis quando ingressuri estis sanctuarium. Quemadmodum igitur sacerdotibus fuit prohibitum
Ibid. xxi, 5. in Levitico, radere caput aut barbam, ita et Nazaræis nunc prohibetur. Atque ut super Leviticum scripsi, una horum exstitit B ratio : quia hujusmodi personæ divino cultui specialiter mancipatæ, debebant ab idololatris præ ceteris differre. Sacerdotes autem idolorum caput et barbam radebant,
Baruch vi, 30. sicut in Baruch narratur : Sacerdotes eorum sedent, habentes caput et barbam rasam.

Omni tempore consecrationis suæ, super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem et matris, fratris, sororisque funere contaminabitur, id est, nullius horum defunctioni intererit, nec ad eos jam C defunctos intrabit, neque sepeliet ; *quia consecratio Dei sui super caput ejus est,* id est, in capite ejus apparet suæ consecrationis indicium, scilicet capillatura non rasa. Vel, quia in corde ipsius est specialis devotio et contemplatio Dei, quam nec interrumpere neque dimittere debet per occupationem, compassionemque sensualem, aut distractionem circa propinquos, quamvis inter opera misericordiæ computetur morientibus ministrare et mortuos sepelire. Sed altioribus deputati, altiora D prosequi debent. Denique Nazaræi in isto assimilabantur pontifici, qui, sicut et ipsi, jugiter debuit esse paratus ad actus ponti-
Lev. xxi, 1-3. ficii sui. Unde in Levitico jusserat Dominus, ut sacerdos non contaminaretur in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis et propinquis, qui expri-
Ibid. 10. muntur ibidem ; pontifex vero ad nullum mortuum prorsus ingrederetur. Jussum est item istud a Domino in idololatriæ detestationem : quia, ut dictum est ibi, malefici et sacerdotes idololatrarum in ritibus suis uti consueverunt ossibus et carnibus mortuorum.

Sin autem mortuus fuerit quispiam subito coram eo, polluetur caput consecrationis ejus. Pollutio illa, secundum Guillelmum Parisiensem, non fuit communiter culpa, sed irregularitas quædam, id est inidoneitas intrandi templum, et edendi de immolatis. Poterat tamen pollutio ista in Nazaræo esse peccatum, si non curasset vitare præsentiam mortui. Si autem tam inopinate accidisset mors alicujus ei præsentis, quod non potuisset se tempestive subtrahere, non fuisset ei culpabile. Et quod ait, Coram eo, potest exponi, in eodem loco aut domo. In Scholastica autem historia dicitur : Forte non pro quolibet mortuo, sed pro occiso coram eo, polluebatur. Verumtamen textui magis concordare censetur, quod pro quolibet mortuo, præsertim quoniam omnium horum mystica figuralisque ratio fuit. Specialiter quoque ait, Polluetur caput consecrationis ejus, quia in capitis crinitione magis apparebat consecratio illa. *Quod radet illico in eadem die purgationis suæ,* id est, crines suos mox die quo ita pollutus est, faciet abradi : quo die purgari incipiet per adspersionem aquæ lustrationis ; *et rursus septima* die adspergetur hujusmodi aqua : sicque in † prima die qua rursus fecit se radi, incepit de novo observantia suæ consecrationis, quia dies præteriti propter supervenientem pollutionem erant pro non factis.

In octavo autem die offeret Nazaræus qui ita pollutus erat, *duos turtures vel duos pullos columbarum sacerdoti :* præsentando et exhibendo alicui sacerdoti tunc ministranti tale par avium immolaticiarum, de quibus super Leviticum dicta sunt plura ; *in introitu fœderis testimonii,* id est ad ostium atrii, per quod ad tabernaculum intrabatur ; et ante januam atrii consideravit sacerdos, an aves fuerunt aptæ ad immolandum. *Facietque sacerdos unum pro peccato,* id est, unam illarum

Digitized by Google

avium offeret Deo pro remissione peccati Nazaræi, *et alterum in holocaustum,* ad reverentiam majestatis divinæ quam inhonoravit; *et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo,* per præsentiam suam ad morientem aut mortuum, juxta sensum prætactum; vel per modum peccantis se habuit; vel alicui culpæ suæ fuerat adscribendum, quod Deo permittente contigit ei tale suæ consecrationis obstaculum. *Sanctificabitque caput ejus die illo,* quo Deo sic reconciliatur, vel per aquam lustrationis purgatur; *et consecrabit Domino* B *dies separationis ejus,* id est, sacerdos præfato ritu efficiet, quod observatio qua Nazaræus observat ea quæ ei ex lege injuncta sunt, erit placita Deo ab ea die qua de novo consecrationem suam incepit per iteratam suorum abrasionem pilorum : qua observatione dividitur a communi hominum vita. *Offerens* ipse sacerdos *agnum anniculum,* qui scilicet non sit ultra unius anni ætatem, *pro peccato* Nazaræi : quem agnum adduxit Nazaræus ad sacerdotem. Sicque pro peccato Nazaræi offerebantur C sacrificia duo, videlicet una avis præfata et agnus. Vel agnus iste offerebatur pro reliquis ejus peccatis, aut pro omnibus simul. Nam unum mortale sine altero non dimittitur ei qui plura habet. *Ita tamen, ut dies priores,* qui pollutionem præcesserunt jam dictam, *irriti fiant,* id est cassati et quasi infecti, ut patuit.

Quum dies quos ex voto decreverat, complebuntur, id est, impletis diebus quibus promisit Deo speciali devotione servire; *adducet eum,* videlicet sacerdos Nazaræum, D qui statuto tempore comparebat ibidem, *ad ostium tabernaculi fœderis,* id est ad locum atrii circa altare holocausti; *et offeret oblationem ejus Domino,* id est, ea quæ Nazaræus adduxit ad immolandum, immolabit pro eo sacerdos, *agnum anniculum immaculatum,* id est non deformem, fœdum, monstruosum aut languidum, *in holocaustum,* quod fuit sacrificium dignissimum : unde nec pecora feminei sexus poterant in holocaustum offerri. Ob- A tulit autem hoc holocaustum ad Dei honorem, qui contulit Nazaræo perficere observantiam suam. *Et ovem anniculam pro peccato,* id est pro culpis quas interim incurrit, *et arietem immaculatum* in *hostiam pacificam,* pro gratiarum actione de beneficiis sibi desuper datis, præsertim tempore suæ consecrationis, atque pro pace æternitatis et vera salute finaliter obtinendis. Porro Magister in historiis ait : Quum simpliciter ponitur *aries,* debuit ad minus esse duorum annorum, ut dicit Hebræus. *Canistrum quoque panum azymorum,* in quibus videlicet non est fermentum admixtum, *qui conspersi sint oleo,* utpote oleati in sua pistratione, *et lagana absque fermento uncta,* id est lita, *oleo.* Lagana sunt panes lati ac tenues, qui interdum tortæ vocantur. Vel, ut aliqui asserunt, sunt panes ex simila cocti in calida aqua. *Ac libamina singulorum,* id est materias liquidas et humectatas, quæ offerebantur cum panibus illis et laganis; *quæ offeret sacerdos coram Domino,* videlicet super altare holocausti, *et faciet tam pro peccato, quam in holocaustum :* id est, partem eorum quæ dicta sunt, offeret pro peccato Nazaræi, sicut expressum est, et partem in holocaustum ex parte ipsius. *Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino* pro Nazaræo, cujus consecratio est finita, *offerens simul canistrum azymorum,* id est azymos panes in cophino positos, *et libamina quæ ex more debentur,* id est, quæ consuetum ac debitum est simul offerri cum pacifica hostia, juxta illud Levitici : Qui offert victimam pacificorum Domino, *Lev. VII, 29* offeret simul libamenta ejus. Possent hic multa quæri et dici de rationibus et qualitatibus et mensuris sacrificiorum istorum, de quibus super Leviticum dictum *Ibidem* est copiose : idcirco pertranseo.

Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ, id est, capilli capitis, quos, durante sua consecratione, portavit non rasos, abradentur in signum quod consecratio sua fuit finita, redireque potuit ad vitam commu-

Digitized by Google

nem cum ceteris, quæ in præceptorum observantia consistebat. Radebatur autem (ut dicitur) non sub dio, sed in æde seu exedra aliqua juxta atrium sita. *Tolletque* sacerdos *capillos ejus, et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum,* cujus una pars incendebatur, ut dictum est in Levitico. *Et armum coctum arietis,* cujus carnes in caldaria coquebantur, *tortamque unam de canistro,* id est panem unum azymum, accipiet de sporta præfata, *et laganum azymum unum,* id est unum panem latum ac tenuem non fermentatum, *et tradet in manibus Nazaræi,* in signum et recognitionem, quod ab ipso sint data et accepta, et pro ipso oblata. *Susceptaque rursum ab eo, elevabit in conspectu Domini.* Cur sacerdos iterum sumpsit ista ex manibus Nazaræi, et ea coram Domino elevavit, nisi ut tam in ipso quam in Nazaræo renovaretur devotio, et applicaretur intentio ad sacrificia ista, sicque complacentior fieret Deo, et Deus de cetero conservare dignaretur Nazaræum in gratia sua ? *Et sanctificata sacerdotis erunt,* id est, in usum et esum ipsius cedent, quantum ad ea quæ in talibus hostiis deputata sunt usui sacerdotis, prout super Leviticum dictum est sæpe. Nempe in hostiis pacificis una pars cessit in esum offerentis, et quædam pars adolebatur super altare. Erunt itaque sacerdotis, *sicut pectusculum quod separari jussum est,* id est, quemadmodum pectora aliorum sacrificiorum præter holocausta, in usum sacerdotum cesserunt, sicque jussa fuerunt dividi ab aliis partibus pecoris immolati, et sacerdotibus deputari. Hinc in Levitico Dominus loquitur : Pectusculum elevationis et armum separationis tuli a filiis Israel, et dedi Aaron sacerdoti et filiis ejus. *Et femur.* Femur arietis hujus, pro hostia pacifica immolati, erit etiam sacerdotis. Unde non videtur posse salvari, quod quidam hic scribit, dicens : In aliis, scilicet sacrificiis pacificorum, sacerdos habuit tantum pectusculum. Nam in Levitico legitur : Armus dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis. *Post hæc Nazaræus,* id est, qui hactenus exstitit Nazaræus, *potest bibere vinum :* cetera quoque quæ nascuntur ex vite, gustare potando aut manducando, quia de cetero Nazaræus non fuit.

Lev. III, 5, 11, 16. — Ibid. II, 3, 10; V, 13. — Ibid. VII, 34. — Ibid. 32.

Ista est lex Nazaræi, exceptis his quæ invenerit manus ejus : id est, præter sacrificia memorata, ex legis præcepto immolanda, potuit plura seu majora offerre ex spontanea devotione. *Juxta quod mente devoverat, ita faciet,* id est, votum suum mentale implebit, imo et desiderium suæ supererogationis quo ultra debitum offert quod placet, *ad perfectionem sanctificationis suæ,* id est ad hoc, ut ex tali impletione et voti supererogatione perficiatur sanctificatio quam tempore suæ consecrationis exercuit sive adeptus est.

Sequitur speciale officium sacerdotum, et forma benedictionis, qua populo benedicere debuerunt. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere Aaron et filiis ejus : Sic benedicetis* ministerialiter, id est, bona imprecabimini vos et posteri vestri, *filiis Israel,* id est unicuique eorum tempore suo, seu pluribus simul vel communitati. *Benedicat tibi Dominus,* dona gratiæ conferendo, et multiplicando ea in te, imo et temporalia ad sufficientiam tribuendo ; *et custodiat te* in adversis, et a malis præservet, atque in bonis conservet. *Ostendat Dominus faciem suam tibi,* id est, te nunc gratiose illuminet, deinde ad suam beatificam visionem perducat ; *et misereatur tibi,* ignoscendo tibi tua peccata, et quasi condolendo calamitatibus tuis, te relevando in eis. *Convertat Dominus vultum suum ad te,* id est, te clementer adspiciat, pie præveniat, misericorditer consoletur, sicque gratiosum et familiarem se tibi exhibeat ; *et det tibi pacem,* pacem videlicet temporis, pacem pectoris, quæ est quies mentis in Deo, et pacem æternitatis. *Invocabunt nomen meum super filios Israel,* quia inter Deum et populum sunt mediatores ; *et ego benedicam eis,* implendo orationes et benedictiones

Digitized by Google

sacerdotum fusas pro populo. Ex quo patet, quod orationes et benedictiones sacerdotum, in quantum sunt vicarii Dei, et communes ministri plebis ipsius, in persona communitatis agentes, magnam effi- A caciam sortiuntur : idcirco sunt honorandi, et exorandi ut orent pro aliis. Et si virtuosæ sint conversationis, majoris vigoris sunt oblationes, orationes, et benedictiones eorum.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO SPIRITUALIS CAPITULI HUJUS SEXTI.

VIR *sive mulier, quum fecerint votum.* Per Nazaræos, designati sunt homines evangelicæ perfectionis, præsertim casti, sobrii, præsertim qui evangelica conantur consilia adimplere. Quemadmodum autem per Nazaræos omni tempore vitæ suæ seu usque ad mortem, præfiguratæ sunt religiosæ personæ, quæ vitam monasticam profitentur et servant usque ad obitum suum; ita per Nazaræos ad certum tempus expressi sunt Christifideles, qui ex proposito seu promissione vacant ad tempus spiritualibus exercitiis certarum virtutum, abstinendo, peregrinando, orando, aut pauperibus ministrando. Hi omnes a vino et omni inebriativo, carnaliterque delectante debent penitus abstinere, hoc est ab immoderantia universorum, quæ gustum et tactum oblectant : quod et prælatis, principibus atque judicibus præcipue est ser-
Prov. xxxi, 4, 5. vandum, juxta illud Proverbiorum : Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum ubi regnat ebrietas; ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. *Acetum ex vino,* etc., id est, amaritudinem quæ ex vinolentia sequi solet, aut aliam pravam libidinem concomitari, non sibi imprimient
Ephes. iv, 31. nec admittent, quum dicat Apostolus : Omnis amaritudo, ira, indignatio et clamor tollatur a vobis. *Uvas recentes siccasque*
Ibid. v, 18. *non comedent.* Sicut per vinum luxuria, ita per uvas recentes præambula et incitamenta luxuriæ, puta amplexus, tactus et B oscula, intelliguntur, quibus appetitus non est reficiendus, sed reprimendus.

Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus. Cæsaries capitis, est germinatio bonarum meditationum, piarumque affectionum in corde : quibus invalescentibus, homo fit sanctus, propter quod increata Sapientia contestatur : Eruditis intersum *Prov.* viii, 12.
cogitationibus. *Super mortuum non ingredietur.* Quoniam ei qui per vitia mortuus mente est, non debet uniri, conformando se illi in quocumque illicito. *Nec* C *super patris quidem et matris, fratris, sororisque funere contaminabitur :* id est, nullius quantumcumque propinqui aut cari inordinato affectu se inquinabit, nec de illorum morte seu quacumque adversitate immoderanter tristabitur, ne per hoc a puritate et stabilitate contemplationis atque a puritate retrahatur divini amoris. *Sin autem mortuus fuerit quispiam subito coram eo,* id est, si aliquis eo approbante aut non impediente pro posse, ruat in peccatum mortale, *polluetur caput conse-* D *crationis ejus,* id est, mens ejus Deo dicata, in consimilem decidit culpam, quia non solum morte digni sunt qui faciunt *Rom.* i, 32.
talia, sed etiam qui consentiunt facientibus. Hinc rursus loquitur Paulus : Nolite *Ephes.* v, 11.
communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. *Quod radet illico in eadem die,* id est, protinus pœnitebit, et cogitationes affectionesque pravas de corde suo abjiciet; et aquis lu-

Digitized by Google

strationis purgabit se, id est, lacrimis contritionis, aqua sapientiæ salutaris, rore divinæ visitationis se emundabit.

In octavo autem die, id est, septenario suæ pœnitentiæ jam completo, *offeret duos turtures,* id est mentis et corporis castitatem, *vel duos pullos columbarum,* id est sapientialem simplicitatem in corde et verbis. Prov. III, 32. Cum simplicibus namque est sermocinatio Dei, qui ait : Matth. X, 16. Estote simplices sicut columbæ. Sacerdos vero pro ipso sacrificans, est vel devota mens sua, vel sacerdos exterior aut prælatus, qui offert pro illo *agnum anniculum,* id est innocentissimum Dei Agnum propter nos crucifixum, seu passionem ipsius. *Ita tamen, ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus :* quia dum quis mortaliter peccat, mortificantur merita ejus præterita, quemadmodum per Ezechielem Dominus testatur : Ezech. XVIII, 24. Si averterit se justus, etc., omnes justitiæ ejus non recordabuntur. Verumtamen per sequentem contritionem rursus vivificantur. Spiritualis demum ratio et significatio sacrificiorum, quæ exprimuntur in textu, super Leviticum frequenter sunt introductæ.

Tunc radetur Nazaræus. Hoc est quod ait Salvator : Luc. XVII, 10. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Quum itaque homo virtuosus juxta suæ

A exigentiam vocationis digne fuerit conversatus, necesse est ut se omnino profunde humiliet, et distractiones, pravasque cogitationes et phantasias quas interim habuit, deleat et deploret. Quum enim consummaverit homo, tunc incipiet. Eccli. XVIII, 6. Tales autem capillos comburet igne, quoniam caritatis consumuntur fervore. Caritas quippe operit multitudinem peccatorum. I Petr. IV, 8. Est quoque ignis caritatis suppositus sacrificiis, quoniam nulla oblatio, sive sit spiritualis seu corporalis, est Deo accepta, nisi in caritate B fundetur, et ex ea procedat.

Sic benedicetis filiis Israel : Benedicat tibi Dominus. Ista fuit benedictio valde compendiosa, sententiosa, devota et optima, juxta cujus formam sacerdotes evangelicæ legis populo christiano, et unicuique ejus supposito, præsertim sibi commissis, benedicere debent ; et exprimuntur in ea sex verba, significantia sex actus Dei, quibus maxime indigemus. Primo videlicet, ut dona gratiæ suæ nobis infundat, quod tangitur quando ait : Benedicat tibi Dominus. C Secundo, ut dona infusa conservet. Tertio, ut de statu viæ ad gradum gloriæ perducat. Quarto, ut culpas interim se miscentes dimittat. Quinto, ut nos gratiose præveniat. Sexto, ut pacem conferre dignetur. Atque (ut ait Glossa) in hac benedictione Dominus ter nominatur, ut summa sanctaque Trinitas intelligatur.

ARTICULUS XIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : FACTUM EST AUTEM IN DIE QUA COMPLEVIT MOYSES TABERNACULUM.

FACTUM est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum et erexit illud, unxitque et sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter et vasa ejus. Exod. XL, 15, 16. In Exodo legitur, Mense primo anni secundi, in prima die mensis, collocatum

D est tabernaculum, erexitque illud Moyses. Eodem capitulo Dominus ait ad Moysen : Assumpto unctionis oleo, unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur Exod. XL, 9, 10. altare holocausti et omnia vasa ejus. Deinde subjungitur ibi, Posuit et altare aureum Ibid. 24.

Digitized by Google

sub tecto testimonii. Itaque prima die primi mensis anni secundi ab egressu filiorum Israel de Ægypto, complevit Moyses tabernaculum, id est, ungendo atque ad divina ibi agenda aptando, consummavit tabernaculum seu consecravit, quod jam paulo ante ab artificibus fuerat materialiter completum ; et sicut Moyses fecit illud, id est, fieri jussit, ita erexit illud per manus aliorum, qui partes tabernaculi compaginaverunt, et vasa ac utensilia quædam sacra intulerunt in illud : de quibus [*Exod.* XL.] omnibus super Exodum est tractatum. *Obtulerunt principes Israel, et,* pro id est, *capita,* id est capitanei, *familiarum, qui* principes *erant per singulas tribus,* id est, singuli in singulis tribubus præsidebant, videlicet unusquisque eorum in sua tribu, tamen sub Moyse, cujus isti erant coadjutores in tanti regimine populi, *præfecti eorum qui numerati fuerant a vicesimo anno et supra,* ut primo hujus libri capitulo patuit, *munera coram Domino,* de quibus muneribus infra in capitulo isto habetur : quæ munera Domino obtulerunt in ejus conspectu atque præsentia, qui omnia intuetur, et ubique est præsens, præcipue tamen in locis ei consecratis ; *sex plaustra tecta,* id est operta, *cum duodecim bobus :* duo enim duces seu principes unum plaustrum cum duobus bobus dederunt et exhibuerunt ad Dei honorem, ut servirent ad ea quæ necessaria erant circa [*Num.* I, 50.] tabernaculi, pertinentiumque ad illud, deportationem, prout in textu, qui planus est, recitatur, supra quoque expositum est.

Verum circa hæc oritur quæstio intricata de ordine rei gestæ, quia jam dictum [*Exod.* XL, 15.] est, quod tabernaculum sit erectum prima die mensis primi anni secundi. Porro in [*Num.* I, 1, 2.] exordio hujus libri scriptum est : Locutus est Dominus ad Moysen in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi anno altero, id est secundo egressionis eorum ex Ægypto, dicens : Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel. Ex quo sequi videtur, quod oblatio, de qua in isto capitulo agitur, per mensem præcessit

A populi numerationem, quum tamen hic enarretur post præfatæ numerationis descriptionem. Hinc aliqui dicunt, quod hoc loco non servatur ordo historiæ, et quod ista scribuntur per recapitulationem in præsenti capitulo. Quibus obviare videtur quod in littera dicitur : Obtulerunt principes, etc., præfecti eorum qui numerati fuerant : ergo apparet, quod tempore harum oblationum tribus jam numeratæ fuerunt.

Præterea in Levitico describitur, quem- [*Lev.* VIII, 33.] B admodum consecratio Aaron filiorumque ejus in pontificium et sacerdotium, duravit septem diebus. Deinde in eodem subjungitur : Facto autem octavo die, vocavit [*Ibid.* IX, 1, 8 *et seq.*] Moyses Aaron et filios ejus ; et illo die cœperunt Aaron et filii ejus sua exercere officia, quod non potuit esse ante erectionem tabernaculi : sicque videtur, quod post illos septem dies consecrationis cœperunt principes isti offerre, puta die octavo. Quod rursus reprobatur per id quod in isto capitulo legitur, quod die quo erectum C est tabernaculum, obtulerunt : quod fuit prima die anni secundi. Iterum, si octavo die mensis secundi offerre cœperunt ibi principes, quorum oblatio duravit per dies duodecim, ut paulo post fertur in textu, protracta fuit oblatio eorum usque ad nonumdecimum diem secundi anni : sicque filii Israel post illas oblationes non celebrassent Pascha quartodecimo die ad vesperam, ut erat præceptum, imo ut infra in principio noni capituli fecisse leguntur. Si ergo concedatur quod primo die anni D secundi cœperunt offerre præfecti, sacerdotibus nondum consecratis, tunc sacerdotes consecrati sunt vel post istas oblationes, vel infra dies earum : et constat quod non sint consecrati post illas oblationes ex textu, nec infra eas. Non enim apparet, quod solus Moyses potuerit omnia illa exercere una die, quæ circa sacerdotum consecrationem et principis oblationem fiebant, quemadmodum ex Exodo [*Exod.* XXIX. *Lev.* VIII.] et ex Levitico atque ex isto probari capitulo potest. Hinc aliqui responderunt, quod

Digitized by Google

septem dies consecrationis sacerdotum pertinuerunt ad ultimam primi anni hebdomadam, et ita respectu illorum septem dierum, primus dies anni secundi vocetur octavus, in quo Aaron suum cœpit officium exercere, in quo et principes cœperunt offerre.

Hæc responsio in Scholastica historia tangitur. Cui partim concordat quod Lyra Rabbi Salomonem asserit respondisse, quod scilicet duplex fuit erectio tabernaculi : una quotidiana, qua erigebatur mane, et deponebatur vespere ; alia stabilis, quæ duravit usque ad motionem castrorum ; et quod prima illa erectio facta est septem diebus ultimis primi anni egressionis de terra Ægypti, atque in illis consecrati sunt sacerdotes, in quibus diebus solus Moyses exercuit sacerdotale officium. Octava autem die, quæ fuit prima dies anni secundi, facta est prima tabernaculi erectio stabilis, tuncque sacerdotes suum cœperunt officium exsequi. Istud, inquam, consonat præinductæ responsioni, nisi quod addit de prima illa tabernaculi erectione quotidiana : quod videtur ficticium, quum ex textu manifeste probetur, quod tabernaculum sit primo erectum primo die anni secundi. Et quod antea non fuit erectum per unam septimanam quotidie, probatur ex hoc quod a vicesimo sexto Exodi capitulo usque ad quadragesimum libri illius capitulum, describitur qualiter Beseleel et Ooliab exsecuti sint quæ Deus jusserat per Moysen fieri : qua narratione completa, in fine capituli tricesimi noni legitur : Quæ postquam Moyses cuncta vidit expleta, benedixit eis ; moxque ibidem in exordio capituli quadragesimi immediate subjungitur : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Mense primo, prima die mensis eriges tabernaculum ; et nulla fit mentio ibi de alia seu priori tabernaculi erectione. Nec videtur ad quid illa quotidiana erectio utilis exstitisset filiis Israel ibi quiescentibus circa Sinai montem.

Præterea Magister in historiis ait : Dici potest quod eadem die inchoata sit unctio sacerdotum et tabernaculi, et oblatio principum, et cucurrerunt simul per septem dies, post quos adhuc duravit oblatio principum quinque diebus. Tangit deinde idem Magister solutionem aliam, dicens : Dici potest, hanc oblationem duodecim principum factam secundo mense anni secundi, nec per recapitulationem hæc dici ; quod vero legitur in ea die esse inchoatam, qua unctum est tabernaculum, intelligendum est de die consimili. Istud videtur rationabiliter posse teneri : ad quod ex littera inducta est ratio una. Alia est, quoniam in textu hujus capituli legitur : *Ait Dominus ad Moysen : Suscipe ab eis* plaustra, *ut serviant in ministerio tabernaculi, et trades ea Levitis juxta ordinem ministerii sui. Itaque quum suscepisset Moyses plaustra et boves, tradidit ea Levitis. Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium,* etc. Ex quibus sequi videtur, quod ante oblationem principum, distinctæ fuerunt Levitarum familiæ per sua officia : quod tamen in earum numeratione legitur factum supra. Rursus, quod oblatio principum non describatur hic per recapitulationem, sed secundum gestæ rei ordinem, hinc videtur quod duodecim tribubus præfecti sunt duodecim principes, de quorum oblatione nunc agitur in enumeratione tribuum, et non ante, ut patet ex primo hujus libri capitulo. Sicque numeratio illa oblationem istam præcessit. *Num.* IV.

Igitur obtulerunt duces in dedicatione altaris, id est in consecratione altaris holocaustorum, quod eodem die cum tabernaculo et utensilibus ejus est dedicatum, unctum seu consecratum, ut legitur in Exodo : imo in Exodo legitur, quod tabernaculum et utrumque ejus altare sint pariter consecrata ; tamen de altari fit mentio specialis, quia in eo offerebantur sacrificia ista ; *oblationem suam,* id est sacrificia, quia in oblatione totali cujuslibet principis multa particularia sacrificia continebantur, sicut in textu exprimitur ; *ante altare,* quia adduxerunt sacrificia sua ad sacerdo- *Exod.* XXX, 26-28.

Digitized by Google

tes, a quibus deducta fuerunt ante altare A holocausti in atrio. *Dixitque Dominus ad Moysen : Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicatione altaris,* id est in tempore quo altare est dedicatum, seu ad reverentiam dedicationis illius, ut ex tam solenni oblatione dedicatio videretur celebrior. Elicitur demum ex verbis istis, quod duodecim principes intendebant omnes una die sua sacrificia immolare : imo uno animo hoc fecerunt. Propter quod dictum est, Obtulerunt duces in dedicatione altaris die qua unctum est, B quasi plures una die obtulissent ; sed Deo jubente, obtulerunt singulatim quilibet suo die.

Primo die oblationum istarum, *obtulit oblationem suam Naasson filius Aminadab de tribu Juda. Fueruntque in ea,* id est, in totali illa oblatione continebantur, *acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum,* id est ponderans, seu pondere continens siclos centum triginta. De quantitate autem, et valore duplicitateque sicli, dictum est sæpe. Pro acetabulo, habetur in C Hebræo, scutella. In hoc autem acetabulo, secundum aliquos, considerabatur materia offerenda, an esset oblationi conveniens, ut acetum, vel potius simila et incensum. *Phiala argentea,* in qua, secundum quosdam, thus ponebatur ; vel, ut alii dicunt, liquida (ut vinum) considerabantur in ea, an essent immolaticia ; *habens septuaginta siclos juxta mensuram sanctuarii,* id est, continens materiam seu pondus septuaginta siclorum, quorum usus fuit in tabernaculo. *Utrumque,* videlicet acetabulum D et phialam, *plenum simila,* id est delicatissima tritici farina, *conspersa oleo,* ut offerretur cum aliis materiis in sacrificium. *Mortariolum aureum habens,* id est continens, *decem siclos.* In hoc vasculo quædam species seu aromata terebantur, et ad hoc sufficere poterat, quamvis quidam dicat oppositum. Verumtamen in Hebræo legitur, Cochlear, quo scilicet thus in thuribulo ponebatur. *Plenum incenso,* hoc est, materia incendenda in altari thymiamatis, utpote thymiamate. *Bovem de armento,* id est sumptum de grege pecorum suæ speciei, *et arietem, et agnum anniculum in holocaustum,* ita quod agniculus iste, vel certe tria pecora illa, in holocaustum offerebantur. *Hircumque pro peccato.* Nam hircus pro peccato principis offerri *Lev.* IV, 23.
solebat, ut dictum est in Levitico. *Et in sacrificio pacificorum, boves duos.* Duo boves illi immolabantur in hostiam pacificam pro gratiarum actione de beneficiis datis, atque pro pace et salute præstandis aut conservandis. *Arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque.* Hæc etenim animalia erant immolaticia.

Sicque decem et septem animalia obtulit Naasson in pacificas hostias, tria in holocaustum, et unum pro peccato, quæ simul fuerunt viginti unum jumenta : quorum omnium certas, determinatas, litteralesque rationes assignare, super hominis vires est, quamvis constet Deum nil horum sine ratione præcepisse legitima. Verumtamen quidam quasdam adaptationes adducunt, quæ modici sunt momenti, sicut et alibi est probatum. Et super illud, Hircumque pro peccato, scribit quidam, Ad expiandum peccatum venditionis Joseph, in qua hœdus occisus est : quod non videtur idonee dictum, quia et fratres venditores ipsius Joseph, postea valde pœnituerunt, veniamque sortiti sunt, et sancte vixerunt, sicut de Levi specialiter in Malachia legitur, In *Malach.* II, 6.
pace et æquitate ambulavit, etc. *Hæc est oblatio Naasson.* Estque probabile, quod obtulit ista, non tantum pro se, sed et pro tribu cui præfuit.

Secunda die obtulit Nathanael, dux de tribu Issachar. Omnes principes isti eamdem in specie oblationem fecerunt, et ex descriptione unius patent aliarum expositiones. Obtulerunt quoque non secundum ordinem generationis duodecim Patriarcharum ex Jacob, sed juxta ordinem situationis suæ circa tabernaculum, et processus in profectione castrorum. Princeps equidem in tribu Juda, et princeps in tribu Issachar, princepsque in Zabulon tri-

Digitized by Google

bu, fixerunt tentoria ad tabernaculi orientem. A Sicque de aliis est pensandum, prout *Num.* II, 3. supra habetur. Quod autem omnes principes æqualem oblationem fecerunt, commendat humilitatem concordiamque ipsorum, quum tamen unus alio esset nobilior, et pluribus præsideret. Primo autem obtulit princeps tribus Judæ, quia tribus illa fuit privilegiata in multis, et numero ac viribus major. De qua sanctus Jacob prædixit nascituros non solum principes totius Israelitici populi, sed etiam Christum regem : *Gen.* XLIX, 10. ideo propter Christum fuit tribus illa tam inclyta et electa. Aliqui quoque addunt, quod in transitu maris Rubri, tribus Juda primo Moysen sit secuta. Quod tamen Rabbi Paulus non approbat, quamvis multi Catholici et Hebræi hoc dicant.

ARTICULUS XIV

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI INTELLECTU.

PER oblationes principum duodecim tribuum, B in dedicatione tabernaculi et altaris factas tam ordinate, præfigurabatur, quod in dedicationibus ecclesiarum atque altarium debeant Christifideles, præsertim majores, liberaliter, devote et ordinate offerre. Allegorice per Moysen exprimitur Christus, qui Deo Patri ædificavit, consecravit, et erexit Ecclesiam ex vivis et electis lapidibus, quam unxit Spiritu Sancto, et sanctificavit cum vasis suis, hoc est personis seu cordibus devotorum, atque altari, id est intellectu illuminato, qui spiritualia C jugiter offert Deo. Tunc principes obtulerunt, quia in primitiva Ecclesia et ejus gratiosissima unctione sancti Apostoli immolaverunt hostias laudis et gratiarum actionis, incensum orationis, et satisfactionis opera pro diversis : imo pro omnium communi reconciliatione et salute, Deo prædicta sacrificare non cessaverunt. Obtulerunt quoque sex plaustra, quia corporalia impendebant conversis solatia. Dividebatur *Act.* IV, 34, 35. namque singulis, prout cuique opus erat, nec quisquam egens exstitit inter D illos, sicut in Actibus recitatur. Obtulerunt etiam boves, quia Apostoli undique direxerunt suos discipulos prædicatores egregios, qui excoluerunt et fecundaverunt Ecclesiam.

Obtulit autem unusquisque principum acetabulum argenteum, per quod discretus confessor significatur, qui confitentes examinat, an bene dispositi sint ad offerendum Deo se ipsos et sua. Per phialam designatur prudens et eruditus consultor ac informator, qui instar phialæ angustatur intus in se, sed dilatatur in Domino. Isti sunt pleni simila, hoc est puritate interna, et oleo pietatis atque incenso sanctæ dilectionis. Mortariolum, per quod vir patiens designatur, qui ictibus adversitatum percutitur. Obtulit quoque bovem, id est, proprium corpus exhibendo arma justitiæ Deo ; et arietem, hoc est rationis ducatum ; et hircum, id est, sensualitatem infectam ac fœdam frenando ; et in sacrificio pacificorum boves duos, quoniam ad regratiandum, orandumque pro se, invitat et adducit proximos virtuosos. Vel duo boves sunt duplex appetitus sensitivus, videlicet concupiscibilis et irascibilis. Arietes quinque, id est, quinque sensus exteriores regit secundum Deum ; hircos quinque, hoc est sensus interiores ; agnos anniculos quinque, per quos sensus spirituales, qui quinque sunt, intelliguntur. Ista sunt offerenda proportionabiliter et a nobis, ut donis Dei utamur salubriter, mala reprimamus viriliter, et bona prosequamur alacriter.

Digitized by Google

ARTICULUS XV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN : LOQUERE AD AARON.

Exod. XL, 4. REPETUNTUR quædam in exordio hujus capituli, quæ in Exodo continentur; et de Levitarum consecratione deinde tractatur. *Locutus est Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron : Quum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur.* Candelabrum namque situm fuit in exteriori tabernaculi parte versus plagam meridionalem, et lucernæ super candelabrum ponebantur, juxta illud *Ibid.* 22, 23. Exodi : Posuit Moyses candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte australi, locatis per ordinem lucernis. Denique, ad pontificem pertinuit lucernas disponere atque accendere, vel per se, vel per aliquem sacerdotum, cui commisit hoc. *Hoc igitur præcipe, ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis:* quoniam mensa illa sita fuit in exteriori parte tabernaculi *Ibid.* 20, 21. ad aquilonem, secundum illud Exodi, Posuit mensam in tabernaculo testimonii ad plagam septentrionalem extra velum, ordinatis coram propositionis panibus. Sicque lucernæ contra boream constitutæ, respiciebant ex opposito mensam propositionis. *Contra eam partem quam candelabrum respicit, lucere debebunt.* Ex stipite quippe candelabri in parte ejus superiori egrediebantur oblique tria brachia ab utraque stipitis parte, in quorum summitatibus collocabantur lampades seu lucernæ, quarum flammæ seu lumina lateraliter respexerunt lucernam illam in medio stantem in cacumine stipitis. Hinc scriptum est: *Ibid.* XXV, 37. Facies lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.

Hæc autem erat factura candelabri. Ex auro ductili, tam medius stipes, hoc est

A hastile candelabri, *quam cuncta quæ ex utroque calamorum latere nascebantur :* id est, tam stipes quam ea quæ egrediebantur ex brachiis seu calamis candelabri, fuerunt facta ex auro ductili, hoc est malleis ad formam redacto. Josephus tamen ait, Fusili. Hinc scriptum est in Exodo: Facies et candelabrum ductile de auro *Exod.* XXV, 31. mundissimo, hastile ejus, calamos, scyphos, sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia, universa de auro purissimo : quæ omnia super Exodum cum opinione Josephi sunt B tractata. *Juxta exemplum quod Dominus ostendit Moysi, ita operatus est,* id est fieri fecit, *candelabrum,* quod Beseleel fabricavit. Hoc est quod in Exodo Dominus ait ad Moysen : Inspice et fac juxta exemplar *Ibid.* 40. quod tibi in monte monstratum est : quod ibi expositum fuit. De quibus omnibus et significationibus, formis, et causis eorumdem, super Exodum diffuse est dictum.

Quibus nunc breviter addi potest, quod libro de Fide et legibus scribit Guillelmus: Candelabrum cum septem lucernis suis, C præcepit Dominus erigi a parte meridiei contra aquilonem, in figuram septem planetarum; mensam vero propositionis cum panibus, ad partem aquilonis ex adverso : quoniam populatio ad partem aquilonis est in hoc mundo, idcirco est ibi fertilitas cibi, quæ signatur in panibus. Pars namque australis opposita terræ nostræ habitationis, est inhabitabilis. Porro aliis visum est, quia vitalis caloris ac luminis vigor est in parte cœli meridionali : idcirco ad hoc designandum, præcepit Dominus can- D delabrum ignis et luminis stare ad partem illam ; ex adverso autem ad partem aquilonis, poni præcepit mensam et panes pro-

Digitized by Google

positionis, quoniam virilis caloris nutrimentum est esca, quæ in parte aquilonari magis abundat. Sed hæc intuentibus et non intelligentibus quid proderant? Hæc igitur causa fuit ad litteram, quatenus adorantes in tabernaculo, et offerentes in ejus altaribus, recognoscerent se a Deo obtinere nutrimentum et lumen. Hæc Guillelmus.

Sequitur de dispositione oblationeque Levitarum. *Locutusque est Dominus ad Moysen : Tolle Levitas de medio filiorum Israel,* tanquam divino cultui specialiter deputatos, *et purificabis eos juxta hunc* B *ritum : Adspergantur aqua lustrationis.* Per cujus adspersionem filii Israel mundabantur ab immunditiis quibusdam corporalibus atque legalibus, quas ex contactu defuncti et morticini et consimilibus contrahebant. Adspergebantur autem Levitæ a pontifice. *Et radant omnes pilos carnis suæ :* in quibus, ut in Scholastica habetur historia, non includebantur capilli. *Quumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint* per præfata : nempe per ista exteriora admonebantur, ut interiori puritati C studerent, universasque cogitationes superfluas et affectiones immundas abjicerent, et aqua sapientiæ orarent perfundi. Præterea Rabbi Moyses scribit, quod ex quo Levitæ divino sunt cultui mancipati pro aliarum primogenitis tribuum, quæ per idololatriam aurei vituli erant fœdatæ, quæ idololatria est spiritualis lepra ; ideo sicut a corporali lepra purgati jubebantur omnes suæ carnis abradere pilos, sic et Levitæ qui pro illis idololatris deputati sunt Deo. *Tollant bovem de armentis,* id D est, Levitæ accipiant, et secum adducant bovem de grege suo, *et libamentum ejus,* puta materiam inanimatam offerendam cum bove : unde subjungitur, *similam oleo conspersam,* ex qua fiebat sapidus panis. *Bovem autem alterum accipies* a Levitis offerendum a sacerdote *pro peccato,* hoc est pro remissione culparum ipsorum. Unde apparet, quod prior bos offerebatur in holocaustum, imo hoc paulo post habetur in textu. *Et applicabis,* hoc est deduces ac

A præsentabis, *Levitas coram tabernaculo fœderis,* ita quod stabunt in atrio ante fores tabernaculi : *convocata omni multitudine filiorum Israel,* quorum præcipui stabant in atrio apud Levitas.

Quumque Levitæ fuerint coram Domino, stantes in loco prætacto, *ponent filii Israel,* scilicet aliqui ex principalibus, *manus suas super eos.* Duodecim enim tribus offerebant Deo Levitas ad serviendum in tabernaculo pro primogenitis omnium tribuum ; offerebant tamen Levitas per manus pontificis. Propterea subditur : *Et offeret Aaron Levitas munus in conspectu Domini a filiis Israel,* id est, pontifex Levitas offeret Deo pro munere ex parte communitatis, secundum quod sibi assignati erant ad hoc a communitate. *Levitæ quoque,* videlicet quidam ipsorum ex parte omnium, *ponent manus suas super capita boum,* qui offerebantur ex parte ipsorum : offerentes namque posuerunt manus suas super hostias suas ; *e quibus unum facies,* id est, per manus pontificis offerri facies, *pro peccato* Levitarum, *et alterum in holocaustum, ut depreceris pro eis,* id est, quatenus deprecatio tua et pontificis, una cum sacrificiis fusa pro Levitis, fiat Deo acceptior. *Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus,* quatenus in cultu tabernaculi sint ministri pontificis ac sacerdotum, sicut patuit. *Et consecrabis,* hoc est, divino cultui dedicabis, ipsos Levitas *oblatos Domino,* secundum ritum jam dictum. In quo ritu, ut ex dictis colligitur, observabantur hæc quinque. Primo enim adspergebantur aqua lustrationis. Secundo, pili eorum abradebantur. Tertio, lavabantur vestes eorum. Quarto, fiebant pro eis sacrificia nunc expressa. Quinto, a multitudine populi immolabantur Deo per manus pontificis. *Ac separabis* eos *de medio filiorum Israel,* sicut spirituales personæ a sæcularibus distinguuntur, *ut sint mei,* per speciale obsequium ; *et postea ingrediantur tabernaculum,* utpote exteriorem ejus partem, non autem Sancta sanctorum. Aliis autem tribubus non licuit ingredi in

Num. IV.

Digitized by Google

tabernaculum ipsum : ideo dicitur, *ne sit plaga in populo, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium.*

Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini : hoc est, Levitas cum devotione Domino præsentavit, Levitarumque corda excitavit ad hoc, quod se cum ingenti devotione et gratiarum actione elevarent ad Dominum.

Locutusque est Dominus : Hæc est lex Levitarum. A viginti quinque annis suæ ætatis *et supra, ingredientur* sanctum locum, *ut ministrent in tabernaculo fœderis,* usque ad quinquagesimum annum suæ Num. IV. ætatis, faciendo opera laboriosa in deferendo vasa aut alia, prout in expositione superius dicta patuit. Verumtamen juxta ibidem contenta, non cœperunt exsequi sua officia ante annum vitæ suæ tricesimum, sed ab anno vicesimo quinto inceperunt addiscere concernentia officium suum. *Quumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt,* hoc est, prætacta opera graviora exsequi sinent, quia extunc erant quasi emeriti milites, non tamen penitus otiosi. Nam subditur : *Eruntque ministri fratrum suorum,* videlicet sacerdotum, *ut custodiant quæ sibi fuerint commendata* a sacerdotibus ad custodiendum, videlicet vasa et alia sacra ; *opera autem ipsa non facient :* quæ decuit a junioribus et fortioribus fieri, præsertim quando sufficiebant ad hoc.

Sensus mysticus. Insuper juxta mysticos intellectus, tabernaculum est Ecclesia militans, in qua Aaron, hoc est Christus, ponit septem lucernas, septem videlicet dona Spiritus Sancti in cordibus devotorum, et in suorum mentibus electorum. Candelabrum vero in parte australi erigitur, dum evangelica doctrina, seu bonus prælatus, qui vita, doctrina, fama et moribus splendet, in gratiarum fervore, seu in prosperitate spirituali locatur, ita quod proficit sibi et aliis, et recte sibi succedit in suo regimine. Tunc quoque lucernæ ex opposito ad mensam panum propositionis respiciunt, dum is qui donis Spiritus Sancti repletus est, eadem dona communicat aliis, et spiritualiter reficit illos, quemadmodum præstantissimus princeps Apostolorum hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. I Petr. IV, 10. Præterea, per Levitas intelliguntur subdiaconi atque diaconi, aut in inferioribus ordinibus constituti, qui pro communi populo serviunt Domino, quos ante assumptionem ordinum, præsertim sacrorum, et ante exsecutionem usus eorum, oportet purificari a vitiis, specialique gratia decorari, et tanto plus, quo altiorem suscipiunt exsequunturve ordinem. Primo ergo adspergendi sunt aqua lustrationis, hoc est, lacrimis contritionis se ipsos perfundere debent, et aquas sapientiæ adipisci. Deinde, pilos carnis suæ debent abradere, id est, omnes supervacuas occupationes, motionesque carnales, imaginationes turpes, apprehensiones nocivas prorsus abjicere, nec ullam temporis partem infructuose expendere. Tertio, debent vestes suas lavare, id est, virtutes actionesque virtuosas a malis eis admixtis purgare, mala illa deflendo ac diligenter vitando. Quarto, debent bovem offerre, hoc est, carnem cum concupiscentiis suis mactare seu refrenare, atque in Dei obsequio Galat. V, 24. facere promptam. Quibus peractis, condigni sunt ut per episcopum ad ordines promoveantur sublimiores, et pro multitudine deprecentur.

Præterea, per hoc quod Levitæ ab anno vicesimo quinto usque ad quinquagesimum, peragerent opera interiora et graviora, a quinquagesimo autem custodes vasorum fierent : datur intelligi, quod homines in ætate adolescentiæ ac juventutis, non sunt communiter ita apti ad interna contemplativæ vitæ exercitia atque ad regimen animarum, propter vehementiam passionum, sanguinisque fervorem ; quemadmodum in ea ætate, qua declinantibus viribus corporis talia conquiescunt, et homo expeditius ad divina ac spiritualia fertur. Verumtamen ex specialibus gratiæ donis confertur quammultis, ut in juven-

Digitized by Google

tute ad cuncta spiritualia, aliorumque gubernacula exstent idonei. Itaque per Levitas emeritos, ab operibus exterioribus relevatos, signantur personæ maturioris ætatis ab exterioribus sequestrati et introversi, qui meditando, orando, et vitam internam ducendo, gerunt sollicitudinem proximorum, et pro communi sunt bono solliciti, aliosque custodiunt.

Postremo, circa capituli hujus materiam scribit Thomas in prima secundæ, quæstione 102 : Sicut populus Israel communiter instituebatur ad cultum Dei per circumcisionem, ita ministri tabernaculi per aliquam specialem purificationem aut consecrationem. Unde et separari ab aliis præcipiuntur, quasi ad Dei obsequium præ aliis specialiter deputati : et totum quod circa eos fiebat in eorum consecratione vel institutione, pertinebat ad hoc, ut ostenderetur, eos specialem puritatis, virtutis A et dignitatis prærogativam habere. Purificabantur autem communiter omnes per aquæ ablutionem, et per sacrificia quædam ; specialiter vero Levitæ radebant pilos carnis suæ. Nec aliam habebant consecrationem, nisi quod Domino offerebantur a filiis Israel per manus pontificis, qui et oravit pro eis. Applicabantur quoque ad ministerium suum per hoc, quod intromittebantur in tabernaculum fœderis, quasi ad ministerium suum circa vasa sanctuarii. — Figuralis autem horum ratio B fuit, quoniam consecrandi ad spirituale obsequium Christi, debent primo purificari per aquam Baptismi et lacrimarum in fide passionis Christi, quod est sacrificium expiativum ac purgativum ; et radere pilos carnis, cogitationes pravas delendo. Debent quoque ornari virtutibus, et sic esse intenti ad exercendum spiritualia sua obsequia. Hæc Thomas.

ARTICULUS XVI

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI NONI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN IN DESERTO SINAI.

De paschalis observantia solennitatis nunc aliqua introducuntur : *Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo, postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo.* Evidenter constat, istud per recapitulationem referri hoc loco, quum in exordio hujus voluminis
Num. I, 1, 2. scriptum sit, quod anno secundo, mense secundo jussit Dominus populum numerari. Istud vero præcepit anno secundo, mense primo. *Faciant filii Israel Phase,* hoc est, paschalem observent celebritatem, *in tempore suo* in lege præfixo, regulariter loquendo, videlicet : *quartadecima die mensis hujus,* puta Aprilis, seu Martii juxta quosdam, qui est primus anni mensis apud Hebræos ; *ad vesperam :* tunc enim ince- C pit illa solennitas ; *juxta omnes cærimonias et justificationes ejus :* id est, ita ut in illa celebratione observent tam cærimonialia, quam judicialia sive moralia legis præcepta festum hoc concernentia : ut scilicet immoletur agnus sine macula, et co- Exod. XII.
medatur in domo una ; et sabbato infra solennitatem illam occurrente, sit duplex festivitas ; unusque vocet alium, si per se et suos domesticos nequiverit comedere agnum ; nec quicumque admittatur ad esum agni : de quibus in Exodo scripta sunt D multa.

Ecce autem quidam immundi super anima hominis, hoc est plus quam homo ad celebrandum Pascha idoneus : sicque accipitur *super* in Psalmo : Dominus prote- Ps. CXX, 5.

Digitized by Google

ctio tua super manum dexteram tuam, hoc A est plus quam dextera tua. Vel, Super anima hominis, id est ex hoc quod tetigerunt hominem mortuum, privatum videlicet vita seu anima. Anima namque frequenter pro toto homine sumitur. *Quare fraudamur ut non valeamus oblationem,* hoc est agnum paschalem, *offerre Domino in tempore suo* jam memorato? quasi dicant, Istud durum videtur nobis. Sicque quasi mirando, indignando, aut querulando hoc dicunt, quoniam talis immunditia non fuit impuritas culpæ semper, sed irregularitas B quædam, qua ad tempus prohibebantur a templi ingressu, sacrificiorumque esu : et potuit inevitabiliter, aut etiam ex pia et meritoria causa provenire immunditia illa, ut ex sepultura parentum aut pauperum. Unde laudatur Tobias, et tamen ob *Tob.* XII, 12. eam oportuit septem diebus purificari secundum legem. Sic et in evangelica lege quandoque irregularitas quædam incurritur ex causa non mala, aut etiam ex opere justo, sicut ex bigamia, et condemnatione occisioneque rei secundum juris proces- C sum. *Quibus respondit Moyses : State,* id est exspectate, *ut consulam,* hoc est, ab angelo mihi assidue apparente quæram ac docear, *quid præcipiat Dominus* in hoc casu *de vobis.* Nempe Dominus qui contulit legem, habuit interpretari eamdem ; nec de hoc voluit Moyses intromittere se incaute, sed detulit legislatori.

Locutusque est Dominus ad Moysen : Homo qui fuerit immundus super anima hominis, sive in via procul, id est in distantia extra viam filiorum Israel. Porro D quod subditur, *in gente vestra* non est in Hebræo, estque referendum ad illud, Homo, ut sit sensus : Homo in gente vestra, hoc est homo exsistens de populo vestro. *Faciat Phase Domino mense secundo* primi anni, *quartadecima die mensis* secundi, quia tunc servatur eadem hora. Sicque Dominus plus respondit, quam fuit interrogatus : quia non solum respondit, quid esset agendum immundis, sed etiam itinerantibus. Quæ autem subjunguntur in textu de observandis in esu agni paschalis, habita sunt in Exodo atque exposita. *Exod.* XII.
Circa hæc quærit Augustinus, quid agendum fuisset ei, cui et secundo mense talis immunditia contigisset ; et conformiter quæri potest de alio impedimento. Ad quod Augustinus respondet : Puto quod dictum est de mense secundo, tanquam regulariter fuisse servandum, ut tertio observaretur. Aut forte si pascha non egissent, non pertinuisset ad culpam. Hoc est quod in Scholastica fertur historia : Quod de uno mense dictum est, similiter in aliis datur intelligi. Vel forte, si deinceps eo anno non faceret, non peccaret. *Si quis autem mundus est, et in itinere non fuerit, et tamen non fecerit Phase,* id est, qui sine legitimo impedimento omiserit illud, *exterminabitur.* Nam et per infirmitatem et captivitatem aut aliam impossibilitatem poterat excusari. *Peregrinus quoque et advena si fuerit apud vos,* id est, qui ad Judaismum conversus fuerit, et inter vos habitaverit, *faciat Phase,* legitimo cessante obstaculo.

Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. Erectum est autem primo die primi mensis anni secundi *Ibid.* XL, 15.
ab exitu de Ægypto, ut in Exodo legitur. Eodemque mense jussit Dominus quæ nunc in isto sunt dicta capitulo : an tamen eodem die, non scitur. Tunc ergo nubes quæ angelo motore ac regente præbuit Israelitis ducatum, et eis in die contra solis ardorem fecit umbraculum, operuit tabernaculum, ad insinuandum quam accepta fuerit Deo tabernaculi illius constructio atque erectio. *A vespere autem super tentorium,* id est super tabernaculum quod erat quasi castrum et tentorium Dei et habitaculum ejus, *erat quasi species ignis usque ad mane.* Nam nubes in una parte sua erat instar ignis clara et lucens, et illa pars tota nocte super sanctuarium apparebat, clarificans noctem et viam ostendens, quando progrediebantur in nocte. *Sic fiebat jugiter,* quamdiu in solitudine erant ; *per diem operiebat illud nubes,* illa videlicet

Digitized by Google

pars, quæ habuit formam et speciem nubis, quæ et densa erat. A Etenim columna ignis et columna nubis, fuerunt una nubes totalis, ut aliqui probabiliter dicunt. Alii vero tenent, quod erant duæ columnæ, quarum una exstitit nubes, alia ignis : et quod de vespere abiit nubes, columna ignis adveniente ; qua recedente de mane, *Exod.* XIII, 21, 22. rediit nubes, prout in Exodo plenius est scriptum. *Quumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat*, etc., hoc est, dum nubes illa sanctuarium tegens, cœpit auferri ac progredi : non tamen totaliter B removebatur a tabernaculo ; sed sic, quod non mansit fixe stans in aere super illud. *Si fuisset nubes a vespera usque ad mane.* Ex hoc videtur quod columna ignis de nocte apparens, tabernaculumque operiens, fuit nubes. *Et si post diem et noctem recessisset, dissipabant tentoria,* hoc est, filii Israel tentoria sua deposuerunt, sicut et tabernaculum disjungebatur. Porro, *Ibid.* XI, 32 *et seq.* quæ hic prolixe dicuntur, in fine libri Exodi compendiosius scripta sunt.

II *Par.* XXX, 18-20. Postremo, secundo Paralipomenon libro C leguntur quidam adhuc immundi fecisse Pascha. Sed ut legitur ibi, sanctus rex Ezechias oravit pro ipsis, ac veniam impetravit, vel Deus dispensavit cum illis.

Sensus mysticus. Juxta mysticum sensum, Pascha designat transitum de vitiorum caligine ad lucem virtutum, de via ad patriam, de imperfectione ad profectum. De spiritualibus vero significationibus eorum quæ circa Pascha jussa sunt fieri, dictum est *Exod.* XII. super Exodum magis diffuse, quæ brevitati studens non arbitror repetenda. At D vero immundi super anima hominis sunt, qui peccatis communicant alienis, et proximorum animas scandalizant, qui evangelicæ legis paschalem solennitatem non celebrant vere neque condigne, et Christum in Sacramento suscipere prorsus indigni sunt. Per exsistentes vero procul in via, intelliguntur qui recedunt a statu salutis, et abeunt in consilio impiorum, et *Ps.* I, 1. per dissimilitudinem vitiorum longe a Deo sunt instar filii prodigi, qui abiit in regionem longinquam. *Luc.* XV, 13. Verumtamen etsi hi temporibus ab Ecclesia institutis non confiteantur, neque communicent, nec festa vere observent, vitando in eis peccata, quæ sunt summe servilia, atque virtutibus insistendo, non tamen debent in sui torporis ignavia obdurari, sed protinus pœnitere et recuperare omissa : sicque bonus Dominus propitiabitur eis.

Præterea per tabernaculum designatur Ecclesia, seu quæcumque fidelis persona, quam de nocte tegit et spiritualiter operit species ignis, hoc est fervor et gratia Spiritus Sancti, in tempore adversitatis, seu acris tentationis, dum viriliter reluctatur, et tanto instantius insistit actibus virtuosis, quanto durius impugnatur. In die autem tegit et obumbrat eum columna nubis : quoniam tempore prosperitatis et spiritualis profectus internæque pacis, desuper instillatur, et rore dulcissimo Spiritus Sancti perfunditur ; nec vane resolvitur, sed gloriatur in Domino, cui omne *Jer.* IX, 23, 24. I *Cor.* I, 31. bonum adscribit. Qui talis est, juxta instigationem, motionem, atque imperium Spiritus Sancti movetur, procedit, et occupatur in exercitiis vitæ activæ, quiescit vero in contemplativæ actibus vitæ.

Digitized by Google

ARTICULUS XVII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, DICENS : FAC TIBI, ETC.

DE multiplici plebis Israeliticæ convocatione et ordinata progressione nunc agitur : *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Fac tibi,* id est, per manus artificum fieri jube, *duas tubas argenteas,* quia tales sunt bene sonoræ, *ductiles :* et ita non erant fusæ, sed malleorum ictibus factæ; nisi forte dicatur, sicut de vitulo conflatili dicitur, quod scilicet fusæ primo fuerint, deinde martello percussæ ac decoratæ ; *quibus convocare possis multitudinem* populi cui præes, *quando movenda sunt castra,* hoc est, quando decreveris populum istum ad te debere accedere, vel potius quando progredi debet. Sicque in verbis his tanguntur duo, ad quæ tubæ illæ deserviebant, videlicet convocatio populi, et ejus progressus. Idcirco (ut fertur) præfata litteræ verba in Hebræo habentur cum conjunctione copulativa, hoc modo : Quibus convocare possis multitudinem, et quando movenda sunt castra. Imo ut Magister in historiis ait, et ex textu elicitur, Tubæ istæ valuerunt ad quatuor usus : ad vocandum multitudinem, ad castrorum motionem, ad bella, ad festa. Atque ut Josephus protestatur, Hæ tubæ erant quasi fistulæ cantatoriæ, quasi magnitudine cubiti, calamo capaciores seu ampliores, quæ in principio sui, seu extremitate initiali continebant latitudinem ori convenientem ad susceptionem anhelitus, quæ AZORA appellatur Hebraice.

Quumque increpueris tubis, non proprio ore, sed per sacerdotes, quibus Moyses officium hoc commisit, ut infra habetur, *congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi,* puta in atrio, et circa, seu prope. Istud de ambabus tubis est ac-

A cipiendum, quia ad totam plebem convocandum ambæ tubæ sonabant, duobus sacerdotibus id agentibus. *Si semel clangueris,* hoc est cum una tuba; vel semel, id est uno impulsu, seu absque interruptione ; *venient ad te principes et capita multitudinis,* scilicet principes duodecim tribuum, vel etiam tribuni et centuriones ac judices : quod fiebat, quum Moyses volebat cum eis servare consilium, aut investigare qualiter gubernabant subjectos. Insuper, prout Josephus recitat, clangebant B etiam semel et una tuba, dum quisquam principum suam tribum voluit congregare. *Sin autem prolixior atque concisus,* id est interruptus, *clangor* ambarum tubarum *increpuerit ; movebunt castra* ad progrediendum *primi, qui sunt ad orientalem plagam,* videlicet tribus Juda et duæ tribus ei adjunctæ, utpote Issachar et Zabulon, quæ ad orientem tabernaculi fixerunt tentoria. *In secundo autem sonitu et pari ululatu tubæ,* id est tubarum ambarum : qui ululatus seu perstrepens sonus, similis C fuit primo tubarum sonitui prolixiori et conciso ; *levabunt tentoria qui habitant ad meridiem,* hoc est tribus Ruben et duæ tribus ei annexæ, quæ ad meridianam tabernaculi plagam loca sortiebantur. *Et juxta hunc modum reliqui facient :* id est, in tertio sonitu tribus Ephraim cum sibi adjunctis ad occidentem locata, movebit castra ; in quarto sonitu, tribus Dan cum suis, quæ erant ad aquilonem. *Quando autem congregandus est populus* totus ad Moysen, sicut jam dictum est, *simplex* D *tubarum sonus erit, et non concise ululabunt.* Tunc enim duo sacerdotes clangebant soli * uno impulsu ac breviori. *Filii*

* soni

Digitized by Google

autem Aaron, hoc est posteri ejus, utpote sacerdotes, *clangent tubis* ex debito sui officii, quia sic Dominus jussit.

Si exieritis ad bellum vos aut posteri vestri *de terra vestra contra hostes qui dimicant,* id est dimicaturi sunt, *adversum vos ; clangetis,* id est, sacerdotes ex parte *Josue* VI, 16, 20. vestri clangent, quemadmodum in Josue legitur in eversione Jericho factum ; *et erit recordatio vestri coram Domino :* hoc est, observando præceptum hoc, promerebimini quod Deus erit memor vestri ad succurrendum ; *ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum* auxilio Dei, qui solo imperio corda hominum terret et animat, debilitat et confortat. *Si quando habebitis epulum,* hoc est splendidam præparationem ciborum sive commune convivium ex causa legitima, sicut post victoriam *Judith* XV, 15. Judith, et post Mardochæi promotionem, *Esth.* VIII, 17. *et dies festos,* præsertim festa solennia, *et calendas,* hoc est exordia mensium ; *canetis tubis* ministerio sacerdotum *super holocaustis et pacificis victimis,* id est in oblationibus sacrificiorum vestrorum, quæ tunc offeruntur per sacerdotes pro vobis in holocausta victimasque pacificas ; *ut sint vobis in recordationem Dei vestri,* hoc est, quatenus ex illo clangore excitentur animæ vestræ ad devotionem majorem : sicque per hæc, et per obedientialem observantiam horum, Deus misericorditer memor sit vestri, et orationes oblationesque vestras dignetur suscipere. Cur non exprimitur hic oblatio pro peccato ? An forte in ea non erat clangendum, quoniam cum contritione et salubri tristitia exstitit immolanda ?

Consequenter describitur, quo tempore filii Israel a monte Sinai sint progressi. *Anno secundo* egressionis ex Ægypto, *mense secundo* anni ejusdem, *vicesima die mensis,* hujus mensis secundi, *elevata est nubes de tabernaculo fœderis,* progrediendo in aere ex ductu et motu angeli sancti eam regentis ; *profectique sunt filii Israel per turmas suas,* sicut divisi atque dispositi erant, prout supra dicebatur ; *et recu-* A *buit,* id est quievit, *nubes in solitudine Pharan :* quæ secundum Scholasticam historiam est maxima solitudo, quam modo Sarraceni inhabitant. *Moveruntque primi castra filii Juda* cum tribubus duabus sibi adjunctis, qui tanquam fortiores et audaciores, in prima acie ceteros præcesserunt ad ceterorum tutamen. *Num.* II, 3 *et seq.* *Depositumque est tabernaculum :* id est, quam cito nubes cœpit procedere, sacerdotes in tabernaculo involverunt involvenda, et tradiderunt ea Caathitis portanda : quo facto, Gersonitæ *Ibid.* IV. B et Meraritæ ingredientes, dissolverunt et deposuerunt tabernaculum et atrium ejus, et portabant ea in curribus, prout supra patuit. Ideo subditur : *quod portantes, egressi sunt* post nubem et post tribum Juda, ejusque socios, *filii Gerson* qui mollia deferebant, *et Merari* qui dura portabant. *Profectique sunt filii Ruben* cum sibi adjunctis in acie secunda. *Profectique sunt et Caathitæ portantes sanctuarium,* id est sacratiora quæ in tabernaculo continebantur, videlicet arcam, propitiatorium, C mensam, candelabrum, vasaque sacra, et cetera capitulo quarto expressa. *Tamdiu tabernaculum portabatur,* non integrum, sed divisum modo prætacto, *donec venirent ad erectionis locum,* ubi scilicet nubes quievit ; et tabernaculum rursus compaginabatur, elevabatur et figebatur. *Moverunt et castra filii Ephraim* cum duabus tribubus sibi adjunctis, qui erant tertia acies, et erant ad occidentem. *Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan,* qui cum sociis suis erant ad aquilonem. Sicque D Caathitæ cum sacris quæ involuta portabant, in medio omnium ibant, quasi universarum tribuum aciebus vallati secundum quatuor plagas terræ, omnibus quasi paratis ad defensionem sacrorum.

Circa prædicta ait sanctus Hieronymus : Supputemus dies, et inveniemus quinquagesimo die egressionis ex Ægypto legem latam in monte Sinai : unde Pentecostes solennitas celebratur, et Evangelii sacramentum Spiritus Sancti descensione completur. In hac mansione Sinai, media pars

Digitized by Google

Exodi, et totus Leviticus, Numerorum quoque non modica præcepta, atque per singulas tribus distributio, principumque oblatio, sunt descripta. *Num.* I, II, III, VII. Insuper Magister in historiis scribit : Quoniam primo anno, mense tertio, venerunt in montem Sinai, et ab eodem egressi sunt anno secundo, vicesima die mensis secundi, patet quod in hac mansione sederunt fere per annum ; et dicit Hieronymus, quod per annum et quatuor dies ibi fuerunt : quod difficile est invenire, nisi forte fuerit annus embolismalis.

Dixitque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ, id est nato de terra Madian : quoniam fuit filius Jethro, qui alio nomine vocatus est Raguel, eratque sacerdos Madian, cujus filia fuit Moysis uxor ; *cognato suo,* id est affini, quia uxor sua fuit soror istius Hobab. Alii tamen nonnulli dicunt, quod Hobab iste fuit ipsemet Jethro, quos sequitur Lyra : quia (ut ait) in Hebræo habetur, Socero suo. Ad quod Rabbi Paulus respondet, quod dictio illa Hebraica significat socerum et cognatum. In Scholastica quoque historia legitur, quod Hobab fuit frater uxoris Moysis. *Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis,* nisi obicem peccando ponamus ; *veni nobiscum, ut benefaciamus tibi. Cui ille respondit : Non vadam tecum, sed revertar in terram meam. Et ille : Noli, inquit, nos relinquere. Tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus :* quia videlicet Hobab iste natus fuit de terra deserto huic propinqua ; *et eris ductor noster.* Ex his apparet, quod Hobab iste non fuit Jethro, quoniam in Exodo *Exod.* XVIII, 27. legitur qualiter Jethro in suam rediit terram. Et si dicatur, ut aliqui dicunt, quod disposita domo sua, ad Moysen sit reversus, atque ad Judaismum cum suis conversus : non est verisimile, quod rursus voluisset ad sua reverti, vel quod reddidisset se ita difficilem ad remanendum cum Moyse.

Præterea mirum videtur, quod Moyses qui certissimo nubis ac angeli ductu diri-

A gebatur, et ceteri Israelitæ cum ipso, nec aliter incedere aut quiescere potuit, petiit hujus viri ducatum. Ad hoc quidam respondent, quod quamvis motum nubis assequi tenebantur, tamen Hobab iste cognovit quæ loca erant magis accommoda ex parte situs, et ex vicinitate aquarum et pascuarum ; quæ item loca essent securiora, et in talibus poterat eos dirigere, et media itinera compendiosiora monstrare. Potest etiam dici, quod divina subsidia non excludunt humana. Nam et Ezechias videns IV *Reg.* XIX, 1 *et seq.*

B regem Assyriorum venire adversum se, totam spem suam collocavit in Domino : nihilo minus fecit ad resistendum quidquid potuit vi humana ac sua industria. Porro beatus Gregorius aliter solvit, dicendo : Plerumque suadere elatis salubria melius possumus, si profectum eorum nobis potius, quam ipsis, profuturum dicamus. Hinc Moyses, qui Deo regente et duce columna pergebat, quum cognatum suum a gentilitatis conversatione vellet educere, et Dei obsequio subjugare, ait : Proficiscimur ad

C locum quem Dominus daturus est nobis. Quumque ille respondisset, Non pergam tecum ; illico Moyses adjunxit, Noli nos relinquere. Tu enim nosti in quibus locis castra ponere debeamus. Non Moysen ignorantia itineris angustabat ; sed vir providus elato auditori loquens, solatium petiit ut hoc præstaret ; requirebat ducem in via, cui dux fieret ad salutem. Egit ergo, ut superbus auditor voci ad meliora suadenti eo magis fieret devotus, quo plus putaretur necessarius ; et unde exhortatorem

D suum præcedere crederet, inde se verbis exhortantis inclinaret.

Quumque nobiscum veneris usque in terram nobis promissam, *quidquid optimum fuerit ex opibus quas nobis daturus est Dominus, dabimus tibi.* Non est intelligendum, quod Moyses proposuit omnia hujusmodi meliora conferre suo cognato, sed tantum quantum ipse rationabiliter affectaret. Denique in textu non legitur, an Hobab acquievit ; communiter tamen tenetur, quod imo, quia et in Judicum li-

Judic. IV, 11. bro habetur : Haber autem Cinæus recesserat quondam a ceteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysis. Similiter in libris Regum scriptum est, quemadmodum dixit Saul Cinæo : Tu fecisti misericordiam cum omni Israel quum ascenderet de Ægypto. I *Reg.* XV, 6.

Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum. Dicunt aliqui, quod per tres dies illos naturales ambulaverunt continue, ita quod nec noctibus quieverunt. Siquidem columna ignis aerem illustravit, et diu jam in monte Sinai quieverant. Voluitque Dominus demonstrare quam paratus esset, quantum in se erat, eos cito in terram promissionis inducere. Unde in principio sequentis capituli leguntur propter laborem itineris murmurasse. *Num.* XI, 1. Aliqui tamen affirmant, quod primo die sui recessus a Sinai monte, ambulaverunt trium spatium dietarum. Sed quod dictum est, verius reputatur. *Arcaque fœderis Domini præcedebat eos per tres dies,* id est per spatium trium dierum. Non enim arca ante motum nubis processit; nube autem procedente, omnes filii Israel mox sequebantur. *Providens castrorum locum :* non quod arca fuerit viva, aut providentiæ capax, aut ex sua provisione quiescens ; sed materialiter providit locum castrorum, id est, sua quiete Deo providente ostendit, quod circa locum suæ quietis filii Israel deberent concurrere atque quiescere. Hinc ait Petrus Comestor : Dicunt Hebræi, quod arca præcedebat eos tribus dietis, super quam nube stante, quasi ad certum locum conveniebant paulatim, quidam citius, et aliqui tardius. Verumtamen his objici potest, quia jam dictum est, quod Caathitæ qui inter cetera portabant arcam involutam, pergebant in medio populi. Ad quod aliqui responderunt, quod hoc observabatur, quando ex adversariorum incursu timebatur periculum. Recitat autem Lyra opinionem Rabbi Salomonis, dicentis quod istud sit intelligendum de alia arca, in qua reverenter servabantur primæ tabulæ fractæ a Moyse, eo quod erant digito Dei inscriptæ. Sed hoc videtur confictum, quum in libris Moysis per arcam testamenti seu fœderis Domini, communiter intelligatur una et eadem arca, in qua scilicet duæ tabulæ Decalogi erant repositæ. Hinc aliqui opinantur, quod sicut in transitu Jordanis arca præcessit populum spatio duorum millium cubitorum, ut Josue liber fert, *Josue* III, 4. ita in profectione per desertum præcessit per spatium memoratum, ut ex arcæ præcessu filii Israel devotius atque alacrius sequerentur : et in hoc fuit exceptio a generali regula Caathitarum.

Nubes quoque Domini super eos erat per diem quum incederent, faciens eis refrigerationem contra solis ardorem. *Quumque elevaretur arca,* ut portaretur a Caathitis, *dicebat Moyses : Surge, Domine,* quasi ad ambulandum nobiscum ; surge, inquam, id est, per modum surgentis te habe, adsistendo et succurrendo ; *et dissipentur inimici tui,* id est, idololatræ ac rebelles, hostesque populi tui succumbant, ac superentur a populo tuo ; *et fugiant qui oderunt te, a facie tua,* id est a tua præsentia seu præsenti effectu tuæ justitiæ, quum peccata eorum cœperis per tuum populum vindicare : sicut in libris Josue et Judicum narratur impletum. Hæc autem locutus est Moyses zelo justitiæ et spiritu prophetiæ, non affectu invidiæ : et iste versiculus in Psalmo assumptus est et præmissus. *Ps.* LXVII, 2. *Quum autem deponeretur* arca ad quiescendum ubi nubes quievit, *aiebat : Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel,* id est copiosum Israeliticæ plebis exercitum. Loquitur autem Moyses de omnipotenti, incircumscriptibili et invariabili Deo more humano, quasi Deus populum præcedendo ac deducendo, paululum discessisset ab eis : ideo populo quiescente oravit, ut Deus reverteretur ad eos, id est, per modum redeuntis haberet se, corda populi gratiose visitando de novo, dimittendoque culpas in via contractas.

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII

DE SPIRITUALI EJUSDEM DECIMI CAPITULI INTELLECTU.

Is. xxxiii, 22. PER Moysen Christus dux et legifer
noster signatur, qui unicuique ait prælato : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles.* Tuba est prædicatio altisona, audientium excitativa, quæ instruit et accendit, terret, immutat, convertit. Unde Dominus
Ibid. lviii, 1. dixit Prophetæ : Quasi tuba exalta vocem
tuam. Tuba argentea, est sermocinatio expedita et gratiosa, sicut de Christo fatetur
Luc. iv, 22. Evangelista : Mirabantur omnes in verbis
gratiæ quæ procedebant de ore ejus. De
Ps. xvii, 31. sacra quoque Scriptura ait Psalmista : Eloquium Domini igne examinatum. Hæc demum tuba est ductilis, quia ad audientium aures juxta eorum capacitatem dirigitur, et verba divina ad diversos fructus ducuntur, modisque variis applicantur, ac instar ceræ hinc inde trahuntur. Duæ vero tubæ, sunt prædicatio divinæ justitiæ ad terrendum, et sermocinatio pietatis divinæ ad consolandum ; seu duplex sermo, utpote ex veteri et novo Testamento assumptus ; aut certe doctrina litteralis ac spiritualis, instructio mediocris et sapientialis, quum
I *Cor.* iii, 1, 2. dicat Apostolus : Non potui vobis loqui
quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus ; et quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non solidum cibum. Sapien-
Ibid. ii, 6. tiam autem loquimur inter perfectos. Rursus duæ tubæ sunt prædicatio de miseriis et impietatibus vitæ præsentis, et sermocinatio de beatitudine vitæ futuræ. Propter
Matth. xiii, 52. quæ omnia testatur Salvator : Omnis scri-
ba doctus in regno Dei, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Per duas has tubas convocat prælatus et prædicator multitudinem populi christiani sibi commissi, a vitiorum dispersione, a discordiarum et errorum varietate ac divisione, eos ad san-

A ctam dilectionem, ecclesiasticam unitatem, virtuosam conformitatem revocando ac perducendo ; *quando movenda sunt castra,* id est, turbæ fidelium ad spiritualem profectum et contra peccata sunt incitandæ.

Quumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba : quia dum pastor seu prædicator utrisque sermocinationibus prætactis jam utitur, tam pusilli quam majores, tam simplices quam eruditiores, salubriter ad ipsum concurrunt. *Si semel clangueris, venient ad te principes et ca-*
B *pita multitudinis.* Semel clangere, est doctrinam ad præsidentes specialiter pertinentem proponere : ad quam, qui præsunt, debent confluere, quos superiores prælati debent diligentissime exhortari, informare, succendere ad fructuosam et condignam suorum officiorum exsecutionem. Debent quoque altiores prælati, eos qui sub se præsident vigilanter examinare, qualiter conversentur ac præsint. Et si eos invenerint negligentes aut scandalose agentes, acriter increpent ipsos : qui nisi se emen-
C daverint, de sua statione sunt expellendi, et substituendi sunt alii, qui vita, scientia et ætate exstant idonei. *Sin autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam.* Clangor prolixior et concisus, est sermo sonorus et fervidus, protractus et mixtus, in quo nunc blanda, nunc terribilia, nunc alta, nunc simplicia, nunc plana, nunc mystica depromuntur : ex cujus auditu accinguntur ad prælia contra invisibiles hostes et ad omne exercitium vir-
D tuosum primi hi, quorum mentibus Sol sapientiæ primo et gratiosius radios sapientiæ et caritatis ardores infundit, quorum exemplo provocantur et alii minus

Digitized by Google

boni ad meliora, in tantum ut paulatim etiam vitiosi de suis vitiositatibus erubescant et convertantur.

Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis. Apostolus loquitur: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Qui igitur contra concupiscentias carnis viriliter reluctantur, de terra, id est de suis corporibus, egrediuntur ad expugnandum spiritum fornicationis, spiritum gulæ, spiritumque torporis. Tales igitur debent clangere ululantibus tubis, id est, se ipsos per verba sacræ Scripturæ hortari, animare, accendere, et sua deflere peccata, ut Deus sit memor eorum, et ejus ope prævaleant. In epulo quoque, id est spirituali refectione et consolatione divina, in sacrificiis ecclesiasticis, observantiisque festorum clangendum est tubis, Deo humiliter gratias agendo, psallendo, et alios informando. *Rom.* VIII, 8.

Anno secundo, mense secundo, elevata est nubes de tabernaculo fœderis. Tabernaculum, juxta præhabita, est Ecclesia et quæcumque fidelis anima, in qua per fidem et caritatem commoratur Altissimus. Nubes vero est gratia Spiritus Sancti, seu cognitio Dei per speculum et ænigma: quæ elevatur, dum animas nostras levat ad altiora, ut intueamur et fervide diligamus æternam et increatam veritatem, et bonitatem illam perfectionaliter penitus infinitam: quod secundo agitur anno, hoc est in proficientium statu et ejus processu, quia tunc incipit fieri. Ad hujus nubis ducatum omnes vere Israelitæ, fide et opere Christiani, ordinate sequuntur ac decenter procedunt, unusquisque in ordine suo, juxta suæ exigentiam vocationis. I *Cor.* XIII, 12.

Postremo, exemplo Moysis, discat ac studeat unusquisque proximos suos, cognatos, amicos, domesticos humiliter et facete hortari; et quem per apertam increpationem non valet lucrari, per quamdam conetur solertiam a via perditionis ad semitam reducere lucis. Bonus itaque Christianus dicat proximo et propinquo: *Proficiscimur ad locum quem Dominus* Deus noster *daturus est nobis,* ad paradisum cœlestem, ad patriam civium supernorum, ad locum amœnitatis immensæ et jucunditatis æternæ; *veni nobiscum* per fidem et caritatem, ad plenam æternaliterque securam pergendo felicitatem, *ut benefaciamus tibi,* communicando tibi in via gratiarum charismata nobis collata, atque in patria dona gloriæ ibi præstanda. Quod si ille renuerit, non volendo terrena relinquere, neque carnalia aspernari, dicamus: *Noli nos relinquere;* quasi et nos ejus indigeamus ducatu. Vix namque est aliquis, quin saltem in aliquibus valeat nobis consilio auxilioque prodesse.

Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum. Mons Domini, est Ecclesia militans, de qua loquitur Isaias: Erit præparatus mons Domini in vertice montium. Ab hoc monte est procedendum ad triumphantis Ecclesiæ sublimitatem via trium dierum, id est actione fidei, spei et caritatis; seu per observantiam triplicis legis, videlicet naturalis, divinæ et positivæ; per exercitia viæ purgativæ, illuminativæ et perfectivæ; per fidem testimoniorum, per adimpletionem præceptorum, per supererogationem consiliorum. *Arcaque fœderis Domini præcedebat eos per tres dies.* Hæc arca est Christi humanitas, quæ in omni virtute præcessit nos in sua infantia, pueritia et adolescentia, *providens castrorum locum,* quemadmodum ait: Vado parare vobis locum. Itemque: Pater, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum. Itaque qui se dicit in Christo manere, debet instar ipsius ambulare. Nam ipse est via, qui ait: Nemo venit ad Patrem nisi per me. *Is.* II, 2. *Joann.* XIV, 2; XVII, 24. I *Joann.* II, 6. *Joann.* XIV, 6.

Postremo, zelo boni communis accensi, dicamus cum Moyse: *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui* omnes, videlicet infideles, tyranni et persecutores Ecclesiæ sanctæ, qui destruantur et pereant in præsenti, quantum ad id quod infidelitatis et vitiositatis in ipsis est, ut salubriter mortificentur, et desinant tales esse quales fuerunt. Quod si obstinati, inconvertibiles-

Digitized by Google

que permanserint, expedit eis ut auferantur. Dicamus quoque, *Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel,* id est, populum christianum, qui tanquam exercitus Dei est ordinatissime institutus, piissime A visita : imo assidue innova in eodem gratiarum tuarum charismata ; et Ecclesiam, quam propter nostra facinora lamentabiliter reliquisti, gratiosissime præveni, inhabita, et reforma.

ARTICULUS XIX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI UNDECIMI : INTEREA ORTUM EST MURMUR POPULI.

DESCRIPTIS magnis et variis beneficiis atque statutis Dei omnipotentis, consequenter narrantur maleficia et ingratitudines populi. *Interea ortum est murmur populi,* id est multorum de populo, *quasi dolentium.* Quasi, dicit hic veritatem, non similitudinem tantum. Ex dolore etenim murmurabant contra Dominum, male loquendo aut cogitando de ipso, quasi dure nimis tractaverit eos, nec fecerit quod promisit. Unde infra Dominus loquitur, Num. xiv, 22. Detraxerunt mihi per decem vices. Doluerunt autem propter laborem itineris, quia per Ibid. x, 33. triduum ambulaverunt continue, prout in litterali præcedentis capituli expositione dictum est plenius. *Quod quum audisset* Sap. i, 10. *Dominus, iratus est.* Auris enim zeli audit Ps. xciii, 9. omnia ; et, Qui plantavit aurem, nonne audiet ? Verumtamen non exteriori auditu aut nova perceptione audivit hoc, sicut neque iratus est per aliquam immutationem aut alterationem affectus, sed intra se intellectualiter cognovit, et effectum justitiæ exsequendo, per modum irascentis se habuit. *Et accensus est in eos ignis Domini,* id est, ignis divina virtute, angelicoque ministerio formatus, incendit murmuratores illos, *devoravitque extremam partem castrorum,* hoc est eos qui longe sequebantur in ultimis, ut communiter exponitur. Illi enim præ ceteris lassi fuisse videntur, quanquam quædam tribus in ultimis erant dispositæ.

Lyra autem scribit hoc loco : Extrema B pars accipitur dupliciter, scilicet de parte superiori et inferiori : sicque per extremam partem secundum quosdam intelligitur vulgus ; secundum alios autem, ipsi majores de populo : et hunc sensum secundum sequitur Rabbi Salomon, dicens quod seniores populi qui erant principales, meruerant mortem, et Nadab et Abiu cum eis, quando viderunt Deum. Sed quoniam Dominus eo tempore quo data est lex de novo, noluit miscere luctum cum gaudio de legis receptione concepto, ideo distulit mortem Na- C dab et Abiu, usque ad dedicationem altaris ; mortem autem septuaginta seniorum, distulit usque ad illum locum, in quo fuerunt negligentes de repressione murmurationis populi, quem tenebantur regere, sicut et Moyses : et quia forte murmuraverunt. Hæc Lyra. Contra quæ scribit Rabbi Paulus : Per hoc quod dicitur, Devoravit extremam partem, non datur intelligi, quod devoratio ista sit facta in vulgo vel in majoribus, sed solum ostendit, quod non sit facta per omnia castra, sed per quamdam partem, D quæ tamen non determinatur in littera. Nec culpandi sunt seniores, quasi negligentes circa repressionem murmurationis populi : quia si sic, etiam Moyses et Aaron fuissent inde culpandi, qui præ ceteris tenebantur ad regimen populi : propter quod opinio Rabbi Salomonis non tenetur ab aliis expositoribus Hebræorum. Hæc Rabbi Paulus.

Præterea advertendum, quod verba Rabbi Salomonis videntur penitus imperita et

Digitized by Google

stolida. Nempe quod asserit duos Aaron filios seniores, et septuaginta senes, mortem promeruisse, quando viderunt Deum visione de qua dictum est Exodi vicesimo quarto, irrationabile est omnino, textuique contrarium. Non enim viderunt eum in suæ deitatis essentia, nec aliter nec clarius eum viderunt, quam ipse se eis ostendit. Nec altius ascenderunt quam Moyses eis præfixit, nec Scriptura alicubi tangit eos tunc mortem promeruisse : imo Scriptura Levitici decimo, et in multis aliis locis evidenter docet Nadab et Abiu esse combustos, eo quod ignem alienum coram Domino obtulerunt. Porro septuaginta senes, quos Rabbi Salomon dicit in hac plaga esse occisos ab igne, secundum eum non fuerunt septuaginta senes, qui in isto leguntur capitulo assumpti ad regimen populi in adjutorium Moysis, sed alii de quibus supra scriptum est. Verumtamen ratio Rabbi Pauli contra Rabbi Salomonem inducta, non includit. Eadem enim ratione duodecim principes, qui (ut infra habetur) jussi sunt suspendi pro excessibus populi, non fuissent magis quam Moyses Aaronque culpandi.

Num. III, 4; XXVI, 61.

Exod. XVIII, 25.

Quumque clamasset populus ad Moysen, ut oraret pro eis. Qui fuerunt isti qui clamaverunt ad Moysen? Forte quod aliqui qui non murmuraverunt, ex compassione oraverunt pro pereuntibus, vel murmuratores non fuerunt omnes simul succensi, sed illi in primis qui erant magis culpabiles, quorum exemplo alii territi pœnituerunt, et Moysis flagitaverunt suffragium. *Oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis:* ita quod meritis et precibus Moysis ignovit Dominus et pepercit. *Et vocavit nomen loci illius, Incensio.* Consuetudo namque fuit, præsertim Hebræis, imponere nomina rebus ab aliqua proprietate, eventu aut actione.

Vulgus quoque promiscuum, id est utriusque sexus, *quod ascenderat cum eis,* id est, cum Israelitis exivit de Ægypto, quæ situ bassior fuit, quam terra promissionis. Unde in Exodo legitur, Vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis. *Flagravit desiderio carnium,* id est, ardenter optavit carnium esum, intelligendo per carnes, quoscumque delectabiles cibos. Nam paulo post in querimonia horum, fit mentio non solum de carnibus, sed de aliis cibis : imo ut fertur, verbum hoc, Carnium, non habetur hic in Hebræo. Vidi quoque textus correctos, in quibus non habebatur. Isti fuerunt Ægyptii, et secundum Magistrum in historiis, fuerunt servi et ancillæ. Aliqui quoque affirmant, quod ex mirabilibus in Ægypto visis, fuerunt ad Judaismum conversi. *Sedens et flens* ex dolore, quia carebat cibo optato, *junctis sibi pariter filiis Israel,* qui erant procliviores ad hujusmodi gulam, voluptatemque gustus ; *et ait* vulgus illud cum sibi adjunctis : *Quis dabit nobis ad vescendum carnes ?* quasi dicant, Multum optamus ut aliquis det nobis.

Exod. XII, 38.

Circa hoc scribit quidam : Patet quod petitio ista fuit injusta, quia adduxerant secum de Ægypto animalia multa. Nec potest dici quod erant consumpta, quoniam infra continetur, Filii Ruben et Gad habebant pecora multa : ideo inde poterant carnes habere ; sed ex avaritia parcebant animalibus suis, et quia optabant carnes delicatiores. Hæc ille. Circa quæ dico, quod utique petitio illa fuit injusta, et quod ex Ægypto duxerunt animalia secum multa ; sed ratio qua probat illa non fuisse consumpta, non invenitur idonea. Siquidem quod allegat de filiis Ruben et Gad, fuit post interfectionem duorum regum Amorrhæorum Sehon et Og, de quorum regnis acquisierunt innumerabilia pecora, ut in Deuteronomio habetur : ideo auctoritas allegata posset de illis exponi pecoribus. Verumtamen satis probabile est, quod pecora eorum ex Ægypto educta, nondum erant consumpta. Nam in Exodo leguntur de carnium murmurasse defectu, et earum esum optasse antequam ad montem Sinai devenerunt, et pecora multa habebant. Augustinus vero aliam tangit super Exodum causam, cur suis pepercerunt jumentis :

Num. XXXII, 1.

Ibid. XXI, 24, 35.

Deut. II, 33-35; III, 7.

Exod. XVI, 3.

Digitized by Google

ne scilicet animalibus suis consumptis, de- A
essent tandem pecora ad immolandum ne-
cessaria, quia in solitudine illa fuit pa-
scuarum inopia, et per consequens, minor
jumentorum fecunditas. At vero Guillelmus
Parisiensis libro de Fide et legibus, aliam
causam assignat, cur filii Israel in solitudi-
ne non edebant sua jumenta: quia videlicet
tantæ carnificinæ odorem pati non potuis-
sent in loco, quo erant sic conglomerati, et
ubi erat tam planus et patens commoran-
tiæ situs. Insuper arbitror posse dici, quod
vulgus istud promiscuum fuit egenum, nec B
pecora propria habens, præsertim si juxta
præallegata erant famuli et ancillæ : et
idem de sibi adjunctis potest quis opinari,
præsertim quum non videatur probabile,
quod majores de Israel se illis adjunxerint.

*Recordamur piscium quos comedebamus
in Ægypto gratis,* id est sine pretio, ut
quidam exponunt. Lyra tamen exponit sic:
Gratis, id est pretio parvo, quia non potest
intelligi, quod pro nihilo, quum etiam pa-
Exod. v, 7, 12. leæ ad conficiendum lateres non darentur
eis gratis. Quocirca dicendum, quod paleæ C
non dabantur Hebræis gratis. Isti autem fu-
erunt pro maxima parte vulgus Ægyptium.
Nec tamen Hebræi paleas illas emerunt
pro pretio, sed collegerunt laboriose, et
hoc modico tempore, utpote post accessum
Moysis ad Pharaonem usque ad breve tem-
pus; ante vero dabantur eis diu et gratis
pro conficiendis lateribus. Denique reor
probabile, quod tam isti Ægyptii quam
Hebræi eis adjuncti, frequenter comede-
runt pisces sine pretio in Ægypto, quia
per diversa Ægypti loca fluit Nilus, hinc D
inde divisus, piscibusque abundans: sic-
que in certis locis potuit piscatio aliqua
esse communis, sicut videmus in terris
istis. *In mentem nobis veniunt cucume-
res :* cucumer est species melonis, præci-
pue pro infirmis, aut terræ nascentium
genus, sive (ut aliqui dicunt) cucurbitæ;
et pepones, qui sunt alia quædam species
melonis ; *porrique et cæpæ et allia,* id est
ista et consimilia additamenta, seu quo-
dammodo condimenta principalium fercu-
lorum. *Anima nostra arida est,* id est om-
ni solatio destituta, et præfatis humidis
cibis privata. Quocirca quæri potest, qua-
liter verum sit hoc, quum scriptum sit in
Sapientiæ libro : Paratum panem de cœlo *Sap.* xvi, 20.
præstitisti eis sine labore, omne delecta-
mentum in se habentem, et omnis saporis
suavitatem. Sed hoc paulo post solvetur.
Nihil aliud ad victum pertinens *respi-
ciunt oculi nostri, nisi man,* id est man-
na. Hoc dixerunt tanquam valde ingrati,
aspernantes et fastidientes panem illum
cœlestem.

Erat autem man quasi semen coriandri,
id est parvulum quantitate, et in figura
simile semini illi : estque coriander herba
seu fructus, qui inter olera seu terræ na-
scentia odorifera computatur; *coloris bdel-
lii,* id est albi et clari, semen autem corian-
dri est nigri coloris. Dicuntque aliqui, quod
bdellium sit gummi cujusdam aromaticæ
arboris, cujus lacrima lucida est, gustu
amara, sed boni odoris. Hinc in Exodo
scriptum est: Erat quasi semen coriandri, *Exod.* xvi, 31.
album, gustusque ejus quasi similæ cum
melle. *Circuibatque populus,* quia manna
jacuit in castrorum circuitu, *et colligens
illud, frangebat mola, sive terebat in mor-
tario, coquens,* id est, ex manna ita in
pulverem comminuto, formans panes, *in
olla :* sicut et aliqui panes fiebant in sar- *Lev.* vii, 9, 12.
tagine, id est in patella, quidam in aqua,
ut lagana, ut in Levitico habetur. In Exodo
legitur, Erat man minutum, apparuitque *Exod.* xvi, 14.
in solitudine minutum et quasi pilo tusum
in similitudinem pruinæ : quid ergo ne-
cesse fuit illud frangi aut mola teri? Ad
hoc aliqui dicunt, quod soli mali hoc fe-
cerant, quia manna fuit eis insipidum, id-
circo quærebant illi variis modis saporem
meliorem adjicere, nec valebant, quoniam
ex tali decoctione naturalis sapor mannæ
mutabatur in pejus. *Et faciens ex eo tor-
tulas,* id est parvos panes, *saporis quasi
panis oleati,* id est panes suaves, ut est
panis factus ex pasta, in cujus pistratione
mixtum est oleum. In Exodo autem legi-
tur, Gustusque ejus quasi similæ cum mel- *Ibid.* 31.

Digitized by Google

le. Simila quippe est delicatissima tritici farina. Sicque panis iste erat valde suavis, instar panis confecti ex simila melle admixta. Cur ergo quibusdam non sapuit? Respondetur, quod propter eorum malitiam. Naturalis etenim sapor mannæ exstitit dulcis, et talis ut dictum est. Supernaturalis vero sapor ipsius fuit, quo bonis sapiebat secundum voluntatem eorum. Si enim optabant, sapuit eis ut caro, et item ut piscis, sicque descendendo ulterius. Tertius vero et accidentalis sapor ejus fuit, quem habuit in injustis, quibus fuit insipidum. Hinc in Sapientiæ volumine dicitur Deo: Supersubstantiam * tuam et dulcedinem quam habes in filios, ostendebas: deserviens enim uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. Unde præallegata auctoritas qua dicitur, quod omne delectamentum continuit, intelligenda est quantum ad virtuosos. De his super Exodum plenius scripsi. *Quumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et manna.* Ros non solum descendit super castra, sed et super terram, juxta quod in Exodo dicitur, Mane ros jacuit per circuitum castrorum; et ita manna simul cum rore descendit: quod super Exodum diffusius est expositum.

Sap. xvi, 21.

* Substantiam

Ibid. 20.

Exod. xvi, 13.

Audivit ergo Moyses flentem populum per familias: quia in eadem tribu erant diversæ familiæ juxta præhabita; et *singulos* murmuratorum illorum, non singulos totius populi, *per ostia tentorii sui:* quia in foribus tentoriorum suorum sedebant plorando. Verumtamen non audivit distincte singulorum lamenta, sed omnium fletum audivit confuse, vel aliquo sibi narrante percepit, qualiter omnes illi ac singuli flerent. *Iratus est furor Domini,* hoc est, rigor divinæ justitiæ valde exercuit ultionem in eos, prout infra in isto habetur capitulo. *Sed et Moysi intoleranda res visa est,* id est res valde molesta, et quodammodo intolerabilis, tam insolentem et improbam ferre turbam in querimoniis et murmurationibus ac malitiosis fletibus suis. *Et ait ad Dominum,* non ex indi-

A gnatione aut impatientia, sed ex quadam pia familiaritate atque tristitia bona: *Cur afflixisti servum tuum?* id est, cur me famulum tuum permittis ita affligi, ita quod paci internæ et contemplationi vacare non queo ut opto? *Quare non invenio gratiam coram te?* id est, quare non habes me supportatum ab onere isto, ut sæpe rogavi, nec desideratam tranquillitatem mihi largiris? *Et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* hoc est, curam tantæ plebis mihi commisisti, ex qua com-

B missione mihi incumbit omnium horum causas et importunitates sufferre, et sollicitari pro eis. Contra hoc objici posset, quod Deus concesserat Moysi in adjutorium Aaron fratrem suum et alios multos, videlicet tribunos, centuriones, decanos; sed ista objectio ex sequentibus verbis augetur, ideo infra solvetur. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam:* quasi dicat, non sum mater aut parens carnalis eorum; *ut dicas mihi, Porta eos in sinu tuo,* id est, pie et paterne suf-

C fer et dirige eos, *sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum? Unde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini?* hoc est, humana potentia non valeo satisfacere petitioni eorum.

Flent coram me, dicentes: Da nobis carnes ut comedamus. Jam dictum est quod dixerunt, Quis dabit nobis ad vescendum carnes? in quibus verbis non videntur carnes petisse a Moyse, sed tacite magis a Deo, a quo et cetera eis dabantur. Quomo-

D do ergo Moyses ait, Flent coram me, dicentes, Da nobis carnes? Ad hoc Rabbi Paulus respondet, dicendo quod petitio illa populi potuit dupliciter intelligi. Primo, quod intendebant petere dari sibi carnes a Deo miraculose, et hoc major culpa fuisset. Nam petere quod Deus prætermittat ordinem naturæ, ad satisfaciendum concupiscentiæ aliorum inordinatæ, vitiosius est, quum ab ordine naturæ plus deviet. Secundo potest intelligi, quod petebant sibi provideri de carnibus per humanam

Digitized by Google

industriam, secundum quod duces providere solent exercitibus suis de cibis : et hoc levius esset, quum minus sit præter ordinem naturalem. Hinc Moyses volens petitionem populi interpretari in melius, dixit : Flent coram me, etc. Potest etiam aliter responderi, quia etsi non legantur ante dixisse hæc verba ad Moysen, tamen quia Moyses sic resumit, datur intelligi, quod utique hoc dixerunt, ita quod primo dixerunt in generali, Quis dabit nobis carnes ? deinde in speciali ad Moysen, Da nobis, etc. Non enim omnia scripta sunt, sed frequenter ex uno verbo aliud insinuatur : quemadmodum in Genesi Judas ait ad patrem suum de Joseph, Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem : et tamen ante non legitur Joseph hoc interrogasse. *Gen.* XLIII, 7.

Non possum sustinere omnem hunc populum, id est, solus non sufficio regere eos, *quia gravis est mihi,* id est valde molestus. Sicque Moyses discretus et pius, quantum potest modeste loquitur conquerendo de populo, declinando ad minus, utpote minus dicens, et plus innuens. Unde et Aristoteles docet, quod quamvis nunquam a veritate sit recedendum, tamen quando quis loquitur de culpa alterius, debet potius declinare ad minus ; quando autem de propria culpa, potius declinare debet ad majus. Hic rursus loquitur Moyses, quasi solus præfuerit populo, quum multos habuerit officiatos. Ad istud quidam respondent, quod officiati illi præfati, solum præfuerunt et intromiserunt se de temporalibus ; Moyses autem volebat adjutorium habere etiam in spiritualibus. Hæc responsio videtur prætendere, quod solus Moyses in spiritualibus præsidebat : contra quod videtur, quod Aaron pontifex et filii ejus sacerdotes, in spiritualibus Moysi subsidia impendebant. Porro Rabbi Paulus prætactam responsionem quam sequitur Lyra, emendare conatur : Videtur, inquiens, magis proprie distinguendum in ista materia, quod scilicet tribuni, centuriones, et ceteri ex consilio Jethro constituti, intendebant tantum de judicialibus. *Exod.* XVIII, 25, 26. Hic vero petebat Moyses adjutorium in regimine universali totius populi. Verumtamen ista responsio parum aut nihil differt a prima. Causæ namque judiciales, de quibus officiati præfati judicabant, erant terrenæ, et de rebus minoribus tantum, prout in Exodo continetur. *Exod.* XVIII, 26. Universale autem regimen populi, spiritualia maxime concernebat, ut scilicet viverent juxta legem. Ideo dici potest, quod Moyses præter prætactos officiatos quærebat opem majorem, ut ei in adjutorium donarentur viri sapientes et justi, qui per totam plebem illam diffusi, dirigerent eam tanquam consiliarii generales. Præterea adhuc remanet quæstio, qualiter Moyses solus sustinuit omnem populum illum. Et respondendum, quod solus sustinuit omnem plebem illam, tanquam monarcha in ea, ita quod quasi regalis, principalis, generalisque cura fuit ei soli imposita : quæ et post hæc mansit imposita ei, sed cum subsidio ampliori quam ante.

Sin aliter tibi videtur, id est, si tibi non placet mihi conferre optatum subsidium, vel ab onere hujus præsidentiæ me habere supportatum, *obsecro ut interficias me,* id est, de vita hac tollas morte pia seu naturali, non violenta. Sicque Interficere capitur hic extense, Ut interficias me plaga tibi placente, per quam a culpis meis expurger. Ideo subditur : *et inveniam gratiam in oculis tuis,* hoc est remissionem culparum per pœnam vitæ præsentis. Vel, Inveniam gratiam, ita ut inter sanctos patres in limbo quiescam. *Ne tantis afficiar malis,* hoc est tot tribulationibus et inquietudinibus atque tristitiis ex insolentia populi hujus : sicque exponitur de malis pœnalibus. Forte etiam incidit interdum culpas saltem veniales occasione regiminis, timuitque incidere graviora peccata, sicut et postmodum incidit culpam incredulitatis ad aquam Contradictionis : ideo tolli oravit, sicut raptus est Enoch, ne malitia immutaret cor ejus. *Gen.* V, 24. *Sap.* IV, 11. Sed quum patientia sit virtus moralis passionem tristitiæ

Digitized by Google

moderans ac refrenans, ad cujus spectat perfectionem ut faciat hominem in adversis gaudere: nonne istud ad impatientiam pertinuisse videtur, quod Moyses ex tribulationibus sibi inflictis, in tantum est contristatus, quod oravit occidi nisi relevaretur, ne afficeretur tot malis et tantis? Et respondendum, quod in adversis pœnalibus est gaudendum, non in quantum adversa sunt, sed in quantum a Deo dispensante proveniunt, et a vitiis purgant, multisque aliis modis sunt utilia. Verum in quantum sunt vehementer afflictiva, et a futura beatitudine dilativa, imo et impeditiva interdum a contemplatione et tranquillitate interna, potest quis de eis moderate tristari et mortem appetere, in quantum est finis præsentium miseriarum, et porta vitæ appetibilioris: et hoc non ex impatientia, sed amore quietis internæ et felicitatis futuræ, et ne amplius peccet. Nam et Paulus apostolus: Supra modum, inquit, gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos vivere. Et Elias: Tolle, Domine, quæso, animam meam. (II Cor. I, 8. — III Reg. XIX, 4.)

Insuper quæritur, cur Moyses in hoc casu ostendit tantum gravamen, nec more solito Dominum exoravit, ut populo daret quod petiit, scilicet carnes, sed a regimine populi petiit exonerari aut mori. Ad hoc Rabbi Paulus respondet, quod ideo non rogavit, ut Deus plebi daret optata cibaria, ne populi augeretur malitia. Concupiscentia namque puerile est vitium, quoniam instar pueri non attendit ordinem rationis, et quanto plus ei consentitur ac satisfit, tanto plus crescit: quemadmodum puer tanto plus crescit in propria ac pessima voluntate, quanto plus sibi ipsi dimittitur. Sed tunc oritur quæstio, cur Deus absque Moysis oratione concessit populo male desiderata: ad quod respondebitur infra.

Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint et magistri. Istud intelligendum videtur de his, in quibus ætas, morumque gravitas, seu vita virtuosa atque scientia concurrebant. Nam et (ceteris paribus) seniores tempore, sunt præferendi ad consulendum ac dirigendum, quum et ipsa experientia in eis magis abundet, et ex consequenti, prudentia ut frequenter. In decrepitis tamen ratio solet decrescere, nisi per dona gratiæ specialis juvetur. Tales ergo sunt senes populi, id est digni nomine senum in populo, qui facto et verbo edocent plebem. Nihilo minus morum maturitas soli senectuti est præferenda, et simili modo prudentia: ideo si in aliquo sit ætas mediocris et virtus abundans, recte senex potest vocari, præsertim si et prudentia vigeat.

Circa hæc quæritur, cur Deus commisit electionem hanc Moysi: et videtur quod non debuit ei committi, quia non poterat certitudinaliter scire, qui essent præfato modo veraciter senes. Quis enim novit quid agatur in homine, nisi spiritus ejus? Unde et primo Regum Dominus contestatur: Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Denique electio tribunorum et centurionum ac quinquagenariorum, populo fuit commissa, ut in Deuteronomii libro habetur: cur ergo non etiam electio horum septuaginta? Iterum quæri potest, cur Deus voluit in populo suo tam multos præesse, et præter illos, adjecit hos septuaginta pro populi directione et consultatione. (I Cor. II, 11. — I Reg. XVI, 7. — Deut. I, 13.)

Ad primum horum videtur dicendum, quod sicut Apostolus scripsit sanctis viris Timotheo ac Tito, quales ad sacros Ordines promoverent non quod illi absque speciali revelatione possent pro certo cognoscere, qui essent tales et sacris condigni Ordinibus, sed ut in hoc adhiberent diligentiam sibi possibilem ad cognoscendum modo probabili; ita de Moyse potest dici. Ad secundum dicendum, quod tribuni ac similes instituebantur ad præsidendum populo in decisione minorum causarum: idcirco a populo sunt electi. Isti autem septuaginta assumpti sunt, ut cooperarentur, adstarentque Moysi in exsecutione universalis regiminis populi, ipsum populum per consilia, documenta, hortamentaque dirigen- (I Tim. III, 2-13. — Tit. I, 6-9.)

Digitized by Google

do : idcirco a Moyse sunt electi, præsertim A quia et spiritum prophetiæ etiam fuerant sortituri, propter quod decuit eos esse notabiliter virtuosos : quod melius a Moyse quam a populo poterat sciri. Ad tertium respondendum ex verbis S. Thomæ, qui in prima secundæ, quæstione 105, disseruit :

Circa bonam ordinationem principum in aliqua civitate aut gente, duo sunt attendenda : Primum est, ut omnes aliquam habeant partem in principatu : per hoc enim conservatur pax populi, et omnes talem ordinationem amant atque custodiunt, B ut dicitur secundo Politicorum. Aliud est quod attenditur secundum speciem regiminis vel ordinationis principativæ : cujus quum sint diversæ species, secundum Philosophum tertio Politicorum, præcipue tamen sunt regnum seu monarchia, in qua unus principatur secundum virtutem ; et aristocratia, id est potestas optimorum, in qua pauci principantur secundum virtutem ; et democratia, in qua præest communitas, id est quidam boni de tota communitate. Hinc optima ordinatio principum C in regno ac urbibus est, ubi unus secundum virtutem præficitur qui omnibus præsit, et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem, et tamen talis principatus ad omnes pertinet : tum quia ex omnibus eligi possunt, tum quia ab omnibus eliguntur. Talis enim est optima politia, bene commixta ex regno seu monarchia, in quantum unus omnibus præsidet ; et ex aristocratia, in quantum multi principantur secundum virtutem ; atque ex democratia, hoc est potestate populi, in D quantum principes ex popularibus eliguntur, aut eligi possunt, et ipsa electio principum ad populum pertinet. Et istud fuit institutum secundum legem divinam. Moyses namque et successores ejus gubernabant populum, quasi singulariter omnibus præsidentes : quod est quædam species regni. Elegit autem septuaginta senes secundum virtutem, et hoc erat aristocraticum ; sed democraticum erat, quod de omni populo eligebantur.

Sequitur : *et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis,* ut in loco sancto suscipiant dona Spiritus Sancti ; *faciesque ibi stare :* quia non poterant tabernaculum introire, quum non essent de tribu Levi, sed foris stabant in atrio ante januam tabernaculi ; *ut descendam,* non in propria persona, aut locum mutando, sed per effectum, et per angelum mihi ministrantem, *et loquar tibi ; et auferam de spiritu tuo,* id est de donis Spiritus Sancti tibi collatis, non ea minuendo in te, aut tollendo a te ; sed dona gratiæ donis tuis similia, quamvis non æqualia, aliis dando. Unde subjungitur : *tradamque eis,* ex mea benignitate, et propter commune bonum populi mei, et etiam meritis tuis ac precibus : sicque dona gratiæ in Moyse, erant quasi causa meritoria instrumentalis donorum in aliis ; *ut sustentent tecum onus populi,* hoc est, in providendo, instruendo, dirigendoque plebem, te adjuvent. Loquitur autem Deus de spiritualibus per modum corporalium rerum, in quibus aliquid pluribus communicatur per hoc, quod id in multa dividitur, quod unus integrum solus possedit. Verumtamen per hunc loquendi modum insinuatur, quanta fuerit gratiæ plenitudo in Moyse, de cujus abundantia sic communicatum est aliis.

Hinc ait Petrus Comestor : Ablatio spiritus Moysis, et traditio aliis facta, non est intelligenda divisio spiritus ejus per partes vel diminutio, sed illuminatio aliorum ad regendum populum per eamdem gratiam spiritualem, per quam Moyses erat illuminatus, sicut de igne unius lucernæ multæ illuminantur sine illius imminutione. Verumtamen secundum Rabbi Paulum, pro eo quod nostra translatio habet, Auferam, habetur verbum in Hebræo, quod licet multa significet, nunquam tamen invenitur significare idem quod auferre. Translatio Chaldaica posuit hic verbum, significans idem quod diffundere seu protendere, ut sit sensus, quod Deus diffudit seu protendit de spiritu qui erat in Moyse, et dedit viris illis septuaginta. Et forte translatio nostra

Digitized by Google

primo habuit, Afferam de spiritu, et Afferens de spiritu tuo, per duplex *ff*, quod satis consonat translationi Chaldaicæ; et postea vitio scriptorum est positum, auferam et auferens, per litteram *u*. Hæc Paulus. Sed prima pars hujus dicti non videtur vera, aut certa, quoniam Septuaginta interpretes transtulerunt, Auferam de spiritu qui in te est.

Circa hæc scribit Lyra quod tactum est, scilicet quod viri illi, illuminati fuerunt absque diminutione gratiæ Moysis, sicut a lumine unius candelæ plures illuminantur. Et addit, Sciendum tamen quod ista similitudo non tenet, quantum ad causam effectivam, ita quod donum gratiæ exsistens in Moyse, causaret in aliis gratiam effective; sed tantum meritorie, in quantum ad preces Moysis ob ejus sublevationem illuminati sunt alii.

Porro circa et contra hæc verba Nicolai de Lyra, scribit Rabbi Paulus multum prolixe, sed non multum resolute aut satis perite, cujus aliqua verba tangam. Itaque inter cetera ait : Similitudo illa videtur tenere, etiam quantum ad causam effectivam : quoniam Glossa ait, Moyses et spiritus qui erat in eo, quasi clarissimi luminis lucerna fuit, ex qua Deus septuaginta senes accendit, ad quos principalis luminis splendor advenit, et origo ipsius nihil damni ex derivatione accepit. Hæc in Glossa. Ex quo patet manifeste, quod spiritus seu lumen gratiæ in senioribus illis, fuit derivatum a lumine gratiæ quod erat in Moyse. Deinde Rabbi Paulus subjungit: Circa hæc sunt duo attendenda : Unum est, quod spiritus seu gratia de qua hic agitur, non est lumen naturæ, nec lumen gratiæ gratum facientis, sed gratia prophetiæ : quia in littera dicitur, Quumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt. Secundum est, quod illuminatio prophetica, quæ est principaliter a Deo, quandoque tangit mentes Prophetarum mediantibus angelis, ut patet de Moyse in primordiali sua assumptione ad statum propheticum : et quod majus est, etiam inter angelos qui
A superiores sunt, inferiores illuminant. Eodem modo potest de Moyse intelligi circa septuaginta viros, videlicet quod lumen propheticum menti Moysis a Deo infusum, confortavit lumen naturale seniorum, et manifestavit eis veritatem de his, quæ pertinebant ad statum regiminis populi, ita quod principalitas hujus illuminationis est a solo Deo, secundaria vero illuminatio activa in Moyse, quemadmodum luna recipit lumen a Deo mediante sole. Hæc autem excellentia rationabiliter Moysi vide-
B tur concessa inter Prophetas, quoniam fuit eximius Prophetarum, et solus inter illos essentiam Dei vidit in vita præsenti. Ideo meruit et habuit prærogativam angelorum Deum videntium illuminatione prophetica: ita quod sicut Deus mediantibus angelis illuminat mentes Prophetarum, sic mediante Moyse per lumen propheticum ei excellentissime collatum, lumen propheticum traderetur viris illis. Si enim septuaginta viri a Deo immediate recepissent lumen propheticum, sicut Moyses immediate ac-
C ceperat, essent quodammodo pares in hujusmodi regimine, quia magis et minus non variant speciem.

Hæc Paulus. Cujus verba, multa quæ non videntur posse salvari, includunt. In primis ergo non sequitur : Lumen illud gratiæ in septuaginta, fuit derivatum a lumine gratiæ quod fuit in Moyse, ergo fuit ab eo, sicut a causa efficiente. Dicitur enim aliquid derivari ab alio, non solum sicut a causa effectiva, sed etiam sicut a causa formali, aut exemplari, aut finali, aut ma-
D teriali. Secundo quod ait, istud de lumine gratiæ datæ septuaginta viris, esse intelligendum solum de gratia prophetiæ, non de gratia gratum faciente, non videtur idonee dictum : imo et de sapientia atque prudentia, prout sunt dona ad aliorum gubernationem spectantia in rebus divinis et humanis. Ait namque Origenes, et habetur in Glossa authentica : Requievit super eos Spiritus, et prophetaverunt omnes. Non legitur requievisse Spiritus, nisi in sanctis. Requiescit enim in his qui mun-

Digitized by Google

do sunt corde, qui purificant suas animas A
Sap. I, 4. a peccato, sicut non habitat in corpore subdito peccatis. Peccantes autem, contristamus Spiritum Sanctum ; bene autem agentes, requiem ei paramus. Quod ergo ait de septuaginta presbyteris, id est senibus, quia Spiritus requievit in eis, laudem vitæ eorum et virtutes exposuit. Hæc Origenes et Glossa. Itaque, dato quod ante hanc Spiritus donationem fuissent in caritate et gratia, tamen in ista donatione gratia gratum faciens et virtutes fuissent in eis auctæ. Amplius expositores catholi- B ci communiter dicunt, quod data est senioribus illis illuminatio ad regimen populi, quod ad prudentiam pertinet, et ad informationem in lege, quod est sapientiæ actus.

Deinde quod Paulus iste adjungit, quod illuminatio prophetica quandoque tangit mentes Prophetarum mediantibus angelis, quasi quandoque tangat non per intermedios angelos, sicut et postea innuit, non est apte inductum : quia ut Thomas ex verbis divini Dionysii probat, atque in plu- C ribus locis docet, revelationes propheticæ universaliter per angelos sanctos sunt factæ, secundum quod ordo angelicæ hierarchiæ ad humanam, et utriusque ad Deum habet. Quod item Albertus libro de IV Coæquævis, et super secundum Sententiarum, et super Prophetas sentire censetur, aliique communiter.

Quod vero consequenter asserit Rabbi Paulus, quod sicut Moyses accepit primo gratiam prophetiæ a Deo per angelum ; sic septuaginta a Deo per Moysen, quemadmo- D dum etiam luna sumit lucem suam a Deo per solem : nil prorsus valere monstratur, et textui contrariari probatur : quoniam lumen propheticum Moysis menti infusum atque inhærens, non potuit operari aut influere in mentes seu animas aliorum, nisi per exteriora verba aut signa vel opera. Ex tali autem instructione aut revelatione, qua unus homo alteri futura aut secreta revelat, alius non fit propheta : sicut nec Pharao et ejus ministri fuerunt prophetæ, eo quod Joseph revelante, præcognoverunt *Gen.* XLI, 25-31.
sterilitatem septem annorum. Denique in textu manifeste habetur, quemadmodum Deus dixit ad Moysen : Auferam de spiritu tuo et dabo illis. Et rursus : Descendit Dominus per nubem, et locutus est ad eum, puta ad Moysen, auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris ; non autem dicitur, quod Moyses [dederit] de spiritu suo septuaginta viris. Moxque subjungitur : Quumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt. Et illa requiescentia Spiritus Sancti in ipsis, non fuit ex Moysis informatione aut impressione, sed ex Dei donatione.

Postremo, quod Rabbi Paulus ait, Moysen immediate a Deo accepisse lumen propheticum, non concordat prædictis ex B. Dionysio et S. Thoma inductis, imo nec litteræ. Apparitiones etenim, allocutiones, revelationesque Dei factæ Moysi, per angelum seu angelos sanctos factæ sunt ei, non solum in rubo, sed etiam in Ægypto, monteque Sinai et deinceps : quod et in Actibus Apostolorum B. Stephanus protestatur, et *Act.* VII, 30.
S. Augustinus declarat, Magister quoque Sententiarum libro secundo disseruit, imo ex littera ista ostenditur. Non enim Deus immediate in propria persona descendit in nube, et allocutus est Moysen.

Sequitur : *Populo quoque dices : Sanctificamini,* hoc est, devote disponite vos ad suscipiendum gratanter futuram et concupitam carnium refectionem ; *cras comedetis carnes. Ego enim* Dominus Deus *audivi vos dicere : Quis dabit nobis escas carnium ?* Itaque sanctificamini, *ut det vobis Dominus carnes et comedatis : non uno die tantum, nec duobus, vel quinque, aut decem, sed nec viginti quidem* diebus tantum, *sed usque ad mensem dierum,* id est per integrum mensem ; *donec exeat per nares vestras,* hoc est, ad tantum vomitum deveniatis, ut et nares vestræ inde fœdentur, *et vertatur in nauseam,* id est in fastidium : delectationes namque sensibiles, per satietatem in fastidium vertuntur ; *eo quod repuleritis Dominum, qui in*

Digitized by Google

medio vestri est. Si jam Dominum repulerunt a se per ingratitudinem, improbitatem et concupiscentiam suam, quomodo Dominus adhuc in medio erat eorum? Dicendum, quod quidam eorum repulerunt eum a cordibus suis, non acquiescendo instinctui divino neque angelico; alii autem non repulerunt, in quorum medio fuit per gratiam. Totum autem a diversis partibus suis diversas sumit denominationes. Vel adhuc fuit per essentiam, præsentiam atque potentiam, et per beneficia ac mirabilia multa, etiam inter reprobos illos.

Præterea quæri potest, cur Dominus acquievit irrationabili petitioni ingratorum carnaliumque illorum, et cur dedit illis materiam tantæ gulositatis, et qualem consequentiam habet et causalitatem, quod Dominus dedit illis abundantiam illam, eo quod repulerunt eum a se. Et respondendum, quod Dominus dedit eis justa et bona intentione, quod ipsi injuste et sensuali petierunt affectu: nec ideo dedit eis abundantiam illam directe, ut ea abuterentur; sed abusio illa ex ipsorum carnalitate est consecuta, ideo sunt puniti. Sic et reprobis concedit quotidie temporalia multa quibus abutuntur. Nam et omnia cooperantur eis in malum. Dominus quoque voluit omnipotentiam et liberalitatem suam diffidentibus et ingratis illis monstrare.

Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum populi hujus sunt. Sic et in Exodo legitur,
Exod. XII, 37. Sexcenta fere millia peditum virorum. Sed
Num. I, 45, 46. obviare videtur illud superius dictum, Fuerunt omnes simul filii Israel sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta. Ad hoc quidam respondent, quod in plaga tacta in exordio hujus capituli, fuerunt tot mortui, quot ultra sexcenta millia computantur supra. Sed quoniam istud incertum est, dici potest quod Moyses non curavit tam determinate summam illam exprimere, et Scriptura non solet minutias numeri ac temporis computare. Minor quoque numerus non excludit majorem. *Et tu dicis, Dabo eis esum carnium mense integro?* Non diffidendo, discredendo, aut ver-

A bis Dei contradicendo, dixit hoc Moyses, sed admirando, et modum investigando. *Numquid ovium et boum multitudo cædetur*, hoc est mactabitur, *vel omnes pisces maris congregabuntur*, etc.? Ex hoc elicitur, quod hoc loco per carnes, non solum animalium gressibilium, sed et natantium corpora intelliguntur. Sicque caro extense accipitur, quemadmodum et dum ait Apostolus: Alia *I Cor.* XV, 39.
caro avium, alia piscium.

Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini invalida est? quasi dicat:
B Nonne ego omnipotens sum? ideo non oportet te tantum mirari aut sciscitari: imo implebo quod dixi, neutro tamen modorum quos tetigisti. *Jam nunc*, hoc est valde celeriter, *videbis, utrum sermo meus opere compleatur*. Tanquam dicat, Videbis quod utique, et tamen non tibi prædico modum. Verumtamen ista responsio Domini videtur sonare, quasi Moyses ex desperatione facti aut dubitatione fuisset locutus. Unde ut refert Lyra, quidam Hebræorum doctores dicunt, quod dubitavit hoc loco,
C et quod hic peccavit tam graviter, sicut ad aquas Contradictionis; non tamen sta- *Num.* XX, 12.
tim fuit punitus, nec ejus punitio est hic expressa, quemadmodum ibi: quoniam istud peccatum ejus fuit coram Domino in secreto, illud in publico. Alii Hebræi dicunt oppositum, et sicut nunc dictum est: quibus concordant expositores catholici, quia et Glossa ait ex Augustino: Quæritur, utrum hoc Moyses diffidendo dixerit; an quærendo. Si diffidendo, cur hoc non exprobratur ei a Domino, sicut ad aquas
D Contradictionis? Si inquirendo, responsio Domini obviare videtur, quæ quasi redargutio sonat. Sed puto Dominum sic respondisse, tanquam non voluerit dicere modum quem ille quærebat, sed opere ipso suam demonstrare potentiam.

Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini de adjutorio sibi dando in regimine populi, atque de esu carnium eis præstando. *Quumque requievisset in eis*, videlicet in septuaginta senioribus, *Spiritus Domini*, de quo in Psalmo: Spi- *Ps.* XXXII, 6.

Digitized by Google

ritu oris ejus omnis virtus eorum ; *prophetaverunt, nec ultra cessaverunt,* hoc est, spiritus prophetiæ mansit in eis, ita quod deinceps tempore opportuno prophetaverunt. Verum ut fertur, verbum Hebraicum pro quo habemus, Cessaverunt, significat etiam, Addiderunt : et ita exponunt Hebræi, Nec ultra addiderunt, hoc est, non prophetaverunt, nisi in illo die. Quod non videtur idonee dictum, quia propter communem populi utilitatem et directionem data fuit gratia prophetiæ senibus illis : ideo durante eorum officio, mansit in ipsis saltem tempore opportuno, nisi forsan posuerint obicem.

Remanserant autem in castris duo viri, non ex elatione aut inobedientia, sed humilitate, quoniam tanto officio se reputa-
I *Reg.* x, 22. bant indignos, sicut et Saul se absconderat domi, dum erat promovendus in regem ; *super quos requievit Spiritus :* qui super
Is. LXVI, 2. humiles et in humilibus requiescit seu commoratur. *Nam et ipsi descripti fuerant,* hoc est inter electos a Moyse computati, et nominatim conscripti. Circa hoc recitat Lyra fabulam Rabbi Salomonis, dicentis quod Moyses de qualibet tribu elegit sex senes, videlicet septuaginta duos, ne aliqui ei indignarentur si plures de una tribu, quam de alia elegisset, scripsitque in schedulis septuaginta hoc nomen, Senex ; et duas posuit schedulas, in quibus nihil exstitit scriptum, commisitque singulis ex vase accipere unam schedulam ad fortunam, affirmans quod Dei esset voluntas illos duos non esse computandos in numero septuaginta, qui caperent schedulas non inscriptas : ideo dicitur de istis duobus quod erant descripti, quia schedulas scriptas acceperant. Sed istud non videtur litteræ consonare, quia non sequitur : acceperunt schedulas sic descriptas, ergo ipsi descripti fuerunt.

Quumque prophetarent in castris, cucurrit puer, qui secundum quosdam Hebræos fuit Gersam primogenitus Moysis, *et nuntiavit Moysi, dicens : Eldad et Medad prophetant in castris.* Erant enim tanto

A fervore repleti, quod se cohibere nequibant. Hi duo viri, ut in Scholastica habetur historia, secundum Hebræos fuerunt fratres Moysis ex patre, non ex matre : quia post legem acceptam, Amram mandante Moyse, dimisit primam conjugem Moysis matrem, quoniam amita sua fuit ; duxitque aliam, de qua suscepit hos duos. Sed juxta hoc, nondum fuissent bimi, id est duorum annorum, quia a lege data nondum fluxerant duo anni. Hæc ibi. Verumtamen quidam dicunt, quod Moyses in spiritu præ-
B vidit se legem accepturum, et ante realem ejus acceptionem, suo patri illud mandavit.

Statim Josue minister Moysis specialis et familiaris : ideo subditur, *electus e pluribus.* Fuit enim vir valde egregius, non solum a Deo sublimiter, sed a Moyse quoque in specialissimum ministrum electus, et ita nunc commendatur, quia paulo post increpatur, ne videretur ex malitia peccasse. *Ait : Domine mi Moyses, prohibe eos.* Quare hoc ait Josue ? Forsitan, quia putavit eos ex superbia, vel ex inobedien-
C tia non venisse cum aliis juxta Moysis jussionem, ideo dubitavit, an vere spiritum prophetiæ haberent. Vel videbatur ei contra honorem Moysis, quod prophetabant eo absente, quasi non adjuti meritis et precibus Moysis ad obtinendam hujusmodi gratiam. Ideo subditur : *At ille : Quid, inquit, æmularis pro me ?* hoc est, cur talem zelum non satis discretum habes pro meo honore, ut videaris quodammodo invidere gratiæ aliorum ? *Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Deus*
D *Spiritum suum ?* quasi dicat, Non meum privatum, sed Dei quæro honorem, et universorum salutem ac bonum commune : ideo opto, ut tam dona gratiæ gratis datæ, quam gratiæ gratum facientis omnibus condonentur. Denique, in his verbis frequenter innuitur personalis distinctio in divinis, atque persona Spiritus Sancti, et quod ei approprietur largitio gratiarum ; quod item ipse his detur a Patre, quibus dona gratiæ conferuntur, quamvis obtenebrati perfidi Judæi hæc omnia negent.

Digitized by Google

Quidam vero Hebræi affirmant, quod Eldad et Medad prophetabant de obitu Moysis, substitutioneque Josue in principatu; quod item Josue populum in terram promissionis induceret : ideo Josue motus fuit hæc dicere, quia ex humilitate noluit hoc audire. Sed istud non reor verum, quia et Moyses diu post hæc adhuc putavit se introducturum populum illuc, ut ex sequentibus sæpe probari potest. Nec ejus increpatio qua increpat ipsum Josue, hoc prætendit. Moyses quoque infra rogat
Num. XXVII, 16-18. Dominum, ut provideat virum qui sibi in principatu succedat : et tunc primo cognovit de Josue, quod sibi succederet, secundum quod textus prætendit : cui securius creditur quam fabulis curiosis.

Ventus autem egrediens a Domino. Unde apparet, quod ventus ille fuit supernaturaliter angelico obsequio formatus et excitatus. *Arreptas trans mare* Rubrum *coturnices* de loco quodam Arabiæ, in qua hujusmodi aves abundant, *detulit,* id est apportavit, *et demisit in castra,* hoc est undique per circuitum tentoriorum, et forte aliquæ intrabant tentoria, *itinere* etc., id est per spatium unius dietæ; *volabantque duobus cubitis* † *super terram,* et ita facillime sine inclinatione capiebantur. *Surgens ergo populus, congregavit coturnicum multitudinem. Qui parum, decem coros,* id est, qui minorem avium illarum multitudinem collegerunt, tantam de eis numerositatem congregaverunt, quantam decem cori capere possent. Corus autem hic sumitur pro mensura, continetque modios triginta, et capit decem ephi. Hinc in Eze-
Ezech. XLV, 11. chiele habetur : Ephi et batus, æqualia et unius mensuræ erunt, ut capiat decimam partem cori batus, et decimam partem cori, ephi. Tamen juxta frequenter præhabita, hæc nomina mensurarum apud diversos valde diversificantur. *Et siccaverunt eas per gyrum castrorum,* hoc est, corpuscula avium harum suspenderunt ad siccandum in aere, ne putrescerent ex humore, quia servabantur per aliquot dies, imo usque ad mensis terminum edebantur. Consonat autem ista historia cum ea, quæ in Exodo
recitatur quo legitur : Factum est ergo *Exod.* XVI, 13.
vespere, et ascendens coturnix operuit castra. Fuerunt autem istæ coturnices, non illæ parvæ quæ apud nos sunt, sed illæ majores quæ regiæ aves vocantur, quas curleios a currendo dicimus, quia frequenter cursitant super terram. Hanc avem vocant Græci ὀρτυγομήτραν; Josephus, ortygiam. Unde in Sapientiæ libro scriptum
est : In allocutione desiderii ascendit illis *Sap.* XIX, 12.
de mari ortygometra.

Adhuc carnes coturnicum *erant in dentibus eorum ; et furor Domini percussit populum plaga magna nimis.* Non tamen exprimitur hic species hujus plagæ, nec numerus occisorum. Cur istos percussit, nisi propter eorum concupiscentiam vitiosam, et quia non sanctificaverunt se ad esum carnium harum, de priori concupiscentia pœnitendo, et cibum istum cum gratiarum actione, sobrie ac devote sumendo ? *Vocatusque est locus ille, sepulcra Concupiscentiæ :* cujus nominis ratio subditur, *Ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat carnes* cum prædominanti concupiscentia. Aliqui autem pie credunt, quod isti in sua percussione ad mentem reversi, pœnituerunt. Vel si ante pœnituerunt, fuit eis mors ista pro pœna culpæ illius et aliarum, quamvis forte non pro punitione sufficienti. *Egressi autem de sepulcris Concupiscentiæ,* id est de loco in quo erant sepulcra occisorum propter concupiscentiam suam, *venerunt in Haseroth,* id est in partem eremi sic vocatam, *et manserunt ibi.*

Digitized by Google

ARTICULUS XX

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI UNDECIMI SENSU.

ORTUM est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Per murmuratores illos figurati sunt Christiani impatientes, quibus durum est, et quasi intolerabile apparet, super se ferre jugum Christi, et evangelicæ legis onus servare, aut præcepta observare Ecclesiæ, de jejuniis, abstinentiis, festivitatibus, consimilibusque instituta; similiter religiosi pigri, inobedientes, carnales, quibus ire per iter observantiæ regularis molestum est. Hi omnes de arduitate atque gravedine præceptorum aut statutorum Dei atque B Ecclesiæ ac sacræ religionis causantur: quorum observantia nimis laboriosa ab eis censetur, quoniam caritate non fervent, et ob suam duritiam ac carnalitatem non experiuntur quam veraciter di-
Matth. XI, 30. xerit Filius Dei : Jugum meum suave est, et onus meum leve. Nec pensant illud
Rom. VIII, 18. Apostoli : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Quod qui efficaciter ponderat, cum eodem ex-
II *Cor.* IV, 17. clamat Apostolo : Id quod in præsenti est leve et modicum tribulationis nostræ, su- C pra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Quod quum audisset Dominus, iratus est; et accensus est in eos ignis Domini. Ex quibus verbis probatur, quam enorme et detestabile sit istud peccatum, præsertim in Christianis, et maxime in religiosis. Ideo
Sap. I, 11, 10. scriptum est in Sapientiæ libro : Custodite vos a murmuratione, quia tumultus murmurationum non abscondetur. Atque in
Thren. III, 39. Threnis : Quid murmuravit homo vivens, vir pro delictis suis? Quocontra ait alia D
Eccli. X, 28. scriptura : Vir sapiens, non murmurabit
Prov. XII, 21. correptus ; et, Non contristabit justum, quidquid ei acciderit. Hinc Rabanus : Ignis,

A inquit, divinæ ultionis, illos in futuro torquebit, qui nunc lingua inflammata obloquuntur aut murmurant. *Quumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis.* Quo innotescit, quantum prosit subjectis devota præsidentis oratio fusa pro eis. Idcirco cum omni humilitate et affectu superiorem suum efflagitent, ut pro ipsis assidue invocet Dominum : atque ut præsidens fructuose hoc agat, studeat ipse coram Deo sinceriter conversari, et suum implere officium; subditi quoque ei in cunctis obedire conentur.

Vulgus quoque promiscuum flagravit desiderio carnium. Per improbum vulgus illud, quod erat Ægyptium, cui et multi ex filiis Israel se junxerunt, designantur amatores sæculi hujus, qui carnalium voluptatum, potissime gustus et tactus, ardent amore, quibus et multi ex clericis et religiosis ac sacerdotibus se conformant, scandalose turpiterque viventes : quibus si desint gulæ irritamenta, et suarum objecta deliciarum, dicunt: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Hi quippe carnibus fruuntur potius quam utantur. Nam et in alimentis delectationem magis, quam necessariam quærunt refectionem; in venereis vero instar equi et muli se habent, etiam *Ps.* XXXI, 9.
cum persona legitime copulata. *Recordamur piscium.* In piscibus namque, sicut in carnibus potest esse excessus. Nec religiosus arbitretur se magnum quid agere, abstinendo a carnibus et a vino, si in piscium qualitate aut quantitate, ceterorumve poculorum mensura excedat. Religiosus itaque totis præcordiis se transferat ad divina, et in spiritualium transformetur affectum et gustum ; nec ea quæ semel

propter Deum deseruit, denuo optet mente apostata, neque in sæculum nequam Ægyptium animo revertatur. Universi quoque fideles, maxime semel conversi et illustrati, perpendant illud beatissimi principis
II Petr. II, 21, 22. apostolici agminis : Melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti.

In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, porrique et cæpæ et allia. Per cucumeres et pepones, prospera, blanda et dulcia mundi ac carnis signantur ; per porros, cæpas et allia, exprimuntur labores, sollicitudines, difficultates, ac tædia quæ deliciis, divitiis atque honoribus vitæ miscentur præsentis, quæ etsi pungant, lassent ac tribulent, tamen obtenebrata mente, a perversis amantur et amplectuntur, qui esse sub sentibus delicias computant, et stercora, hoc est fœda et turpia, amplexantur. Ideo sero fatebuntur cum extremo dolore, sed infructuoso, dicentes :
Sap. v, 7. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles. Qui-
Osee VII, 11 ; x, 11. bus convenit illud Osee : Ephraim columba seducta, non habens cor. Itemque : Ephraim vitula docta diligere trituram. *Anima nostra arida est. Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man.* Hoc dicunt qui spirituales consolationes ignorant ; qui sacramentum Eucharistiæ quasi panis buccellam, sine fervore et gustu suscipiunt ; qui ad actus virtutum non trahuntur puro amore, sed duro timore ; quibus spiritualia vilescunt charismata, nec sacra sapit Scriptura. Istis irascitur furor Domini valde, quum insipientes ingratissimique consistant, carnalia et caduca spiritualibus et æternis, imo et bono incircumscriptibili præferentes.

Sed et Moysi intoleranda res visa est : quoniam de talium subditorum perversitate bonus prælatus vehementissime contristatur, in tantum ut interdum ab officio suo conetur absolvi, et gravari se conqueratur, imo et cupiat tolli de medio, nisi

A desuper gratiose juvetur. *Et dixit Dominus : Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel.* Ex his docemur, quam pronus sit Dominus virtuosos juvare prælatos, qui etiam in adjutorium suum debent sibi assumere prudentiores et meliores ex grege sibi commisso. Rursus constat ex his, quales sint prælatione et consulatu condigni ; ut qui ætate, sapientia, virtutibusque præfulgent : qui et tanta debent gratia adimpleri, ut de plenitudine sua suis queant copiose influere subditis. *San-*
B *ctificamini ; cras comedetis carnes.* Per hoc docemur, quod cibum et potum ac cetera corporalia beneficia cum devotione et gratiarum actione debeamus accipere, quemadmodum Corinthiis ait Apostolus :
Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud I Cor. x, 31.
aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite. *Ut det vobis Dominus carnes,* etc., *donec exeat per nares vestras.* Ex hoc elucescit, quod Deus frequenter dat pravis hominibus temporalium copiam rerum, ad majorem ipsorum damnationem. Ideo ta-
C lia non sunt optanda, nisi in quantum Dominus novit nostræ expedire saluti.

Venit Moyses, et narravit populo verba Domini. Sic prælatus ac prædicator debet nunc in abscondito contemplationi, puritati, devotioni, orationibusque vacare ; nunc foris ad subditos seu proximos egredi, et quæ intus consideravit ac sapuit, eis cum omni ardore proponere. Hinc loquitur Origenes : Quamdiu Moyses audit verba Dei, et docetur ab ipso, intus est et in secretis consistit ; ubi vero turbis loquitur, et quæ
D audivit ministrat, egredi dicitur. Imo omnis doctor Ecclesiæ, si de profundioribus tractat mysteriis, et occulta sapientiæ profert inter perfectos, intus est ; quum autem loquitur turbis ea quæ turba capere potest, egreditur. Intus erat Paulus quum
dixit, Sapientiam loquimur inter perfe- Ibid. II, 6.
ctos ; ad populum vero procedens, ait :
Omnis sermo malus ex ore vestro non Ephes. IV, 29.
procedat.

Quumque requievisset in eis Spiritus Domini, prophetaverunt, nec ultra cessa-

Digitized by Google

verunt. Omnipotens enim virtus Spiritus A Sancti, qui substantialiter amor et liberalitas est, ignis et unctio, mentem a se inhabitatam assidue excitat, movet et elevat, nec sustinet esse otiosam, sed agilem reddit et accendit; ita ut se nequeat cohibere. *Remanserant autem in castris duo viri.* Quorum exemplo discamus ex vera humilitate honores exteriores contemnere, omnem ambitionem vitare, velle nesciri, malle subesse, et non solum ad præsidentiam non adspirare, sed et oblatam pro posse abjicere. Sic enim veraciter super B nos requiescet Spiritus Sanctus, qui super
Is. LXVI, 2. humilem et quietum, imo in medio cordis illius conquiescere ac morari eligit. *Quis tribuat ut omnis populus prophetet?* Hic caritas atque humilitas Moysis commendatur, quoniam universorum optavit profectum, et subditos sibi in donis gratiæ gratum facientis ac gratis datæ concupivit assimilari, non proprium quærens honorem aut famam præcipuam ; et quod ipse per se nequit efficere, per alios optat suppleri.

Postremo Deus populum suum non piscibus aut jumentis, sed avibus pavit, ut cœlestibus nitamur cibariis refici, pane vitæ, cibo sacramentali, verbo doctrinæ, suavitate contemplationis, bonarum robore actionum, caritatis ardore. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum,* etc. Huic simile est quod in Evangelio ait Salvator de cupido et guloso, qui dixit animæ suæ : Anima, habes multa bona reposita in annos *Luc.* XII, 19, 20.
plurimos ; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, animam tuam hac nocte repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt ? Nempe sic evenit multis, ut dum carnalius vivere inchoant aut proponunt, et plura sibi de temporalibus collegerunt, repente tollantur. Propter quod in libro Job dicitur : Vidi impium firma radice, et maledixi *Job* V, 3.
pulchritudini ejus. Atque in Psalmo : Quomodo facti sunt in desolationem ? Subito *Ps.* LXXII, 19, 20.
defecerunt; perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad C nihilum rediges.

ARTICULUS XXI

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI DUODECIMI : LOCUTAQUE EST MARIA ET AARON.

DESCRIPTIS præcedenti capitulo quibusdam excessibus vulgarium, et eorum justis punitionibus, nunc excellentiorum personarum quædam mala narrantur. *Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen,* id est, loquendo peccaverunt in Moysen, et per consequens in Deum. Præponitur autem Maria Aaron sacerdoti, quia in isto excessu principalior et culpabilior fuisse videtur, ut infra dicetur ; atque ut infra exprimit textus, peccatum istud fuit detractio, in qua etiam alia plura vitia D concurrerunt, sicut patebit. Deinde causa detractionis subjungitur : *propter uxorem ejus Æthiopissam.* Quocirca loquitur Augustinus : De uxore Moysis Æthiopissa quæritur, an ipsa sit filia Jethro, an alteram duxerit aut superduxerit Moyses. Sed ipsam fuisse filiam Jethro, credibile est. De Madianitis quippe erant, qui in libro Paralipomenon Æthiopes nuncupantur, ubi con- II *Par.* XIV, 9 *et seq.*
tra eos rex Josaphat * pugnasse narratur, * Asa
quia in his locis dicitur eos populus Israel persecutus, ubi habitant Madianitæ, qui nunc Sarraceni nuncupantur. Sed nunc fere nullus eos vocat Æthiopes, sicut solent locorum et gentium nomina plerumque vetustate mutari. In his Augustini verbis

Digitized by Google

habetur, quæ fuit femina ista, non autem quam ob causam Aaron et Maria moti sint ad loquendum contra Moysen propter hanc ejus uxorem. Isidorus vero dicit, quod detraxerunt Moysi, eo quod alienigenam seu gentilem duxit uxorem. Magister in historiis scribit : Jurgati sunt Aaron et Maria contra Moysen, propter uxorem ejus Æthiopissam, improperantes ei quod reginam Æthiopum duxisset uxorem, vel ductam dimiserit, vel potius propter uxorem ejus Sephoram, quæ rixata fuerat contra Mariam. Hæc ibi. Itaque aliqui dicunt, quod Maria et Sephora inter se contenderunt. Quumque Moyses inter eas judicaret, judicavit pro conjuge sua. Propter quod indignata Maria, conquesta est Aaron fratri suo : sicque ambo oblocuti sunt Moysi.

Quidam vero Hebræi, quos sequitur Rabbi Paulus, affirmant quod Moyses ab uxore sua omnino continuit, ut esset jugiter paratus loqui cum Domino et esse in tabernaculo : quod videbatur Aaron et Mariæ non esse necesse, quia et ipsis Dominus loquebatur multoties, et tamen ab actu matrimoniali non penitus abstinebant. Verumtamen istud non arbitror verum, præsertim si juxta dicta super Exodum, Hur fuit maritus Mariæ, et a Judæis idololatris exstinctus quoniam restitit eis circa productionem conflatilis vituli. Tunc enim Maria fuit plusquam nonagenaria, ut patet ex dictis in Exodo : ideo non videtur quod mulier prophetissa tam vetula, alium duxerit contoralem, quando nec apta erat concipere. Unde et Sara nondum tam vetula : Postquam, inquit, consenui, voluptati operam dabo ? quasi dicat, Non decet. Et hoc dixit quando maritum habuit adhuc viventem. Idcirco probabile est, quod quamvis maritus Mariæ adhuc vixisset, ipsa tamen continuisset deinceps, saltem quantum fuisset in se. Verius ergo videtur, quod Maria et Sephora aliquam inter se dissensionem habuerint, ipsa Sephora de mariti sui excellentia gloriante, et ob hanc aliquid prærogativæ habere volente : in qua causa Moyse pro sua conjuge judicante, ægre hoc tulit Maria, et Aaron est conquesta : qui indignati, voluerunt se Moysi comparare.

Exod. xvii, 10, 12.

Gen. xviii, 12.

Præterea ad intelligendum quod dictum est de regina Æthiopum, advertendum quod Josephus refert : Æthiopibus, inquiens, Ægyptum vastantibus, Ægyptii acceperunt oraculum, ut uterentur auxiliatore et duce Hebræo ; sicque Moyses eorum exercitui præpositus, expugnavit Æthiopes, et eos qui fugerunt conclusit in Saba regia civitate. Tandem filia regis patri superstes, probitatem, pulchritudinem et fortitudinem Moysis admirata, optavit frui ejus amplexibus, atque per nuntios obtulit ei urbem ex condicto, si eam sumere vellet in conjugem : cui Moyses acquievit. Dicunt autem nonnulli, Sephoram fuisse vere Æthiopissam colore, quoniam Madianitæ in tentoriis habitantes solis calore nigrantur. Alii dicunt, quod vocata sit Æthiopissa per contrarium, quoniam fuit valde pulchra, moribusque ornata.

*Et dixerunt : Non * solum per Moysen locutus est Dominus. Nonne et nobis similiter est locutus ?* quasi dicant, Cur nobis præfertur? Et quamvis verum sit quod non solum sit locutus per Moysen, sed et per eos ; non tamen tam frequenter, nec tam sublimiter, neque tam universaliter, sed nec tam amicabiliter ac familiariter : et quamvis ista Maria fuerit prophetissa, Scriptura tamen in speciali non exprimit, ubi aut quando seu ad quid, ad eam locutus sit Dominus. *Quod quum audisset Dominus, iratus est valde,* non per conturbationem affectus, sed per similitudinem operis. Quum enim Moyses esset tam fidelis et supremus vicarius Dei, contumelia ei facta redundabat in Deum : imo quo Moyses id æquanimius tulit, eo Deus districtius vindicavit. Ideo subditur : *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Hoc scripsit Moyses de se ipso non jactanter, sed instigante Spiritu Sancto, ad nostram instructionem : nec sine revelatione scire id poterat, quod universis tunc in orbe terrarum morantibus mansuetior erat, quum

** Num per solum Moysen locutus est Dominus ?*

Digitized by Google

unus aliorum corda non videat. Denique mansuetudo valde necessaria est prælatis, quos oportet aliorum improbitatem et passiones æquanimiter tolerare : quæ et Moysi specialissime necessaria exstitit, qui durissimæ cervicis populum habuit gubernare. Credendum est autem, quod ex naturali dispositione fuit ad præcipuam mansuetudinem valde dispositus, sed per gratiam et exercitationem multo mitior est effectus.

Statimque locutus est Dominus ad eum, puta ad Moysen, *et ad Aaron et Mariam : Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis,* etc. Voluit enim Dominus Aaron et Mariam increpare seorsum, ne pontifex coram multitudine reprehensus, vilesceret turbæ, cui in spiritualibus præfuit. *Dixit ad eos.* Ecce qualiter Dominus suos tam præelectos ita celeriter reprehendit et acriter, quemadmodum protestatur : Ego quos amo, arguo et castigo. (*Apoc.* III, 19.) *Audite sermones meos : Si quis fuerit inter vos propheta Domini,* aut etiam prophetissa, *in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.*

Cognitio equidem prophetalis interdum fit in plena vigilia, ita quod exteriori visu videtur spiritus angelicus futura prænuntians, aut exteriori auditu audiuntur eloquia revelantis secreta, qui duo modi sæpe concurrunt, sicut in Virgine gloriosa, quæ Gabrielem vidit, et loquentem audivit. (*Luc.* I, 28 *et seq.*) Aliquando autem fit prophetica revelatio per anagogicam illuminationem. Itaque intellectus sine imaginariis formis intuetur occulta : quæ cognitio potest etiam visio nominari, quæ tamen et in somno fieri potest. Aliquando revelatio prophetica fit in somno, et talis communiter fit per imaginarias similitudines : unde et imaginaria visio appellatur. (Secundum quod Augustinus ponit tres species visionis, quæ sunt visio sensitiva exterior, visio imaginaria, et visio intellectualis.) Tamen ad rationem propheticæ cognitionis non sufficit imaginaria visio, sed et intellectualis notitia ejus exigitur, quia intelligentia est opus in visione, id est principale in prophetali (*Dan.* X, 1.)

A manifestatione. Denique revelatio illa quæ fit in somno, nunc nomine somnii designatur, ita quod somnium ita acceptum, includit oraculum : quæ tamen ab invicem solent distingui, ut super Genesim scripsi. (*Gen.* XLI, 25.) Tempus quoque nocturnum et somnus coaptant ad hoc, ut in eis revelatio fiat : quia tunc omnia sunt magis quieta, et imaginatio, interioresque sensus magis quiescunt, nec intellectus solito modo distrahitur : quoniam vires istæ tunc non moventur, nec excitantur ab exterioribus suis objectis.

B Hinc scriptum est in Job : Per somnium in visione nocturna quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc Deus aperit aures virorum, et erudiens instruit disciplina. (*Job* XXXIII, 15, 16.) Revelatio demum in vigilia facta, et in qua revelans videtur ad oculum, ceteris paribus, exstat sublimior.

Itaque Dominus ait ad Aaron et Mariam : Si fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, id est per visionem exteriorem ministerio angelico exhibitam. Vel per intellectualem et anagogicam apparitionem manifestabo ei secreta, seu

C supernaturalia aut divina. Vel per somnium loquar ad illum, id est, per apparitionem imaginariam factam in somno revelabo ei occulta. *At non talis servus meus Moyses,* id est, non solum attigit præfatos gradus modosque prophetiæ, *qui in omni domo mea fidelissimus est,* id est in tota Synagoga, vel præ cunctis in terra morantibus ac Deum colentibus. Tunc enim multi erant unius Dei cultores in lege naturæ, quæ usque ad evangelicæ legis pro-

D mulgationem currebat cum lege scripta : sicque, omnis seu tota domus Dei, fuit universitas fidelium Dei cultorum tunc existentium, inter quos Moyses tenebat primatum, utpote sublimior tam in fide, quæ est theologica virtus : quam fidem cum rationibus credendorum et purificatæ mentis intelligentia excellentius habuit ; quam in fide seu fidelitate, quæ ponitur pars justitiæ : quia præ ceteris qui tunc erant, in cultu veri Dei fuit ferventior, justior, imo (ut creditur) in omni virtute perfe-

Digitized by Google

ctior. Posset tamen secundum eos qui dicunt beatum Job tempore Moysis exstitisse, objectio fieri de Job, de quo Dominus dixit ad Satan : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra ? Sed ad hoc in expositione Job est data solutio. Itaque in his verbis commendatur Moyses non solum de eminentia prophetiæ, quæ est donum gratiæ gratis datæ, sed et de eminentia gratiæ gratum facientis, bonitateque morum. Idcirco non valet quod Rabbi Paulus dicit oppositum. Quum enim prophetia sit donum gratiæ gratis datæ, bonis ac malis commune, propter ipsum solum non dicitur quis fidelissimus Deo.

Job I, 8.

Ore enim ad os loquor ei, id est familiariter valde. Unde in Exodo dictum est : Loquebatur Dominus cum Moyse, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Nam ad libitum suum assidue habuit allocutionem et revelationem divinam. Istud tamen fiebat per angelum, in Dei persona apparentem atque loquentem, et in humana effigie visibiliter se monstrantem. *Et palam, non per ænigmata et figuras, videt Deum.* In his verbis, secundum Augustinum et doctores catholicos eum sequentes, datur intelligi, quod Moyses in hac vita vidit Deum per speciem, hoc est divinam essentiam clare et immediate in se ipsa. Cognitio namque, qua Deus videtur per quamcumque speciem similitudinemve creatam, est obscura, ænigmatica, figuralis, quum omnis forma creata infinite deficiat a plena et clara repræsentatione divinæ essentiæ, a cujus perfectione distat in infinitum. Ideo ait Apostolus : Videmus nunc per speculum in ænigmate. Sicque hoc loco insinuatur, Moysi in hac vita esse concessum, quod in Exodo legitur ei negatum. Ibi quippe oranti, Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam : responsum est, Faciem meam videre non potes. Non enim videbit me homo, et vivet. Verumtamen, ubi, quando seu quoties concessa sit Moysi in hac vita cognitio illa deitatis per speciem, Scriptura non exprimit, nec doctores authentici hoc determinasse inveniuntur. Itaque, secundum Augustinum duodecimo super Genesim ad litteram, et in libro de Videndo Deo, sicut Paulus in hac vita vidit immediate et clare in raptu divinam essentiam, ita Moysi est concessum, quatenus primus Judæorum legislator, atque præcipuus gentium doctor, in hac gratia essent conformes, prout in secunda secundæ, quæstione 175, scribit Thomas diffuse, ubi inter cetera ait, quod illa visione durante, non fuit in Moyse et Paulo fides et spes, quantum ad actus earum, sed solum quantum ad habitum ; quod item in eis tunc fuit lumen gloriæ, et quod erant beati, non habitualiter, sed secundum actum transeuntem, nec tunc vivebant vita sensitiva humana, sed supernaturali divina.

Exod. XXXIII, 11. I Cor. XIII, 12. Exod. XXXIII, 13, 20. II Cor. XII, 2-4.

Verumtamen Hebræi et quidam fideles aliter exposuerunt hunc passum, quia per visionem, intellexerunt exteriorem Dei apparitionem, qua per angelum visibiliter apparentem, quibusdam sanctis apparuit, ut Abrahæ in convalle Mambre ; per somnium, visionem datam in somno per cognitionem Dei palam factam, seu claram revelationem anagogicam, quæ dicitur non per ænigma nec per figuras, quia non est per imaginarias formas, neque per sensibiles species, sed est pure intellectualis, et comparatione aliarum, non ænigmatica. Juxta quem modum David ait : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam, sicut lux auroræ, sole oriente, mane absque nubibus rutilat. Verumtamen præhabita expositio verior esse censetur, præsertim propter ingeminationem illam tam evidentem, qua dicitur : Palam, non per ænigmata et figuras, videt Deum. Porro secundum Hebræos et alios quosdam, Moyses in hac vita non vidit divinam essentiam.

Gen. XVIII, 1. II Reg. XXIII, 2, 4.

Quare igitur non timuistis detrahere servo meo Moysi ? quum tanta sit excellentia ejus ultra vos, imo et super alios universos, juxta sensum præhabitum. Valde etenim est perversum detrahere meliori,

Digitized by Google

æquiparare se sanctiori. *Iratusque contra* A *eos,* quia nondum vere pœnituerint, *abiit,* subito disparendo, ostendens eos divino adspectu indignos, ac Dei gratia destitutos, quia detractio tam enormis, fuit culpa mortalis. *Nubes quoque recessit* simul cum angelo in altiora scandendo. *Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix :* non quod nix sit leprosa, sed tam magna et horrida fuit lepra Mariæ, quod candor niveus in lepra illa apparuit. Unde in Levi- *Lev.* XIII. tico dictum est, quod albor seu candor sit lepræ indicium. *Quumque respexisset eam* B *Aaron, et vidisset perfusam lepra, ait ad Moysen : Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum* detractionis *quod stulte commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, et ut abortivum quod ejicitur de vulva matris :* id est, non optes illud districtius vindicari, nec propter injuriam quam tibi intulimus, desinas orare pro nobis, ut et ista a plaga sibi inflicta curetur, et ego non puniar. Itaque ex timore periculi proprii, et ex compassione sororis, oravit hæc Aaron. *Ecce jam medium carnis ejus de-* C *voratum est a lepra :* quæ est (ut ait Guillelmus) letalis prurigo, et quasi cancer universalis, ab intimis fontibus serpens, et corruptionem in totum corpus diffundens. Unde constat, quod magna fuit illa Mariæ afflictio.

Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens : quoniam pius, mansuetus, caritativus, cito ignovit, et forsan non erat pro sua injuriatione indignans, reddiditque bonum pro malo. Clamavit autem intenso affectu magis quam alta voce : *Deus, ob-* D *secro, sana eam.* Ex his patuit excellentia sanctitatis Moysis super Aaron et Mariam, quam et Deus ideo sic plagavit, ut per experientiam disceret, quantum inferior erat fratre. Aaron quoque ad Moysis orationem expetendam confugere est compulsus. Sed cur Aaron non est percussus lepra aut alia plaga ? Respondetur, quia in hac re excusabilior fuit Maria, et instigatus ab ea, ut patuit ; et item propter dignitatem sui officii, et ne populus in ejus culpa et pœna scandalizaretur ; atque ad ostendendum quod superiores sunt potius sustinendi, seu divino judicio reservandi.

Cui respondit Dominus : Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi ? id est, si a patre suo carnali fuisset pro aliquo excessu viliter tractata, correpta, punita, deberet per congruum tempus confusionem suam portare, et confusibilis apparere. Multo igitur amplius nunc a Patre spirituum increpata, debet ad tempus verecundatione perfundi. *Separetur septem diebus extra castra, et postea revocabitur.* In Levitico dictum est, quod leprosi jam mundati, adhuc manebant extra castra septem diebus, et postea, id est die octavo, redibant ad ea. Ex hoc sequi videtur, quod Maria ad preces Moysis fuit statim curata ; et tamen ob causam prætactam, et ob legis observantiam, fuit tam diu exclusa. Verumtamen Origenes et Glossa dicunt : Maria, interveniente Moyse, septimo die curatur. Hoc tamen exponi potest, quia septimo die finitum est ejus opprobrium. *Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus ; et populus non est motus de loco illo, donec revocaretur Maria.* Hanc reverentiam populus ei exhibuit propter fratres ejus, potissimum propter Moysen, et etiam propter ipsius Mariæ sanctitatem et prærogativam ; imo Deo sic placuit, et ipse ita disposuit, quoniam nubes interim non processit : quæ si processisset, fuissent eam secuti.

Digitized by Google

ARTICULUS XXII

DE MORALITATE ET ALLEGORIA HUJUS CAPITULI DUODECIMI.

PRIMO patet ex initio hujus capituli A quanta nos pusilli indigeamus diligentia, atque custodia cordis ad vitandum peccata mortalia. Nam ecce Aaron et Maria in senio suo et post gratiam prophetiæ, eminentiamque virtutum eis concessas, subito in detractionem, in elationem, temerariumque judicium sunt prolapsi, et viro quamapertissime Dei amico sunt injuriati. Beatus igitur homo qui semper est pavidus. *Prov.* xxviii, 14. Allegorice per Moysen qui sibi desponsavit Æthiopissam, intelligitur Christus, qui gentilitatem sibi univit, et ex ea congregavit Ecclesiam, quam sumpsit in sponsam : cui super hoc detraxerunt Judæi, qui et ejus discipulis objecerunt quod gentibus prædicarent. *Act.* xiii, 45; xxii, 22.

Docemur quoque ex isto capitulo, quam grande crimen sit detractio, maxime dum quis detrahit meliori, aut falsum profert de aliquo : estque præcipue vitiosum, mansuetis et patientibus injuriari seu obloqui. Quidam vero diabolico spiritu agitati, tanto proniores sunt persequi tales, quanto minus verentur similia pati ab illis. Quemadmodum C autem Maria pro sua detractione perfusa est voraci et pessima lepra, sic detractores Deo odibiles, merito suæ detractionis graviter valde inficiuntur in anima ; maculamque incurrunt, quam aliis superinducere enituntur : imo aliis sæpe laudem et gloriam adipiscuntur, et tanto plus faciunt eos laudari, quanto plus eos obscurare intendunt. Hinc loquitur Origenes : Audite quantum beneficii conferunt obtrectantes detracto. Nunquam enim invenimus Dominum tantum commendasse Moysen, quantum nunc quum ei detrahitur. Vide quid tormenti sibi ipsis, quid gloriæ acquisierunt Moysi ; sibi turpitudinem, Moysi gloriam sunt mercati.

Insuper mititatem et fidelitatem sanctissimi Moysis jugiter consideremus et imitemur, quum dicat Salvator : Discite a me, quia mitis sum. Et item : Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram. *Matth.* xi, 29; v, 4. Simus itaque mites ad omnem hominem, mutuoque B fideles ac fidelissimi Deo, omnem oblocutionis speciem penitus evitantes : quia si serpens mordeat in occulto, nihil minus habet qui detrahit fratri suo. *Eccle.* x, 11. Non applaudamus, sed reprimamus, et vultum mœstum obloquenti monstremus. Alioqui sicut nubes recessit a tabernaculo, sic gratia Dei a nostro habitaculo cordis ; et sicut Dominus ab Aaron ac Maria recessit, sic Dominus nos relinquet. Postremo cum Aaron et Maria discamus omnem correptionem et correctionem gratanter ac patienter suscipere, nec timore temporalis confusionis ac pœnæ nos excusare. Quemadmodum etiam populus exspectavit usque ad revocationem Mariæ, nec eam in publica pœnitentia constitutam deseruit vel contempsit, ita nos lapsis ac pœnitentibus cordialiter compatiamur et auxiliemur, propriam pronitatem in omne malum, propriosque excessus pensantes, et verbis atque exemplis proximos ad meliora trahamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI TERTIIDECIMI : PROFECTUSQUE EST POPULUS DE HASEROTH.

DE exploratione terræ promissionis nunc A agitur. *Profectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan :* id est, post recessum a mansione nomine Haseroth, fixerunt in solitudine Pharan tentoria. Sed qualiter verum est
Num. x, 12. istud, quum dictum sit supra, Profecti sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan ? Si ergo de Haseroth iverunt ad solitudinem Pharan, retrocessisse videntur. Ad hoc Magister in historiis respondet : Pharan non est nomen mansionis, sed solitu- B dinis, plures mansiones continentis, ut infra in catalogo mansionum ostenditur.
Ibid. xxxiii, 17-35. Nam continet omnes mansiones ab Haseroth, quæ fuit quartadecima, usque ad Asiongaber, quæ fuit mansio tricesima secunda : per quas omnes transierunt anno secundo. Hinc supra, solitudo Pharan accipitur pro prima parte et mansione illius deserti ; hic autem pro ultima, quæ est versus terram promissionis, puta pro Asiongaber, a qua exploratores sunt missi.

Ibique locutus est Dominus ad Moysen, C *dicens : Mitte viros qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel.* In Deuteronomio habetur, qualiter
Deut. i, 22. Moyses dixit ad filios Israel : Accessistis ad me omnes, atque dixistis, Mittamus viros qui considerent terram : quomodo igitur dicitur hic, quod Dominus jussit Moysi mittere viros ad explorandum ? Ad hoc Lyra respondet, quod mittere viros ad explorandum, non videbatur Moysi bonum, quia Dominus eis promisit ducatum. Quumque super hoc Dominum consuluisset, ac- D cepit ab eo responsum, ita quod Dominus in pœnam populi id permisit, quia non satis confidebant in Domino. Sed ista responsio videtur aliqualiter dissonare a littera : siquidem in Deuteronomio post præallegata verba Moyses addidit : Quumque Deut. i, 23.
sermo mihi placuisset, misi duodecim viros. Ad quod possit quis dicere, quod post responsionem Domini hoc placuit Moysi.

Vocavitque Osee filium Nun, Josue. Habuit autem triplex nomen, videlicet Osee, Jesus et Josue. Si itaque in hoc loco Moyses primo imposuit ipsi Osee nomen hoc Josue, hucusque vocatus est Josue per anticipationem, quoad ordinem rei gestæ, etsi non quoad tempus descriptionis. Quæritur, cur nunc imposuit ei Moyses nomen hoc novum. Ad quod aliqui dicunt, quod ideo, quoniam Moyses oravit pro eo, ut rediret cum animæ corporisque salute : ideo vocavit eum Josue, quod interpretatur salus. Sed probabilius reor, quod non solum oravit ita pro Josue, sed pro ceteris quoque. Propterea aptius dici potest, sicut in Scholastica recitatur historia, quod Moyses commisit ipsi Josue salutem et curam undecim aliorum.

Et dixit Moyses *ad eos : Ascendite per meridianam plagam,* id est per viam eremi hujus respicientem ad austrum. *Quumque veneritis ad montes propinquos* terræ Chanaan, vel sitos in ea, *considerate terram qualis sit,* utpote an sit fertilis. Hoc Moyses non fecit considerari pro sua informatione, quoniam noverat Dominum vere dixisse, quod terra esset lacte et melle manans ; sed pro ampliori infirmi populi certificatione et consolatione. Et idem dici potest de aliorum consideratione et exploratione, quæ tanguntur in littera. Vel Deo inspirante Moyses ita locutus est, ut fides populi probaretur, sicut et alibi Dominus ait : Ut tentem eum. Nec est putan- Exod. xvi, 4.

Digitized by Google

dum, quod omnia ista poterant explorare stando in montibus, nisi per montes intelligantur urbes et villæ sitæ in locis montanis, vel ipsæ terræ montuosæ, ut Augustinus exponit. *Confortamini,* assumendo bonam audaciam fiduciamque in Domino. Hoc addit, quia poterat periculosum videri, intrare regionem alienam ignotam ad explorandum, præsertim quia jam fama Israelitarum fuit vulgata, et forsan Chananæi jam perceperunt, quod terram eorum intrare et obtinere intenderent Israelitæ; tamen secundum Augustinum, non poterant faciliter exploratores intelligi, ubi tanquam peregrini omnia perquirebant. *Et afferte nobis de fructibus terræ,* ut non solum auditu, sed et visu certificemur de affluentia terræ illius, et sic populus iste accendatur ad ejus ingressum. *Erat autem tempus quando jam præcoquæ,* id est tempestive maturæ, *uvæ vesci possunt,* id est comedi, juxta illud Mi-
Mich. vii, 1. chææ, Præcoquas uvas desiderat anima mea.

Ascenderuntque exploratores, et venerunt in Hebron, id est urbem sic nominatam, quæ postea fuit in sorte Judæ, juxta quam fuit spelunca duplex, in qua Patriarchæ cum suis erant conjugibus tumulati. Ideo creditur, quod ex devotione locum istum visitarunt, et oraverunt ibidem. Nec putandum cum Rabbi Salomone, quod solus Caleb ibi advenit, quum Josue sanctior eo illuc venisse magis credendus sit, nec littera illud prætendit. *Ubi erant Achiman et Sisai et Tolmai filii Enac.* Tres viri illi fuerunt gigantes nati ex stirpe Enac gigantis. Et ne quis incredibile putet, quod in Hebron tunc erant gigantes, subjungitur : *Nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est.* Specialiter autem fit mentio de hac urbe Ægypti, quia in ea filii Israel viderunt quosdam gigantes ex stirpe Enac gigantis, qui ex antiquis temporibus ortum et mansionem habuerunt ibidem. Quum igitur Hebron fuerit antiquior urbe illa Ægypti, non mirum quod et in urbe Hebron erant gigantes.

A Unde et creditur quod semen illud giganteum ex Hebron in Ægyptum descenderit. *Pergentesque usque ad torrentem Botri,* id est usque ad torrentem juxta quem erat vitis, de qua palmitem absciderunt cum botro, propter quod locus ille vocatus est torrens Botri, ut narratur in textu ; *absciderunt palmitem,* etc. Littera plana est. An autem in palmite illo fuerit tantum una uva, an plures, incertum videtur. *De malis quoque,* id est pomis, *granatis et de ficis loci illius tulerunt,* id est, secum sumpse-
B runt. Hujus enim sunt fructus præcipui, quos et secretius atque liberius quibant auferre.

Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, venerunt ad Moysen et Aaron, et ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades, id est ad eam partem deserti Pharan, quæ sita erat in loco ejusdem deserti, qui vocatur Cadesbarne. Unde in Deuteronomio Deut. i, 19.
leguntur exploratores fuisse missi a Cadesbarne. *Ostenderunt fructus terræ* Cha-
C naan, quos secum tulerunt in testimonium, quod legationem eis commissam fideliter expleverunt, et ut sequentibus eorum verbis melius crederetur ; *et narraverunt, dicentes : Venimus in terram, ad quam misistis nos.* In principio hujus capituli leguntur missi fuisse a Moyse : sed quoniam de totius populi consensu hoc factum est, imo ad universorum petitionem, ideo nunc dicuntur a populo missi. *Quæ revera fluit lacte et melle,* id est cunctis terræ nascentibus ac necessariis vitæ.
D Nec enim mel et lac secum tulerunt, sed per ea expresserunt abundantiam delectabilium ac necessariorum vitæ humanæ. Propter quod subdunt : *ut ex his fructibus cognosci potest ; sed cultores fortissimos habet.* Exploratores isti pro majori parte, videlicet decem eorum, volentes terræ promissionis detrahere, a laudibus ejus exorsi sunt, ut eorum vituperationibus sic amplius crederetur. Sic enim faciunt detractores. Itaque aiunt : Cultores, id est habitatores, fortissimos habet, *et urbes grandes*

Digitized by Google

atque muratas : quasi dicant, Non valebimus illis resistere : quod consequenter declarant. *Stirpem Enacim,* utpote homines giganteos, *vidimus ibi. Amalec habitat in meridie,* id est populus Amalecitarum valde bellicosus, moratur in plaga australi, per quam ingressuri essemus, sed propter illorum resistentiam non poterimus ; *Hethæus et Jebusæus et Amorrhæus in montanis :* quasi dicant, Ex omni parte inexpugnabilis est et inaggressibilis nobis.

His auditis, cœpit plebs de adjutorio Dei B diffidens aut non sperans, contra Moysen murmurare. Hinc subditur : *Inter hæc Caleb* unus exploratorum, natus de tribu Juda, *compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen,* quasi ipse deceperit et periculis exposuerit eos, *ait : Ascendamus et possideamus terram* nobis a Deo promissam, *quoniam poterimus* auxilio Omnipotentis, non viribus nostris, *obtinere eam. Alii vero* exploratores, dempto Josue, qui (ut sequenti habetur capitulo) affirmavit verba Caleb, *dicebant : Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere* cum effectu victoriæ, *quia fortior nobis est.* Excæcati isti, non attendebant omnipotentiam Dei, nec opera ejus in Ægyptios facta. *Detraxeruntque terræ, dicentes : Terra quam lustravimus, devorat habitatores suos,* id est, tam fertilis est et tam fortis, ut sine sanguinis effusione defendi et obtineri non valeat. Et quamvis hoc fuit laudatio potius quam detractio terræ illius, tamen quantum ad filios Israel, fuit detractio, et quantum ad similitudinem D effectus, oblocutio quædam : quia per verba illa verterunt filiis Israel terram illam in abominationem, contemptum et nauseam, juxta illud, Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. (*Ps.* CV, 24.) Quidam tamen exponunt, dicentes quod dixerunt terram illam esse pestilenticam, frequenter infectam, ita quod habitatores ejus non viverent diu. Magister in historiis circa hæc

A scribit : Hebræus exponit sic, Terra infirma est, nec habere diutius vivaces homines potest, vel quia nulli genti licebat diu habitare in ea, propter frequentes supervenientium impugnationes. Unde Ezechiel securitatem diu habitandi in ea pacifice pollicens, prædixit hoc opprobrium auferendum ab ea : Non vocaberis, inquiens, ultra devoratrix populi tui. (*Ezech.* XXXVI, 13, 14.) Potest demum et pro commendatione terræ exponi, quod adeo bona sit, quod nullus velit ab ea discedere ; sed qui in ea moratur, in ea et moriatur. *Populus quem adspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac,* id est gigantes enormis magnitudinis, qui erant monstratione et admiratione condigni ; *quibus comparati, quasi locustæ videbamur,* id est valde exigui et infirmi.

Sensus mysticus.

Juxta mysticos intellectus, exploratores designant prædicatores, qui diriguntur ad considerandum qualis sit terra finalis promissionis supernæ Jerusalem, paradisus cœlestis, ut ejus universalitatem et gloriam C prædicent undique habitatoribus mundi. Sed sicut pauci exploratorum stabiles permanserunt in virtutum constantia et spe, sic multi qui ad aliorum regimen ac doctrinam mittuntur, inter alios subvertuntur ; et ex inspectu gigantum terrentur, dum tentationibus dæmonum et persecutionibus tyrannorum dejiciuntur. Apportant tamen de fructibus terræ promissæ, quum de plenitudine cœlestium gaudiorum evangelizant. Nihilo minus quasi detrahunt terræ cœlesti, dum quam difficile sit eam acquirere, prædicant, exclamantes : Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. (*Matth.* XI, 12.) Sicque multi quasi murmurant contra Christum, quod tam arduam fecerit viam salutis, tamque difficilem dederit legem. Porro per Caleb et Josue designati sunt prædicatores fervidi et constantes, qui fideliter declarant hominibus, quam vere omnia possint in eo qui ipsos confortat et adjuvat. (*Philipp.* IV, 13.)

Digitized by Google

ARTICULUS XXIV

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTIDECIMI : IGITUR VOCIFERANS OMNIS TURBA.

CONTINUATUR hoc loco historia, in fine præcedentis capituli inchoata. *Igitur vociferans omnis turba,* videlicet multitudo illa turbata et perfida, ad malum pronissima, *flevit nocte illa,* ex mera malitia ; *et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel,* præsertim qui numerati fuerunt, valde paucis exceptis, demptis quoque quibusdam Levitis, *dicentes* ex desperatione : *Utinam mortui essemus in Ægypto, et non in hac vasta solitudine,* id est, utinam nunquam intrassemus hanc latam et magnam eremum, nec essemus in ea, sed potius in Ægypto essemus defuncti, vel non in hac vasta solitudine essemus morituri, et jam quodammodo mortui ex desperatione ac tædio, periculisque instantibus. Tamen (ut dicitur) in Hebræo habetur, Vel in hac solitudine mortui essemus. Unde subjungitur : *Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio,* moriendo repente in loco isto, antequam ad graviora veniamus mortis supplicia. *Nonne melius est reverti in Ægyptum?* Miseri isti, omnium divinorum mirabilium quæ pro eis fecerat Dominus, erant immemores, atque ad naturales causas respexerunt dumtaxat. *Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum.* O quanta est perversitas, velle relinquere ducem tam sanctum Moysen suum legiferum, quem sciverunt sibi a Deo esse prælatum !

Quo audito, Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram : quoniam timuerunt iram Dei populo superventuram, de tanta populi iniquitate vehementer dolentes. *At vero Josue et Caleb, qui et ipsi lustraverunt terram, sciderunt vestimenta sua* in si-
A gnum extremi sui doloris, *et ad omnem multitudinem locuti sunt : Nolite rebelles esse contra Dominum,* desperando de ejus promissis, et abjiciendo Moysen vobis a Deo prælatum ; *neque timeatis populum terræ hujus : quia sicut panem, ita eos possumus devorare,* id est, tam faciliter per Omnipotentis auxilium possumus eos consumere, sicut escam. Unde Septuaginta transtulerunt, Quoniam cibus nobis sunt. *Recessit ab illis omne præsidium.* Hoc quidam sic glossat, quia virtute divina ti-
B more erant percussi, ita quod non remanserat in eis consilium et virtus resistendi : quod non apparet congrue dictum, quia ut infra in isto habetur capitulo, paulo post dies istos impugnaverunt et superaverunt multos ex Israel. Verum est autem, quod diu post hæc occisis duobus Amorrhæorum regibus Sehon et Og, Chananæi fuerunt timore prostrati, nec remansit in *Josue* II, 11.
eis consilium resistendique virtus, ut Josue describit. Est igitur sensus : Recessit ab illis omne præsidium, id est, nobis in-
C troeuntibus ad eos, mox omni subsidio sunt privandi a Deo, cui nullus resistere valet. Est enim consuetudo loquendi, ut de re certissime futura, loquamur per modum præteriti. Unde Septuaginta transtulerunt, Abscessit ab eis tempus, hoc est, finis prosperitatis eorum jam instat, et tempus vitæ eorum mox præcidetur. Circa quod loquitur Augustinus : Impiis occulta dispensatione datur tempus florendi atque regnandi, sed Dominus juxta sapientiæ suæ decretum, finem imponit. Hinc sub-
D ditur : *Dominus nobiscum est, nolite metuere,* hoc est, paratus est nos juvare, et sua implere promissa, nisi obicem inducamus.

Digitized by Google

Quumque clamaret omnis multitudo ex impatientia et furore contra Caleb et Josue, *et lapidibus vellet eos opprimere:* quia ex vehementia passionum suarum, nullam receperunt informationem aut exhortationem. Quidam autem, per *eos,* intelligunt non solum Josue et Caleb, sed Moysen quoque et Aaron. Hoc tamen littera non videtur prætendere. *Apparuit gloria Domini super tectum fœderis, cunctis videntibus filiis Israel,* id est, divina majestas per suum effectum, puta per nubem, descendit super tectum tabernaculi, parata suos defendere, impiosque punire, quos et tunc sua repressit virtute. *Et dixit Dominus ad Moysen : Usquequo detrahet mihi populus iste ?* id est, quamdiu reddent mihi mala pro bonis, et male loquentur de me, videlicet ea quæ promissionibus meis contrariantur ? Detrahere autem, proprie est, malum loqui de alio in ejus absentia et eo non audiente. Deus autem ubique est præsens, et universa cognoscit : ideo nemo potest ei proprie obloqui, nisi forte tam fatuus sit, ut æstimet Deum non omnia scire, aut non esse præsentem ubique. *Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis ?* quasi dicat, Inexcusabiles sunt excæcatio incredulitasque eorum. *Feriam igitur eos pestilentia atque consumam.* Hoc Dominus dixit comminatorie, et per respectum ad proximas causas : quia secundum peccata sua tam gravia, merebantur statim occidi. *Te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est :* hoc est, noli timere, nec ores pro istis, quasi amissurus prælationem si isti percutiantur, quia majori et fortiori plebi præficiam te, istis occisis. Quod Dominus potuit multipliciter adimplere : nam et posteros horum potuit cito valde multiplicare, et Moysen eis præficere.

Et ait Moyses, qui non quærebat proprium honorem aut principatum, *ad Dominum : Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum.* Moyses sancta caritate et amore boni communis

A populi sibi commissi, totus miro modo succensus, verba præscindit, et in affectum prorumpit, et quasi arguens cum Domino, deprecatur pro populo. Sumitque argumentum ex zelo divini honoris, quia non decuit pium Dominum sic ulcisci suam injuriam, quoniam hoc cessisset in sui ipsius inhonorationem atque blasphemiam. Itaque ait, Ut audiant, etc., id est, an ideo vis populum tuum exstinguere, ut audiant Ægyptii *et habitatores terræ hujus* nobis a te promissæ, utpote Chananæi, *qui*
B *audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis,* tanquam specialiter Deus ac rector ac ductor populi hujus, *et facie videaris ad faciem* a vicariali rectore ac legislatore populi hujus, videlicet a me : vel, Videaris facie ad faciem, id est, evidenter appareas istis hominibus per præclaros effectus miraculosaque opera ; *quod occideris tantam multitudinem, et dicant, Non poterat introducere populum istum in terram pro qua juraverat,* id est, de qua cum juramento promisit, quod daret eam populo
C isti ? Quasi dicat, Istud cederet in tuæ majestatis blasphemiam, et periret famæ tuæ sublimitas. *Idcirco occidit eos in solitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini,* id est, omnipotentia tua se ipsam declaret per magnifica opera, implendo in populo isto quæ promisisti. Unde subjungitur : *sicut jurasti, dicens,* id est, cum vocali protestatione Patriarchis, Abrahæ scilicet, Isaac, et Jacob jurasti, quod terram istam eorum posteris dares.

Deinde continuatur oratio Moysis : *Do-*
D *minus patiens,* id est, tu Deus exsistens omnium Dominus, et longanimiter præstolaris emendationem peccantium, *et multæ misericordiæ,* id est copiosus in miserendo ; *auferens iniquitatem* commissam in te, *et scelera* quæ fiunt in proximum ; *nullumque innoxium derelinquens,* id est, qui nullum peccatum deseris impunitum, vel nullum hominem concedis omnino seu totaliter innocentem esse, quia in multis *Jacob.* III, 2.
offendimus omnes, nec ab originali peccato est quisquam immunis ; *qui visitas*

Digitized by Google

peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. Qualiter istud conveniat divinæ justitiæ, super Exodum et super Jeremiam et Ezechielem expositum est. (*Exod.* xx, 5. *Thren.* v, 7. *Ezech.* xviii.) Filii quippe et pósteri, in quantum sunt aliquid parentum suorum, quantum ad corpus, quandoque pro peccatis parentum in corporalibus puniuntur, præsertim si peccata parentum sequantur : et si ea non sequuntur, tunc Deus pœnas tales ordinat posteris in melius, ita quod potius habent rationem medicinæ, quam pœnæ in posteris illis. Sicque punit parentes in prole eorum, sicut frequenter punit vitia dominorum in possessione ipsorum. *Dimitte, obsecro, peccatum populi tui hujus,* id est congeriem vitiorum quæ nunc commiserunt, *secundum multitudinem* * *misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum :* in quo tamen spatio multi propter suos excessus fuerunt occisi, præsertim propter vituli adorationem. (*Exod.* xxxii, 28.)

(* *magnitudinem*)

Dixitque Dominus : Dimisi juxta verbum tuum. Non est putandum, quod Deus dimisit illis antequam pœnituerunt, si vere pœnitentibus remissionem promisit : et quantum ad hoc, cunctis dimisit quantum ad debitam pœnam, quod non percussit eos pestilentia subito simul, ut fuerat comminatus. *Vivo ego,* id est, quam verum est quod ego sum vivens, tam vere subjungo : *et implebitur gloria Domini universa terra,* id est, tot et tanta mirabilia adhuc agam in populo isto, eorumve posteris et contra inimicos eorum, quod cuncti homines hæc cognoscent, et universis majestas mea innotescet. *Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam,* id est, eam per suos effectus noverunt, *et signa quæ feci in solitudine,* etc. *Jam per decem vices,* id est multoties, ut Glossa exponit. Sicque ponitur numerus determinatus pro indeterminato. Et ideo ait, Per decem vices, quoniam decem principalia præcepta violaverunt. Aliqui tamen determinate assignant has vices, ut primo dicantur Deum tentasse ante egressum suum de Ægypto, quando non acquieverunt verbis Dei per Moysen prolatis ad eos. Unde in Exodo Moyses ait ad Dominum : Ecce filii Israel non me audiunt. (*Exod.* vi, 12.) Secundo, quando post egressum de Ægypto, ex diffidentia divini auxilii locuti sunt Moysi : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moriamur in solitudine. (*Ibid.* xiv, 11.) Tertio, quando propter amaritudinem aquæ murmuraverunt in Mara, et diffidendo dixerunt : Quid bibemus ? (*Ibid.* xv, 24.) Quarto, quando murmurarunt desiderio carnium. (*Ibid.* xvi, 3.) Quinto, quando ex diffidentia servaverunt manna usque mane. (*Ibid.* 20.) Sexto, quando propter defectum aquæ murmuraverunt : propter quod Moyses dixit eis, Cur tentatis Dominum ? (*Ibid.* xvii, 2.) Septimo, in adoratione vituli. (*Ibid.* xxxii, 6.) Octavo, quando ex dolore laboris murmurarunt, ut superius patuit. (*Num.* xi, 1.) Nono, quando (ut in hoc eodem capitulo scriptum est) desiderio delectabilium cibariorum murmurando dixerunt : Anima nostra arida est, etc. (*Ibid.* 6.) Decimo, sicut nunc isto patet capitulo. Verumtamen tentatio Dei in his interdum extense accipitur.

Hi ergo *non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum,* hoc est terram promissionis, *nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Servum meum Caleb qui plenus alio spiritu,* hoc est spiritu meo, qui alius est a spiritu quo impleti sunt isti murmuratores, *secutus est me,* id est, mihi adhæsit per fidem et spem ceterasque virtutes, *inducam in terram hanc, quam circuivit ; et semen ejus possidebit eam.* Quare non facit Dominus mentionem de Josue ? Forsan quoniam infra satis idem narrandum fuit de eo : nam et paulo post fit hoc in isto capitulo. *Omnes qui numerati estis a viginti annis et supra, et murmurastis contra me, non intrabitis terram,* etc. Circa hoc quæri potest, anne aliqui ex filiis illorum murmuratorum adulti, et citra vicesimum annum exsistentes, murmuraverunt cum patribus suis, aut murmurantibus consenserunt. Dici potest, quod Deus præservavit eos ab illo peccato. Vel, si aliquo modo excesserunt in hoc, Deus habuit eos partim excu-

Digitized by Google

satos propter ætatis pueritiam; vel quia inducti erant ab aliis: et ultra hoc punivit eos per hoc, quod diu post hæc in deserto detenti sunt. Insuper quæri potest, quid de feminis et puellis contigerit. Responderi potest, quod quidam ex vetustate, vel alia causa naturali obierunt in eremo, quidam ex suo demerito: si tamen responsioni huic non obviat illud in Psalmo, Non erat in tribubus eorum infirmus. *Ps* civ, 37.

Filii vestri vagi erunt in deserto, id est hinc inde per loca euntes, non tamen vagi omnino sive indomiti, *quadraginta annis; et portabunt fornicationem vestram,* hoc est, propter scelera vestra, quibus recessistis a Deo animarum fidelium sponso, differentur seu retardabuntur ab ingressu terræ promissæ: quod qualiter non sit injustum, jam tactum est. Unde et Jeremias ait in Threnis: Patres nostri peccaverunt, et non sunt, et nos iniquitates eorum portavimus. Nam et secundum leges humanas, pro crimine læsæ majestatis commisso a patre carnali, puniuntur filii ejus. *Donec consumantur cadavera patrum in deserto, juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram. Annus pro die imputabitur,* hoc est, sicut quadraginta diebus fuerunt exploratores in via, sic quadraginta annis durabit hæc pœna: non quod exploratores per quadraginta dies averterunt, aut avertere proposuerunt populum ab ingressu terræ promissionis, quoniam aliquos dies expenderunt illuc pergendo; sed peccatum tot dies secutum, in populo juste meruit pœnam tot annorum, imo incomparabiliter majorem et longiorem, sed misericorditer relaxata est justa punitio meritis ac precibus Moysis. *Thren.* v, 7.

Igitur omnes viri quos miserat Moyses ad contemplandam terram, mortui sunt atque percussi. Josue autem filius Nun et Caleb filius Jephone, vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam terram. Sensus est, quod decem exploratores propter præfatam suam iniquitatem, subito sunt plagati a Deo ac mortui.

Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israel: qualiter scilicet hi qui numerati erant, morerentur in solitudine, et filii eorum per quadraginta annos vagarentur in ea; *et luxit populus nimis,* videns se undique angustatum. Attamen benignitatem Dei frequenter experti, præsumpserunt de venia, putantes verba Dei solum comminatoria esse. *Et ecce:* quasi dicat, Mira et magna excæcatio populi hujus subjungitur; *mane primo surgentes,* scilicet die mox sequenti, hora diluculi; vel, mane primo, id est valde mane, *ascenderunt verticem montis* propinqui loco, a quo missi sunt exploratores, *atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccavimus:* quasi dicant, Pœnitemus de nostra perversitate, ideo nunc prompti sumus ire ad terram promissionis. Quæri potest, unde venit eis tam magna et repentina mutatio. Respondendum, ex hoc quia viderunt illos exploratores quibus crediderant, subito esse percussos, et alios duos a quibus bene instructi erant, esse superstites. Deinde in textu describitur, qualiter Moyse prohibente cœperunt procedere: ideoque ab adversariis sunt percussi et fugati usque Horma, id est usque ad locum sic appellatum ex adverso eventu: quoniam ibi cæsi et destructi sunt quidam ex Israel, sicut et in Deuteronomio habetur, quod fugati sunt, sicut solent apes persequi. Horma autem uno modo interpretatur destructio, ut infra habetur. *Deut.* I, 44. *Num.* XXI, 3.

Postremo Rabbi Salomon dicit, quod filii decem exploratorum fuerunt in terra promissionis hereditate privati, eo quod patres eorum populum a terræ illius introitu averterunt: quod verum non arbitror, præsertim quum adoratio vituli fuerit gravior scelere isto, et tamen filii idololátrarum illorum hereditatem in terra promissa sunt consecuti.

Spiritualiter docemur copiose ex isto capitulo, quanta sit humani cordis fragilitas, quanta deinde perversitas, et quanta deinceps incorrigibilitas, quanta item sit *Sensus spiritualis.*

Digitized by Google

Dei clementia. Per murmuratores autem istos ac desperantes, intelliguntur temporalium amatores, qui ex transitoriarum rerum amissione, interdum sic opprimuntur mœrore, ut cupiant mortem, imo eam sibi sceleratissime inferant. Incorrigibilium quoque illorum impietatem sequuntur, qui nulla informatione flectuntur in melius, sed potius pejorantur ex informatione et correptione benigna, in tantum ut nonnunquam violentam extendant manum in corripientem seu admonentem, quemadmodum Scribæ et Pharisæi Christo fecerunt. Amplius, exemplo Moysis docentur hic prælati pro sibi commissis ardentissime exorare, atque ut exaudiri mereantur, studere debent divini honoris zelo accendi. Patet item ex dictis, quod Dominus sæpe dimittit pœnitenti peccata sua, quantum ad culpam, non tamen quantum ad pœnam.

Joann. XVIII, 12.

Denique, per hoc quod tam pauci ex Israelitis numeratis ingressi sunt terram promissionis, præfiguratum est, quod perpauci terram cœlestis patriæ intrant, sicut ait Salvator : Pauci electi. Rursus docet nos hujus scriptura capituli, quam infallibiliter Deus numeret nostra peccata, et qualiter recidivantibus improperet etiam peccata ante indulta, et quam graviter lædant ac noceant vulnera animæ repetita, sicut et in corporum vulnerationibus hoc videmus. Hinc loquitur Origenes : O si possemus per unumquodque peccatum videre, quomodo anima vulneratur ! Sermo malus vulnus infligit non linguæ, sed animæ. Vulneratur etiam anima per cogitationes et concupiscentias pravas; frangitur vero atque conteritur per opera vitiosa : quæ omnia si videremus, et vulneratæ animæ cicatrices sentiremus, usque ad mortem resisteremus peccatis. Sed sicut dæmoniaci vel mente capti non sentiunt si vulnerentur, quoniam carent naturalibus sensibus ; ita cupiditatibus sæculi aut carnis concupiscentiis seu vitiis aliis inebriati, non sentimus quanta animæ vulnera, quantas contritiones seu destructiones, quanta damna peccando acquirimus.

Matth. XX, 16.

Postremo, ut dictum est, exemplo obtenebratorum filiorum Israel edocemur, quam ineffabilis sit pronitas nostra ad omne malum ; et qualiter paulatim, nisi mox resipiscamus, in enormiora dilabimur : quemadmodum isti Judæi noluerunt ad terram promissam procedere, quando Deus hoc jussit, et suum promisit auxilium ; eamque ingredi tentarunt, dum Deus prohibuit, et suum negavit subsidium. Hinc Rabanus protestatur : O mira protervitas mentis humanæ, et horrenda stultitia cordis cæcati ! Mandat Deus promissionibus suis credere, et de potentia sua confidere, sicque terram promissionis intrare ; et humana diffidit stultitia, ac salutaria respuit monita. Econtrario suum negat auxilium ; et ipsi contra Dei voluntatem volunt invadere terram. Quibus similes sunt, qui promissionibus Dei nec acquiescunt, et prohibita faciunt : ideo sicut perversi illi Judæi a suis adversariis facillime vincebantur, sic isti ad omnia scelera ab invisibilibus hostibus levissime pertrahuntur.

Digitized by Google

ARTICULUS XXV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUINTIDECIMI : LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN.

POST prætacta historica, inseruntur nunc cærimonialia quædam. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Quum ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis, et feceritis oblationem Domino in holocaustum aut victimam pacificam,* id est, sive sacrificium vestrum sit oblatio pro peccato, sive holocaustum, quod ad divinitatis reverentiam totaliter incendebatur, seu victima pacifica pro beneficio dato, vel pro parta salute aut præstanda ; *vota solventes aut sponte offerentes,* id est sive hæc sacrificia immolentur ex debito, sive ex spontanea devotione et supererogatione, *aut in solennitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino,* id est incendentes aliquid sacrificii super altare, cujus odor sit Deo suavis, hoc est, ut ipsum sacrificium Deo acceptum sit ex offerentis fide, devotione et obedientia ; *de bobus sive de ovibus offeret, quicumque immolaverit victimam,* id est, si de pecoribus fecerit oblationem, erit vel bos, vel ovis, aut etiam hircus, de quo infra fit mentio. Nam inter pecora, hæ tres species
Lev. I, III, IV. erant dumtaxat immolaticiæ, ut super Leviticum dictum est. Sed istis principalibus sacrificiis adjiciebantur sacrificia quædam minora. Unde subjungitur : *Sacrificium similæ decimam partem ephi conspersam oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin, et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum, sive in victimam, per singulos agnos,* id est, in sacrificio cujuslibet agni offeret simul decimam partem ephi, scilicet mensuræ sic dictæ : decimam, inquam, partem ephi similæ oleatæ, seu admixtæ oleo tantæ quantitatis ut mensuram impleat quartam partem hin ; offeret etiam simul vinum ejusdem mensuræ, sicut de oleo dictum : quod vinum offertur, ut ex eo perfusio fiat liborum. *Et arietis erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin,* id est, si aries sacrificetur, addentur duæ decimæ similæ, in cujus pistratione mixtum sit oleum, habens mensuram tertiæ partis hin ; *et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino,* id est, tantumdem offeret de vino ad humectandum materiam siccam, sicut de oleo jam prædicto. *Quando vero de bobus feceris holocaustum aut victimam,* si bos offeratur, *dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin,* id est mediam partem mensuræ sic appellatæ, *et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ, in oblationem suavissimi odoris Domino. Sic facies per singulos boves et arietes et agnos et hircos et hædos,* id est in sacrificio uniuscujusque bovis et arietis et agni et hirci, sicut jam prætaxatum est.

Tam indigenæ, id est Israelitæ natione, *quam peregrini,* id est advenæ ad Judaismum conversi, inter filios Israel habitantes, *eodem ritu offerent sacrificia* jam præfata. *Unum præceptum erit atque judicium tam vobis quam advenis terræ :* id est, præinductum præceptum ac dictamen a me institutum, indifferenter concernit tam vos Judæos, quam conversos ad legem vestram, commorantes in terra vestra.

Sequitur de primitiis, quod et in Levitico pro majori parte est habitum. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel : Quum veneritis in terram quam dabo vobis, et comederitis de pani-* *Lev.* XXIII, 10 *et seq.*

Digitized by Google

bus regionis illius, separabitis primitias A *Domino,* id est, primitiva aliqua atque præcipua ab aliis dividetis, reponetis, ac Dei ministris dabitis ea, *de cibis vestris. Sicut de areis,* id est granis ac fructibus contentis in area, *primitias separabitis;* *primitiva *ita et de pulmentis dabitis primitias* Domino.* Pulmentum vocatur quilibet cibus dulcis et delicatus, seu quilibet cibus præter panem, id est companaticium, quod scilicet cum pane in esum suscipitur. Tamen (ut fertur) in Hebræo habetur, De pastis vestris tortellum: quia de unaquaque B frumenti decoctione separabatur unus tortellus, sacerdotibus pro primitiis dandus.

Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, etc., quæ per Moysen Dominus jussit, *oblitaque fuerit facere multitudo,* id est, communitas per oblivionem ignorantiamve omiserit quidpiam; *vitulum offeret in holocaustum* ad divinæ majestatis (quam inhonoravit) honorem, *et sacrificium ejus ac liba, ut cærimoniæ postulant,* id est alia quædam, quæ simul cum vitulo illo sunt offerenda, juxta teno- C rem cærimonialium præceptorum. Quæ autem sint sacrificia cum vitulo immolanda, jam dictum est, scilicet simila, oleum, vinum, secundum mensuram prætactam. De cærimoniis quoque in isto sacrificio observandis, dictum est in Levitico, quo *Lev.* IV, 13, 14 *et seq.* legitur: Si omnis turba filiorum Israel ignoraverit, offeret pro peccato suo vitulum, etc. *Hircumque pro peccato.* Verumtamen in Levitico habetur, quod pro pecca- *Ibid.* 23. to totius turbæ offerebatur vitulus, hircus autem pro peccato principis: quomodo D ergo nunc dicitur, quod vitulus immolabatur in holocaustum, et hircus pro peccato? Sed quoniam vitulus pro peccato turbæ oblatus, comburebatur totaliter, holocaustum poterat dici. Hic quoque sumitur multitudo cum principis inclusione, ut videtur: quoniam non fit hic mentio specialis de principe, ibi vero de turba et principe sacrificiisque eorum distincte tractatur. *Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel; et dimittetur eis* per oblationem orationemque sacerdotis, si tamen pœniteant, et ex contritione, devotioneque offerant juxta legis præceptum, *quoniam non sponte peccarunt.* Circa hoc quærit B. Augustinus, quæ sint peccata quæ non sponte committuntur, quum omne peccatum sit voluntarium. Deinde declarat, qualiter ea quæ fiunt ab ignorantibus aut compulsis timore, qui cadit in virum constantem, valeant dici non sponte commissa, non quod sint penitus involuntaria, sed quoniam ratio voluntarii minoratur in eis, nec ea quæ agunt propter se volunt. *Nihilo minus offerentes incensum Domino pro se,* id est pro sua salute et pace et peccato eis dimittendo, *atque errore suo,* commissione seu omissione erronea, vel pro errore quo putabant licere quod non licet. Porro de isto incenso dicitur in Levitico: Omnem adipem vituli tollet, et ado- *Lev.* IV, 19. lebit super altare. Et quia hoc fecit sacerdos pro turba, idcirco de personis turbæ collective sumptis nunc dicitur, Offerentes incensum, per manus videlicet sacerdotis.

Quod si anima una nesciens, id est, si particularis homo seu persona vulgaris per ignorantiam *peccaverit,* omittendo quod fieri jussum est, vel committendo quod prohibetur; *offeret capram anniculam,* id est, quæ non sit ultra unius anni ætatem. De sacrificio autem pro peccato sacerdotis, habetur in Levitico: de quo tacetur *Ibid.* 3. hoc loco. *Una lex erit omnium qui peccaverint ignorantes,* dummodo fuerint unius status, seu gradus aut dignitatis: non alias. Alia namque fuit jussio data de sacrificio sacerdotis per ignorantiam excedentis, alia de principe ignoranter peccante, alia quoque de persona vulgari, ut patet in Levitico. *Ibid.* 3, 22, 27.

Anima vero, id est persona, *quæ per superbiam aliquid commiserit,* aut certe omiserit, *sive civis sit ille,* id est natione Hebræus, *sive peregrinus* ad Mosaicam legem conversus: *quoniam adversus Dominum rebellis fuit,* ex firmo proposito seu contemptu peccando, *peribit de populo suo,* id est de grege justorum et numero

Digitized by Google

electorum, pertinendo ad corpus diaboli malignantiumque ecclesiam. *Verbum enim,* id est præceptum, *Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum,* peccando ex certa scientia atque malitia. *Idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam,* et hoc, nisi pœniteat. Nec exprimitur sacrificium offerendum pro tali excessu, ad insinuandum gravitatem talis peccati. Verumtamen non fuit penitus irremediabile, quia contritione condigna quæ fuit interior pœna, atque per pœnitentialia opera poterat tolli et indulgeri, etiam quoad culpam et pœnam in præsenti.

Denique non distinguuntur hic nisi peccata facta ex ignorantia, vel ex superbia. Aliqua autem fiunt ex infirmitate, id est vehementia passionis, quæ ad peccata ex ignorantia, possunt reduci, quoniam vehementia passionis rationem valde excæcat per peccatum; aut ex superbia designatur omne peccatum ex certa malitia, deliberatione, seu contemptu. At vero quod dictum est, Peribit de populo suo, quidam exponunt de morte corporali, dicentes, quod taliter peccans, fuit mox occidendus, quando per testes fuit convictus non solum de peccato in se, sed item quod scienter id in-
Hebr. x, 28. currisset. Unde Apostolus ait: Irritam quis faciens legem Moysis, absque ulla contradictione duobus aut tribus testibus moritur.

Factum est autem quum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, obtulerunt eum Moysi tanquam judici superiori, *et Aaron* tanquam secundo post Moysen, *et universæ multitudini* pro cautela. *Qui recluserunt eum in carcerem:* Moyses enim jussit eum detineri seorsum captivum; *nescientes quid super eo facere deberent,* id est, qualiter esset tractandus ac puniendus. Verumtamen dictum fuit in
Exod. xxxv, 2. Exodo, quod violans sabbatum, morte moreretur. Sed genus mortis non fuit ibi expressum: ideo Dominus exprimit hoc nunc, jubens illum ab omnibus, id est a quibusdam de omnibus, lapidari, ut patet in textu qui planus est. Ideo autem in exordio legis jussit Dominus pro peccato illo tam diram mortem infligi, ut ipsa lex fortius imprimeretur cordibus hominum, et alii amplius terrerentur, quemadmodum in exordio primitivæ Ecclesiæ, Ananias et *Act.* v, 5, 10.
uxor ejus, repente terribiliterque puniti sunt pro sua proprietate et furto. Unde et Dominus, ad vitandum similia mala, subjungit ad Moysen:

Loquere filiis Israel, ut faciant sibi fimbrias: fimbriæ sunt extremitates vestis, vel fila quæ in extremitate stolæ aut pallii appenduntur; *per angulos,* id est in quatuor angulis, *palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas,* quæ sunt cœliformis coloris, in memoriam legis de cœlo datæ, atque ad designandum, quod Judæi tanquam cultores veri Dei, deberent præ ceteris cœlestem ducere vitam. *Quas quum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini,* regulando vitam suam secundum legem, *nec sequantur cogitationes suas,* id est, pravis cogitationibus nequaquam consentiant, *et oculos per res varias fornicantes,* id est, desideria carnalia, quæ ex visu exteriori solent oriri, non sequantur, nec impleant. Evagatio quoque et incustodia oculorum vitanda est. Fornicantur autem oculi per res varias, quoniam multipliciter peccat homo per visum circa diversa objecta. Propter quod in prima S. Joannis Canonica legitur: Omne quod *I Joann.* II, 16.
est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. *Sintque sancti Deo suo,* id est, ad Dei honorem sint immaculati ab omni transgressione præcepti. Itaque specialis iste vestitus seu habitus, est deputatus Judæis ob duplicem causam: primo, ad commonendum eos de divinis præceptis diligenter servandis; secundo, ut sicut per circumcisionem in carne, ita per habitum foris distinguerentur a gentibus. Siquidem populus ille fuit specialiter a Deo electus, et variis modis ornatus. Propter quod speciali sanctitate et observantia religiosa debebant fulgere præ aliis, maxime quia ex eis fuerat Dei Filius incarnandus. Postre-

Digitized by Google

mo, Magister in historiis scribit : Utebantur Judæi quadratis angulis, et adhuc in angulis vestis quadratæ in synagogis suis *Matth.* xxiii, 5. habent fimbrias hyacinthinas. Has magni- A ficaverunt Pharisæi in tantum, ut etiam spinas ligarent in eis, quatenus frequenti earum punctione, ad jugem præceptorum Dei memoriam excitarentur.

ARTICULUS XXVI

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA HUJUS CAPITULI QUINTIDECIMI.

QUUM *ingressi fueritis terram habitationis vestræ.* Terra habitationis nostræ, est Ecclesia militans, extra quam nemo salvatur, in qua Deo assidue spiritualia sacrificia et varias hostias offerre debemus, sicut de hoc super Leviticum sæpissime dictum est : ubi et frequenter expressum est, quid per immolationem agni et arietis ac bovis, quid item per similam, vinum et oleum spiritualiter designetur. Denique singulis sacrificiis principalibus, seu de pecoribus factis, jubetur addi simila, per quam, secundum Hieronymum, puritas intentionis seu mentis munditia significatur, vel spiritualis scientia ; oleum quoque, per quod caritas notatur ac pietas ; et vinum, id est communicatio dominicæ *Ps.* ciii, 15. passionis. Vel per vinum, quod lætificat cor hominis, interna signatur jucunditas. Hæc igitur cunctis bonis operibus sunt jungenda. Oleum autem et vinum, in eadem quantitate jussa sunt immolari : quia per oleum pietas, et per vinum rigor justitiæ exprimi solent. Unde in Evangelio *Luc.* x, 34. legitur, quod Samaritanus oleum infudit et vinum vulnerato. Per horum vero mensuram signatur discretio. Vinum ergo et oleum ejusdem mensuræ offeruntur, dum pietas et justitia per discretionem æqualiter contemperantur. Præterea Josephus ait : Lex præcipit in privatis publicisque sacrificiis farinam mundissimam, scilicet similam, adjici : in agno quidem mensuram assarii, in ariete mensuram assariorum duorum, in tauro trium ; et super altare B etiam oleum mixtum : nam et oleum offerent immolantes, in bove quidem hin medietatem, in ariete hujus mensuræ tertiam partem, et quartam partem in agno.

Separabitis primitias Domino de cibis vestris. Cibi animarum nostrarum, sunt ecclesiastica sacramenta, virtutes et dona Spiritus Sancti, virtuosique actus, et duodecim fructus Spiritus, omnis pura voluptas in Domino, spiritualis profectus, confortatio et consolatio in Spiritu Sancto. De quibus omnibus oportet nos Deo immolare C primitias : quoniam quidquid in his est acceptabilitatis ac meriti, a Deo profluit et donatur, et ei cum omni gratiarum actione et humilitate est adscribendum. *Sicut de areis, ita et de pulmentis primitias separabitis.* Per grana et blada, quæ continentur in area, intelliguntur opera vitæ activæ, bona et exteriora misericordiæ opera, in se grossa et indigesta ; per pulmenta vero, interna exercitia igne caritatis decocta et dulcia : de quibus omnibus quidquid præcipuum est, Domino debet attribui, D nullaque unquam gloria vana aut ingratitudo admitti.

Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam horum quæ Dominus mandavit. De spirituali significatione hujus loci dictum est supra, et intelligendum est istud *Lev.* iv. de ignorantia facti, secundum Thomam, non de ignorantia juris, quæ non excusat. Verumtamen ignorantia facti, quæ excusat in toto, quando videlicet circa factum debita adhibetur cautela, culpam non habet, nec

Digitized by Google

satisfactionem requirit. Denique invincibilis ignorantia juris excusat. Ignorantia vero affectata et crassa, aggravat culpam, atque in se grande peccatum est, loquendo de ignorantia juris quod quis scire tenetur, cujus scilicet adimpletio ad suum pertinet statum. Idcirco ad intelligendum Scripturas, ad cognoscendum vere salubria, ad discernendum necessaria ad salutem, ad separandum pretiosum a vili, simus studiosi atque solliciti : quoniam qui ignorat, ignorabitur. I Cor. XIV, 38.

Anima vero quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo : verbum enim Domini contempsit. Hic docemur, quam enorme atque damnabile sit, ex superbia et contemptu, aut ex deliberatione et scientia certa peccare, quum non exprimatur quo sacrificio tale facinus valeat expiari ; et quoniam ita peccans, dicitur verbum Dei, imo Deum in suo imperio, aspernari. Verumtamen dupliciter peccat quis ex contemptu superioris, videlicet Dei aut ejus vicarii : Primo formaliter, ut qui potestatem spernit, directe eam in se vilipendens, et in ejus despectum quid faciens aut omittens : quod est ineffabiliter grave peccatum. Unde Petrus habet : Novit Dominus iniquos in die judicii cruciandos reservare, qui dominationem contemnunt, audaces, sibi placentes. Et Judas : Hi carnem maculant, dominationem spernunt, majestatem autem blasphemant. Verumtamen pauci sunt qui ita peccent ex Dei contemptu, quum Augustinus testetur, et habetur in Glossa : Si diligenter consideretur, forte ipsum peccare nemo vult propter se, sed propter aliud fit quod vult qui peccat. Omnes enim qui scientes faciunt quod non licet, vellent id licere. Usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud quod ex eo consequitur. Secundo quis dicitur peccare ex contemptu æquivalenter, quia videlicet non curat de superioris præcepto, sed scienter transgreditur illud. Et quia superbia est vitiorum regina, et totius perditionis origo, recte peccatum ex certa malitia, designatur per peccatum ex superbia. Vitemus ergo omne hujusmodi vitium, quod summe vitandum est, nec potest curari, nisi spiritu contrito et humiliato corde, quod Deus non despicit. Ps. L, 19.

(II Petr. II, 9, 10. — Jud. 8.)

Factum est quum invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati. Hic docemur quam grave sit, dies violare festivos : quod maxime fit, exercendo in eis opera vitiosa, aut bona debita omittendo. Spiritualiter quoque ligna in sabbato colligit, qui incitamenta libidinis sibi in festis haurit et accipit, et ea quæ infernali igne sunt punienda, exercet : quia omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem et cibus ignis, ut loquitur Isaias. Is. IX, 5.

Postremo, quam timorate et vigilantissime recolenda observandaque jugiter sint universa Dei præcepta, constat ex eo quod Dominus jussit vittas in fimbriis palliorum reponi, ut eas adspiciendo, recordarentur mandatorum Altissimi. Præterea, circa hunc locum reprehendit Rabbi Paulus Lyram, dicentem quod præceptum de faciendo fimbrias in angulis palliorum, ordinabatur ad distinctionem filiorum Israel ab aliis nationibus, quando jam habebant signum distinctionis notissimum, videlicet circumcisionem. Sed advertendum quod reprobatio ista non valet, quia S. Hieronymus super Matthæum evidenter testatur hoc ipsum quod Lyra scribit. Thomas quoque in prima secundæ, quæstione 102, ita allegat : Hieronymus dicit super Matthæum: Dominus jussit ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad populum Israel dignoscendum ab aliis populis. Unde per hoc se esse Judæos profitebantur : ideo per adspectum hujus signi inducebantur ad memoriam suæ legis. Hæc Thomas. Isidorus quoque : Jubentur, inquit, filii Israel in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facere, ut sicut in corporibus circumcisio signum est Judaicæ plebis, ita et vestis aliquam habeat differentiam ; et moneantur, qui præcepto

(Matth. XXIII, 5.)

Digitized by Google

Dei habitu a ceteris gentibus differunt, et religione differre.

Postremo, juxta instituta divina non sequamur cogitationes illicitas, quum dicat Michæas : Væ qui cogitatis inutile. Et Jeremias : Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ ? Dominus quoque per Isaiam : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Neque sequamur *oculos per res varias fornicantes*, sed visum custodiamus, ne mors introeat animam per visus fenestram, et ne oculus noster deprædetur animam nostram. Oculi etenim sapientis in capite ejus, stultorum autem in finibus terræ. Incustoditus visus, signum est incustoditæ intimoratæque mentis. Porro, oculos sequi, est apprehensionibus affectionibusque illicitis, quæ ex visu exteriori prodeunt, consentire.

Mich. II, 1. *Jer.* IV, 14. *Is.* I, 16. *Jer.* IX, 21. *Thren.* III, 51. *Eccle.* II, 14. *Prov.* XVII, 24.

Amplius circa prætacta verba Rabbi Pauli occurrit, quod Thomas scribit in prima secundæ : In Ecclesiastico scriptum est, Amictus corporis enuntiat de homine : ideo voluit Dominus, ut populus suus distingueretur ab aliis non solum signo circumcisionis, quod erat in carne, sed etiam certa habitus distinctione. Et quamvis notissimum fuit, quod Judæi distinguebantur ab aliis signaculo circumcisionis, tamen hoc signum latebat sub veste : idcirco signum foris apparens, convenienter est additum.

Eccli. XIX, 27.

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEXTIDECIMI : ECCE AUTEM CORE FILIUS ISAAR, FILII CAATH, FILII LEVI, ETC.

DESCRIPTO unius excessu et punitione in præcedenti capitulo, nunc multorum et eminentium mira iniquitas ac metuenda punitio describuntur. *Ecce :* per quod notatur, quam enorme piaculum et quam dirum supplicium sint narranda ; *Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi* patriarchæ, cum quo Caath filius ejus intravit Ægyptum, *et Dathan atque Abiron filii Eliab filii Ruben, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, surrexerunt contra Moysen. Alii quoque* filiorum Israel ducenti quinquaginta, proceres synagogæ,* id est capitanei ac nobiles in populo, *et qui tempore concilii per nomina vocabantur,* tanquam inclyti et prudentes. Ecce quod Moyses qui assidue quasi ad libitum angelico fruebatur alloquio, informatione cœlesti et directione divina, in arduis causis frequenter convocavit et celebravit generale concilium, non aspernans vota consultationesque hominum. Quanto magis Pontifex summus in arduis causis deberet statutis temporibus universalem synodum convocare ac celebrare ? Nec mirum quod Moyses tempore concilii convocavit tam multos, imo convocavit multo plures quam istos, qui omnes fuerunt de tribu Levi, et quidam eorum de tribu Ruben. Moyses autem ad concilium convocavit de singulis tribubus quosdam. Magnus equidem populus fuit ibi, quia plures quam sexcenta millia virorum. Nam et in primo libro Machabæorum scriptum est, quod Romani quotidie tenebant concilium, in quo erant viri trecenti viginti, ut quæ digna sunt gerant.

* *Aliique*

I *Mach.* VIII, 15.

Quumque stetissent adversum Moysen et Aaron, dixerunt. Auctor et caput hujus seditionis exstitit Core, qui (ut in Scholastica fertur historia) videns fratrueles suos honoratos, unum ducatu populi, alterum sacerdotio, imo et pontificatu, invidit, et alios contra illos concitavit, videlicet viros

Digitized by Google

ducentos et quinquaginta de Levitis majoribus, quibus persuasit quod sacerdotio digni essent. Attraxit etiam sibi Dathan et Abiron ac Hon, potentiores Rubenitarum, persuadens eis quod principatus spectaret ad eos de jure, eo quod essent de stirpe Ruben primogeniti Jacob, cui sanctus Jacob moriens dixit : Ruben, tu primogenitus meus, primus in donis, major in imperio, ut patet in Genesi. Denique Moyses et Aaron et Core, fuerunt filii fratrum. Nam Caath habuit filios quatuor, inter quos primogenitus fuit Amram, pater Moysis, Aaron et Mariæ. Secundus fuit Isaar pater Core ; tertius, Hebron ; quartus, Oziel. Quum igitur Core vidisset filios patrui sui sic præsidere, et ipsum Elisaphan filium Oziel prælatum Caathitis, tamen sub Eleazaro, ut habetur supra : ex superbia indignatus est, et ambitione repletus excitavit hoc schisma in populo, et rebellionem hanc contra Moysen, non attendens quot et quanta prodigia Deus per Moysen egerat, quoties quoque iniquos percusserat. Sic infelix ambitio inebriat atque obtenebrat humentem.

Gen. XLIX, 3. — *Exod.* VI, 18, 20, 21. — *Num.* III, 30, 32.

Quum itaque hi stetissent erecta cervice contra Moysen et Aaron, dixerunt, non omnes, sed Core ex parte omnium : *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est,* id est, in hoc sitis contenti, quod universus hic populus sanctus est, et divino cultui mancipatus, atque ad sanctorum et electorum numerum pertinens, *et in ipsis est Dominus,* id est, Deus est in filiis Israel tanquam rector et ductor. Quasi dicat, Non indigent præsidentia vestra. Sicque malignus iste, ut sibi alliceret plebem, ab ejus commendatione exorsus est. *Cur elevamini super populum Domini?* id est, cur usurpatis vobis istam prælationem, et derogatis Deo ac populo ejus? Sic versipelles ac impii sciunt verba colorata proferre, et suam malitiam sub specie magni proponere boni. Sed Deus non irridetur. Erat autem, secundum Josephum, Core facundus et ad persuadendum versutus, ac valde pecuniosus, asserens Moysen

Galat. VI, 7.

A sibi assumpsisse ducatum, et ipsi Aaron procurasse pontificatum tyrannice et simulatorie et ex privato affectu, confingentem se loqui cum Deo, quum tamen communi electione plebis promovendus sit pontifex ; atque in tantum concitavit populum, quod voluerunt Moysen lapidare, et ipsum Aaron pontificatu privare. Etenim, Josepho teste, vulgus naturaliter gaudet, dum contra eos qui in potestate sunt constituti, querimonia concitatur.

Quod quum audisset Moyses, cecidit B *pronus in terram :* in quo magna ejus humilitas, mansuetudo et caritas demonstratur, quia de illorum impietate vehemens dolor penetravit cor ejus, timuitque de eorum periculo ; nec inflammatus est subito, sed mansuete respondit : *Mane,* id est cito vel crastina die ante meridiem, *notum faciet Dominus* per sensibile signum, *qui ad se pertineant,* id est, qui veri sint sancti. Jam quippe Deo intus splendente et alloquente, Moyses intellexit quid instaret et immineret. *Et sanctos ap-* C *plicabit sibi,* id est, inspirabit eis, ut humiliter ac devote accedant ad sacerdotale officium, non usurpatorie et ambitiose, ut vos. *Et quos elegerit, appropinquabunt ei,* non solum corporaliter ad tabernaculum accedendo, sed caritativa unione se Deo jungendo. *Hoc igitur facite : Tollat unusquisque thuribulum suum, tu Core, et omne concilium tuum,* id est, qui tibi adhærent ex tribu Levi ; *et hausto cras igne,* id est igne seu prunis acceptis ac positis in thuribulis, *ponite desuper thy-* D *miama :* de cujus materia et confectione dictum est in Exodo. Itaque Moyses dedit eis dilationem usque ad crastinum diem, ut resipiscerent interim. *Et quemcumque elegerit, ipse erit sanctus,* id est, quem Deus per evidens signum monstrarit esse sibi placentem, et sacerdotio dignum, habeatur pro sancto, et sacerdotale officium deinceps exerceat. *Multum erigimini, filii Levi,* id est, valde extollitis vos, o Levitæ, instar ingratorum, qui dato sibi honore non contenti, semper per fas et nefas ad

Exod. XXX, 34, 35.

Digitized by Google

altiora adspirant, et præcedere meliores conantur.

Dixitque rursum ad Core, volens eum pie monere ad desistendum cum suis : *Audite, filii Levi.* Hæc dixit ad Core, tanquam ad incentorem facinoris ceterorum, sed omnes pariter est affatus. *Num parum vobis est,* hoc est, non deberetis reputare pro modico, *quod separavit vos Deus Israel ab omni populo,* id est a ceteris tribubus Israel, *et junxit sibi ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentiā populi, et ministraretis ei? Idcirco ad se fecit accedere te,* o Core, *et omnes fratres tuos filios Levi,* id est istos tuos cognatos tibi nunc adsistentes, *ut vobis etiam sacerdotium vindicetis,* id est, usurpare tentetis? Est autem probabile, quod Core intendebat Aaron ex pontificatu rejicere, et illum sibi appropriare. *Et omnis globus tuus,* id est ista collectio tua, *stet contra Dominum,* id est, contra Dei præceptum tibi adhæreat? Non asserendo, sed redarguendo, dicit hoc Moyses : nam addit, *Quis est enim Aaron ut murmuretis contra eum?* quasi dicat, Consobrinus vester est, nec justam contra eum rationem murmurandi habetis, quia non ingessit se ipsum ad pontificatus honorem.

Misit ergo Moyses, ut vocaret Dathan et Abiron filios Eliab. Hoc sonare videtur, quasi miserit primo nuntium, qui illos vocaret ad Moysen : quibus venire renuentibus, ipsemet Moyses ivit ad eos. Vel sensus est, quod misit, id est, dimisit Core et suos sic stare, et ivit ut vocaret Dathan et Abiron, ut venirent ad atrium tabernaculi, aut circa ubi Core stetit et sui ac ceteræ tribus. Porro, secundum Josephum, Moyses misit ministros, ut venirent et adessent quando Core et sui, Aaron quoque, thurificarent, ad agnoscendum cujus obsequium Deo placeret. Unde Magister in historiis ait : Illis sic stantibus, descendit Moyses cum senioribus populi ad Dathan et Abiron. Porro Abiron, secundum Josephum, fuit ex parte patris Levita.

Qui responderunt pleni diabolica elatione : *Non venimus,* id est, nolumus tibi obedire, sed tanquam seductorem et mendacem atque ambitiosum despicimus te. Idcirco subjungunt : *Numquid parum est tibi,* id est, videturne tibi quod modicum forefecisti nobis, *quod eduxisti nos de terra quæ lacte et melle manabat,* id est de terra Ægypti valde fructuosa et opulenta, *ut occideres in deserto,* id est, in hac solitudine nos faceres mori, et fame ac siti tabescere : in quibus verbis perniciose mentiti sunt ; *nisi et dominatus fueris nostri,* id est, etiam morte civili nos opprimas, in servitutem nos redigendo? Deinde ironice addunt : *Revera induxisti nos in terram quæ fluit rivis lactis et mellis,* etc. *An et oculos nostros vis eruere,* id est tyrannidem in nos exercere usque ad mutilationem? *Non venimus.* Quasi dicant : In hoc sumus firmati vel potius obstinati, quod de cetero non obtemperabimus tibi. Reprobi isti sola terrena quærebant : qui si vere fuissent desuper illustrati, incomparabiliter plus ponderassent et appretiati fuissent, quod tot et tanta mirabilia Dei toties conspexerunt, imo et quotidie intuebantur, quod legem acceperunt de cœlo, et Dominum audierunt eis loquentem per angelum, quam omnium affluentiam terrenorum.

Iratusque Moyses valde. Ista sancti viri iracundia, fuit ira per zelum. Siquidem divinitatis amore et vera æquitate repletus, tantam Omnipotentis injuriam et potestatis a Deo collatæ contemptum, amplius ferre nequivit. *Ait ad Dominum : Ne respicias* ad *sacrificia eorum,* id est, sacrificia horum rebellium Levitarum accepta non habeas. Istud erat terribile, quando tam mitis et pius prælatus, qui hucusque consuevit orare pro illis etiam prave agentibus, contra eos oravit. Sciebat autem Moyses, quod Deus illorum sacrificia non acceptaret. Sed in his Moyses orasse videtur, ut omnipotens Deus per evidens signum ostenderet, quod illorum sacrificia sibi essent ingrata. *Tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec*

Digitized by Google

afflixerim quempiam eorum : quasi dicat, Non habent querelam contra me justam. *Dixitque ad Core : Tu, et omnis congregatio tua state seorsum. Tollite singuli thuribula vestra, et ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula. Aaron quoque teneat thuribulum suum.*

Quod quum fecissent, non ex obedientia, sed ex arrogantia, quasi nihil timentes, *et coacervassent,* id est congregassent, *adversum* Moysen et Aaron *omnem multitudinem,* quam sibi attraxerunt : multis enim persuaserunt, quod juste moverentur, et quærerent bonum commune ; atque ut aiunt quidam Hebræi, tota nocte et per auroram discurrerunt per castra, ad alliciendum sibi quos poterant : quum itaque congregassent multitudinem suam contra *eos,* id est contra Moysen et Aaron, *ad ostium tabernaculi,* puta in atrio, *apparuit cunctis gloria Domini,* quia tunc Dominus per nubem descendit ad Moysen ob ejus defensionem. Unde subjungitur : *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron : Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem suam, atque dixerunt : Fortissime Deus spirituum universæ carnis,* id est, tu Deus omnipotens creator omnium animarum, *num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet ?* quasi dicant, Non decet sapientiam, pietatem, justitiamque tuam, ut propter peccata paucorum, punias totam communitatem, quoniam tu omnium inspicis corda. Sic et
Gen. xviii, 23. Abraham dixit : Numquid perdes justum cum impio ?

Surrexitque Moyses et abiit ad Dathan et Abiron, et sequentibus eum senioribus Israel, dixit ad turbam : Recedite, id est separemini, *a tabernaculis hominum impiorum* horum, videlicet qui mihi repugnant. *Quumque recessissent a tentoriis per circuitum eorum, Dathan et Abiron stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus et liberis, omnique frequentia,* id est copiosa familia, disponentes se ad resistendum verbis et factis. *Et ait Moyses : In hoc scietis quod Dominus miserit me,* id est, quod Deo jubente et operante factus sum dux vester, eductor, doctor et ductor. *Si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua ceteri hominum visitari solent, non misit me Dominus.* Dicunt aliqui, quod Moyses Dominum exoravit, ut morte perirent insolita. Sed potius puto, quod Deus Moysi hoc non oranti revelavit se hoc facturum. Quum autem Moyses prætacta verba proferret, et sciret quid miseris illis mox esset futurum, ex compassione ploravit ; et protinus cœpit terra contremere, expavitque populus, atque (ut in historiis ait Magister) grandi strepitu per illorum tabernacula excitato, factum est quod textus subjungit.

Confestim igitur ut cessavit loqui Moyses, *dirupta est terra sub pedibus eorum,* et apparuit ibi lacus profundus, horribilisque hiatus, quoniam illorum tentoria magnum occupaverant spatium ; *et aperiens os suum,* id est, Deo jubente, per modum hominis os suum aperientis ad cibum vorandum se habens. Nec enim putandum est, ut quidam philosophi atque idololatræ opinati sunt, quod terra sit animata, et anima ejus agente aperiat se, vel quod juxta Platonis et Procli ac Plotini opinionem, totus mundus sensibilis sit unum animal magnum, cujus quasi quatuor membra sint quatuor elementa. De qua re loquitur Plato in primo Timæi, et Proclus in Elementatione sua theologica, Plotinus quoque in libro de Tribus divinis substantiis : quam etiam opinionem in libro de Civitate Dei recitat Augustinus. Sed sicut mare metaphorice dicitur videre, timere et fugere, juxta illud, Mare vidit et fugit ; sic Ps. cxiii, 3.
terra os suum dicitur aperuisse. *Devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia,* et cum eorum domesticis consentientibus eis. *Descenderuntque vivi in infernum, operti humo, et perierunt de medio multitudinis,* id est, adhuc viventes in corpore, cœperunt corruere ad infernum,

Digitized by Google

ita quod obierunt in via ruinæ miserrimæ. Ps. LXXXVIII, 49. Quis est enim homo qui vivet, et non videbit mortem? Nam et Apostolus ad Hebræos : Hebr. IX, 27. Statutum est, inquit, hominibus semel mori. Porro secundum animam corruerunt in infernum inferiorem. Quo facto, ita clausa est et redintegrata terra, quasi non fuisset aperta, ut Josephus scribit. *At vero omnis Israel qui stabat per gyrum, fugit a clamore pereuntium, dicens : Ne forte et nos terra deglutiat.* O quam horribiliter et miserabiliter clamaverunt, dum terram sub se taliter aperiri senserunt! *Sed et ignis egressus a Domino,* id est divina virtute egrediens, *interfecit* comburendo *ducentos quinquaginta viros qui offerebant incensum,* id est thymiama quod inflammabatur in eorum thuribulis.

De quo in Scholastica historia legitur : Ignis egressus est de thuribulis Core et concilii ejus tantus, quantus nec de terra prolatus est, vel concursione fluctuum, id est nubium, aut violentia spirituum visus est unquam exsilire, Aaron stante illæso. Quidam quoque Hebræorum doctores dicunt ignem illum de thuribulis exivisse. Ex his sequi videtur, quod et Core fuit combustus : quod tamen non est dicendum. Quæri etiam potest, quid de præfato Hon Rubenita contigerit. Quod autem Core non fuit combustus, constat ex eo Num. XXVI, 10. quod infra scriptum est : Aperiens terra os suum, devoravit Core. Creditur item quod et Hon eadem perierit plaga. Si autem dicatur Core fuisse incensus igne sui thuribuli, posset quis dicere, quod ultra hoc fuerit a terra absorptus; sed potius puto quod dictum est. Josephus tamen affirmat, quod simul cum aliis fuit exstinctus, et quod corpora combustorum nullibi apparebant, utpote prorsus incinerata, solusque Aaron in igne mansit illæsus.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe Eleazaro ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat. Ex diversis enim flammis quæ ex thuribulis eruperunt, factus

A exstitit ignis grandis adhuc durans. *Quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum,* id est, deputata sunt ad designandum aliquid sanctum, per hoc quod per ea puniti sunt peccatores Levitæ, qui sibi sacerdotium usurpare conati sunt. Ex hoc etenim facto monstratur, quod sacerdotes debeant esse sancti. *Producatque ea in laminas, et affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sint.* Et ita erant divino usui applicanda, quamvis peccaverunt qui eis sic usi sunt : B ita quod propter honorem ejus cui per ea incensum oblatum est, scilicet Dei, ad talem usum convertenda fuerunt. *Ut cernant ea,* id est laminas ductiles factas ex illis thuribulis, *pro signo et monumento filii Israel,* pro signo videlicet divinæ justitiæ in punitione pravorum, et pro monumento, id est memoriali eorum quæ contigerunt, ne quis similia attentaret. Dicit autem Petrus Comestor, quod Eleazar ex laminis illis formavit coronulas, quæ sic fabrefactæ sunt, quod stabant ibi ad de- C corem, affixæque sunt altari æneo, puta altari holocaustorum quod stetit in atrio. Unde in translatione Septuaginta interpretum dicitur, quod fecit ex thuribulis seu batillis circulos.

Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen et Aaron : non simpliciter omnis seu tota multitudo, sed valde multi, vel quidam de omnibus zelantes pro interfectis, de quorum tam invisa et horribili plaga vehementer dolebant; *dicentes : Vos interfecistis* D *populum Domini,* id est, mors occisorum imputanda est vobis, quia Moyses contra eos videbatur orasse; atque ut Josephus narrat, dicebant illos ita esse occisos a Deo, magis intuitu favoreque Moysis, quam propter ipsorum transgressionem, quia circa cultum Dei fuerunt solliciti. Dolebant quoque tam de calamitate taliter occisorum, quam ex propinquitatis affectu. Unde et alios contra Moysen incitabant, dicentes, multitudini expedire quod ejus gloria minueretur.

Digitized by Google

Quumque oriretur seditio, et tumultus incresceret : voluerunt enim (ut aliqui dicunt) Moysen et Aaron lapidare ; *Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis : quod postquam ingressi sunt, operuit nubes* tabernaculum, *et apparuit gloria Domini.* Angelus enim movebat nubem illam ad libitum suum, secundum quod expedire videbat. Sicque nubes pro aliqua sua parte descendit, tegens ac ambiens tabernaculum, sicque defendit Dominus suos ministros. *Dixitque Dominus ad Moysen : Recedite de medio multitudinis hujus.* Nonne Moyses et Aaron jam fugerunt et recesserunt ab illis ? Cur ergo Dominus dixit, Recedite, præsertim quia etsi non recessissent, poterat Dominus plagare iniquos ? Idcirco quod ait, Recedite, de spirituali recessu potest intelligi, ut sit sensus, Recedite, id est, cor vestrum ab illis avertite, non odiendo, sed ab oratione pro eis fundenda aut fusa cessando : quod tamen Dominus non dixit jubendo, sed A quid illi merebantur insinuando. *Et nunc delebo eos.* Hoc comminatio fuit et designatio, quid esset agendum secundum illorum demerita. *Quumque jacerent in terra,* quia prostrati orabant pro populo, *dixit Moyses ad Aaron,* qui Deo revelante vidit in spiritu quid transgressoribus contigisset : *Tolle thuribulum, et hausto igne de altari holocausti,* in quo ignis ardebat assidue, *mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis. Jam enim egressa est ira,* id est vindicta, *a* B *Domino.*

Deinde in textu describitur, qualiter Aaron cum thuribulo suo cucurrit ad mediam turbam, quam vastavit incendium ; stansque inter exstinctos et vivos, obtulit thymiama, se opponens incendio, et orans pro populo, sicque plaga cessavit. In quo ostensum est, quantum valeat oratio sacerdotis, et sacrificium devote offerentis ; quanta item sit virtus et dignitas sacerdotalis et pontificalis officii.

ARTICULUS XXVIII

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI SEXTIDECIMI SIGNIFICATIONE ATQUE DOCTRINA.

MANIFESTUM est, per Core et Dathan atque Abiron designari rebelles, superbos, ambitiosos, et eos præsertim, qui desiderio prælaturæ aut principatus terreni, practicant practicationes malignas, dissensionem, aversionem, discordiam, aut etiam schisma : et quod omnium pessimum est, interdum sic pervertuntur, ut et hæretica seminent documenta. Hi justis præsidentibus multipliciter adversantur, et quales ipsi sunt, tales illos esse suspicantur, dicentes : Cur elevamini super populum Dei ? Specialiter vero Coritæ censentur, qui per amicorum et propinquorum potentiam ad ecclesiasticas tentant pertingere dignitates. Denique subditi variis pec- C cant modis in suos superiores : Primo, illorum defectus et excessus inordinate aut irrisorie publicando. Hi designantur per Cham, qui patris sui verenda fratribus suis Gen. IX, 22.
monstravit : idcirco cum illo maledictionem merentur. Secundo, insufficientiam regiminis objiciendo, quemadmodum filii Israel, abjecto Samuele, regem postulaverunt : ideo sicut filiis Israel datus est Saul I Reg. VIII, 5.
tyrannus, sic isti tyrannum merentur. Tertio, præsidentibus detrahendo, aut illis se insipienter æquando, sicut Aaron et Maria D oblocuti sunt Moysi. Isti spirituali lepra merentur perfundi. Quarto, ad superiorum suorum depositionem inordinate conando : qui vestigia Core, sociorumque ejus

Digitized by Google

sectantur, et cum ipsis damnantur. Præterea, sicut sanctus pater Bernardus fatetur : Nullum sibi modum statuit humana ambitio, sed oculis obtenebratis, altiora jugiter apprehendere nititur. Si quis simplicem præbendam in collegio est adeptus, pudet se solo canonicatu esse contentum. Isti per Core et adhærentes ei Levitas significantur, qui inferiori gradu non contentabantur. Qui autem in faciem contradicunt, et suis superioribus cum irrisione et contemptu loquuntur, imitatores et filii sunt Dathan et Abiron.

Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad illos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Periculosa et infectiva est prava societas, a qua (si fieri potest) est corporaliter abeundum. Quod si fieri nequeat, spiritualiter est discedendum ab ea : imo sic necesse est ab illa discedere, quamvis corporaliter non recedatur. Spiritualiter vero recedere, est vitia, vanitates, negligentias talis societatis vitare, nec solum actum iniquum, sed nequaquam per consensum aut alio modo communicare. Hinc
II *Cor.* VI, 17. et Apostolus : Exite, inquit, de medio illorum, et immundum ne tetigeritis. Præterea, quam enorme crimen sit schisma atque rebellio, et alios ad talia scelera provocare, ostensum est ex morte illa inconsueta, horribili, qua Dathan, Abiron, Core et Hon repente plagati sunt, quibus in terram dimersis, terra reducta est, quasi nil tale factum fuisset. Amplius, per thuribula in quibus ambitiosi atque sacrilegi illi obtulerunt incensum, intelligenda sunt dicta et argumenta ac media, per quæ illi iniqui et schismatici ac hæretici suos quærunt et nituntur errores defendere ac firmare, et per quæ Deum se honorare et colere arbitrantur : quæ omnia sunt frangenda, quantum ad id quod falsitatis et vitiositatis in ipsis est. Suntque producenda in laminas et affigenda altari, quoniam quidquid veritatis in illis est, ad Dei honorem est convertendum, ut separetur pretiosum a vili, malum a bono, falsum a vero. Ideo loquitur Origenes : Si in verbis hæreticorum aliqua ex divinis Scripturis inveniuntur, non respuuntur : quoniam sanctificata et oblata sunt Domino.

Insuper caritatem, patientiam, perfectionem Moysis Aaronque discamus, qui prostrati in terram, oraverunt pro illis qui ipsos lapidare volebant : pro quibus et Aaron Domino sacrificavit. Hinc Origenes : Moyses, inquit, et Aaron discipuli sunt Evangelii magis quam legis. Nam diligunt inimicos, et pro persecutoribus orant. Videant hæc qui Deum criminantur et legem, quomodo Moyses et Aaron ante fecerunt, quod Evangelium postea docuit. Invenitur ergo Evangelii virtus in lege, et Evangelium fundamento innititur legis. Rursus per hoc quod Aaron suo incenso compescuit plagam, quam angelus vastator inflixit, præfiguratum videtur, quod pontifex summus Dominus Jesus passione corporis sui et suæ ardentissimæ caritatis incenso reconciliavit Patri genus humanum, et electos segregavit a reprobis, qui et pro suis crucifixoribus exoravit. Multos *Luc.* XXIII, 34.
quoque eorum qui ipsum occiderunt, ad æternam perduxit salutem, quibus prædixit : Quum exaltaveritis Filium hominis, *Joann.* VIII, 28.
tunc cognoscetis quia ego sum.

Itaque impiorum supplicia nos informent, et aliorum perditio reddat nos cautos. Omnis inobedientia, rebellio, ambitio cum vitiis sibi annexis, infinito horrore odiantur ac vitentur a nobis : quoniam quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere. I *Reg.* XV, 23.
Nullus præsumptione superba dignitatem sibi a Deo non datam, nec legitime impositam, invadat; sed illi cedat, quem non humana ambitio, nec favor corruptus, nec damnanda largitio introduxit.

Digitized by Google

ARTICULUS XXIX

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMIDECIMI : ET LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN.

NUNC enarratur qualiter Dominus alio A signo miraculoso monstravit, quod solos Aaronitas elegisset in sacerdotes. *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad filios Israel, et accipe ab eis,* id est a singulis principibus duodecim tribuum, *virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum virgas duodecim,* utpote duodecim virgas, præter virgam Aaron. Quemadmodum Magister in historiis refert, post plagas et strages in capitulo præcedenti descriptas, nondum cessaverat tumultus super sacer- B dotio Aaron : quia dicebant, quamvis Dominus non elegerat prædictos Levitas ad sacerdotium, poterat tamen esse quod quidam de aliqua tribuum reliquarum digni sacerdotio essent, et forte de omnibus tribubus vellet Dominus aliquot sacerdotes habere, ne tanta sacerdotii dignitas uni tantum domui et paucis committi videretur ministris. Accusabantque Moysen de inopia eremi, eo quod eorum negotiaretur penuriam, id est, negotiose intenderet quod semper inopes essent, vel ipsorum penuria C esset negotiatio ei, ut semper indigere viderentur ejus auxilio. Sicque ad dirimendum hanc litem, Deo jubente, virgas accepit.

Et uniuscujusque nomen, id est cujuslibet tribus seu principis vocabulum, *superscribes virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in tribu Levi,* id est, in virga tribus Levi, quæ virga erit tertiadecima, scribes nomen Aaron et nomen Levi, ut quidam exponunt, quia per mortem Core et complicum ejus, determinata jam fuit quæstio D de sacerdotio Aaron quoad Levitas residuos : idcirco de sacerdotio et pontificio Aaron quæstio non remansit, nisi quantum ad alias tribus. Verumtamen Magister in historiis et alii quidam affirmant, quod nomen Levi fuit scriptum in Aaron virga, quoniam virga illa tribum repræsentavit Leviticam, multoque plures erant de tribu Levi superstites quam occisi. *Et una virga cunctas eorum familias continebit.* Circa hoc aliqui dicunt, quod et in Scholastica fertur historia, quod præter virgas præfatas fuit adhuc una alia et quartadecima, cunctas tribus seu familias continens, in qua probaretur, utrum de omnibus tribubus vellet Deus sacerdotes habere. Alii autem dicunt hujus contrarium, quoniam istud satis innotuit per hoc, quod solius Aaron virga (ut infra legitur) floruit. Idcirco quod dictum est ita exponunt : Una virga cunctas eorum familias continebit, quod sola virga Aaron continebat omnes familias Levi : non quod nomina omnium illarum familiarum erant scripta in ea, sed quod sola virga Aaron suffecit pro omnibus illis : quoniam quæstio de sacerdotio determinata jam fuit quantum ad alias Levi familias; sic quod jam patuit, domum Aaron continere totum jus sacerdotii in tribu Levi. Sed istud non videtur satis certum, quoniam et in aliis tribubus fuerunt plures familiæ, et virga cujuslibet principis continebat virtualiter universas suæ tribus familias, et sufficiebat pro omnibus illis.

Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te, id est ante arcam in qua erant duæ tabulæ testamenti. *Quem ex his elegero,* id est, me elegisse ad sacerdotium monstravero, *germinabit virga ejus; et cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant,* id est, per signum illud

Digitized by Google

ostendam, quod nullum eorum ad sacerdotium elegi : sicque refrenati, a murmuratione ista cessabunt. Præterea quæritur, si isti adhuc murmuraverunt contra Moysen et Aaron propter sacerdotium, cur non sunt percussi ut alii ? Ad quod poterit responderi, quod cordium cognitor Deus judex justissimus, vidit non esse ita incensam sive malignam murmurationem istorum ut aliorum, nec ita se ad sacerdotium ingesserunt aut rebellarunt ut ceteri, sed quasi dubitando inter se mussitabant.

Fueruntque virgæ duodecim, juxta numerum duodecim tribuum, *absque virga Aaron.* Quamvis etenim Jacob non habuerit nisi duodecim filios, a quibus prodierunt duodecim tribus, attamen quoniam tribus Levitica fuit ab aliis separata ad tabernaculi cultum, nec hereditatem sortita est, fuit tribus Joseph in duas divisa. Verum ex his videri potest, quod non erant nisi tredecim virgæ, præsertim quia (ut dicitur) in Hebræo habetur, Fueruntque virgæ duodecim, et virga Aaron in medio earum. Sed hoc alii solvunt, dicentes quod istud intelligendum sit de singulis specialibus virgis, una videlicet generali excepta. *Quas quum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii, sequenti die regressus* Moyses in tabernaculum, *invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi,* id est ipsius Aaron exsistentis et contenti in progenie Levi ; *et turgentibus,* id est inflatis, *gemmis* ex quibus prodeunt flores, *eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas,* id est fructus arboris vocatæ amygdalus, *deformati sunt,* id est perfecte formati. Unde alia translatio habet, Nuces. *Dixitque Dominus ad Moysen : Refer,* id est reporta et pone, *virgam Aaron, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel,* id est pro memoriali, quod quidam eorum tam rebelles, ambitiosi, temerariique fuerunt, quatenus alii a consimilibus vitiis caveant. Posita autem est virga Aaron in arca, ut legitur ad Hebræos. *Hebr. IX, 4.*

Dixeruntque filii Israel ad Moysen : Ecce consumpti sumus, omnes peribimus. Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Istud fuit potius verbum desolationis quam murmurationis : ideo propter hæc verba non sunt puniti. Quasi dicant : Tam multi et magni ex nobis propter hanc sacerdotii causam occisi sunt, quod pene omnes videmur exstincti, vel protinus exstinguendi. Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur : et hoc aliquo modo exstitit verum, quoniam qui se inordinate intromiserunt de sacerdotali officio, perierunt ; qui vero devote accesserunt seu introierunt in atrium causa orandi aut offerendi juxta legis ordinationem, non solum non occidebantur, sed in vita gratiæ profecerunt, vitæque hujus prolongationem merebantur, imo et vitam beatam. Itaque verba istorum per modum hyperbolicæ locutionis sunt intelligenda. *Num usque ad internecionem cuncti delendi sumus ?* id est, Occidemurne omnes ? quasi dicant, Videtur quod imo, nisi Deus agat nobiscum clementius. Unde et in his verbis istorum, pius Dominus patientiam habuit, quoniam ex interioris doloris magnitudine proferebantur. Sicque afflictis non est addenda afflictio.

Sensus mysticus. Amplius, juxta mysticum sensum, unusquisque prælatus, princeps, judex aut præsidens debet virgam habere, id est prælaticam potestatem, ecclesiasticam jurisdictionem, verbum veritatis, legem justitiæ et rigorem judicii, directionem gregis commissi. Porro per virgam Aaron, primo intelligitur Christus et ejus potestas, qui velut arida virga fuit sepultus, sed in resurrectione statim refloruit, flores virtutum dispersit, folia, id est verba cœlestia, protulit, et fructum æternæ produxit salutis, imo suæ salvificæ merito passionis convertit et salvavit genus humanum. Protulit quoque amygdalas, id est Scripturarum sanctarum doctrinas. Nam sicut in amygdalis forinsecus est tegumentum amarum, deinde munimentum robustum, tertio fructus suavis : sic in Scripturis sunt comminationes terribiles et ardua quædam præcepta ; deinde auctoritates firmissimæ et præclara

Digitized by Google

miracula, quibus Ecclesiæ fides munitur; A tertio autem spirituales et mystici sensus, promissa dulcissima, virtus et gratia Spiritus Sancti, consolationes internæ, multiplexque refectio mentis. Præterea virga Aaron est sacratissima Virgo Christifera, a *Luc.* I, 34, 35. nullo hominum fecundata, quæ superveniente Spiritu Sancto est supernaturaliter impraegnata, omniumque virtutum gemmis ornata, et protulit incomparabilis pulchritudinis ac summæ dulcedinis florem, super quem in fine totius excellentiæ requievit Spiritus septiformis, sicut prædixerat B *Is.* XI, 1, 2. Isaias: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini. Produxit item opulentissimum et indeficientissimum fru- *Joann.* VI, 41, 51. ctum, qui de se ipso testatur: Ego sum panis vivus: in quo velut in nuce, fuit passibilitas carnis, et corpus amaritudinibus adimpletum, fortissima anima, deitasque superdulcissima. Quemadmodum autem solum Aaron, ejusque posteros Deus elegit in sacerdotes, sic in novo Testamento usque in finem mundi vult Pater omnipotens, solius Christi sacerdotium per ejus ministros exerceri, durare, florere: ad quod qui indignus accedit, infernali meretur igne cremari. Rursus virga est auctoritas præsidentis, qua nisi quis utatur legitime, manet infructuosa; germinat autem, dum præsidens ea discrete est utens. Quumque proponit et appetit debitum sui explere officii, prodit in gemmas: ex quibus erumpunt mox flores, dum salubris doctrina profluit ex mente affectuosa et pura. Dilatantur etiam folia, dum exemplaria opera extenduntur ad proximos. Producuntur quoque amygdalæ, dum præsidens exercet se ad pietatem, ad reformationem interiorem, ad vitam secretam, ad contemplationem theoricam, ad affectionem in Deum quotidie ardentiorem ac mundiorem.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : DIXITQUE DOMINUS AD AARON.

HUCUSQUE per duo capitula legitur C Dominus pugnasse pro Aaron, et ejus auctoritatem magnificasse; nunc subdit onera pontificii ac sacerdotii ejus. *Dixitque Dominus ad Aaron.* Aliqui scribunt, quod Deus per Moysen dixerit ista ad Aaron: quod reor incertum, præsertim quia ut patuit, sæpe Deus locutus est Aaron pontifici per angelum immediate, non per Moysen. *Tu et filii tui et domus patris tui tecum,* id est tu pontifex et sacerdotes atque Levitæ, *portabitis iniquitatem sanctuarii.* Iniquitas seu peccatum frequenter D accipitur pro sacrificio, quod pro peccati remissione offertur, ut quum per Osee *Osee* IV, 8. Dominus contestatur: Peccata populi mei *II Cor.* V, 21. comedent. Unde et Paulus apostolus: Christus, inquit, factus est pro nobis peccatum. Sicque ab Augustino locus iste exponitur, ut sit sensus, quod sacerdotes et Levitæ portant iniquitatem sanctuarii, id est, sacrificia sumunt et edunt, quæ in tabernaculo offeruntur pro culpis. Simili sensu subjungitur: *Et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri,* id est sacrificia pro peccatis oblata, ac sacerdotibus deputata. Huic expositioni consonat translatio Septuaginta interpretum, quæ habet: Tu et filii tui accipietis peccata sanctorum, et peccata sacerdotii vestri. Verum expositio ista, quam et Glossa sequitur, quibusdam non placet: quoniam sustinere et portare, designant onus injunctum; oblatio autem et receptio sacrificiorum, non

Digitized by Google

est sacerdotibus onerosa. Sed reprobatio ista modici est vigoris. Nam etsi oblatio illa atque receptio, in se ipsis onerosæ non sint, tamen propter annexum periculum onerosæ consistunt : propter quod et ipsa sacerdotalis dignitas sæpe onus vocatur. Timorati quoque sacerdotes, cum ingenti et timore et onere conscientiæ, aliorum oblata consumunt, et hoc propter annexum periculum. Nihilo minus potest et ita exponi : Portabitis iniquitatem sanctuarii, id est, vobis imputabitur, si alii, quibus ex officio non incumbit, ingesserint se sacerdotali Leviticove officio ex ignorantia juris, quia tenemini eos de hoc informare. Potest denuo sic exponi : Portabitis iniquitatem sanctuarii, id est, negligentiæ et peccata, quæ in tabernaculo Deique cultu committuntur a vobis, tanto districtius punientur in vobis, quanto plus tenemini ex injuncto officio esse diligentes in Dei obsequio. Pari modo sustinebitis peccata sacerdotii, id est, quæ in officio sacerdotali incurritis, quoniam juxta gradum dignitatis ejus qui peccat, aggravantur ejus peccata, juxta illud : Quo gradus altior, eo ruina est major ; et item : Graviora delinquentium vitia, facit dignitas delinquentis.

Sed et fratres, id est cognatos, *tuos de tribu Levi et sceptrum patris tui,* id est ceteros sacerdotes, qui quasi regiam habent dignitatem, in spiritualibus præsidendo, *sume tecum,* ut eorum fultus auxilio, plenius tuum exsequaris officium ; *præstoque sint,* id est, præsentialiter et parato animo adsint, *et ministrent tibi,* exsequendo quæ eis in Dei cultu injunxeris, sicut inferior gradus servit superiori : quod tamen est Deo servire magis quam homini. *Tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii,* sacrificando, orando, et cetera faciendo quæ ibi sunt facienda. Solus autem pontifex intravit in Sancta sanctorum, sacerdotes vero in exteriorem tabernaculi partem. *Hebr.* IX, 7.

Excubabuntque Levitæ, id est, vigiles erunt in suis officiis, *ad præcepta tua, et* A *ad cuncta opera tabernaculi,* hoc est, parati jugiter esse debent ad prosequendum universa ministeria eis injuncta in tabernaculo, ejusque atrio ; *ita dumtaxat, ut ad vasa sanctuarii et ad altare non accedant,* id est, non præsumant tangere vasa seu instrumenta cultus divini, nisi fuerint involuta, nec sacerdotale officium sibi usurpent sacrificando in altari ; *ne et illi moriantur, et vos pereatis simul. Sint autem tecum et excubent in custodiis tabernaculi et in omnibus cærimoniis ejus :* B custodiendo ea quorum usus est in tabernaculo, et materias ejus, præsertim in motione castrorum. *Alienigena non miscebitur vobis,* id est, nullus de alia tribu intermittet se de vestris officiis. Ista frequenter præhabita sunt, tam in Levitico quam in volumine isto : ideo non condecet immorari ; nec tamen superflue repetuntur in textu, sed ut tenacius imprimantur memoriæ. *Num.* III, 10. *Tradidi donum Domino,* id est, Levitas assignavi sacerdotibus pro munere in adjutorium eorumdem ad gloriam Dei : C et loquitur Dominus de se quasi de alio. *Tu autem et filii tui, custodite sacerdotium vestrum,* id est, mente devota ac custodita exsequimini actus ipsius ; *et omnia quæ ad cultum altaris pertinent,* id est sacrificationes et contrectationes vasorum, mundationem altaris, et fomentum ignis, qui jugiter arsit in altari, ac consimilia, *et intra velum sunt,* id est contenta in interiori tabernaculi parte, *per sacerdotes administrabuntur,* id est, fient et contrectabuntur, involventur, efferentur, et Levitis ad D portandum dabuntur, dum castra movenda sunt, prout in superioribus est conscriptum. *Ibid.* III, IV. *Si quis externus accesserit, occidetur,* id est, si quis de alia natione aut tribu usurpaverit sibi officia vestra, plagabitur morte corporali aut civili, sicut Ozias rex thurificare præsumens, lepra percussus est. *II Par.* XXVI, 19. Talis quoque occidit se ipsum morte culpæ, et si non pœnituit, periit morte infernalis miseriæ.

Denique, ut sacerdotes in horum observantiis diligentiores consisterent, comme-

Digitized by Google

morat Dominus qualiter eis de victu providit, et temporalem quamdam mercedem præter æternam retribuit. *Locutusque est Dominus ad Aaron : Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum,* id est, primitias quæ mihi debentur, deputavi tibi ac filiis tuis, ut eas vobis reponatis, et opportuno tempore manducetis. *Omnia quæ* Deo *sanctificantur a filiis Israel,* id est, ea quæ ceteræ tribus deputant et offerunt Deo ex voto aut alio modo, *tibi tradidi et filiis tuis,* ut inde accipias vel totum, vel partes secundum legem præfixas, prout in Levitico diffuse præhabitum est, *pro officio sacerdotali,* id est pro obsequiis atque laboribus mihi a vobis exhibitis in sacerdotali aut pontificali officio : non quod temporalia ista fuerint merces finalis et principalis obsequiorum Deo exhibitorum, sed merces præambula, secundaria, temporalis, puta stipendium vitæ, ordinatum ad retributionem beatificam et æternam, quemadmodum Christus in Evangelio prædicatoribus ait : In eadem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. *Omnis oblatio et sacrificium, et quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, et cedit in sancta sanctorum, tuum erit et filiorum tuorum.* Ista sæpe præhabita sunt : et potest hoc loco per oblationem intelligi pacifica victima ; per sacrificium, holocaustum ; per ea quæ offeruntur pro peccato et delicto, sacrificia quæ fiebant pro peccatis majoribus aut minoribus, vel pro culpa commissionis et vitio omissionis : quæ omnia in toto vel pro parte, cesserunt in usum sacerdotum. Nam et pelles holocaustorum erant eorum. *In sanctuario comedes illud,* id est in ædibus prope atrium sive in atrio. *Mares tantum comedent* * *ex eo,* id est, soli sacerdotes et non eorum uxores, edent ex hostia tali, *quia consecratum est Domino.* In Levitico autem diffuse expositum est, de quibus licuit uti solis sacerdotibus, et de quibus tam eis quam eorum filiis, de quibus item et ipsorum uxoribus, ceterisve domesticis.

Lev. VII. — *Luc.* X, 7. — *Lev.* II-VII. — *Ibid.* VII, 8. — * *edent*

Primitias autem quas voverint et obtulerint filii Israel, id est, primitiva quæ deputantur et immolant Deo, sive ex voto, sive ex legis statuto, aut ex devotione supererogante, *tibi dedi et filiis tuis ac filiabus tuis jure perpetuo,* id est tibi ac tuis domesticis pro sustentaculo vitæ. *Qui mundus est* a fluxu seminis, a lepra, a contaminatione mortui, et consimilibus irregularitatibus legis, *vescetur eis.* Immundis autem non licuit tale quid manducare, quoniam Domino erant sanctificata et consecrata. *Omnem medullam olei et vini ac frumenti,* id est primitiva atque præcipua de oleo, vino, frumento, quæ Domino pro primitiis offeruntur, cui præstantiora sunt immolanda, quod per medullam innuitur, *quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. Universa frugum initia,* id est primitivi fructus terræ, vinearum, arborum, ficorum ac olivetorum, *cedent in usus tuos. Quidquid primum erumpit de vulva cunctæ carnis quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit,* id est omne primogenitum ex hominibus et jumentis, *tui juris erit,* id est, ad sacerdotes pertinebit, quia primogenita erant Domino consecrata; *ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias,* id est quinque siclos pro quolibet primogenito aliarum tribuum Israel. Istud supra dictum est. *Et omne animal quod immundum est,* id est non immolaticium ; vel si est de genere immolabilium pecorum, tamen maculatum est, deforme, monstruosum, aut languidum ; *redimi facias,* ut scilicet dominus primogeniti pecoris talis, offerat pro illo pretium, et animal illud sibi reservet ; *cujus redemptio erit post unum mensem* a nativitate pecoris talis, *siclis argenti quinque. Siclus viginti obolos habet.* Totum hoc supra scriptum est. Verumtamen istud non est intelligendum absolute de universis immundis pecoribus, quoniam juxta præhabita, quædam primogenita bestiarum, videlicet canum, non redimebantur, sed occidebantur. Primogenita vero asinorum redimebantur, non

Num. III, 47. — *Exod.* XIII, 2, 12, 13. *Lev.* XXVII, 26, 27. — *Deut.* XXIII, 18.

Digitized by Google

Exod. XIII, 13. siclis aut pecunia, sed unumquodque commutabatur, redimebaturque ove. De quibus omnibus assignatæ sunt supra variæ rationes litterales ac spirituales. Idcirco quod dictum est, intelligitur de omni animali immundo, quod cadit sub redemptione, et quia perpaucæ species a regula illa redemptionis excipiuntur. *Primogenita autem bovis et ovis et capræ non facias redimi.* Hæ namque tres animalium species erant immolaticiæ : propter quod subditur, *quia sanctificata sunt Domino,* id est deputata ut Deo immolentur : ideo primogenita horum non redimebantur. *Omnes primitias sanctuarii,* id est, quæ offeruntur Deo in tabernaculo, *tibi dedi. Pactum salis sempiternum est,* id est, lex ista est firmum statutum, divinæ sapientiæ condimento sancitum, spiritualiter saporosum : et recte pacti stabilitas nomine salis ex- *Lev.* II, 13. primitur, quia sal in omni sacrificio ponebatur.

Dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, id est, tu pontifex, sacerdotes, et Levitæ, non habebitis *Ibid.* XXV, 32-34. inter tribus Israel hereditaria bona. Urbes tamen et villas ad habitandum, et suburbana ad alendum pecora sua habebant. *Nec habebitis partem inter eos,* id est nihil omnino ultra quam tactum est. Aliqui autem dicunt hoc additum, ad insinuandum quod nec in spoliis inimicorum participationem habere debebant : cujus tamen *Num.* XXXI, 28-30, 37-41. oppositum in præda Madianitarum infra legitur factum. *Ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel,* id est portio hereditaria omnium vestrum, quia mihi oblata et consecrata, vobis in sustentationem vitæ concessi, nec amplius indigetis. Sequitur de stipendio temporalique præmio Levitarum. *Filiis autem Levi,* id est Levitis qui erant sub sacerdotibus, *dedi omnes decimas Israelis,* id est tribuum aliarum, *in possessionem,* id est loco portionis ipsorum : qua portione debebant esse contenti, et tanto quietius Deo servire,

A atque pro populo exorare, quo plus eis providebatur a populo. Idcirco peccata populi portare debebant, orando, ministrando, et satisfaciendo pro illis, condolendo quoque eisdem, et sollicitudinem pro illis gerendo. Quæ nisi fecissent, peccata plebis redundassent in ipsos.

Subditur de præcipua portione pontificis. *Præcipe Levitis atque denuntia : Quum acceperitis decimas a filiis Israel, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, ut imputetur vobis* B *in oblationem primitivorum,* id est, tam accepta sit Deo hæc vestra oblatio, ac si de quibuscumque aliis rebus immolaretis primitias, dato quod alia licite possideretis. *Tam de areis quam de torcularibus,* id est, de vino ac aliis rebus offerte has decimas sive primitias. Nam et meliora quæque ex decimis sibi datis debuerunt Deo offerre, et illa cesserunt in usum pontificis. Hinc additur : *Omnia quæ affertis* ex decimis* vobis a populo persolutis, *et in donaria Domini separabitis,* id est, quæ C dividetis a ceteris partibus rerum seu decimarum vestrarum, ad hoc quod offerantur Deo in dona pro usu summi ministri ipsius, *optima et electa cuncta erunt. Dicesque ad eos,* videlicet ad Levitas : *Si præclara et meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area et de torculari dederitis primitias,* id est, tam laudabile erit, quasi de propriis granis et vinis quæ in area et torculari continentur, solveritis primitiva et præstantiora, dato quod talia licite possideretis ; *et co-* D *medetis eas,* hoc est decimas vestras, ita tamen, quod decimam partem earum præclariorem, ut dictum est, offeretis. *Et non peccabitis super hoc,* id est, præcipio ne contra hæc agatis, *egregia vobis et pinguia reservantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel,* id est, ne decimis vobis a populo datis abutamini, ita quod cedant vobis in malum, et inacceptæ sint Deo ex parte vestri.

* *offeretis*

Digitized by Google

ARTICULUS XXXI

DE EJUSDEM CAPITULI OCTAVIDECIMI INTELLIGENTIA SPIRITUALI.

PER Aaron præsulem, et ejus filios sacerdotes, intelliguntur pontifices, sacerdotes, et ceteri in sacris Ordinibus constituti, religiosi quoque ac ceteri virtuosi, præsertim prælati idonei. Horum omnium est portare iniquitatem sanctuarii, id est peccata Ecclesiæ : hoc est, aliorum imbecillitates pie sufferre, condolere pusillis, afflictis, et tentatis ac lapsis caritative succurrere, et pro alienis peccatis, præsertim eorum qui eis commissi sunt, sicut pro propriis, pœnitere, flere, satisfactionisque opera exercere : quod nisi juxta exigentiam officiorum suorum, et prout vera dilectio pietasque requirunt, fideliter fuerint exsecuti, sustinebunt peccata sacerdotii sui. Porro summus pontifex noster Dominus Jesus Christus, vere super se accepit peccata omnium nostrum : quoniam ipse est Agnus Dei qui tulit peccata mundi, (*Joann.* I, 29.) in quo Dominus posuit iniquitatem omnium nostrum, (*Is.* LIII, 6.) de quo princeps Apostolorum dignissimus : Peccata, inquit, nostra portavit in corpore suo super lignum. (I *Petr.* II, 24.) Majores autem prælati, inferiores assumere debent in suum auxilium, suosque hortari vicarios, ut omni cum vigilantia mentis expleant quidquid eis injunctum est : sic quod majores majoribus et sacratioribus exercitiis debent totis viribus esse intenti, atque cum summa reverentia circa altare Deo adsistere.

Denique hoc loco recitat Origenes, qualiter suis temporibus dixerunt Judæi : Quoniam non habemus templum, nec sacerdotium, neque altare, nec hostias immolamus ; ideo peccata nostra manent in nobis, nec veniam consequimur. Istud refert, non reprobat, non tamen approbat, Origenes. Sed horum verborum rudissimus error faciliter demonstratur. Deus namque uberrime eis promisit, quod si in toto corde suo reverterentur ad ipsum, ignosceret etiam in terra aliena, in qua sacrificare non poterant, atque reduceret eos. Nec sacrificia illa carnalia ex se ipsis justificabant. In Babylonica quoque captivitate, combustis templo atque altaribus, misericordiam impetraverunt, et reducti fuerunt. (IV *Reg.* XXV, 9. I *Esdr.* I, 2 *et seq.*) Sacrificium autem Deo spiritus contribulatus ; corque contritum et humiliatum Deus non despicit. (*Ps.* L, 19.) Nec unus sua tyrannide potest directe salutem alterius impedire. Imo, ut ait Ezechiel, In quacumque hora ingemiscit peccator ex corde, omnium iniquitatum ejus Dominus non amplius recordatur. (*Ezech.* XVIII, 22 ; XXXIII, 12.)

Tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua. Ex his constat, quam assidue et devote debeant prælati et sacerdotes, maxime superiores, in ecclesia esse, divinis officiis interesse, et contemplari mysteria Dei, sacramentaque Christi ; quam prompta quoque et condecens obedientia, quam pulcherrimus ordo consistere debeat inter ministros Ecclesiæ, ut fiant omnia ordinate. (I *Cor.* XIV, 40.)

Locutusque est Dominus ad Aaron : Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Sicut in veteri lege, ita in nova sacerdotibus et pastoribus primitiæ debentur ac decimæ persolvuntur : quia hoc est partim de jure divino, et partim de jure naturali, imo et ad positivum jus pertinet. Nam et ratio dictat, ut eis a populo ministrentur corporalia vitæ stipendia, qui ipsi populo spiritualia ministrant. Hinc Origenes : Deo, inquit, offerri dicitur, quod sacerdotibus datur. Hoc enim ex lege docetur, quod nemo legitime utitur fructibus aut pecoribus suis, nisi Deo, id est sacerdotibus, ex

Digitized by Google

singulis primitias offerat. Hanc ergo legem, sicut et alia quædam etiam nunc ad litteram necessario puto servanda. Verumtamen sunt qui dicant, Si aliquid observatur ad litteram, cur non omnia? Si vero sunt spiritualiter intelligenda, spiritualiter sunt omnia observanda seu discutienda. Nos autem utriusque assertionis insolentiam temperantes, auctoritate Scripturarum proferimus quid sit observandum in istis. Scriptum est enim : Lex Domini irreprehensibilis, convertens animas; testimonium Domini fidele, præceptum Domini lucidum, etc. Hæc Origenes. Ex quibus intendit probare, quod multiplicia ac diversa erant veteris legis præcepta, videlicet moralia, cærimonialia et judicialia. Cærimonialia autem cessant aut prohibentur in evangelica lege : quoniam erant principaliter figurativa eorum, quæ in nova lege sunt adimpleta; veritate autem veniente ac patefacta, cessat figura. Judicialia quoque sic cessant, quod non obligant ex eo quod in veteri lege instituta fuerunt; non tamen sic prohibentur, quin possint licite observari, si ab Ecclesia vel principe auctoritatem tantum habente instituantur. Moralia vero manent in nova lege. Præcepta demum legis naturalis ad moralia reducuntur, imo sunt fundamenta eorum. Denique in secunda secundæ, quæstione 85, Thomas declarat, quod offerre sacrificium Deo sit de lege naturæ.

Ps. XVIII, 8, 9.

Verumtamen taxatio certæ quantitatis in oblatione primitiarum, non fuit determinata in lege, quia primitiæ dantur per modum oblationis gratuitæ, de cujus ratione est quod sit voluntaria. Dicit autem Isidorus, quod ex majorum traditione sit introductum, quod qui plurimum dabant, quadragesimam partem sacerdotibus dabant loco primitiarum; et qui minimum, sexagesimam partem. Unde videtur, quod inter hos terminos sint primitiæ offerendæ, secundum consuetudinem patriæ: quod et Thomas scribit in secunda secundæ, quæstione 87; et in eadem quæstione testatur : Decimæ in veteri lege dabantur ad

A sustentationem ministrorum Dei. Sicque præceptum de decimarum persolutione, partim erat morale naturale, videlicet inditum rationi, et partim judiciale, ex divina institutione robur habens. Quod enim his qui divino sunt cultui dediti pro omnium salute communi, a communitate provideatur de necessariis vitæ, dictat ratio naturalis, (et a gentilibus servabatur, ut patet in Genesi de sacerdotibus Ægyptiorum, quibus ex publicis horreis alimenta dabantur). Sed determinatio certæ partis

Gen. XLVII, 22.

B exhibendæ Dei ministris, non est de jure naturali, sed est introducta institutione divina, secundum conditionem illius populi cui lex ista dabatur : qui quum esset in duodecim tribus divisus, duodecima tribus, puta Levitica, divinis obsequiis mancipata, hereditatem non habuit : ideo rationabiliter est statutum, ut undecim tribus decimam partem suorum proventuum darent Levitis, quatenus honorabilius viverent. Conformiter in novo Testamento determinatio decimæ partis solvendæ, est

C ex auctoritate Ecclesiæ instituta secundum quamdam humanitatem : ut scilicet populus evangelicæ legis non minus exhibeat ministris ejusdem legis, quam populus veteris Testamenti exhibebat ministris veteris legis, præsertim quum populus novi Testamenti ad majora sit obligatus, major quoque sit dignitas ministrorum novæ legis quam veteris. Itaque præceptum de decimarum persolutione, quantum ad id quod erat morale, datum est a Christo : Dignus est enim operarius mercede sua. Hinc as-

Luc. X, 7.

D serit Origenes : Utile est offerre primitias sacerdotibus Evangelii, ut qui Evangelium nuntiant, de Evangelio vivant. Impium quippe est, ut qui ingreditur Ecclesiam, et scit sacerdotes ac ministros altari adsistere, et verbo Dei aut ministerio Ecclesiæ deservire, non offerat sacerdotibus primitias de fructibus terræ quos Dominus dedit, qui solem suum facit oriri, pluviamque descendere.

I Cor. IX, 14.

Matth. V, 45.

Omnem medullam olei et vini ac frumenti, etc. De horum spirituali signifi-

Digitized by Google

catione dictum est sæpe. Itaque tam de corporalibus quam de spiritualibus bonis, quidquid primum præcipuumque consistit, Deo est offerendum : quod et angeli sancti efficiunt, qui eos quos dirigunt, offerunt Domino cum omni profectu quem fecerunt in illis. *Dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis,* etc. Per hoc constat, quam vehementer omnis avaritia sacerdotibus et ministris Ecclesiæ sit vitanda, ut pure, integre ac libere vacent Deo. Propter quod Rabanus ait : In utroque Testamento ministris altaris oblationes et decimæ ad necessaria tribuuntur, ne terrenis possessionibus audeant inhiare, nec lucrum de ministerio
Matth. x, 8. quærere, quum dicat Salvator : Gratis accepistis, gratis date. Itaque sacerdotibus veteris Testamenti dabantur primitiæ, Levitis decimæ, pontifici autem decimæ decimarum a Levitis.

Quocirca quæri potest, an et summo Pontifici nostro, modo solvendæ sint decimæ decimarum. Circa quod loco præallegato aliqui dicunt, sicut et Thomas : Quia Levitæ sub sacerdotibus erant, mandavit Dominus, ut Levitæ loco primitiarum solverent summo sacerdoti decimam de decimis suis. Unde nunc eadem ratione tenentur

A clerici summo Pontifici decimam dare, si exigat : quoniam naturalis ratio dictat, ut ei qui habet de communi multitudinis statu curam, provideatur, unde exsequi possit ea quæ pertinent ad communem salutem. Verumtamen de hoc scribit Antisiodorensis in tertia parte Summæ suæ ; et primo argumentatur, dicendo : Summus Pontifex præsidet toti Christianitati, ergo ei solvendæ sunt decimæ decimarum, sicut in veteri Testamento. Ad hoc dicendum videtur, quod clerici non tenentur domino Papæ
B dare decimam decimarum, quia et difficillimum esset illam colligere. Unde ordinavit Ecclesia, quod dominus Papa habeat suam propriam diœcesim, cui præest et providet immediate, et in qua habet decimam decimæ, si vult. Habet quoque multa regalia quæ dederunt ei imperatores, et insuper omnia bona Ecclesiæ sua sunt, et accipit inde quantum vult. Ait etiam doctor iste : Loco primitiarum veteris Testamenti, subintroierunt in Ecclesia oblationes, quæ fiunt quotidie, et præcipue oblationes
C quæ fiunt in tribus festis, scilicet in Pascha, Pentecoste, et Nativitate. Postremo, responsio Alexandri de Hales super secundum Sententiarum de prætacta quæstione, magis consonat responsioni beati Thomæ.

ARTICULUS XXXII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI NONIDECIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN ET AARON.

De quodam præcipuo legis ritu et sacrificio ac sacramento nunc agitur. *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Ista est religio victimæ quam constituit Dominus.* Quod ait, Quam, potest referri tam ad religionem quam ad victimam. Itaque, Ista est religio, hoc est religiosa observantia seu legitimus ritus ac modus victimæ, id est sacrificii pro

D peccato populi, et pro purificatione ipsius offerendi. *Præcipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam.* Nam quia pro totius plebis expiatione immolabatur, de communi sumptu exhibebatur, et adducebatur per quosdam deputatos ad hoc ex parte communitatis. Fiebat autem sacrificium istud de vacca, quia secundum Hebræorum doctores, et secundum Patres

Digitized by Google

catholicos, offerebatur pro peccato adorationis vituli aurei, et in memoriam illius facinoris, prout Alexander super secundum, et Guillelmus libro de Fide et legibus scribunt. Verumtamen animal istud vocatur vacca magis quam vitulus, ad insinuandum fragilitatem et vilitatem populi in scelere illo ; et quoniam populus ille ob suam carnalitatem, torporem, lasciviam, assimilatus est vaccæ. Unde scriptum est :
Amos IV, 1. Audite, vaccæ pingues, quæ estis in monte
Osee IV, 16. Samariæ. Et apud Osee : Sicut vacca lasciviens declinavit Israel. Vituli quoque quos a tempore Jeroboam adoraverunt, inter-
Ibid. X, 5. dum vaccæ vocantur, juxta illud : Vaccas Bethaven coluerunt.

Itaque, Adducant ad te vaccam rufam, rubei scilicet coloris, quia et vitulus ille aureus erat talis coloris : quatenus vacca illa per suam substantiam et colorem, faceret ipsi Aaron ac populo rememorationem peccati commissi in aureo vitulo, et de eodem peccato pudorem eis incuteret et horrorem. Rufus etiam color in vaccis exstat communior. *Ætatis integræ,* ad designandum quod jam adulti erant, imo et senes, qui vitulum adoraverunt. Dicuntque aliqui, quod debuit esse trima, id est trium annorum, sicut et in Genesi legitur Domi-
Gen. XV, 9. nus dixisse ad Abraham : Sume vaccam triennem. Tamen (ut fertur) in Hebræo non habetur, Ætatis integræ, sed, Integre : ut sit sensus, quod vacca debuit esse rufa per totum. Sicque quod subditur, *in qua nulla sit macula,* posset exponi, quod in ea non debuit esse macula velleris, diversitasve coloris. Melius tamen exponitur, In qua nulla sit macula, id est deformitas seu defectuositas reddens animal ineptum ad offerendum. *Nec portaverit jugum :* ad figurandum quod populus idololatrans, fuit prorsus indomitus, jugumque legis abjecit, quemadmodum per Jeremiam Dominus
Jer. II, 20. protestatur : A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea ; et dixisti, Non serviam.

Præterea, ut recitat Rabbi Paulus : Pro eo quod nostra translatio habet, Ista est religio victimæ, in Hebræo habetur, Istud est cærimonium legis. Et dicunt expositores Hebræorum, quod hoc præceptum sic appellatur, quia non habet rationem litteralem claram, sed secretam. Multa enim sunt in isto præcepto ab aliis sacrificiis declinantia, ut patet intuenti. Ideo Rabbi Moyses Gerundensis, hoc loco excusans se a reddenda ratione hujus præcepti, ait : Nos autem qui pro peccatis nostris sumus contaminati in hac captivitate, ignoramus munditiam sanctitatis, donec veniat super nos spiritus de alto, et effundat Deus super nos aquas mundas, et mundemur. Utinam Rabbi iste intellexisset se ipsum. Hæc Rabbi Paulus.

Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti : cui tradebatur ad offerendum magis quam patri ejus, quia non peccavit in adoratione vituli, quemadmodum Aaron. *Qui eductam extra castra :* non enim offerebatur in tabernaculo vel atrio, quæ erant castra deitatis, nec in castris Levitarum aut populi, sed extra omnia, in horrorem peccati tam gravis, atque ad innuendum, quod tota plebs ab illo peccato summe elongare se debeat ;
et quoniam extra portam passus est Christus, quod ad mysticam pertinet rationem, *Hebr.* XIII, 12.
prout sequenti dicetur articulo ; *immolabit in conspectu omnium :* ut omnes de suis pœniterent peccatis, et quia idololatria illa in vitulo aureo publice facta fuit. Aliqui tamen dicunt, quod Eleazar vaccam mactavit per alium sacerdotem. Unde in Hebræo fertur haberi, Immolabit eam in conspectu suo, id est, eam faciet coram se immolari.

Et tingens digitum in sanguine ejus, adsperget contra fores tabernaculi septem vicibus. Infra in isto habetur capitulo, quod sacerdos offerens vaccam, completo isto et quibusdam sequentibus, redibit in castra : idcirco adspersionem hanc fecit antequam rediit, ita quod in loco immolationis vaccæ stans, faciem suam direxit versus tabernaculi fores. Sicque adspersit versus easdem, quemadmodum tertio Regum, Salomon ait de filiis Israel : Si capti fue-

Digitized by Google

III *Reg.* VIII, 48. *Dan.* VI, 10. rint, adorabunt versus locum quem elegisti. Daniel quoque recitat se orasse in terra aliena contra Jerusalem. Itaque septies adspersit sanguinem vaccæ oblatæ, cujus sanguis saltem pro parte colligebatur in vase. Dicuntque aliqui, quod septies adspersit, ad insinuandum quod idololatriæ crimen quodammodo æquiponderat cunctis peccatis, quia importat totalem recessum a Deo. Sed adspersio cum sanguine victimæ, videtur potius designasse peccati expiationem, quam gravitatem. In aliis quoque sacrificiis fiebat frequenter septena adspersio sanguinis. Sed et odium Dei, non est minus crimen quam idololatria. Verius ergo videtur, quod ait Thomas in prima secundæ, quæstione 102 : Ut significaretur populus per hoc sacrificium emundari ab universis peccatis, intingebat sacerdos digitum suum in sanguinem, septiesque adspersit: nam septenarius universitatem significat.

Comburetque eam cunctis videntibus, ut ex vaccæ combustione advertant, quod ipsi peccando meruerunt infernali torqueri incendio, imo et occidi in sæculo isto. Comburebatur demum in igne, quoniam
Exod. III, 2. *Act.* VII, 30. *Exod.* XIX, 16, 18; XX, 18. Dominus in igne apparuit Moysi, et in igne data est lex, et quoniam idololatria est penitus exstirpanda cum speciebus et circumstantiis suis. Ad quod denotandum, fiebat quod subditur : *tam pelle et carnibus, quam sanguine et fimo flammæ traditis,* ita quod nihil remansit de vacca. Pro Fimo, Septuaginta transtulerunt, Stercora : per quæ interiores immunditiæ designantur. *Lignum quoque cedrinum et hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.* Circa hoc scribit Thomas : Istud fiebat ad significandum quod sicut ligna cedrina non de facili putrescunt, et coccus bis tinctus non amittit suum colorem, et hyssopus suum servat odorem, etiam quum fuerit desiccatus; ita hoc sacrificium fuit in conservationem populi, et honestatis devotionisque ejus. Vel (ut Josephus ait) per ista, designata sunt quatuor elementa : videlicet elementum ignis per flammam ; terra per cedrum, ob suam terrestreitatem ; aer per hyssopum, ob suum odorem ; aqua per coccum, propter tincturas quæ ex aquis sumuntur : quatenus per hæc exprimeretur, quod sacrificium hoc offerebatur Creatori quatuor elementorum. Aliqui vero dicunt, quod cedrus et hyssopus ponebantur in igne, ad reprimendum fœtorem ex vaccæ combustione surgentem ; coccus bis tinctus, ad insinuandum quod cineres vaccæ erant per totum annum servandi pro purificatione populi. Unde Magister in historiis ait : Verisimile est, quod cineres vaccæ annuatim fiebant, sicut modo fit chrisma. Quidam tamen Hebræi dicunt eos valuisse et durasse per plures annos, nec novos factos, nisi quum veteres defecerunt. Hæc ibi. Cui recitationi concordat quod scribit Rabbi Paulus : Cineres vaccæ non solum servabantur per totum annum, sed pluribus annis. Tradunt namque Hebræi, quod per totam utriusque templi durationem non erant combustæ, nisi sex vaccæ in sacrificium istud : una videlicet tempore Moysis, cujus cineres duraverunt per totum tempus primi templi ; secunda tempore Esdræ, in principio templi secundi ; aliæ duæ sub Simone justo summo sacerdote diversis temporibus ; ceteræ duæ sub Joanne pontifice, patre Mathathiæ, patris Machabæorum.

Et tunc demum lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra. Ex immolatione etenim vaccæ contraxit immunditiam quamdam legalem, propter quam removendam lavit corpus suum, videlicet aliquas corporis partes et vestes. *Commaculatusque erit usque ad vesperam :* quia etsi lotus modo prætacto poterat propria ingredi castra, non tamen tabernaculum ante vesperam : et impedimentum illud ingrediendi sanctum locum, vocatur commaculatio et irregularitas quædam. *Sed et ille qui combussit eam,* id est, sacerdos qui ad ignem remansit, donec tota vacca fuit combusta, *lavabit vestimenta sua et*

Digitized by Google

corpus, et immundus erit usque ad vesperam, juxta sensum expositum.

Colliget autem vir mundus, puta sacerdos ad hoc deputatus, *cineres vaccæ,* quibus admixti erant cineres ligni cedrini et hyssopi, cocci quoque bis tincti; *et effundet eos extra castra in loco purissimo :* reponebantur enim cineres illi seorsum extra populi castra in loco et repositorio sacro; *ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam,* id est pro communi omnium utilitate custodiantur, *et in aquam adspersionis,* id est ad hoc, quod aliqua B pars cinerum horum admisceatur aquæ, quæ sic mixta, aqua adspersionis seu lustrationis et expiationis appellatur, qua adspergebantur immundi. *Quumque laverit, qui vaccæ portaverit cineres* ad locum mundissimum, *vestimenta sua* et etiam corpus, *immundus erit usque ad vesperam.* Immunditia ista non fuit culpa, sed irregularitas quædam, impediens a templi ingressu, sacrificiorumque esu.

Præterea mirum videtur, cur erat immundus qui istud sacrificium obtulit; item C qui ad ignem, quousque consumeretur, remansit; is quoque qui cineres congregavit : quum cineres isti fuerint facti ad alios emundandos, et sacrificium istud specialiter religiosum nuncupetur a Domino. Valde etiam videtur mirabile, quod et is qui alium hac aqua adspersit, et adspergendo mundavit, fiebat immundus, præsertim quum actus prædicti fuerint jussi a Domino et virtuosi in se, utpote actus seu opera latriæ, sicque exercentem purificabant, aut puriorem reddebant. Ad D hæc Thomas respondet in prima secundæ : Quia hoc sacrificium pro peccato idololatriæ offerebatur, idcirco in ejus detestationem tam vaccam comburens, quam ejus cineres colligens, quam aquam, cui cinis vaccæ mixtus fuit, adspergens, repræsentabantur immundi : ut per hoc ostenderetur, quod quidquid quocumque modo ad idololatriam pertinebat, immundum erat. Alii dicunt, quod immunditia duobus modis contrahitur : Primo, ex im- A munditia rei tactæ; sicque mortuum tangens, fiebat immundus. Secundo, ex indignitate tangentis, quemadmodum sæcularis peccaret calicem consecratum tangendo. Sicque prædicti in vaccæ immolatione, combustione, et cinerum ejus collectione, et aquæ illius adspersione, efficiebantur immundi : quoniam sacrificium illud, et cineres ejus, atque adspersio, ad totius populi purificationem ordinabantur. Propter quod tangens aut tractans ea, debuit se reputare illorum contactu indignum, et maculam quamdam contrahere, ac ideo indigere purgatione. Attamen macula illa non fuit macula culpæ, sed irregularitatis præfatæ. Potest tamen et alia ratio assignari, quam arbitror veriorem, quod scilicet omnes illi fuerunt immundi, ad designandum quod sacramenta et sacrificia illa legalia non habuerunt in se aliquam sanctitatem et sanctificandi virtutem, sed potius fœditatem; tamen ex institutione divina, atque ex offerentium fide, obedientia, devotione, purgabant. Fuit quoque et mystica causa, articulo sequenti tangenda.

Habebunt hoc filii Israel, et advenæ qui habitant inter eos, puta proselyti, *sanctum jure perpetuo,* hoc est, præceptum istud de sacrificio isto, et ceteris ei annexis, observabunt tanquam sacrum divinitus institutum, ac duraturum per omne tempus veteris Testamenti.

Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus, adspergetur hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur, ita quod deinceps poterit ingredi sanctum locum, et de oblatis comedere. *Si die tertio adspersus non fuerit, septimo non poterit emundari* adspersione aquæ istius, propter negligentiam illam priorem : ideo oportet eum de novo computare septem dies, in quibus immundus erit, et in quorum tertio et septimo adspergetur. Istud, sicut et sequentia, præhabitum est in Levitico variis locis, ubi omnium horum rationes litterales ac mysticæ sunt inductæ.

Digitized by Google

Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, id est exstinctum hominis corpus, *et adspersus hac commixtione non fuerit,* hoc est aqua lustrationis cui mixtus est cinis; *polluet tabernaculum Domini,* id est, templum Dei inhonorat et maculat, quantum in se est, non tamen absolute polluet illud. Nam si hoc tabernaculum vellet Dominus intelligi factum esse ex illo immundum, mundari ipsum juberet, ut Glossa exponit. Vel, polluit tabernaculum Domini, hoc est, Synagogam seu populum scandalizat. Potest quoque contingere, quod tangens cadaver defuncti, contrahat quamdam infectionem, qua et alios posset inficere. *Et peribit ex Israel.* Quamvis enim ex tactu mortui quandoque culpa non incurratur, tamen ex contemptu aut negligentia impletionis hujus præcepti, incurrebatur culpa mortalis, cujus pœna fuit non solum occisio temporalis, sed et æterna damnatio impœnitenti. Porro, Septuaginta hunc passum sic transtulerunt: Omnis qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, et mortuus fuerit, intacto mortuo, antequam fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit, exteretur anima illa ex Israel. Quocirca loquitur Augustinus: Difficillime invenitur in his libris aliquid evidentius de vita hominis post mortem esse conscriptum, quam hic. Ergo quum dicit, si fuerit mortuus ante purificationem, manere in illo immunditiam, et exteri animam illam ex Israel, hoc est a consortio populi Dei: quid aliud vult intelligi, nisi manere animæ pœnam, etiam post mortem, si dum vivit, mundata non fuerit hoc sacramento, quo Christi figuratur Baptismus?

Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo, id est, institutio sequens concernit morientem in domo. *Omnes qui ingrediuntur tentorium illius,* ipso nondum elato ex domo, seu ante septimum diem post obitum, *et universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus:* nisi fuerint cooperta, ideo subditur: *Vas quod non habuerit cooperculum, nec ligaturam desuper, immundum erit* ex morte morientis seu defuncti præsentia. Ex quo elicitur, quod si vasa ibi exsistentia fuerunt tecta, ligatave desuper, pro tunc non maculabantur, quoniam intus non fœdabantur, ubi ponebantur necessaria victui. De expositione et rationibus horum dictum est in Levitico. *Lev.* XI, 32-34.

Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, scilicet ex causa naturali intrinseca, *sive os illius vel sepulcrum; immundus erit septem diebus. Tollentque* homines mundi *de cineribus combustionis atque peccati,* hoc est aliquid cinerum vaccæ combustæ pro peccatis communitatis, *et mittent aquas vivas,* utpote scaturientes, quæ instar viventium ex se moveri videntur, *super eos,* id est super cineres illos, *in vas* in quo cineres primo ponebantur; *in quibus quum homo mundus tinxerit hyssopum, adsperget omne tentorium et cunctam supellectilem* defuncti in domo, *et homines hujuscemodi contagione pollutos,* id est inquinatos ex tactu seu præsentia mortui. *Atque hoc modo mundus lustrabit,* id est purgabit, *immundum, et expiabit tertio et septimo die.* Fiebat autem adspersio illa cum hyssopo, quæ est boni odoris, ad innuendum quod homo sic purgabatur a fœditate contracta. *Ipse quoque qui adsperget aquas* super immundum, *lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis* per se, non ex hoc, quod super eum adsperguntur, *immundus erit usque ad vesperum,* eadem ratione, qua tangens et deferens reputabatur immundus. *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet; et anima,* id est homo, *quæ horum quidpiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperam.* De his, quia præhabita sunt, percurro. Porro ab hac minori immunditia purificabantur per solam vestium lotionem, nec indigebant aqua adspergi, ne procederetur in infinitum. Qui enim aqua adspergebat, immundus fiebat. Sicque si se ipsum adspergeret, remaneret pollutus; si autem adspergeretur ab altero, alter ille inquinabatur, et ita nunquam terminaretur purgatio.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIII

DE MYSTICA HUJUS CAPITULI NONIDECIMI INTERPRETATIONE.

PER vaccam rufam integræ ætatis, et A quæ jugum non traxit, allegorice designatur Christi humanitas, seu persona Christi naturali infirmitate ac passibilitate circumdata, quæ adhuc in Virginis utero manens, vir fuit de quo Jeremias prædixit (*Jer.* XXXI, 22.) : Novum faciet Dominus super terram, Mulier circumdabit virum. In quo nulla est macula, quia peccatum non fecit neque contraxit (I *Petr.* II, 22.). Et rufa effecta est tempore passionis, quia adspersus est Christus sanguine suo : quem angeli sancti interrogaverunt (*Is.* LXIII, 2.), Quare rubrum est indumentum B tuum ? Unde et Sponsa in Canticis (*Cant.* V, 10.) : Dilectus meus candidus et rubicundus. Hæc vacca ducta fuit ad Moysen et Aaron, ad præfigurandum quod principes sacerdotum jusserunt sibi adduci Christum, quem de Mosaicæ legis violatione multipliciter ac graviter accusarunt. Denique quod vacca illa tradita est Eleazaro ad immolandum, hoc figuravit, quod Christus crucifigendus, est traditus manibus sacerdotum, quibus gloriosissimus Apostolorum signifer constantissime dixit (*Act.* III, 14, 15.) : Justum et sanctum C negastis, et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis. *Qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium.* Nam sacerdotes fecerunt Jesum propriam sibi crucem bajulantem (*Joann.* XIX, 17.), extra portas Jerusalem duci ac crucifigi universis cernentibus in celeberrimo festo, ut per hæc passio ejus ignominiosior esset. *Et tingens digitum in sanguine ejus, adsperget contra fores tabernaculi septem vicibus.* Clamabant enim : Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25.). D Christum etenim occidendo, putabant se obsequium præstare Deo (*Joann.* XVI, 2.). Postea autem multi ex sacerdotibus illis ad Christum sunt conversi, secundum quod recitat Lucas : Multa, inquiens, turba sacerdotum obediebat fidei (*Act.* VI, 7.). Tinxerunt digitum in sanguine ejus, id est, cum omni discretione consideraverunt suæ passionis mysterium, illudque aliis prædicaverunt ad impetrandum credentibus veniam ac salutem, et ad perfidorum condemnationem majorem ; septenaque illa adspersio, omnium vitiorum remissionem, et septem donorum Spiritus Sancti infusionem, præfiguravit.

Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus, quam sanguine et fimo flammæ traditis. Per combustionem et ignem, quæcumque intensa pœna exprimitur. Quoniam ergo tempore passionis, humanitas Christi fuit tota ultra omnem sermonem acerbissimæ et ignominiosissimæ pœnæ exposita, atque in summo dolore passionis et compassionis amarissimæ constituta, recte pellis ejus et ossa, sanguis et fimus, igni tradita asseruntur. *Lignum quoque cedrinum et hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam.* Per lignum cedrinum intelligitur viror et fructuositas Christi, qui pergens ad passionem, comparavit se ligno virenti : Si in viridi, inquiens, ligno hoc faciunt, in arido quid fiet ? (*Luc.* XXIII, 31.) Per hyssopum suavitas famæ, bonusque odor ipsius exprimitur, quia multi dixerunt de eo : Nunquam sic apparuit in Israel (*Matth.* IX, 33.). Per coccum bis tinctum, ignea prædicatio ejus accipitur. Hæc itaque tria impiissimi perfidique Judæi simul cum Christo obruere sunt conati, atque ad horam aliqualiter exstinxisse videntur, quoniam tempore passionis famam ejus potissimum obscuraverunt, tuncque cessaverunt ejus miracula et doctrina, per quæ ante multos convertit. Unde illud Jeremiæ

Jer. XI, 19. Christus de eis testatur : Consilium fecerunt inimici mei adversum me, dicentes : Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur ultra.

Tunc lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra. Hoc de conversis post Christi passionem et Sancti Spiritus missionem sacerdotibus potest exponi : qui *Apoc.* VII, 14. extunc laverunt stolas suas in sanguine Agni, baptizatique sunt in nomine Christi, *Luc.* XXIII, 48. imo ut Evangelista testatur : Omnis turba eorum qui aderant exspirationi Christi, et B viderunt quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur. Qui vero manserunt increduli, laverunt se solito modo sacrilege. Per hoc autem quod offerentes comburentesque vaccam, et ejus cinerem congregantes, et aquam cineribus mixtam adspergentes, fuerunt commaculati : præfiguratum est, quod sacerdotes, Scribæ et Pharisæi, ceterique Judæi, in passione Unigeniti Patris æterni, pro maxima parte sunt excæcati et inquinatissimi constituti, super *I Thess.* II, 16. quos pervenit ira Dei usque in finem, qui C per vesperam designatur : de quibus prædixit Psalmista, *Ps.* LXVIII, 24, 25. Obscurentur oculi eorum ne videant. Item : Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo. Per virum mundum intelligitur ordo prædicatorum, potissimum beatissimorum Apostolorum, qui extra Judæam detulerunt reliquias dominicæ passionis, et qualiter Verbum æternum propter nos sit incarnatum, passum, sepultum : quæ D omnia in corda electorum gentilium diffuderunt. Ex quibus cineribus, id est ex virtute et meritis passionis humilitatisque Domini, et aquis viventibus, id est super-

A naturalibus donis et affluentiis Spiritus Sancti, facta est aqua lustrationis, utpote fons Baptismi, quo mortuos per peccata necesse fuit lavari, qui a Christi passione vim suam purgativam sortitus est. Unde Salvator disseruit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei. *Joann.* III, 5.

Præterea de spirituali significatione immundorum ex contactu aut præsentia mortui, de immunditia quoque vasorum, super Leviticum dictum est copiose. Insuper aqua B adspersionis non solum designat Baptismum, sed et irriguum lacrimarum, quo frequenter mundari oportet : quod per adspersionem tertii septimique diei notatur. Moritur autem in tabernaculo, qui in fide Ecclesiæ et statu salutis decedit ; qui vero in infidelitate aut alia mortali moritur culpa, exspirat in campo, in lata videlicet via perditionis. Est autem notabile, quod vas non opertum, fertur immundum ; opertum vero seu ligatum desuper, mundum : quoniam cor quod non ponit custodiam ori suo, *Ps.* CXL, 3. C nec ostium circumstantiæ labiis suis, omni fœdatur ac repletur spurcitia. Qui autem custodit os suum, et moderatur labia sua, *Prov.* XIII, 3 ; X, 19. verbaque sua ponderat discretionis statera, liberat ab angustiis animam suam, vitatque peccata innumera, et evadit supplicia sempiterna. Postremo, sicut adspergens aquas, et colligens cineres, reddebatur immundus, ita multoties accidit, quod aliorum gubernationi, purgationi et instructioni vacantes, atque sacramenta ecclesiastica conficientes ac ministrantes, incurrant D quosdam defectus ex fragilitate humana, aut ex negligentia, acceptioneve personarum : imo in regimine multi periclitantur ac pereunt, qui in statu subjectionis obtinerent salutem.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIV

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI : VENERUNTQUE FILII ISRAEL ET OMNIS MULTITUDO.

TERTIODECIMO libri hujus capitulo (A) scriptum est, qualiter missi sint exploratores ad considerandum terram promissionis, et quid responderint reversi. Porro quartodecimo capitulo est narratum, qualiter filii Israel ex responsione exploratorum murmurarint, et qualiter ob hoc sint puniti ac jussi redire in eremum ad loca ante perambulata. Quid vero ab illo die sit factum in populo usque ad annum quadragesimum exitus de Ægypto, cœptum est recitari a capitulo illo præallegato, et enarratum est inde usque ad capitulum (B) istud vicesimum : imo perpauca sunt inde conscripta. Nunc itaque quid quadragesimo illo contigerit anno, describitur, et quid deinceps.

Veneruntque filii Israel et omnis multitudo congregationis eorum ac pecorum, *in desertum Sin.* (Exod. xvi, 1.) In Exodo legitur, Profecti sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai, quintodecimo die mensis secundi, et post hoc venerunt in montem Sinai : ideo locus ille et iste, diversi sunt, (C) et diversimode scribuntur, secundum Hieronymum. In eodem autem totali deserto fuerunt variæ solitudines partiales, nomina diversa habentes. Ad hunc itaque locum venerunt *mense primo* quadragesimi anni exitus de Ægypto. *Et mansit populus in Cades,* id est in loco deserti sic nuncupato, a quo secundum quosdam missi fuerunt exploratores, vel in quo redierunt ad populum. (Num. xiii, 26, 27.) Unde supra dictum est : Reversique exploratores, venerunt ad Moysen et Aaron in desertum Pharan, quod est in (D) Cades. Scriptum est quoque in Deuteronomio : (Deut. i, 19, 22.) Quumque venissemus in Cadesbarne, dixistis : Mittamus viros qui considerent terram. Hinc in Scholastica fertur historia : Fuerunt filii Israel longo tempore in solitudine. Multo sederunt tempore in Cadesbarne, et diu circuierunt montem Seir, et redierunt fere usque ad mare Rubrum, et circa fines Sinai, et prostrata sunt eorum cadavera in deserto. Tandem post multos labores et annos, tricesimo octavo anno redierunt ad Cades, unde miserant exploratores, vel ubi redierunt ad eos. *Mortuaque est ibi Maria, et sepulta est in eodem loco.* Prophetissa soror Moysis et Aaron, secundum Josephum, mortua est quum complesset annum quadragesimum ex quo reliquit Ægyptum, et sepelierunt eam in monte qui dicitur Sin, valde solenniter, fleveruntque eam (secundum Magistrum in historiis) triginta diebus. Erat autem notabiliter senior Moyse, quoniam eo in flumine exposito et inde sublato, quum trium mensium esset, ipsa fuit adulta puella, ita quod cum filia Pharaonis tractavit de educatione infantis. (Exod. ii, 7, 8.)

Quumque indigeret aqua populus, convenerunt adversus Moysen et Aaron. Non ait, Convenerunt ad Moysen et Aaron ; sed, Adversus : quia venerunt male confœderati, non ad rogandum humiliter, sed et ad contendendum contra suos superiores contumaciter. Ideo subditur : *et versi in seditionem, dixerunt : Utinam perissemus inter fratres nostros coram Domino,* id est, utinam corporaliter mortui fuissemus inter cognatos nostros, qui jam ante in deserto defuncti sunt celeri morte ; quasi dicant : Mors illa tolerabilior exstitisset afflictione ista diuturna gravissima. Non est autem putandum, quod optaverint æternaliter periisse per condemnationem finalem, ut quidam exponunt. *Cur eduxistis*

Digitized by Google

ecclesiam Domini, id est populum istum fidelem : sicque ecclesia hic sumitur pro synagoga, a qua tamen solet distingui; *in solitudinem, ut et nos et jumenta nostra moriamur?* Carnales isti connumeraverunt se suis jumentis, quibus et per passiones suas tam irrefrenatas, similes, imo et incomparabiliter pejores fuerunt; atque in tali articulo de jumentorum suorum doluerunt periculo, quando de animarum suarum salvatione tantum sollicitari debuerant, quanquam etiam pium sit jumentis aliquando condolere. *Quare ascendere nos fecistis de Ægypto?* Ecce quam excæcata perversitas, quasi non Deus eos de Ægypto eduxerit. *Et adduxistis in locum istum pessimum?* tanquam dicant, Quare non duxistis nos per viam rectam, et habitabilia loca? Cujus tamen ratio scripta est in Exodo. *Exod.* XIII, 17.

Ingressique Moyses et Aaron : qui in hoc casu, sicut et ante frequenter, habuerunt se multum patienter ad plebem ita perversam, reddideruntque ei bona pro malis; *dimissa multitudine, in tabernaculum fœderis,* ut in loco sancto citius exaudirentur. Unde constat, quod consecratio et sanctitas loci ad exauditionem orationis conferunt, imo omnia opera bona reddunt acceptabiliora. Quemadmodum enim gravius est in eis peccare, ita et melius est ibi bene agere. Oraverunt quoque dimissa multitudine, quoniam quies solitudoque loci cooperantur ad orandum devotius. *Corruerunt proni in terram.* Ex quo elicitur, quod et situs corporis et humiliatio ejus excitant et prosunt ad deprecandum perfectius, et præsertim in terram prostratio, in qua est extrema corporis humiliatio. *Clamaveruntque ad Dominum,* non tam alta voce, quam ferventi affectione, *atque dixerunt : Domine Deus, audi clamorem populi hujus.* Populus ille non legitur clamasse ad Dominum orando pro aqua. Ideo sensus est : Audi clamorem populi hujus, id est orationem quam fundimus pro populo isto. Vel, Clamorem populi hujus audi : quia etsi non petierunt formaliter aquam, tamen in suis clamorosis seditiosisque verbis satis pandebant se aliqua appetere, et appetitio illa rationabilis fuit in se, quamvis irrationabiliter proponebatur a populo. Sicque Moyses et Aaron oraverunt, ut non obstante plebis perversitate Deus succurreret. *Et aperi eis thesaurum tuum,* id est opulentiam tuæ potentiæ, scilicet abundantiam aquæ. Unde subjungitur : *fontem aquæ vivæ,* quæ instar viventium fluat et currat; *ut satiati, cesset murmuratio eorum,* quatenus eis sufficienter refectis poculo aquæ, desistant peccare, ut nec te offendant, nec nobis molesti sint.

Et apparuit gloria Domini super eos, id est, Deus per nubem gloriose descendit ad Moysen, ceteris nubem cernentibus; vel, Apparuit gloria Domini, id est præclarus Dei effectus, qui per angelum loquebatur ad Moysen. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Tolle virgam, tu et Aaron, et loquimini ad petram coram eis.* De qua virga istud sit dictum, posset esse ambiguum, nisi paulo post subderetur, Tulit igitur Moyses virgam quæ erat in conspectu Domini : quod intelligendum videtur de virga Aaron, quæ fronduerat, et post suam miraculosam floritionem, Deo jubente, posita fuit intra Sancta sanctorum *Num.* XVII, 10. in arca, ut supra scriptum est. Sed quia de virga Moysis, per quam fecit in Ægypto prodigia, etiam aliquando leguntur hæc, puta quod erat in conspectu Domini, vel quod erat virga Dei, quia et ipsa fuit Deo specialiter sanctificata, per quam fiebant ad Dei honorem tot et tanta miracula : posset quis opinari, quod istud sit intelligendum de Moysis virga; sed quia in Exodo *Exod.* VII, VIII. virga Moysis frequenter vocatur ipsius Aaron virga, posset rursus quis suspicari, quod illa et ista fuerunt una virga. Præterea quæritur, cur Dominus jussit Moysi loqui ad petram, quum illa nec audire nec intelligere quivit. Respondetur, quod sicut nos in laudibus Dei frequenter irrationalia et inanimata alloquimur, non ut ipsa audiant sive intelligant, sed ut ex allocutio-

Digitized by Google

ne illorum nos ipsi aut alii excitemur et accendamur ad contemplationem, amorem, admirationem ac laudem Creatoris ex ejus effectibus ; sic in proposito dici potest. Rursus, quod Dominus ait, Loquimini ad petram, potest exponi, Loquimini de petra. Nam et infra Moyses non dirigit verbum ad petram, sed de ea ait ad populum : Num de petra hac, etc. ? *Et illa dabit aquam,* id est, ex ea manabunt aquæ, sive per creationem aquæ in ea, sive per miraculosam conversionem materiæ alicujus in aquam.

Tulit igitur Moyses, id est, accepit et secum portavit, *virgam quæ erat in conspectu Domini.* Nonne omnia sunt in conspectu Domini ? Cur ergo hoc specialiter dicitur de hac virga ? Et respondendum, quod vel ideo, quoniam erat in tabernaculo, in quo Deus specialiter habitavit, et ibi contenta intuebatur, tanquam præcipue ad se pertinentia ; vel, quoniam virga illa fuit Deo sanctificata, et instrumentum omnipotentiæ suæ, sic quod eam speciali modo respexit. *Congregata omni multitudine ante petram :* non quod omnes poterant in angusto loco coram lapide illo consistere, sed quod principales de populo stabant ibidem, et ceteri accesserunt secundum quod poterant et congruebat. Ideo quoque jussit Dominus populum ibi adstare, ut ex intuitu tanti miraculi roborarentur in fide, et Deum plus solito formidarent, et de sua perversitate confunderentur ac pœniterent, et Domino essent grati. *Dixitque eis : Audite, rebelles et increduli.* Sæpe enim fuerunt Deo et Moysi inobedientes, atque infirmi et defectuosi in fide, a qua et multi eorum interdum totaliter corruerunt. Non tamen absolute de omnibus dixit hoc Moyses, nam multi boni inter ipsos fuerunt, sed seditiosis et murmuratoribus istud locutus est. Et quæri potest, an isti fuerunt de his qui ante fuerant murmurati : potestque esse quod quidam illorum adhuc residui fuerunt in ista seditione præcipui.

Num de petra hac aquam vobis poteri-

A *mus ejicere ?* Hæc verba secundum se sumpta, possent vere multipliciterque exponi, ita quod viderentur irreprehensibiliter, imo et laudabiliter prolata a Moyse, nisi infra Dominus evidenter protestaretur, Moysen et Aaron non credidisse sibi hoc loco. Nempe hæc verba possent primo ita exponi : Num de petra hac, etc., id est, Propria et naturali virtute non valemus vobis de saxo isto educere aquam. Secundo sic, et quasi interrogative, Valemusne istud peragere ? Sicque adhuc dupliciter
B possent intelligi : Primo affirmative, quasi dicat, Utique per omnipotentiam Dei possumus istud. Sed huic expositioni videtur obsistere quod Dominus ait : Quia non credidistis mihi. Secundo negative, quasi dicat, Non possumus. Sed mirum si Moyses et Aaron reputaverint istud impossibile Deo, in cujus virtute semel fecerunt simile huic ad petram Horeb, ut in Exodo legitur, et quandoque majora. Hinc aliqui di- *Exod.* XVII, 6.
cunt, quod Moyses istud dixit dubitative. Dicuntque aliqui, quod ipse et Aaron non
C dubitaverunt quin Deus id posset, sed de effectu, ne forsitan impediretur propter vitia populi.

Unde Lyra hic scribit : Verba Moysis poterant dupliciter intelligi, affirmative et negative ; et sic protulit ea, ut dicunt expositores catholici communiter, quia licet non dubitaret de potentia Dei quin posset illud, dubitavit tamen de effectu, ne impediretur propter malitiam populi. Ideo dubitando de effectu, dicit sic, Num de petra, etc., ut si effectus fuisset secutus,
D intelligeretur hoc modo, Non obstante incredulitate vestra, poterimus aquam ejicere de petra virtute divina ; si autem non sequeretur effectus, sic intelligeretur, Num de petra, etc., quasi diceret, Non poterimus propter malitiam vestram. Hæc Lyra. Cujus verbis duo objici possunt : Primum est, quod non videtur fuisse illicitum Moysi dubitare de isto effectu, an scilicet propter peccata populi impediretur ; nec hoc fuisset incredulitatis, quia divina promissa frequenter intelligenda sunt ita, quod im-

Digitized by Google

plebuntur nisi per hominum iniquitatem obex ponatur. Secundum est, quod aliqui magni et sancti doctores catholici dicunt, Moysen de Dei virtute seu potentia dubitasse hac vice. Imo Glossa ex verbis B. Isidori ait: Hic Moyses Dominum offendit, et prohibetur Jordanem transire : turbatus enim murmure populi, dubitanter virga petram percussit, quasi non posset Deus aquam de petra educere, quod fecerat ante. Hic Moyses Judaicum populum sub lege positum significat. Nam sicut Moyses virga petram percutiens, de Dei virtute dubitavit ; sic populus ille sub lege data per Moysen positus, Christum ligno crucis affixit, nec eum esse Dei virtutem credebat. Hæc Isidorus.

Num. XI, 21. Insuper super illud, Ait Moyses, Sexcenta millia peditum populi hujus sunt, et tu dicis, Dabo eis esum carnium mense integro ? loquitur Augustinus : Quæritur, utrum Moyses dixerit hoc diffidendo, an quærendo. Sed si putaverimus eum hoc diffidendo dixisse, cur ei hoc non exprobravit Dominus, sicut ad petram unde profluxit aqua? Videtur de potestate Domini dubitasse. Deus autem non de verbis tantum, sed de cordibus judicat : alioqui posset Moyses excusari de verbis prolatis ad petram, nisi contra eum esset clara sententia Dei, quod diffidendo talia dixerit, Numquid de petra ista, etc. Deinde sequitur, Et elevata Moyses manu sua, percussit virga bis silicem. Ad hoc virgam illam, in qua tanta miracula fecerat, sumpsit, eaque petram percussit, atque inde solitæ virtutis est consecutus effectus. Verba igitur quibus ait, Numquid de petra hac, etc., possent sic accipi, tanquam diceretur : Nempe ex hac petra, secundum vestram incredulitatem, aqua educi non potest ; ut autem percutiendo ostenderetur, divinitus fieri potuisse quod illi in infidelitate sua non credebant, maxime quoniam dixit, Audite me, increduli, Num de petra hac, etc. Sed Deus qui inspector est cordis, indicavit quo animo Moyses ita locutus est : Ait enim, Quoniam non credidistis sanctificare me, etc. Ac per hoc intelligitur Moysen ita dixisse, tanquam ad incertum percusserit, ut si non sequeretur effectus, hoc prædixisse putaretur, quum ait : Numquid ex petra hac aquam, etc., quod in ejus animo omnino lateret, nisi Dei sententia prodidisset.

Ecce in his Augustini et Isidori verbis habetur, quod Moyses de Dei virtute et potestate dubitavit seu diffidebat. Ex memoratis quoque Augustini verbis probatur, quod Moyses percussit petram cum virga, per quam et alia fecit miracula. Sed si ita dicamus, remanet quæstio, quomodo Moyses omnipotentiam Dei toties expertus et certissime contemplatus, poterat de ea diffidere sive ambigere. Ad quod ex verbis Isidori habetur responsio, quia ex populi perversitate et murmure fuit turbatus, sicque ex turbatione passionis hujus obscuratum fuit in eo rationis judicium. Verumtamen non arbitror Moysen tantum fuisse turbatum, ut dubitaverit an virtus Dei omnipotentis posset de saxo ejicere aquam ; dubitavit tamen an aqua ejiceretur de petra : et fuit incredulus Deo, non quia dubitavit an Deus hoc posset, sed quia ex mentis turbatione, Deo sic permittente, non consideravit actualiter omnipotentiam Dei, nec ad eam respexit, sed ad difficultatem effectus in se, et per respectum ad causas naturales : et ita non credidit Deo, privative magis quam contrarie, utpote quia omisit actum fidei, ad quem pro tunc tenebatur juxta exigentiam causæ ac temporis ; non tamen commisit infidelitatis actum actui præfato contrarium.

Quumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem. Communiter dicitur, quod bis percussit, quia in primo ictu petra non est scissa, nec vomuit aquam, propter Moysis incredulitatem seu dubitationem. In secundo autem ictu divisa est petra, et aquam diffudit, non quod Moyses tunc credebat, sed ex pietate divina, qua Deus suum promissum implevit. Potest etiam dici, quod Deo sic dispensante bis percussit, propter mysterium : quia ut as-

Digitized by Google

serit Augustinus, Quod virga petra percutitur, crux Christi figuratur. Ligno namque accedente ad petram, gratia emanavit ; et quod bis percutitur, evidentius significat crucem : duo etenim ligna sunt crux. *Egressæ sunt aquæ largissimæ :* in quo ostensa est omnipotens virtus Dei magnifice, qui si produxisset aquam illam de terra, suspicari quis potuisset, quod ex ventriculis terræ manasset. Ideo istud omnipotentiam Dei gloriosius demonstravit. *Ita ut populus biberet et jumenta :* quod valde erat mirabile, tantam videlicet profluere aquam repente de saxo durissimo, quod tot millia hominum ac pecorum inde biberint.

Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Quia non credidistis mihi dicenti, quod aqua manaret de petra, juxta sensum præhabitum, *ut sanctificaretis me coram filiis Israel,* id est, ut in omnium præsentia honoraretis me, ostendendo me esse verum et sanctum in promittendo ac implendo promissa. Hoc enim non fecerunt, quoniam Moyses in persona sui ac Aaron dubitando jam dixerat, Numquid de petra, etc. *Non introducetis hos populos,* id est tribus Israel, quæ erant unus populus totalis, et plures populi particulares : ideo ait pluraliter, Hos populos, quoniam per dissensiones et seditiones erant divisi ; *ad terram quam dabo eis :* et ita Deus punivit clementer in vita hac peccata horum tam electorum virorum. *Hæc est aqua Contradictionis.* Circa hoc Magister in historiis ait, Quia etiam electi ita desperaverunt ibi de promissis et potentia Dei, quasi contradicentes promittenti : quæ verba interpretari possunt, et suo modo salvari juxta prætacta. Vel dicitur aqua Contradictionis, propter dissidium et contrarietatem, quæ ibi inter Moysen populumque fuerunt. *Ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum.* Jurgando etenim contra Moysen et Aaron vicarios Dei, contra Deum jurgati sunt, præsertim quia beneficia Dei præterita parvipenderunt, et ea quæ Moysi per modum culpæ imposuerunt, fecerat Moyses ex Dei præcepto. *Et sanctificatus*

A *est in eis,* id est, sanctitatem et bonitatem suam ostendit Deus in filiis Israel per miracula et beneficia ipsis, quamvis indignis, exhibita.

Circa illud, Non introducetis hos populos, scribit quidam : Licet Moyses et Aaron multum desiderarent ingredi terram promissionis, quia tamen sciverunt quod verbum Dei erat definitum, id est definitive et assertive prolatum, non oraverunt pro retractatione ipsius. Sed objici potest quod in Deuteronomio Moyses loquitur :
B Deprecatus sum Dominum, dicens : Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam. Transibo ergo et videbo terram hanc optimam trans Jordanem. In quibus verbis Moyses manifeste oravit pro retractatione hujus sententiæ : quod non fecisset, si scivisset eam definitive prolatam. *Deut.* III, 23-25.

Rursus, circa hunc passum recitat Lyra : Hebræi dicunt, quod Moyses et Aaron peccaverunt, quoniam non fecerunt sicut præceperat Dominus, dicens : Loquimini ad
C petram, et illa dabit aquas, ut patet ex textu, ita quod solo verbo absque percussione petra dedisset aquas : quod fuisset novum divinæ potentiæ signum, ante non factum. Ideo Dominus dixit : Quia non credidistis mihi, etc., quasi diceret : Si coram filiis Israel dixissetis, En lapis iste qui non videt nec audit, obedit verbo Dei, aquam sine percussione fundendo, multo plus vos rationales creaturæ obedire debetis, etc. Istud non videtur in toto idonee dictum. Dominus enim non solum dixit
D ad Moysen, Loquimini ad petram, etc., sed præmisit, Tolle virgam : per quod satis innuitur, Dominum intendisse ut Moyses virga percuteret petram. Nec propter omissionem facti illius fuissent increduli, nec audissent a Domino, Quia non credidistis mihi. Denique Rabbi Paulus affirmat, opinionem illam, quam Lyra dicit esse Hebræorum, esse solius Rabbi Salomonis ; et addit, quod alii Hebræorum doctores de hac materia varie sentiunt, quoniam Rabbi Moyses Ægyptius dicit peccatum Moysis

Digitized by Google

fuisse in hoc, quod dixit, Audite, rebelles A et increduli. In quibus verbis ostendit se habere magnam contra populum iram, quod fuit dupliciter malum : Primo, quia in tanto viro a quo ceteri debebant formam vitæ addiscere, ira, præsertim in publico, valde vituperabilis fuit. Secundo, quia per verba illa, Moyses dedit populo occasionem credendi quod Deus eis hoc loco irasceretur : quod tamen non fuit, quia petebant rem necessariam eis, videlicet aquam.

Circa hæc verba Rabbi Pauli miror, et B vix credere valeo quod Rabbi Moyses ille Ægyptius, quem notamus quum absolute Rabbi Moysen allegamus, dicat populum non peccasse hoc loco, quum in textu apertissime asseratur, Versi in seditionem fuerunt, et valde passionate locuti sunt, et contra Dominum sunt jurgati. Fuit quippe Rabbi Moyses ille vir profundissimi sensus, magnus theologus et præclarus philosophus, quem quidam dicunt tandem factum fuisse neophytum, quoniam super librum Judicum scribit, quod Jesus Nazarenus C videtur fuisse Messias in lege promissus, et propter ipsum meruit Israel ut caderet gladio Romanorum. Denique Moyses sanctus, qui erat Judæorum prælatus, poterat eos ex ira per zelum acriter increpare, potissimum quia id meruerunt. Sed tunc oritur quæstio, quia si filii Israel peccaverunt hoc loco tam graviter, cur non fuerunt puniti sicut Moyses et Aaron? Respondetur, quod Dominus eorum misertus est, quoniam magnum habuerunt incitamentum ad istum excessum, videlicet D indigentiam necessarii potus, nec petierunt vinum aut siceram, sed simplicissimum aquæ potum.

Misit interea Moyses nuntios de Cades ad regem Edom, id est Idumæorum, qui erant de semine Esau fratris Jacob, *qui dicerent : Hæc mandat frater tuus Israel.* Loquebantur hi nuntii ex Moysis informatione de toto Israelitico populo, quasi de homine uno, et nomine Fratris optavit regem illum inclinare ad caritativum consensum. *Nosti omnem laborem qui apprehendit nos, quomodo patres nostri descenderint in Ægyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, et quomodo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque angelum qui eduxit nos de Ægypto.* Quomodo poterat rex ille idololatra noscere omnia ista? nisi forte dicatur, quod perceperit ista in generali ex publica fama, orta ex mirabilibus quæ Deus in Ægyptiis fecerat, et quia per quadraginta annos filii Israel in solitudine permanserunt, sequentes nubis ducatum, et panem de cœlo edebant : cui solitudini Idumæa fuit propinqua. Unde in Exodo Dominus ait Pharaoni : In hoc excitavi te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra. (*Exod.* IX, 16.) Supra quoque Moyses ait ad Dominum : Ut audiant habitatores terræ hujus, videlicet Chananæi, qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, et nubes tua protegat eos, etc. (*Num.* XIV, 13, 14.) *Et ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis,* id est prope urbem in confinio deserti illius et Idumææ locatam, *positi, obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros nec per vineas, nec bibemus aquas de puteis tuis* gratis, ut infra in textu innuitur. In illis etenim locis et terris aqua est pretiosa, et multoties pauca.

Cui respondit Edom : Non transibitis per me, etc. *Statimque egressus est obvius* ad resistendum filiis Israel, *cum infinita multitudine,* id est cum exercitu plurimum copioso : sicque quod ait, Cum infinita multitudine, est hyperbolicus sermo, quo aliquid dicitur per excessum, ad insinuandum magnitudinem rei. Quæritur, si rex Edom scivit omnia jam prætacta, videlicet qualiter Deus per angelum eduxit et duxit filios Israel, quomodo ausus fuit eis ad resistendum occurrere. Ad quod dici potest, quod excæcavit eum malitia sua, sicut jam ante Ægyptios et postea Chananæos, qui et visa statione solis in cœlo per integrum diem, exierunt contra filios

Digitized by Google

Josue xi, 5. Israel ad pugnandum, ut in Josue libro legitur.

Quamobrem divertit ab eo Israel. Contra hoc objici potest, quod in Deuteronomio legitur Dominus ad filios Israel protulisse : *Deut.* ii, 4. Transibitis per terram fratrum vestrorum filiorum Esau, et timebunt vos. Et rursus legitur Moyses dixisse per nuntios regi *Ibid.* 28, 29. Sehon : Transitum nobis concedas, sicut fecerunt filii Esau. Ad hæc respondendum videtur, quod referenda sunt ista ad diversa loca et tempora. Potuit enim esse quod rex Edom primo negavit iter præfatum, præsertim per medium territorii sui; postea autem illud concessit, saltem circa extrema ejusdem. Et ad intuitum Hebræorum potuit Deus timorem Idumæis incutere, ne scilicet a Deo filiorum Israel tale quid paterentur, qualia sustinuerunt Ægyptii. Sed denuo oritur quæstio : Cur petierunt transitum per Idumæam, quum tenerentur sequi nubis ducatum, quæ si per Idumæam duxisset Hebræos, non potuissent Idumæi hoc impedire? Forsitan dici potest, quod Moyses opinabatur nubem præcessuram filios Israel per terram Edom; non tamen voluit Moyses per terram illam transire sine regis consensu propter bella vitanda, quoniam Dominus jussit ut filii Israel contra Idumæos non præliarentur.

Quumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, id est ad loca monti illi vicina. Porro secundum Magistrum in historiis, et ex Hieronymo et Josepho sumptum videtur : Egrediens Israel de Cades, circuivit Idumæam, incedens per desertum Arabiæ, et prætergrediens Archim metropolim Arabum, quæ nunc Petra vocatur, venit ad montem Hor. *Ubi locutus est Dominus ad Moysen : Pergat, inquit, Aaron ad populos suos,* id est ad limbum ubi Sancti erant, qui a principio mundi recesserunt de sæculo isto, et vel in vita hac aut postea erant purgati, ad quorum sortem pertinuit Aaron. Atque in verbis his insinuatur immortalitas animæ, et retributio sequens. *Tolle,* id est, tecum assume, *Aaron et filium ejus* Eleazarum

A *cum eo, et duces eos in montem Hor. Quumque nudaveris patrem veste sua,* id est sacerdotali ornatu : et forsan per vestem intelliguntur pluraliter vestes sacerdotales, quibus Aaron erat indutus, præsertim quæ pontifici propriæ erant; *indues ea Eleazarum filium ejus; et Aaron morietur, et ibi colligetur :* ad insinuandum quod patri suo in pontificatu succederet. *Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.* Credendum est quod Moyses B revelavit Aaron fratri suo, quod voluntas Dei esset ut moreretur in montis illius cacumine, et filius ejus suis vestibus indueretur. Et tunc Aaron acquievit devote. *Illo mortuo in montis supercilio,* Moyses *descendit cum Eleazaro.*

Quæritur, quis sepelivit Aaron præsulem. Quocirca recitat Lyra, quemadmodum Rabbi Salomon dicat, quod quum ascendissent Moyses et Aaron atque Eleazar in montem, viderunt ibi speluncam et lectum in ea, lampademque ardentem ante le- C ctum; et Aaron exutus, posuit se in lecto illo; extentisque manibus ac pedibus, clausit oculos et os, et Deus accepit spiritum ejus in pace. Quod videns Moyses, optavit similem mortem : quod concessum est ei, prout in Deuteronomio Dominus ait ad eum : Jungeris populis tuis, sicut mortuus *Deut.* est Aaron frater tuus. Et sepelivit Moyses xxxii, 50. Aaron. Quid veritatis istud contineat, Deo committitur. Augustinus vero dicit, quod Eleazarus sepelivit Aaron patrem suum, ut pontifex novus præberet officium sepul- D turæ defuncto. Sed quæritur, quomodo istud licuerit, quum Dominus in Levitico *Lev.* xxi, 11. jusserit, pontificem non interesse morti aut sepulturæ cujusquam, imo nec proprii patris. Respondetur, quod Dominus in lege sua potuit dispensare.

Dubitatur quoque, quomodo Aaron hic dicatur mortuus, et sepultus in monte Hor, quum scriptum sit in Deuteronomio : Filii *Deut.* x, 6. Israel castra moverunt ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est. Ad istud respondet Glossa in

Digitized by Google

præallegato Deuteronomii loco : Forsitan locus est binomius. Beroth enim filiorum Jacan est in deserto, sicut Mosera ubi obiit Aaron, sicut in libris Locorum legitur, et ostenditur usque hodie in decimo lapide urbis Petræ in montis vertice. Lyra vero respondet : Dicunt aliqui quod Mosera et Hor unus mons est diversimode nominatus. Rabbi Salomon dicit contrarium, probans per hoc quod infra habetur capitulo tricesimo tertio, quod inter Moseroth, qui est idem locus qui Mosera, et inter montem Hor, sunt sex mansiones. Ideo dicit, quod Aaron in veritate mortuus est atque sepultus in Mosera ; sed ideo dicitur sepultus in monte Hor, quoniam filii Israel ibi postea venientes, ad montem Hor, fleverunt eum ibidem, ac si funus præsens fuisset. Sed istud est manifeste contra scripturam hanc, in qua apertissime legitur, quod Moyses et Aaron et Eleazar pariter ascenderunt in montem Hor, et quod turba videns occubuisse Aaron in supercilio montis, flevit eum, etc., et quod in monte Hor Moyses induit Eleazarum veste Aaron. Præterea (sicut jam patuit) Lyra refert, qualiter Rabbi Salomon narrat, quod Moyses et Aaron viderunt in monte Hor speluncam et lectum in ea, in quo se posuit Aaron, et obiit. Iterum circa illud, Et ascenderunt in montem, scribit Lyra, quod multitudo non ascendit, sed tantum Moyses, Aaron et Eleazar, tamen omnis multitudo vidit quando ascenderunt. Sicque Rabbi Salomon est sibi ipsi contrarius. In Scholastica quoque fertur historia, quod usque hodie monstratur locus sepulturæ Aaron in vertice montis. Idcirco dicit, quod Moseroth et Mosera non sint idem locus. Denique, sicut diversa loca habent frequenter idem nomen, sic et idem locus diversa nomina sæpe sortitur. Filii quoque Israel, eundo et redeundo ac circumgyrando, venerunt sæpe ad locum eumdem. Amplius, ubi mansio Moseroth infra primo exprimitur, et postea mansio montis Hor, non dicitur quod Aaron mortuus sit et sepultus in Moseroth, sed quod ascendit in montem Hor : ideo dictum illud Rabbi Salomonis, est penitus falsum, et contra Scripturam.

Num. XXXIII, 30, 37, 38.

Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, quia non vidit eum reverti, sed filium ejus in vestitu illius, *flevit super eum triginta diebus per cunctas familias,* ex dilectione et compassione, imo et quia privati erant tam fideli et sancto pontifice, a quo multa beneficia erant sortiti, et propter honorem summi sacerdotii sui.

Sensus mysticus.

Mystice, sicut defuncta Maria femina sancta, populus indiguit aqua, et incidit magna peccata; sic frequenter contingit, quod mortuis sanctis personis, quarum meritis Deus benefecit viventibus aliis, beneficia talia subtrahantur eisdem, incidantque mala pœnæ et culpæ. Insuper, exemplo Moysis et Aaron instruuntur prælati, cum omni caritate et patientia sufferre subditorum defectus, et subvenire eis quanquam ingratis. Docemur quoque exemplo Moysis, ut dum fieri potest, et ardenter orare optamus, fugiamus tumultum, et secrete oremus, atque in terra prostrati, etiam pro inimicis. Si tamen ex prostratione somnolentia oriatur, alio situ orandum est, nisi prostratio requiratur. Postremo, ex consideratione culpæ sanctorum patrum istorum Moysis et Aaron, reddamur et simus incessabiliter timorati, custoditi, solliciti. Ecce etenim viri illi post tot et tanta miracula, post assiduas apparitiones cœlestes, allocutiones angeli, illuminationes divinas, post tantæ sanctitatis adeptionem, in senio suo et imminente vitæ eorum termino, tam subito corruerunt : quid ergo nobis pusillis, inexercitatis, defectuosissimisque hominibus agendum relinquitur, nisi ut omni præsumptione et vana securitate abjectis, in vera humilitate timoreque Dei, et compunctione assidua persistamus, jugiterque clamemus ad Dominum, ne unquam relinquat nos, et ne in fine sinat nos impediri ab ingressu regni cœlestis ?

Digitized by Google

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI PRIMI : QUOD QUUM AUDISSET CHANANÆUS REX ARAD, ETC.

PROCESSUS filiorum Israel, et eventus A eorum a monte Hor usque ad campestria Moab per diversas mansiones et vias, capitulo isto describitur. *Quod quum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum.* In Genesi legitur, quod Chanaan filius Cham filii Noe, habuit undecim filios, a quibus disseminati sunt populi Chananæorum, et inter undecim filios Chanaan unus vocatus est Aradius. Idcirco per Chananæum regem Arad, intelligitur nunc determinata persona, nata ex stirpe Aradii, quæ regnavit in terra et regno Arad : quæ regio sita fuit in plaga meridiana, respectu terræ promissionis. Porro per viam exploratorum, intelligi potest via per quam iter egerunt exploratores missi a Moyse. Non enim filii Israel ubique aut semper declinarunt a recto itinere : ideo objectio cujusdam contra expositionem istam, non prævalet. Vel, via exploratorum, fuit aliqua via generaliter sic vocata, ex eventu quocumque, quia per viam illam exploratio aliquando nocive et callide facta fuit, aut fieri consuevit. Aliqui vero putant exploratores hic nominari eos, qui populum Israel præcesserunt ad providendum castrorum locum. Pugnavit contra illum, *et victor exsistens, duxit ex eo prædam.* Cur Deus permisit populum illum vinci a Chananæis præfatis ? et ubi tunc fuit oratio Moysis ? Dici potest, quod propter peccata sua populus Israel damnum istud sustinuit, et propter eadem vitia poterat effectus orationis Moysis impediri ad modicum tempus : creditur quippe, quod parva fuit illa adversariorum victoria.

Gen. x, 15-18.

At Israel voto se Domino obligans, ait : Si tradideris populum istum Chananæorum *in manu mea* ad occidendum, quem viribus meis nequeo superare ; *delebo urbes ejus,* populum occidendo, et oppida demoliendo. Quum votum sit proprie de bono majori, quomodo istud potuit cadere sub voto ? Et respondendum, quod idololatræ isti erant tam scelerati, quod Deus voluit eos occidi ab Israelitica plebe, sicque illorum occisio fuit actus justitiæ. *Exaudivitque Dominus preces Israel:* nam præter votum illud fuderunt et preces, vel B votum illud fuit æquivalenter oratio; *et tradidit Chananæum,* hoc est populum illum Aradium, manibus Israelis. *Quem ille interfecit, subversis urbibus ejus, et vocavit illius loci nomen, Horma, id est anathema:* quam interpretationem adjunxit translator. Sed quæri potest, de quo loco sit istud intelligendum : an de tota illa regione, an forsan de regia ejus metropoli, seu alio quovis loco. Magister autem in historiis scribit : Forte iste est locus, qui supra per anticipationem dictus est Hor- C ma. Scriptum est enim supra : Descendit Amalecites et Chananæus, et persecutus est eos usque Horma. (Num. xiv, 45.) Rursus in Scholastica historia fertur : Anathema dicitur ab ἀναθεῖναι, hoc est sursum ponere, quod est devotare, seu voto seorsum ab usu nostro separare, dum scilicet res vota, seu promissa ac reddita, ponebatur sursum in templis. Hinc alii dicunt : Destructio urbis Horma proprie nominatur, quando habitatoribus ejus necatis, præda urbis divino cultui applicatur. Unde Achan dicitur D usurpasse de anathemate Jericho, hoc est (Josue vii, 1.) de spoliis ejus Deo dicatis. Nunc tamen

Digitized by Google

anathema pro destructione seu demolitione sumi videtur.

Profecti sunt autem filii Israel *de monte Hor per viam quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom,* eundo per extremitates Idumææ. *Et tædere cœpit populum itineris ac laboris.* Nam multum diverterunt a recto itinere. *Locutusque contra Dominum et Moysen :* quia loquendo contra vicarium Dei sanctum Moysen injuste et impatienter, loquebatur et contra Dominum, qui suis ait vicariis : Qui vos spernit, me spernit. Non tamen leguntur directe contra Deum locuti, alloquendo eum sicut allocuti sunt Moysen. *Ait populus ille : Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine?* In hoc loquebantur malevole et mendose. Non enim Moyses proprio capite eduxerat eos, nec ad hoc ut in solitudine morerentur. *Deest panis,* id est necessaria alimenta : tamen panis factus ex manna non defuit eis; *non sunt aquæ,* id est, copiam aquarum non habemus. *Anima nostra jam nauseat,* id est, fastidium habet, *super cibo isto levissimo,* scilicet manna : quod malis non sapuit, nisi secundum eorum demerita, tanquam arida et insipida esca; quum tamen ex sua natura esset saporis suavis, juxta illud Exodi : Gustus ejus quasi similæ cum melle, id est quasi panis facti ex delicatissima tritici farina melli admixta. De triplici autem sapore mannæ superius dictum est.

Luc. x, 16. — *Exod.* xvi, 31.

Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes. Primo peccaverunt enim in corde, per immoderatum tædium et impatientiam; et quoniam suas passiones non refrenaverunt, proruperunt in verba pravissima, et prælato suo contumeliose locuti sunt, et beneficia Dei parvipenderunt. Serpentes illi vocantur igniti ex suo effectu, quia intra se abundabant calore. Unde (ut dicitur) valde parvi erant atque celerrimi, et volitabant in aere, tanquam scintillæ, infeceruntque homines veneno, et inflammabant usque ad tumorem, igneumque ruborem. *Ad quorum plagas mortes-*A*que plurimorum, venerunt ad Moysen :* non qui jam ex infectione et læsione serpentium spiritum exhalarunt, sed qui infici metuebant, et aliqui forsitan læsi; *atque dixerunt,* quia vexatio dedit eis intellectum: *Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum. Ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses,* qui assidue reddidit bona pro malis; *et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo,* id est, erige et in alto fige eum. Unde, ut dicitur, in Hebræo habetur : Pone B eum in pertica. Fuit quippe elevatus in ligno hujusmodi pro signo. Pro quali signo? Est enim signum memorativum præteriti, et prognosticum seu figurativum futuri. Est item signum præsentis, quemadmodum ante hospitium aut tabernam pendet signum sive indicium hospitalitatis, aut potus venalis. Itaque serpens ille fuit signum memorativum transgressionis commissæ, signum quoque prognosticum non solum Christi pro nobis in cruce levati, tunc levandi, sed et sanationis pro- C missæ adspicientibus dandæ. *Qui percussus a serpentibus, adspexerit eum, vivet,* hoc est, curabitur. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum,* id est, fieri fecit per manus artificum, *et posuit eum pro signo : quem quum percussi adspicerent, curabantur.*

Is. xxviii, 19. — *Joann.* iii, 14.

Circa hæc merito quæritur, cur Dominus qui voluit filiis Israel, ad idololatriam pronis, omnem idololatrandi occasionem auferre, in tantum quod prohibuit imagines pecorum, reptilium et volatilium fieri, et in tabernaculo suo locari, præcepit fieri D hunc serpentem, per quem poterat populus ad idololatriam provocari. Item, cur fecit eum æneum fieri, et cur pro signo levari, et non potius aliquid mite ac nobile animal fusum, aut sculptum. Respondetur ad primum, quod non sine mysterio factum est istud; tamen quia a serpentibus vulnerabantur, jussum est ut fieret serpens, qui in posterum ad memoriam revocaret plagam illam tam justam ac divinæ pietatis remedium ei appositum. Figuravit autem serpens ille Christum in

Deut. iv, 16-18.

Digitized by Google

cruce levandum, per cujus adspectum et A recordationem seu speculationem sanantur fideles a læsionibus dæmonum, hoc est morsibus vitiorum. Hinc factus est serpens ille de ære, quod durativum est valde præ ceteris metallis, etiam ad præfigurandum invincibilem fortitudinem, inconcussibilemque constantiam Salvatoris : per quod patet ad secundum responsio. Ad tertium vero dicendum, quod ad litteram fuit levatus ut adspiceretur longe ac late a cunctis; mystice autem, ut Christi in cruce exalta-
Joann. III, 14. tionem signaret, quum ipsemet dicat : Sic- B ut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Ad quartum etiam dicendum, quod serpens etiam in bono accipitur, quum Dominus
Matth. x, 16. exhortetur : Estote prudentes sicut serpentes, etc.

Insuper quæritur, qua virtute serpens ille curavit adspicientes. Et respondendum quod non serpens, sed Dominus illos sanavit, in quantum ex obedientia adspiciebant illum serpentem cum culparum suarum recognitione, contritione, ac invocatione C pietatis divinæ. Et quamvis sine serpentis adspectione poterat Dominus illos curare, tamen ob causas prætactas voluit hoc modo impendere medicinam. In textu autem non legitur, an nondum percussi præservabantur a serpentium percussione ex serpentis illius intuitu : et forte quod imo, vel percussio illa cessavit ante erectionem serpentis, quando videlicet veniam postulabant.

Denique in Scholastica fertur historia : Hunc serpentem semper habuerunt secum D filii Israel, et in Jerusalem magnifice repositus fuit, usque ad tempus Ezechiæ, qui
IV *Reg.* XVIII, 4. fecit serpentem illum in pulverem redigi propter cultum superstitionis, quem ei exhibuit populus, ut legitur in quarto libro Regum.

Profectique filii Israel, castrametati sunt in Oboth. Unde egressi, fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine quæ respicit Moab contra orientalem plagam : adhuc enim (secundum Hieronymum) erant in finibus et eremo Idumææ : eremo, inquam, respiciente Moabitidem regionem ex opposito orientis. Unde Septuaginta transtulerunt, Contra solis ortum. Dicunt aliqui quod Jeabarim sint duæ dictiones Hebrææ, quæ interpretantur, In solitudinibus Abarim, et quod Abarim nomen sit montis, in quo defunctus est Moyses. Unde in Deuteronomio Dominus loquitur ei : Ascende in mon- *Deut.*
tem hunc Abarim. *Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared,* quem, ut in historiis scribit Magister, transierunt siccis pedibus, quemadmodum mare Rubrum. XXXII, 49.
Quem relinquentes, castrametati sunt contra Arnon. Dicunt nonnulli, quod Arnon sit civitas situata in solitudine. Josephus vero testatur, quod Arnon sit flumen emanans ab Arabiæ montibus, ac defluens per desertum usque in stagnum Asphaltiten, dividens Moabitidem atque Armeniacam regionem : et forte hoc nomen Arnon ad utrumque æquivocum est. Multa quippe significat Arnon, etiam præter ista. Nam super illud Amos, Projiciemini in Arnon, *Amos* IV, 3.
Hieronymus per Arnon intelligit Armeniam. Symmachus quoque ibidem transtulit, In Armeniam ; atque ut ibi asserit Glossa, Arnon est regio ultra montes Medorum et Persarum. *Quæ* Arnon *est in deserto* præfato, *et prominet,* id est, procul vel ab alto apparet, *in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon,* prout hic sumitur, *terminus est Moab,* id est terræ Moabitarum, *dividens Moabitas et Amorrhæos,* id est habitantes ultra Jordanem, natos ex Amorrhæo filio Chanaan, ut in Genesi legitur. *Gen.* x, 16.
Sicque Amorrhæus uno modo est nomen proprium viri, alio modo nomen est gentis.

Unde dicitur in libro bellorum Domini : Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. De libro isto bellorum Domini, difficultas est quis sit. De qua re habetur ex verbis Augustini : Non dixit in quo libro scriptum sit, vel cujus Prophetæ aut Patriarchæ. Nec est negandum fuisse tunc libros Chaldæorum, ex quibus egressus est Abraham ; vel Ægyptiorum, ubi didicerat Moyses omnem illorum sapien- *Act.* VII, 22.

Digitized by Google

tiam ; vel cujuslibet alterius gentis, in A quorum librorum aliquo hoc potuit esse scriptum : qui tamen liber non sit inter Scripturas canonicas computandus. Licuit enim auctoritati divinæ testimonium verum assumere unde volebat, non tamen omnia ibi scripta approbavit. Cur autem istud hoc loco sit commemoratum, non evidenter apparet, nisi forsan bello gestum sit quod fines illic inter duas gentes sunt constituti, quod homines loci illius bellum Domini nominarunt propter magnitudinem rei, ita ut scriberetur et vocaretur B in aliquo libro eorum bellum Domini. Hæc Augustinus. Alii dicunt librum bellorum Domini esse specialem librum, non tamen translatum, et idem dicunt de libro Justorum.

In Scholastica historia scribitur : Quidam dicunt totam historiam de filiis Israel scriptam, vocari librum bellorum Domini, quia in ea frequenter legitur Dominus pugnasse pro filiis Israel : et maxime dicunt Hebræi, Amorrhæos in terra illa potenti manu Hebræorum esse deletos. Et isti le- C gunt, Dicetur ; non, Dicitur : quia et in Hebræo habetur, Super hoc dicetur in libro, in recitationibus bellorum Domini. Et legunt sic : Unde, id est de Arnon, dicetur, hoc est, mentio fiet in libro bellorum Domini, id est in historia ista, videlicet libro Numerorum vel Pentateucho : Sicut fecit Dominus in mari Rubro, submergendo Ægyptios, sic faciet in torrentibus Arnon, delendo Amorrhæos. Et quod sequitur, *Scopuli torrentium inclinati sunt,* etc., similiter ambigue, id est diversimode exponitur. D Dicunt enim Hebræi innumeram multitudinem Amorrhæorum, posuisse insidias filiis Israel in convallibus torrentium et scopulis Arnon, ut incautos perimerent transeuntes, sed Dominum latitantes oppressisse, rupibus hinc inde inclinatis, ita ut labentia, id est ruina, scopulorum extenderetur in Arnon, et requiesceret ibi, id est finiretur. Hæc ibi.

Quibus satis concordat quod Lyra hic scribit : Quidam, inquiens, dicunt, quod liber bellorum Domini, liber sit Numerorum, ubi scribitur istud : quoniam liber Numerorum, in quo continentur bella Judæorum, communiter appellatur liber bellorum, quia divina vincebant virtute. Verumtamen istud non arbitror verum. Non enim probabile est, sicut et Lyra alibi dicit, quod idem liber alleget se ipsum. Denique si liber Numerorum ideo nuncupatur liber bellorum Domini, eo quod aliqua bella ejus recitentur in ipso, multo plus liber Josue, liberque Judicum dicerentur libri bellorum Domini, quia in libris illis describuntur plura et non minus præclara bella Domini, quam in Numerorum volumine. Similiter de libris Regum et Paralipomenon argui posset.

Insuper refert Lyra : Hebræi dicunt, quod iste sit textus : Nonne scriptum est hoc in narratione bellorum ? quoniam verbum Hebraicum, æquivocum est ad librum et ad narrationem. Dicunt ergo, quod ubi filii Israel erant transituri, erant scopuli multum protensi super aquam, in quibus erant cavernositates, in quibus adversarii Hebræorum posuerunt armatos latenter, qui filios Israel de subtus transeuntes, interficerent lapidibus ac sagittis. Dominus autem scopulos illos fecit inclinari usque ad aliam partem terræ vel aquæ. Sic latentes ex illa inclinatione fuerunt exstincti, et filii Israel super scopulos inclinatos libere transierunt. Quo facto, scopuli divina virtute ad locum redierunt priorem. Hæc Lyra.

Unde et Petrus Comestor : Potuit, inquit, esse quod aliqui scopuli minores coram Israelitis inclinati sunt, ut de facili transirent : quod forte prædictum fuit in benedictione Joseph, qua legitur, Donec veniret desiderium collium æternorum. Et forte de eodem cecinit David : Montes exsultaverunt ut arietes, etc. Fuerunt demum qui opinati sunt, per verba præfata describi situm Arnon, quia quum scopuli prærupti et altissimi sint in deserto, paulatim inclinantur, donec requiescant, id est finiantur, prope Arnon. Unde subjungi-

Gen. XLIX, 26.
Ps. CXIII, 4.

Digitized by Google

tur : *ut requiescerent in Arnon, et recumberent,* id est quiescerent, *in finibus Moabitarum :* qui fines inceperunt juxta Arnon.

Ex eo loco apparuit puteus, hoc est, ex loco prænominato devenerunt filii Israel ad alium locum, in quo (Deo jubente et indicante) adepti sunt puteum per modum qui tangitur infra ; *super quo,* hoc est de quo puteo, *locutus est Dominus ad Moysen : Congrega populum, et dabo ei aquam,* qua ipsi et pecora reficiantur. Non legitur quod Dominus omnipotens et liberalissimus dederit populo suo in deserto vinum aut carnes, sed solummodo panem et aquam pro sustentaculo vitæ. Nempe, quod aliquando contulit eis carnes, fuit ad petitionem ipsorum, et potius in punitionem quam in bonum eorum. (*Exod.* XVI, 12. *Num.* XI, 33.) *Tunc cecinit Israel carmen istud,* id est, filii Israel gratias Domino retulerunt pro beneficio aquæ dando vel dato, dicentes : *Ascendat puteus. Concinebant,* id est, filii Israel simul canebant grata et hilari mente : *Puteus* ascendat, id est, aqua ex fossa prorumpat, in tantum ut supra redundet, *quem foderunt principes,* id est capitanei Israeliticæ plebis, *et paraverunt duces multitudinis,* id est præfati principes qui erant ductores et capita populi. Vel per principes intelliguntur quicumque principales de populo, sicut textus superius disseruit quod Dathan et Abiron erant principes populi. (*Ibid.* XVI, 1, 2.) In Joanne quoque legitur : Multi ex principibus crediderunt in Jesum. (*Joann.* XII, 11.) *In datore legis,* id est ex ostensione et jussione Dei, qui erat legifer principalis, et Moysis, qui fuit legislator ministerialis et instrumentalis : *et in baculis suis :* quia cum palis aut baculis foderunt, seu percusserunt in loco terræ eis monstrato a Deo per Moysen, et inde aqua affluenter manavit.

Profectique sunt de solitudine in *Matthana,* id est de una solitudinis parte in aliam sic vocatam ; *de Matthana in Nahaliel.* Ista sunt nomina locorum, per quæ transierunt, non mansionum in quibus notabiliter quieverunt. *De Nahaliel venerunt* A *in Bamoth,* quod est nomen mansionis, secundum quosdam. Aliqui tamen dicunt, quod non sit hic nomen mansionis, sed vallis in regione Moab. Unde subjungitur : *Bamoth vallis est in regione Moab in vertice Phasga,* id est montis sic dicti, *quod respicit contra desertum.* Sed qualiter potuit vallis esse in vertice montis ? Ad hoc quidam respondent, quod iste sit sensus : In vertice Phasga, id est prope montem sic dictum. Alii putant, quod mons ille sit adeo grandis, ut in superioribus sint colles B et valles.

Misit autem Israel, id est Moyses, secundum Glossam ; vel populus, Moyse annuente, *nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens : Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam,* etc. Istud humiliter rogaverunt filii Israel, quia Deus directe promisit eis terram Chanaan trans Jordanem. *Qui concedere noluit, ut transiret Israel per fines suos : quin potius congregato exercitu, egressus est obviam in desertum, et venit in Jasa, pugnavitque* C *contra eum,* id est contra populum Israel, *a quo percussus est* Sehon *in ore gladii, et possessa est terra ejus* a filiis Israel, *ab Arnon usque Jaboc.* Arnon et Jaboc accipiuntur hic pro urbibus, quarum una fuit exordium regni Sehon, alia finis regni ejusdem ; *et filios Ammon,* id est usque ad terram Ammonitarum. Dicit autem Josephus multos Amorrhæorum in pugna illa perisse, alios ad flumina corruisse, quosdam jaculis terræ affixos ; fugientes ad mœnia, a fundibulariis esse præventos. D Præfatam etiam terram Amorrhæorum asserit inter tria flumina sitam, ut insulam, et esse uberrimam, ita quod fluvius Arnon sit a meridie, Jaboc ab aquilone (unde in Genesi habetur de vado Jaboc), Jordanis ab occidente. (*Gen.* XXXII, 22.) Præterea dicunt Hebræi, quod rex Sehon accepit pecuniam ab habitatoribus terræ Chanaan, quatenus filiorum Israel prohiberet adventum. Cur autem filii Israel non obtinuerunt terram Ammonitarum, subjungitur : *quia forti præsidio,* id est tuitione, *tenebantur termini*

Digitized by Google

Ammonitarum, ita quod extrema sua quibus filii Israel propinquabant, munitionibus firmaverunt. Præcipua tamen ratio fuit, quia Deus prohibuit filiis Israel invadere Ammonitas, ut in Deuteronomio habetur. Idcirco, per forte præsidium istud, quidam non inepte intelligunt prætactam Dei prohibitionem. Poterat tamen materiale illud præsidium esse tam forte, quod filii Israel non valebant illud viribus suis expugnare, nec ad hoc voluit eos Dominus supernaturaliter adjuvare, quoniam filiis Lot natis ex Ammon, tradiderat terram illam.

Deut. II, 19.

Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi. Per hoc satisfit objectioni et dubitationi, quæ moveri potest circa prædicta, qualiter verum sit quod filii Israel possederunt urbem nomine Hesebon, quum illa pertinuerit regi Moab, a cujus terra prohibuerat Dominus Israelem. Et respondetur, quod quamvis civitas illa primo attinuerit regi Moab, postea tamen jure prælii obtinuit eam rex Sehon, et ab illo obtinuerunt eam filii Israel jure belli. *Qui pugnavit contra regem Moab, et tulit omnem terram, quæ ditionis illius erat,* id est, Sehon rex abstulit regi Moab omnem terram sui dominii, *usque Arnon :* per quod innuitur, quod non abstulit ei totum territorium regni sui. *Idcirco dicitur in proverbio,* id est in verbo vulgari et carmine publico aliquantulum parabolico, secundum quod de notabilibus bellis magnificisque triumphis carmina solent componi : *Venite in Hesebon,* id est ad locum in quo steterat urbs illa, antequam Sehon rex eam vastavit; *ædificetur, et construatur civitas Sehon,* id est, civitas illa jam reparetur ad honorem Sehon regis, cui nunc attinet. *Ignis egressus est de Hesebon,* id est, ex præcepto regis Sehon possidentis urbem nomine Hesebon, egressi sunt ejus ministri ad incendendum alia oppida Moabitarum. Unde sententia ista aliis verbis repetitur, ut moris est in cantilenis. *Flamma de oppido Sehon,* videlicet de præfata urbe Hesebon, *et devoravit Moabitarum Arnon* *, id est urbem sic dictam, quæ fuit inter urbes Moab præcipua, *et habitatores excelsorum,* id est sublimium locorum, *Arnon,* hoc est oppidi aut fluvii nomine Arnon. *Væ tibi Möab.* Carmen istud a fautoribus Sehon factum est et cantabatur, qui dixerunt : Væ tibi Moab, id est, mors, confusio, vastitas tibi illata est, o rex, seu plebs Moabitis ; *peristi, popule Chamos,* id est, tu gens Moabitica, quæ colis idolum nomine Chamos, dejecta et victa es. *Dedit,* id est, Chamos Deus Moabitarum exposuit, vel potius tradi permisit, imo impedire non potuit, *filios ejus,* utpote populi se colentis, *in fugam,* quia fugerunt territi Amorrhæos, *et filias in captivitatem regi Amorrhæorum Sehon :* quia mulieres non sunt ad fugiendum veloces, propter quod velocius capiuntur. *Jugum ipsorum disperiit,* id est, potestas regis et plebis Moab, qua alios opprimere consuevit, destructa est, *ab Hesebon* urbe *usque ad Dibon* oppidum Moab ; *lassi pervenerunt in Nophe et usque Medaba :* id est, Moabitæ fugientes, tandem fatigati, venerunt ad urbes nomine Nophe et Medaba, ad quas confugerunt, quia nondum perdiderant eas. De his et aliis civitatibus Moab legitur plenius in Isaia et Jeremia.

* Ar

Is. XV et XVI. *Jer.* XLVIII.

Habitavit itaque Israel in terra Amorrhæi : quia hæ urbes pro tunc fuerant regis Amorrhæorum, et non regis Moabitarum. *Misitque Moyses* quosdam de Israel, *qui explorarent Jazer* urbem Sehon ; *cujus ceperunt viculos, et possederunt habitatores.* Exploratores isti plus fecerunt, quam eis injunctum fuit : quia non solum exploraverunt, sed etiam vastaverunt urbem, ad quam explorandam erant directi, et viculos circumjacentes. Habitatores vero locorum illorum possedisse dicuntur, quia subdiderunt eos suæ voluntati, et forsitan occiderunt. *Verteruntque se,* ut redirent ad Moysen, *et ascenderunt per viam Basan,* id est regionis seu loci illius, *et occurrit eis Og,* id est, ad occurrendum paravit se, atque occurrere cœpit, *rex Basan, cum omni populo suo, pugnaturus in*

Digitized by Google

Edrai : quia in loco sic dicto proposuit A contra Israelitas pugnare. Forsanque primo intendebat exploratores illos in via perimere, antequam reverterentur ad Moysen ; sed Deo revelante, Moyses propositum et occursum Og regis cognovit. Et ut Josephus refert, intendebat succurrere amico suo regi Sehon : quem quum audisset exstinctum, nihilo minus decrevit contra Moysen præliari. Unde subjungitur : *Dixitque Dominus ad Moysen : Ne timeas eum,* quamvis sit præpotens gigas, grandi ac valido vallatus exercitu, *quia in manu* B *tua tradidi illum,* id est, dare decrevi, *et omnem populum ac terram ejus,* etc. *Percusserunt igitur* filii Israel, Deo auxiliante, *et hunc* Og *cum filiis suis, universumque populum ejus.* Forsitan habuit secum in bello filios suos carnales, qui secum occubuerunt.

Qualiter autem gesta sint ista contra hos duos reges Amorrhæos, plenius continetur in Deuteronomio. (*Deut.* II, 24 *et seq.;* III, 1-14.) Verum, ut in Scholastica fertur historia, territoria regum istorum non fuerunt de terra promissa : quod C patet, quoniam eam ingressus est Moyses, cui locutus est Dominus : Non introduces filios Israel ad terram quam eis promisi.

Hic pleraque Biblia, et Septuaginta interpretes exordiuntur vicesimum secundum capitulum : *Profectique inde filii Israel, castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho sita est.*

Postremo, ut infelicium Judæorum fatuitas clarius pateat, recitabo quod Lyra hic refert. In libro qui apud Judæos vocatur liber Benedictionum, narratur, quod Og audiens castra filiorum Israel occupare milliaria tria, ivit, et evulsit unum montem tantum spatium occupantem, quem imposuit capiti suo, uti super filios Israel projiceret eum. Deus vero immisit formicas, quæ montem perforaverunt ; sicque per foramen suum mons descendit ad collum Og, qui dum vellet se expedire de monte illo, creverunt dentes ejus, et intraverunt foramina montis : ita non potuit illum e collo suo ejicere. Moyses autem decem cubitos in altitudine habens, habuit securim, cujus manubrium longitudinem decem cubitorum habebat. Quumque videret ipsum Og monte irretitum, cucurrit ad eum, et saltavit in altum per cubitos decem, sicque attigit cavillam pedis illius, et projecit eum in terram, et interfecit. Ecce quam infinita stoliditas !

ARTICULUS XXXVI

DE SPIRITUALI HUJUS VICESIMI PRIMI CAPITULI SENSU.

Filii Israel, christiani populi fuerunt D figura. Quemadmodum enim filiis Israel ad terram promissionis tendentibus, diversa et magna occurrerunt impedimenta intrinseca et extrinseca, utpote mala culpæ, quæ ex eorum prava voluntate, atque infecta sensualitate et ratione erronea profluxerunt, mala quoque pœnæ ipsis illata a visibilibus inimicis, labor, lassitudo, fames, et sitis ; ita et Christianis ad cœleste regnum eis promissum tendentibus, varia ac gravia occurrunt obstacula, a visibilibus et invisibilibus hostibus, ex propria carne, ex mundo et improba voluntate, fomitisque infectione : quibus omnibus necesse est viriliter reluctari, ac fideliter prævalere, quia non coronatur, (II *Tim.* II, 5.) nisi qui legitime certat.

Porro, per Chananæum qui ad meridiem habitabat, intelliguntur spiritus nequam, qui in fervore suæ perdurant malitiæ, qui ad ignem concupiscentiæ, ad flammam ira-

Digitized by Google

cundiæ, ad fervorem peccandi nos incitant, qui quum viderint nos venire per viam exploratorum, hoc est per rectam et arctam viam salutis, quam veraciter cauti, virtuosi, ac providi viatores, tanquam compendiosiorem observant et eligunt, impugnant nos acriter, prævalentque frequenter, et charismatibus spoliant nos divinis. Sed quemadmodum filii Israel deprædationem perpessi, Domino mox voverunt, quod si traderet Chananæos illos in manus ipsorum, delerent urbes Chananæorum ; ita nos a dæmonibus deprædati, firmiter proponamus et incipiamus Deum incessabiliter invocare, ut gratiam et virtutes prævalendi dæmonibus nobis largiri dignetur : quam si contulerit, statuamus non solum nos ipsos de manibus illorum eruere impiorum, sed et urbes eorum delere, hoc est, consortia iniquorum convertere, congregationes injustas ad salutis reducere viam, vitiorumque aciem dissipare, laborando ad hæc implenda pro posse orationibus, exhortationibus, et exemplaribus actibus.

Præterea, per regem et populum Edom, qui filiis Israel negaverunt iter per terram suam, imo et armati occurrerunt eisdem, intelliguntur homines carnales, terreni, principesque iniqui, qui justorum abominantur consortia, et inter se non permittunt illos pacifice conversari, imo derident,
Sap. v, 4. persequunturque ipsos, et vitam ipsorum putant insaniam. Sic impii excæcantur, sic principes dixerunt ad Jehu de discipulo
IV Reg. ix, 11. Elisei : Quid venit insanus iste ad te ? Sed sicut Israel divertit ab Edom, sic justi debent cedere impiis, non tamen relinquere virtutum constantiam, sed malle mori quam transgredi.

Caveamus præterea, ne cum filiis Israel tædeat nos itineris assumptæ justitiæ, ac laboris qui in Dei consistit obsequio.
Sap. iii, 15. Bonorum namque laborum gloriosus est fructus ; et pro brevissimo vitæ hujus curriculo, in Dei cultu expenso, præmia præ-
Is. lxiv, 4. I Cor. ii, 9. stolamur æterna, et bona quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens valet
A concipere. Quod si interior aliquis inordinatus consurgit motus, non acquiescamus, nec ad murmurationis et impatientiæ rebellionisve verba prorumpamus iniqua. Non nobis vertatur in nauseam panis cœlestis, refectio spiritualis, verbum Dei, studium spirituale, observantia virtuosa : alioqui Deo justissime permittente, invadent, intoxicabunt, occident nos serpentes igniti, passiones mortiferæ, tela nequissimi Ephes. vi, 16.
ignea, et spiritus infernales. Denique si, quod absit, ad tantum devenerimus la-
B psum, non desperemus, sed Christum propter nos cruci appensum intueamur, invocemus, sectemur ; ejusque passionem nostris cordibus indelebiliter inscribamus, atque in ea tanquam saluberrimo libro omnem consideremus, discamus, operemur virtutem. Et sicut filii Israel processerunt paulatim, et de una ad aliam profecti sunt mansionem, ita spirituali profectui ordinate et jugiter insistamus, et unicuique virtuti suo loco et tempore simus intenti. Nempe (ut sanctus ait Hieronymus) non
C semper uni virtuti studendum est, sed de virtute in virtutem eundum. Cohærent etenim sibi et connexæ sunt virtutes, ut qui una caruerit, omnibus careat. Hoc autem eorum est proprie, qui observant ortum Solis justitiæ.

Ex eo loco apparuit puteus. In Scripturis puteus interdum in malo accipitur, utpote pro vitiorum profundo atque voragine pravitatis, quemadmodum scriptum est, Neque urgeat super me puteus os suum ; Ps. lxviii, 16.
interdum in bono, videlicet pro flumi-
D ne gratiarum, pro profundo sapientiæ et scientiæ Dei, pro exuberantia supernorum charismatum. Itaque evangelicæ legis doctrina, apostolica documenta et cetera Scripturarum volumina putei sunt, ex quibus rivi sapientiæ, refectiones animæ sitientis, irrigationes consolationum sanctarum, et gratiarum munera hauriuntur. Hos puteos foderunt, et nobis exhibuerunt Princeps pastorum et sancti Apostoli, qui constituti sunt principes super omnem terram, Evan- Ps. xliv, 17.
gelistæ et Prophetæ ductores nostri. Ex

Digitized by Google

puteis istis reficit Dominus suam incessanter Ecclesiam, si tamen fuerit congregata, hoc est fide et devotione unita.

Scopuli torrentium inclinati sunt. Scopuli sunt saxa eminentia, quæ a longe queunt videri : per quæ intelligi possunt ecclesiastici viri in sublimibus officiis constituti, acuti et rigorosi, qui superextenduntur torrentibus, id est congregationibus multis et magnis, præsidendo eisdem : et inclinantur, quoniam quanto majores, tanto plus in cunctis humiliant se, et unicuique subditorum juxta illius capacitatem indigentiamque coaptant. Quemadmodum autem aquæ multæ populi multi, ita torrentes sunt hominum congregationes. Torrens tamen quandoque designat tribulationis exuberantiam.

Apoc. xvii, 15.

Postremo, per Moysen intelligitur Christus, qui suos misit bellatores et exploratores ad universas mundi provincias, videlicet sanctos Apostolos, et eorum cooperatores et successores, ut auferrent diabolo spolia ejus, et regna mundi evangelicæ subderent legi ; sicque saluberrime caperent homines, et eos ad vivificam mortificationem perducerent. Sed occurrerunt ac restiterunt ministris Christi Sehon et Og, hoc est superbissimi principes et tyranni cum suis satellitibus, qui memoriam nominis christiani, et universos Christi ministros delere conati sunt. Sed miseri defecerunt, quia nec sapientiæ discipulorum Christi, nec potentiæ Salvatoris, nec divulgationi Evangelii potuerunt resistere : imo et multi eorum ad fidem catholicam sunt conversi ; ceteri æternaliter perierunt.

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SECUNDI : VIDENS AUTEM BALAC FILIUS SEPHOR.

QUOT et qualibus modis obviatum sit filiis Israel, et quam gratiose ac miraculose egerit Deus cum eis, et propter eos, nunc recitatur. *Videns autem,* id est percipiens et intelligens, *Balac filius Sephor, omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo,* id est duobus præfatis Amorrhæorum regibus et etiam regi Arad ; *et quod pertimuissent eum,* videlicet populum Israel, *Moabitæ, et impetum ejus ferre non possent :* non quod populus Israel impugnaverit Moabitas ; sed quod Moabitæ consideraverunt filios Israel tanto Dei sui adjutorio esse suffultos, quod ipsi Moabitæ non valerent Israelitis resistere, si invaderentur ab ipsis : propter quod, ne invaderentur, permiserunt filios Israel ire per terminos suos, ut in Deuteronomio habetur ; *dixit ad majores natu Madian,* hoc est ad nobiliores Madianitarum, quorum rex fuit, et ipsi erant consiliarii ejus : *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas carpere usque ad radices,* id est, penitus nos occidet sicut bos devorat gramina. Consideravit itaque se non posse per arma et bella Israelitis resistere, quoniam reges ipso potentiores, victos esse cognovit ab illis. *Ipse autem erat rex eo tempore in Moab.* Jam dictum est, quod rex iste vidit quod Moabitæ pertimuerunt filios Israel, ideo allocutus est majores natu Madian, quasi Moabitæ fuerint alieni ab eo et a populo ejus : quomodo ergo nunc dicitur, quod eo tempore ipse exstitit rex in Moab ? Ad hoc credibiliter quidam respondent, quod Balac iste fuit natione Madianita, et in eis plus confidebat ; non autem fuit rex in Moab ex genealogia, sed vel jure belli, vel ex spontanea subjectione Moabitarum, quo-

Deut. ii, 18.

Digitized by Google

rum hereditarius rex fuit fortassis a Sehon rege occisus.

Misit ergo ex consilio Madianitarum *nuntios* solennes et multos, quasi ad reverentiam Balaam, et ad denotandam magnitudinem causæ, *ad Balaam filium Beor ariolum,* hoc est magum et superstitiosum, *qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon.* De variis autem speciebus et modis magicæ artis, et quid proprie sit ariolari, dictum est in Levitico, ubi inter cetera legitur: Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini. Proprie quippe ariolator vocatur, qui exta seu viscera animalium immolatorum diis seu dæmonibus super aras considerat, ut ex inspectione illorum divinet, occulta revelando, seu quid agi oporteat denuntiando. *Ut vocarent eum,* id est, invitarent ad veniendum secum ad Balac, *et dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me,* id est ex opposito regni mei, vel ad insidiandum nocendumque mihi. Hoc dixit, quia verebatur quod impugnaretur a filiis Israel, a quibus tamen (ut videtur) non fuisset impugnatus, si non opposuisset se eis, quoniam nec terram Moab, in qua ipse tunc dominabatur, nec regionem Madian promiserat Dominus Israeli. *Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est,* nisi juver per te; *si quo modo,* id est ut per aliquem modum, *possim percutere et ejicere,* id est occidere vel fugare, *eum de terra mea.* Jam enim populus Israel fuit in campestribus Moab.

Lev. XIX, 31.

Circa hæc loquitur Origenes multum pulchre in homilia, cujus etiam verba habentur diffuse in Glossa: Quid consequentiæ aut consilii habet ista historia? Quis regum imminente sibi prælio, confugit aliquando ad verba aruspicis aut divini, armis relictis? In primis ergo fateri oportet, quod in aliquibus plus valent verba, quam corpora: et quod exercitus nequit efficere, hoc fit verbis; nec tantum sanctis verbis Dei, sed et verbis inutili arte compositis. Erant in Ægypto incantatores et

A magi. Quis hominum potest fortitudine corporis virgam mutare in serpentem, aut aquam in sanguinem, quod tamen illi fecerunt? Sunt autem magorum differentiæ, et alii plus, alii minus possunt. Balaam famosissimus erat in magica arte et in carminibus potens; non tamen habebat potestatem aut artem verborum ad benedicendum, sed ad maledicendum. Quia igitur in his expertus, opinatissimus erat in oriente. Misit Balac ad eum, præsumens fieri posse sermonibus Balaam, quod ferro B et acie vix fieri posset. Videtur etiam rex Balac audisse, quod filii Israel hostes vincunt oratione, non armis, non tam ferro quam precibus præliantes. Itaque apud se cogitavit: Orationibus hujus populi nulla arma possunt conferri, ideo mihi requirendæ sunt preces. Dixit enim: Nunc ablinget synagoga hæc omnes qui in circuitu nostro sunt, sicut ablingit vitulus herbam campi. Quasi dicat, Sicut vitulus abrumpit ore herbam, et lingua tanquam falce secat quæ invenit, ita populus hic ore et labiis C pugnat, et in verbis habet arma. Mittit ergo ad Balaam, ut verba verbis opponat, et precibus preces: preces, inquam, fusas ad dæmones. Nec mireris si tale quid fit in magica arte. Sic enim Scriptura designat esse hanc artem, ut eam prohibeat: sicut dæmones esse significat, sed coli vetat, quia magorum magistri sunt spiritus maligni, qui arte quadam et compositione verborum in amicitias cesserunt Balaam mago. Hæc Origenes. Dicunt etiam quidam Hebræi, quod Balac percepit populum Israel D plus prævalere verbis et precibus, quam armis: ideo vocavit Balaam, ut maledicendo, verba verbis opponeret.

Novi enim quod benedictus sit, cui benedixeris; et maledictus, in quem maledicta congesseris. Quasi dicat, Scio quod benedictiones et maledictiones tuæ efficaciam habeant: quod secundum Origenem et Glossam, non dixit rex Balac veraciter, sed adulatorie, quatenus artem ipsius Balaam extollens, promptiorem eum faceret sibi. Recitat tamen Lyra, quemadmodum

Digitized by Google

Rabbi Salomon dicit, quod Balaam prædixit huic Balac, quod regnaturus esset in Moab, et quod superavit Moabitas per maledictiones et carmina Balaam edita contra illos. Istud incertum est. Deus tamen interdum justo permittit judicio aliqua fieri hujusmodi arte, et aliquos debilitari, aliquos adjuvari per spiritus malos. Potest insuper dici, quod Balaam fuit tantæ versutiæ, quod noverat dare consilia proficua ad juvandum, et etiam ad nocendum, et tales consultationes ac practicas vocavit Balac benedictiones et maledictiones.

Perrexeruntque seniores Moab et majores natu Madian: utrique enim genti præfuit Balac ; *habentes divinationis pretium in manibus,* id est in promptu, quasi paratissimi dare ipsi Balaam mercedem copiosam pro divinatione, qua regi annuntiaret futura, et quid sibi esset agendum. Quum enim futura pure contingentia et omnino secreta, pro certo præcognoscere, Deo sit
Is. XLI, 23. proprium, juxta illud in Isaia, Ventura et quæ futura sunt, annuntiate nobis, et sciemus quia dii estis vos ; ideo qui magica arte talia sibi usurpant, divini vocantur. Verumtamen Septuaginta transtulerunt, Habentes divinationes in manibus. Sic quoque in Hebræo habetur. Quod tribus modis exponitur : Uno modo, per divinationes intelligendo præmia divinationis ; secundo, instrumenta ejusdem, quoniam magi utebantur certis instrumentis ad divinandum. Hinc alia habet translatio, Habentes divinacula : quæ secundum Glossam sunt instrumenta, quæ curiositas adinvenit humana, et a gentilibus vocantur tripodes aut cortinæ, quæ ad hoc suo modo sunt consecratæ, id est, moventur ac contrectantur a magis in artibus suis. Tertio, per divinationes intelliguntur concordationes, quibus Madianitæ inter se condixerunt, secundum quosdam : Si Balaam mox consenserit venire nobiscum, proderit ipse nobis ; si autem distulerit, non erit adventus ejus nobis proficuus. Sic et aruspices Philistæorum dixerunt de vaccis reportantibus arcam Dei : Si ierint per viam rectam, etc. I *Reg.* VI, 9.

Quumque venissent ad Balaam, et narrassent ei omnia verba Balac jam introducta, et forsitan plura, quia omnia non sunt scripta, *ille respondit : Manete hic nocte.* Circa hoc scribit quidam : Erat enim propheta dæmonum ; revelationes autem dæmonum quas iste quærebat, fiunt ut communiter de nocte, quia sunt spiritus tenebrarum. Quocirca pensandum, quod non solum dæmonum, sed etiam Dei et angelorum revelationes communiter fiunt de nocte, prout supra ostensum est super illud : Si fuerit inter vos propheta, in visio- *Num.* XII, 6.
ne apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. Unde in Evangelio legitur angelus *Matth.* I, 20 ; II, 13, 19.
in somnis apparuisse Joseph. *Et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus.* Quæritur, quem intelligat hic Balaam per Dominum. Ad hoc in Scholastica respondetur historia : Mentiebatur, et mendose dixit se esse prophetam Dei, quum in sacrificando consuleret dæmones ; vel forte dæmonem, qui sibi loqui solebat, dominum appellavit.

Porro Lyra circa hæc ait : Aliqui expositores dicunt dubium esse, de quo intelligatur hic Dominus, utrum de Deo, vel de dæmone : quoniam magi et arioli dæmonem sibi apparentem, vocant principem vel dominum, cui et exhibent reverentiam. Sed apud Hebræos non est de isto dubium : quoniam ubi habemus, Dominus, in Hebræo habetur nomen Domini tetragrammaton, quod non competit nisi vero Deo. Nec obstat quod Balaam quærebat revelationes a dæmone, quoniam moris est magorum, potissimum cupidorum, qualis exstitit Balaam, fingere coram hominibus, quod revelationes sibi fiant a Deo vero, ut sic eis magis credatur, et majus lucrum reportent. Verumtamen his obviare videtur, quod Glossa hic introducit ex Origene : In Hebræorum litteris nomen Dei, hoc est Deus vel Dominus, diversimode dicitur scribi. Aliter enim scribitur quicumque deus, aliter verus Deus, qui certo littera-

Digitized by Google

rum signo scribitur, quod apud Hebræos tetragrammaton dicitur. Quod dum sub signo hoc scribitur, nulla dubitatio est, quin de vero Deo dicatur. Quando vero communibus litteris, incertum est, an dicatur de Deo vero, an de quolibet aliorum. Aiunt ergo qui Hebræas litteras legunt, Deum hic non suo signo tetragrammaton esse positum. De quo qui potest, inquirat. Hæc Origenes. Sed quia Glossa et Origenes hæc dicunt recitative, non assertive, argumentatio ista est parvi vigoris. Ideo dici potest cum Lyra, quod in Hebræo sic habeatur, quia nec Rabbi Paulus in hoc redarguit ipsum. De isto puncto infra magis dicetur.

Manentibus illis apud Balaam, venit Deus. Invariabilis et incircumscriptibilis Deus locum non mutat, nec ad aliquem venit localiter, sed per effectum, videlicet gratiam infundendo, aut de novo quid operando, aut nuntium destinando ; sicque venit ad Balaam, ad quem venit angelus sanctus missus a Deo, et loquens in ejus persona. Putantque aliqui quod fuit angelus ductor Israeliticæ plebis, de quo Dominus dixit ad Moysen : Ecce ego mitto angelum meum qui præcedat te, et custodiat in via. (*Exod.* XXIII, 20.) *Et ait ad eum : Quid sibi volunt homines isti apud te ?* id est, cur venerunt ? Non ex ignorantia quærit id Dominus, sed ut ad responsa Balaam pertinenter respondeat. Venit autem Dominus, non propter merita Balaam qui fuit iniquus, nec ipse Balaam Dominum invocavit, ut sibi appareret, et de agendis instrueret, sed potius more magorum a dæmone petiit edoceri, prout infra clarius ostendetur. Cur ergo Dominus apparuit, et locutus est impio huic, nisi ex sua benignitate, et propter populum suum electum ? Etenim gratia talium apparitionum, et gratia prophetiæ, sunt dona gratiæ gratis datæ, communia bonis et malis, quæ propter communem dantur utilitatem. *Respondit : Balac rex Moabitarum misit ad me, dicens : Ecce populus egressus est de Ægypto, et operuit superficiem terræ ; veni, et maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum,* id est, populum hunc amovere de superficie terræ, saltem meæ quam operit. Ex hoc habetur, quod Balac non proposuit omnino relinquere arma, sed populo maledicto a Balaam, intendebat contra eum pugnare. *Dixitque Deus ad Balaam : Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est.* Multi enim boni erant tunc in populo Israel, et pro maxima parte erant electi, qui terram promissionis introierunt.

Quæritur, cur Dominus apparuit Balaam ad faciendam hanc prohibitionem, quum maledictio ipsius Balaam nihil potuerit populo illi nocere, nisi Domino permittente. Ad hoc Glossa respondet : Balaam acceptis oraculis, quum dæmones solerent ad eum venire, fugatos videt, et Deum adesse conspicit : quem ideo dicit se interrogare, quia consuetos sibi apparere non cernit. Venit ergo Deus ad Balaam, non quia sit Deus ejus, sed ut fugentur illi qui ad maledicendum et ad malefaciendum adesse consueverunt. Hinc enim providebat Deus populo suo. Origenes vero in homilia de ista materia tractat prolixe et satis catholice, inter cetera loquens : Non vult Deus dæmones ante tempus damnare, id est, omnes in infernum detrudere, ideo non removit diabolum a principatu sæculi hujus, quoniam opera ejus necessaria sunt ad perfectionem eorum qui coronandi sunt. Sic igitur agit, ut populus Israel adhuc rudis, qui nuper a cultura dæmonum abstrahi cœperat, dæmonibus non tradatur, et invocanti mago responsa non deferantur : ideo prævenit Deus, et non permittit Balaam dæmones invocare.

Qui mane consurgens : quo constat, quod in nocte facta est ei apparitio et allocutio ; an tamen in somno, an in vigilia, ignoratur ; *dixit ad principes : Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum.* Ut fertur, Rabbi Salomon ait, quod Balaam cupidus et superbus, ideo adjecit, Vobiscum, quasi nuntii illi non fuissent sibi satis venerabiles, ut deducerent eum. Sed hoc dictum nec rationi con-

Digitized by Google

sonat, nec Scripturæ. Fuerunt enim nuntii illi seniores Moabitarum, et nobiliores Madianitarum. *Reversi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum.* Sed an nuntii isti adjecerunt causam quam Balaam eis expressit, videlicet quia Dominus illud prohibuit, non est certum. *Rursum ille multo plures et nobiliores, quam ante miserat, misit,* ut per exhibitionem majoris honoris, magis alliceret ambitiosum, atque ut tantorum nuntiorum excellentia flecteretur. *Qui dixerunt ad Balaam: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cuncteris,* id est, non tardes nec dubites, *venire ad me: paratum habeo honorare te, et quidquid volueris dabo tibi:* dummodo in mea sit potestate, secundum quod tales promissiones solent intelligi; *veni, et maledic populo isti. Respondit Balaam: Si dederit mihi Balac domum suam plenam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.* Dum volumus apertissime insinuare et fortissime affirmare, quam invite aliquid faceremus aut omitteremus, nominamus aliquid ad quod aliunde vehementer afficimur, aut quod maxime detestamur. Quum itaque Balaam volens ostendere, quam invitissime verbum Dei transgrederetur, mentionem inducit de argento et auro, apparet quod intensissime afficiebatur ad ea: per quod suæ cupiditatis excessus probatur.

Quæri potest, an per Dominum Deum suum intelligat verum Deum; et si sic, an protulit verba ista ex corde, an ficte. Ad primum videtur ex dictis dicendum, quod per Dominum Deum suum, intellexerit verum Deum. Ad aliud respondetur, quod dixit verba illa ex fictione, ut justior videretur, et credibilior reputaretur, sicque plura acquireret. Vel si non protulit ea ex simulatione, protulit ea ex servili timore; et ita tunc sensit sic, sed postea transgressus est verba Dei. Et si objiciatur, quod fuit idololatra, ut infra habebitur, ergo non coluit verum Deum, nec illum appellat Dominum Deum suum: respondendum,

A quod Balaam iste habuit magnam veri Dei notitiam, et certitudinem de providentia ejus. Idcirco, non obstante quod coluit idola, colere potuit verum Deum eo modo, quo quarto Regum de gentibus a rege Assyriorum in Samaria collocatis, asseritur, quod coluerunt timueruntque Dominum, et nihilo minus idolis suis serviebant. (*IV Reg.* XVII, 33, 41.) Atque nunc usque (ut fertur) Tartari colunt unum altissimum Deum, et cum hoc idola sua. Sic et magni quidam philosophi, ut Porphyrius, Apuleius, et alii quidam adoraverunt

B unum summum omnium Deum, universorum principium, et præter hoc deos suos. Sic putandum reor de Balaam, qui fuit philosophus. Sicque verum Deum universorum vocavit specialiter Deum suum, vel quia tam gratiose sibi apparuit, vel ex præsumptione et simulatione ob causam prætactam.

Attamen sicut super Genesim allegavi, (*Gen.* XXII, 21.) beatus Hieronymus aperte testatur, quod Balaam iste primo fuerat sanctus vir et verus Dei propheta, et quod postea cupi-

C ditate corruptus sit, sicut et proditor Judas. Hoc tamen aliorum dictis non consonat, nec videtur textui concordare: quia in isto capitulo Balaam vocatur ariolus, et infra habetur quod non ivit ut augurium quæreret, scilicet solito more, ut exponetur ibidem. Unde elicitur, quod jam ante hæc fuerat magicis artibus deditus. Alibi quoque dicit Hieronymus, quod fuit Eliu Buzites, de quo in libro Job legitur; (*Job* XXXII, 2.) et tamen Eliu ille vocatur filius Barachel, iste vero filius Beor. Ad quod dici posset, quod

D pater ejus fuit binomius: imo ut super Job circa procemium introduxi, Hebræi et Scholastica historia dicunt, Eliu illum fuisse hunc Balaam. Verumtamen circa hoc rursus quæstio oriretur, quoniam ut super Genesim recitavi, Hieronymus ait, quod Eliphaz primogenitus Esau, fuit Eliphaz Themanites, qui in libro Job inducitur disputare: (*Gen.* XXXVI, 4. *Job* IV, 1.) et quomodo poterat ille usque ad tempus istud, quo circa finem vitæ Moysis Balaam ista dixit et egit, vixisse?

Digitized by Google

Obsecro ut hic maneatis etiam hac nocte, ut scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus. In his verbis, secundum Augustinum, Balaam graviter peccavit. Ait equidem Augustinus : Balaam jam constans esse debuit, quum audisset a Domino, Non ibis cum eis ; nec debuit spem nuntiis dare, quod posset Dominus sententiam suam mutare contra populum suum quem asseruit benedictum. Sed Balaam ista dicendo, ostendit se victum cupiditate : quod Dominus videns, permisit eum ire, ut avaritiam ejus primo coerceret per asinam suam, hoc ipso confundens dementiam ejus, quod prohibitionem per angelum factam, asina transgredi non auderet, quam ipse ex cupiditate transgredi conaretur. Hinc loquitur Origenes : Quoniam Balaam persistebat in desiderio pecuniæ, indulgens Deus potestati arbitrii ejus, ire permisit. Glossa etiam ait : Molestus est Balaam Deo, et quasi extorquet permitti sibi ut eat. Aliqui quoque fatentur, quod quærebat aliquem modum quo posset ire. Et quamvis dicebat, Ut scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus, ut sic magis authenticus videretur, optavit tamen ut Domino [non] veniente ad eum, dæmon permitteretur sibi apparere atque consulere.

Venit ergo Deus, id est angelus ex parte Dei, *ad Balaam nocte, et ait : Si te vocare venerunt homines isti :* de quibus in tantis angustiis positis, Dominus quasi compatiendo disseruit, Homines isti ; *surge et vade cum eis.* Aliqui dicunt verba ista ironice esse prolata ab angelo ; sed non videtur, quia subjungitur : *ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias,* id est, dicas et agas : sicque Facere sumitur hic, prout commune est ad loqui et operari. Itaque Dominus non dedit ei licentiam eundi cum nuntiis illis simpliciter, sed conditionaliter, puta sub pacto isto, ut Deo obediat in verbis et factis. Aliqui vero dicunt, quod verba illa, Vade cum eis, non fuerunt jussio neque concessio, sed quædam permissio, qua Deus multa mala permittit, ut ex eis bona eliciat, sicut ex ista itineratione ipsius Balaam elicuit plurima bona, ut infra patebit. Sicque justo judicio Deus reliquit eum ire in malum ipsius, ita quod ista permissio exstitit ira Dei, qui protestatur : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. *Ps. LXXX, 13.* Unde et Glossa interlinearis : Cedit Deus cupiditati, dimittit eum in desiderium cordis sui. Circa hoc Origenes : Per sapientiam, inquit, Dei omnia ita disposita sunt, ut nihil otiosum sit apud Deum, sive sit bonum, sive malum. Malitiam non fecit Deus, tamen ab aliis inventam, quum impedire possit, non impedit, sed utitur ea cum ipsis malis hominibus ad necessarias causas, quia per eos in quibus est malitia, probat eos qui ad gloriam tendunt. Si enim non esset malitia, non esset qui contrairet virtutibus. Virtus autem si contrarium non haberet, non claresceret. Tolle malitiam fratrum Joseph, auferes bona quæ ex ea sunt consecuta. Tolle malitiam Balac regis et viam Balaam, non erunt prophetiæ ipsius. Hæc Origenes prolixe prosequitur. Verumtamen textum bene intuendo, constat quod non dedit Deus ipsi Balaam eundi licentiam, nisi ad bene agendum ; et ad vitandum malum culpæ, primo prohibuit ei transitum illum. Josephus autem dicit, quod Dominus volens per ipsum Balaam rem experimento probare, permisit eum ire cum nuntiis, ut sibi juste permitteretur perire.

Surrexit Balaam mane, et strata asina profectus est, id est equitavit, *cum eis.* Illis enim in terris asinæ magnæ sunt, similiter asini, sicut hic muli. Nec turpe est ibi, asino sedere aut asinæ. *Et iratus est Deus :* similiter angelus Dei. Sed quare iratus est, quum jam dixisset, Vade cum eis ? Respondetur, quod ideo, quia perversa ivit intentione, et sicut in Scholastica narratur historia, mutavit propositum, et captus cupiditate promissorum, disponebat et intra se tractabat, qualiter malediceret populo Israel. Josephus tamen et alii quidam opinati sunt, quod Dominus ironice dixerit Balaam, Vade cum eis ; atque ob id iratus fuerit ei, quia verbum illud accepit ut se-

riose prolatum. Sed ut tactum est, hoc non videtur textui consonare. Si enim Dominus ironice dixisset, Vade cum eis, non addidisset, Ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias. Et iratus est Deus ; *stetitque angelus Domini,* custos Israeliticæ plebis, *in via contra Balaam qui insidebat asinæ ; et duos pueros,* id est ministros vel filios sive discipulos, *habebat secum.* Ex hoc elicitur, quod quamvis cœpit iter arripere cum nuntiis regis, tamen in via fecit illos præcedere, forte ut acutius cogitaret de consulendis atque agendis, vel quia speravit quod sibi in via nequam spiritus appareret.

Cernens asina angelum stantem in via evaginato gladio. Angelus ille in corpore assumpto et in humana apparebat effigie. Sed sicut Beatus habens corpus glorificatum, sibi plene obediens et subjectum, ostendit se uni, dum vult, et non alteri, ita et angeli in assumptis apparentes corporibus : sicque corpus illud angeli immutavit visum asinæ, et non visum Balaam, ut ipse per hoc paulo post suam vitiositatem, insipientiamque adverteret. Hinc ait Glossa : Magus videt dæmones, asina angelum : non quod ipsa sit digna angelum intueri, sicut nec loqui, sed ut Balaam confutaretur. *Avertit se de itinere,* timens occidi, *et ibat per agrum. Quam quum verberaret Balaam, et vellet ad semitam reducere, stetit angelus in angustiis,* id est coarctationibus seu arctis itineribus, *duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur,* et ab invicem distinguebantur ; et ad introitum semitæ illius Balaam reduxerat asinam suam de agro. *Quem videns asina, junxit se parieti,* id est maceriæ unius vineæ, elongando se pro posse ab angelo stante juxta maceriam aliam ; *et attrivit sedentis pedem,* ita quod unus pes Balaam comprimebatur inter corpus asinæ et parietem vineæ. *At ille iterum verberabat eam asinam ; et nihilo minus angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare* propter arctitudinem loci, *obvius stetit,* id est ex

A adverso Balaam. *Quumque vidisset asina stantem angelum, cecidit sub pedibus sedentis,* ex debilitatione quam incurrit ex timore angeli, et verberibus ac tractationibus Balaam. *Qui iratus vehementius,* quia erat res multum insolita, et videbatur quasi amentia obtusi jumenti, *cædebat fuste latera ejus.*

Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est : id est, Deus per linguam et os asinæ locutus est miraculose, non immediate per se, sed per ministerium angeli alicujus, B qui linguam asinæ movit et flexit ad verba formanda, quemadmodum diabolus per os serpentis allocutus est Evam, imo per idola gentium, quæ nec os nec linguam vere et proprie habent, dæmones dant responsa. Et videtur Origenes velle, atque in Glossa habetur, quod angelus iste fuit qui præsidet speciei asininæ. Quemadmodum enim quilibet hominum habet specialem angelum sui custodem, ita secundum Origenis intentionem, quælibet alia species specialissima rerum habet angelum sibi C præsidentem ac gubernantem. Ait equidem Origenes : Opus est mundo etiam angelis qui sunt super bestias et præsunt animalium nativitati, incrementisque virgultorum et plantationibus ceterorum. De hoc scribit Thomas in prima parte summæ suæ, quæstione 110 : Virtus inferior materialis ac particularis, a virtute superiori universali et immateriali administratur et regitur, sicque corporalia et terrena ab angelis gubernantur. Plato autem posuit omnia sensibilia a formis separatis immediate D profluere, sed doctores catholici ponunt, diversis rebus corporeis diversas esse præpositas spirituales substantias. Dicit etenim Augustinus libro Octoginta trium quæstionum : Unaquæque species visibilis in hoc mundo, habet angelicam potestatem sibi præpositam ; atque ut asserit Damascenus, primus ille apostata angelus, fuit ex eis spiritibus qui orbi terrestri erant prælati.

Gen. III, 1-5.

Itaque locuta est : *Quid feci tibi ?* quasi dicat, Injuriam facis mihi, quia non forefeci tibi neque peccavi. *Cur percutis me*

Digitized by Google

ecce jam tertio, id est tertia vice? Multa mirabilia considerantur in opere isto. Nam numerare est actus rationis, quia in numeratione est collatio unius ad alterum per modum propositionalem, quæ collatio est actus rationis. Propter quod bene disseruit Avicenna, quod quamvis gallina apprehendat multitudinem suorum pullorum, non tamen numerum eorumdem. Unde si multos habeat pullos, et se absente unum amittat aut duos, reversa non sentit; secus, si plures simul, quamvis absens, amittat. Quod itaque asina dixit, Percutis me ecce jam tertio, quasi numerans vices suæ percussionis, fuit super naturam. Præterea quæri potest, an asina propria intellexerit verba. Ad hoc communiter respondetur, quod non: sensit quippe ictus sibi inflictos, et imaginativa sensitivaque cognitione apprehendit eosdem; non autem sciebat quid loquebatur, nec supra actum suum habuit reflexionem. Ideo ait Glossa: Deus animam asinæ non vertit in rationalem naturam, sed quod sibi placuit, ex ea sonare fecit ad illius, scilicet Balaam, vesaniam coercendam. Hinc dignissimus apostolici chori vertex, in secunda sua fatetur Canonica: Subjugale animal hominis voce loquens, corripuit prophetæ insipientiam. (II *Petr.* II, 16.) Insuper circa hæc quæri posset, an Creator omnipotens per omnipotentiam suam supernaturaliter poterat dare asinæ intelligentiam eorum quæ protulit: cujus rei discussionem disputatoribus, scholasticisque committo.

Respondit Balaam: Quia commeruisti, et illusisti mihi, id est, quasi stolidum me tractasti. Vel, per te fraudatus sum meo intento, quia putabam quod mihi obtemperares, et convenienter me veheres; tu autem fecisti contrarium. *Utinam haberem gladium ut te percuterem,* id est, occiderem. *Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper insidere consuevisti usque in præsentem diem?* id est, super quod omni tempore opportuno interim quod me habuisti, solitus es equitare. *Dic quid simile unquam fecerim tibi. At ille ait: Nunquam* tale quid mihi fecisti. Inter hæc (ut Augustinus conscribit) nihil mirabilius videtur, quam quod loquente asina, territus non est Balaam, sed insuper audacter ei respondit. Quod Augustinus solvit, dicendo quod Balaam assuetus fuit talibus monstris, atque (ut aliqui dicunt) solitus erat dæmones in specie animalium sibi apparentes videre, et secum loquentes audire. Alii dicunt, quod tanta cupiditatis aviditate ferebatur, quod nec tanti monstri miraculo terrebatur, et responderit ei quasi ad hominem loquens. Potest etiam dici, quod ex vehementia iræ, aut non, aut minus expavit. Ira namque mentem obtenebrat, facitque hominem periculose audacem, et periculorum improvidum. Tamen, ut Josephus ait, primo fuit inde turbatus. Sed quæri potest, an Balaam putavit verba sua intelligi ab asina sua; et rursus, a quo spiritu putavit asinæ verba formari. Ad quæ possit quis dicere, quod Balaam naturali philosophia instructus, agnovit asinam non esse intellectualis cognitionis capacem, nec ex suis viribus posse loqui: propter quod scivit verba illa a spiritu intellectualis naturæ formari; et potius reor, quod putavit ea formari a dæmone, quam ab angelo bono. Potuit tamen contingere quod ira repletus, non consideraverit actualiter, quod noverat habitualiter: ideoque locutus sit asinæ tanquam creaturæ rationali, et quasi peccaverit, quum esset innoxia. Vel protulit verba ad asinam, ut intelligerentur a loquente per eam, et indignatus est contra illum, et in illius dedecus voluit asinam trucidare.

Protinus aperuit Dominus oculos Balaam: non quod corporales oculi ejus hucusque fuerint clausi, sed quoniam Deo jubente, nunc aliter cœperunt videre, et illud inspicere quod antea non viderunt. Præterea aperuit oculos ejus interiores, manifestando ei quod ante nescivit, sicut subjungitur: *et vidit angelum stantem in via evaginato gladio,* tanquam iratum, et ad resistendum paratum; *adoravitque eum pronus in terram,* adoratione duliæ, non

Digitized by Google

tamen ex vera virtute, neque ex caritate, sed ex servili timore, metuens ab angelo percuti. *Cui angelus: Cur, inquit, tertio verberas,* id est jam verberasti, *asinam tuam ?* quasi dicat, Ipsa non meruit hoc, et tu ipse magis percuti meruisti. *Ego veni ut adversarer tibi,* quia custos et propugnator sum Israelitici populi cui tu adversaris ; *quia perversa est via,* id est ambulatio *tua, mihique contraria:* quoniam ex intentione iniqua procedit, et quum non habueris licentiam seu permissionem pergendi ad Balac, nisi ut quæ Deo sunt placita agas, tu cogitas ea quæ displicent Deo, efficere. *Et nisi asina declinasset de via* recta, *dans locum resistenti,* id est mihi cedens, *te occidissem, et illa viveret.* Hoc mihi videtur difficile, qualiter intelligendum sit quod angelus occidisset Balaam, nisi asina divertisset a via. Nonne et extra viam poterat attingere et interficere impium illum ? Et si angelus illum interemisset, qualiter fuissent impleta quæ Deus per Balaam voluit exhibere ? Sed forte sic erat præordinatum, ut singula sic et sic, et non aliter, fierent. Vel quod ait, Te occidissem, comminatio fuit ad perterrendum, ut vel sic resipisceret a peccato. Etiam dixit hoc ad designandum, quam irrationabiliter ipse Balaam suam percusserat asinam, per cujus declinationem ipse evaserat mortem.

1 *Reg.* xv, 30. *Dixit Balaam : Peccavi,* asinam verberando, imo multo plus per cupiditatem et per pravum propositum, *nesciens quod tu stares contra me* in hac via. Scivit tamen quod impium suum propositum fuit Deo angelisque contrarium ; sed hoc, vitiositate repletus, non consideravit. Porro quod sequitur, Et illa viveret, dupliciter potest intelligi : primo, quod asina ex nimia perterritione, flagellatione et violentatione sibi inflictis, repente obierit ; secundo, quod angelus sic ipsum Balaam occidisset, quod ejus asinam non læsisset. *Et nunc si displicet tibi ut vadam, revertar.* Hoc dixit timore periculi, non animo sinceriter obediendi. Jam enim audivit ab angelo, quod

A via sua esset perversa, etc., et tamen conditionaliter ait, Si displicet tibi, etc., quasi dicat, Quantum in me est, cupio ire et vadam, dummodo tu permittas. *Ait angelus : Vade cum istis* nuntiis, scilicet regis, qui tamen jam præcesserunt, nec interfuerunt his gestis, sed aliquantulum erant progressi. Porro quod angelus ait, Vade cum istis, intelligendum est sicut quod Dominus dixit ad ipsum, Vade cum eis. *Sed cave ne aliud quam præcepero tibi, loquaris. Ivit igitur cum principibus,* insequendo viam
B ipsorum.

Quod quum audisset Balac, utpote ipsum Balaam advenire : nam quidam ex nuntiis præcesserunt ad denuntiandum hoc regi, quatenus occurreret venienti ; *egressus est in occursum ejus,* ad suscipiendum eum cum ingenti honore, quatenus eum ad omnem suam flecteret atque alliceret voluntatem : imo remote ivit obviam ei cum grandi apparatu et populo. Nam subditur, *in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon :* ubi sunt
C confinia Amorrhæorum et Moabitarum, prout jam dictum est. *Dixitque Balac : Misi nuntios ut vocarem te. Cur non statim venisti ad me ? An quia mercedem adventui tuo reddere nequeo ? Cui ille respondit : Ecce adsum. Numquid aliud loqui potero, nisi quod Deus posuerit in ore meo ?* quasi dicat, Non. Tamen quia invite protulit illa, non promeruit, talia proferendo. Vel dixit hoc ex vanitate, ut magis authenticus haberetur a rege, sive ad innuendum cur non venerat cum nun-
D tiis primis, quia videlicet Deus dixerat ne veniret.

Perrexerunt ergo simul per aliquantum spatium, *et venerunt in urbem quæ in extremis regni ejus finibus erat. Quumque occidisset Balac oves et boves,* ad convivandum cum Balaam, *misit ad Balaam et ad principes qui cum eo erant, munera.* Ex hoc elicitur, quod rex cito discessit a Balaam ad providendum de regali convivio. Interim quoque Balaam non parum sollicitus repausavit. Misit itaque munera

Digitized by Google

ipsi Balaam, et principibus qui venerunt cum eo, tanquam his qui suam legationem melius implesse videbantur quam nuntii primi. Vel, misit munera et principes, id est principes cum muneribus ad Balaam, ut antequam malediceret populo, incitaretur per munera ad maledicendum illis acutius. *Mane autem facto, duxit eum ad excelsa Baal,* id est ad montem sublimem, videlicet Phasga, in quo Baal colebatur, ut jam inde inciperet maledicere cultoribus veri Dei; *et intuitus est extremam partem populi,* id est totum populum usque ad ultimos ejus, præsertim quum sequenti habeatur capitulo: Dixit Balac ad Balaam, Veni mecum in alterum locum, unde partem Israel videas, et totum videre non possis. Vel sensus est, Intuitus est extremam partem populi, id est quousque extenderetur exercitus filiorum Israel: quod notavit adspiciendo ultimam agminis partem, ut magnitudinem exercitus sciret.

Sensus moralis. Moraliter ex isto capitulo informamur, ad quanta scelera trahat cupiditas, quæ omnium radix vitiorum merito appellatur, et mentem prorsus excæcat. (I *Tim.* VI, 10.) Per Balac autem intelliguntur malevoli, qui in humanis confidunt versutiis: qui dum se per rationem et potestatem cernunt non posse obtinere intentum, victoriamque sortiri, ad calliditates et dolos, atque ad callidorum consilia ac subsidia convertuntur. Per Balaam autem recte accipiuntur consiliarii vitiosi, astuti et arrogantes, qui Deum non metuentes, desiderio munerum et honoris, fraudulenta atque nequissima præstant consilia. Rursus, per Balac designatur diabolus, qui a fidelibus metuens superari, assumit sibi in auxilium prælatum carnalem et versipellem, quem cunctis modis instigat, ut per negligentiam scandalosamque vitam alios secum mittat in rete diaboli. Docemur rursus ex isto capitulo, non multum appetere dona gratiæ gratis datæ, quæ apud homines pariunt famam, sæpeque generant gloriam vanam; sed veram humilitatem, timorem Dei, et cetera gratiæ gratum facientis dona, totis affectemus et conservemus præcordiis: et cognita Dei voluntate, non quæramus occasionem excusandi nos, aut peccandi; et tales simus in opere, quales in verbis. Balaam quippe, qui quasi devotissima et magnæ perfectionis protulit verba, dicendo, Si dederit mihi Balac domum suam plenam auri, non potero immutare verbum Dei mei, et tamen impiam gessit mentem, designat hypocritas, et eos qui quod docent, non implent; et coram hominibus pulchra et magna loquuntur, sed coram Deo turpia cogitare ac viliter se habere non erubescunt. Postremo, quod per asinam locutus est Deus, reprehenditque Balaam, hoc designat, quod sæpe per idiotas et simplices increpat Dominus sapientes et prudentes sæculi hujus; et quia infirma et stulta mundi elegit, ut per eos sapientes in oculis suis confundat. (I *Cor.* I, 27.) Itemque, quod increpationem caritativam, piamque informationem gratanter debeamus accipere, etiam si ab indoctis et simplicibus videatur procedere.

ARTICULUS XXXVIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : DIXITQUE BALAAM AD BALAC.

QUALITER motus et quasi compulsus sit Balaam ad benedicendum, nunc recitatur. *Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic septem aras,* id est, fac hic construi septem altaria, *et para,* id est, fac adduci etiam *totidem vitulos, ejusdemque*

numeri arietes, ut super quamlibet aram A offeratur vitulus unus, unusque aries. Hæc sacrificia jussit Balaam immolari, non ad veri Dei honorem, sed ad reverentiam Baal ac dæmonum, quorum invocabat consilium et succursum. Fecit tamen (ut aliqui dicunt) septem aras parari, ad septem planetarum honorem, ex quorum constellationibus putavit vitam pendere humanam pro magna parte. *Quumque fecisset Balac juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum et arietem,* hoc est Balac et Balaam pariter, *super aram* quamlibet, aut B super unam et primam earum, unum vitulum et unum arietem, quatenus sacrificium ex hoc magis acceptum esset Baal sive dæmonibus, quoniam tam solennes ministri propriis manibus illud imposuissent. *Dixitque Balaam ad Balac : Sta paulisper juxta holocaustum tuum :* nam utrumque animal ad honorem Baal totum igne incendebatur; *donec vadam* ad locum secretum, in quo in quiete consistens, aptior sim ad apparitiones et revelationes quas cupio, *si forte occurrat mihi Dominus.* C Infra habetur : Quumque vidisset Balaam quod placeret Domino, ut benediceret Israeli, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quæreret. (*Num.* XXIV, 1.) Ex quibus verbis ostenditur, quod hac vice similiter et sequente, abiit ad quærendum augurium : quod non quæritur a Deo, nec ab angelo bono, sed magis a spiritu malo. Cur igitur ait, Si forte occurrat mihi Dominus? nisi quod nomine Domini intelligit eum quem colebat tanquam idololatra, cui et sacrificavit. Vel nomine Domini verum Deum D designat, quem etiam coluit juxta præhabita, ut amplioris auctoritatis esse credatur omne quod agit et loquitur. Propter quod subdit : *et quodcumque mihi imperaverit, loquar tibi.*

Quumque abisset velociter, desiderio complacendi satisfaciendique regi, et ut promissa acquireret præmia, *occurrit ei Deus,* id est angelus in Dei persona apparens et loquens, non propter merita aut preces Balaam, sed (ut dictum est præcedenti articulo) quatenus fugaret diabolum, et maledictionem populi impediret, eumque faceret benedici. *Locutusque ad eum Balaam : Septem, inquit, aras erexi,* id est erigi feci, *et imposui vitulum et arietem desuper* in holocaustum. Cur Balaam dixit hoc tam audacter, quasi Deo placeret hujusmodi cultus et idololatria illa? Respondetur, quod gentiles philosophi putaverunt cultum deorum suorum esse placitum summo Deo, a quo putabant regimen mundi diis suis esse commissum, sicut ex libris Porphyrii et Apuleii, imo ex libro de Civitate Dei S. Augustini, monstratur. Dixit tamen Porphyrius, quod Deus prohibuit Hebræis cultum deorum, quia ipse solus voluit coli ab ipsis Hebræis.

Dominus autem posuit verbum in ore ejus, id est, revelavit huic Balaam quod vellet dici per eum, *et ait : Revertere ad Balac, et hæc,* quæ statim sequuntur, *loqueris.* Et recte nunc dicitur, quod Dominus posuit verbum in ore ejus : quoniam fuit indignus apparitione et allocutione divina : qua si dignus fuisset, posuisset Dominus verbum in corde ipsius. Ideo Glossa fatetur : Quia in corde Balaam desiderium mercedis erat, verbum Domini non in corde, sed in ore ejus ponitur. Mira etenim dispensatione agebatur, ut verba prophetiarum quæ intra Israeliticam aulam, id est Synagogam, continebantur, per Balaam ad gentes pervenirent, dum ei crederent gentes; nationibusque proferret secreta de Christo mysteria, ac magnum thesaurum, non tam corde et sensu, quam ore et sermone. Hæc Glossa. Verumtamen hoc ultimum verbum Glossæ, non est sic accipiendum, quasi Balaam non intellexerit vaticinia sua quæ infra habentur : alias non fuisset propheta, quia intelligentia est opus in visione (*Dan.* X, 1); sed quod cordis sui affectio revelationibus sibi factis non concordabat. *Reversus, invenit Balac stantem juxta holocaustum suum :* juxta quod stabat, ut deus suus respiceret eum simul cum sacrificio suo ; *et omnes principes Moabitarum,* vel simpliciter omnes, vel

Digitized by Google

quosdam de omnibus. Aderant quoque principes Madian.

Assumptaque parabola sua, hoc est, sermone obscuro et mystico ac parabolico inchoato : nam infra loquitur per similitudines designantes quædam mystica et obscura, secundum quod moris est Prophetarum; *dixit : De Aram,* id est de loco seu oppido Mesopotamiæ sic vocato, *adduxit me,* hoc est, per nuntios deduci me fecit, *Balac rex Moabitarum, de montibus orientis :* quoniam terra illa est in parte orientali respectu terræ Moab, suntque in terra illa Aram montes, per quos fuit ipsius Balaam iter. *Veni, inquit, et maledic Jacob,* id est filiis Israel natis ex semine Jacob ; *propera,* quia periculum est in mora, *et detestare,* hoc est, abominabilem esse affirma, ac doce qualiter abominabilem faciamus, *Israel,* id est Israeliticum populum natum ex præfato Jacob, qui alio nomine dictus est Israel. *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur ?* quasi dicat : Nec juste, nec rationabiliter maledicere aut abominari valeo populum istum, qui est benedictus et honoratus a Deo. *De summis silicibus videbo illum, et de collibus considerabo illum.* Litteralis sensus uno modo potest hic esse, quoniam Balaam ductus fuit in montem valde sublimem petrosum, et inde intuebatur populum Israel, qualiter erat multus et fortis, ordinate quoque per tribus suas dispositus, habens in medio sui tabernaculum Dei. Deinde de montibus minus altis consideravit plebem eamdem. Amplius autem loquendo, per summos silices intelliguntur Patriarchæ majores, solidissimi in omni virtute ; per colles, Patriarchæ minores et sancti patres. Ex quorum consideratione poterat perpendi, quod filii Israel erant populus benedictus a Domino, qui eis terram Chanaan repromisit daturusque fuit, sicut ad Patriarchas, præsertim ad Abraham, Isaac et Jacob, frequenter fuit locutus.

Populus solus habitabit, hoc est, populus Israeliticus morabitur in terra sibi promissa, segregatus ab aliis nationibus fide, circumcisione, conversatione, habitu et privilegiis multis ; *et inter gentes non reputabitur,* id est, erit specialis et electus, peculiarisque populus Dei, non annumerandus gentibus aliis, nec computandus inter communes ; de quo per Isaiam Dominus dixit : Hereditas mea Israel. Dicunt *Is.* XIX, 25.
expositores, quod Balaam nihil prophetavit de adversitatibus Israeliticæ plebis, ne ex tali vaticinio Balac et aliæ gentes animarentur ad impugnandum eamdem. Alias potuissent hæc verba de adversitate plebis illius exponi, quia in captivitate Babylonica et Romana habitavit plebs illa hinc inde dispersa, et distincta ab aliis atque contempta. *Quis dinumerare possit pulverem Jacob,* hoc est posteros Jacob patriarchæ instar pulveris seu arenæ multiplicatos, *et nosse numerum stirpis Israel?* quasi dicat : Tam copiosa erit per temporum successiones plebs nata ex Israel, quod ab hominibus non poterit numerari. Verumtamen illi quos Balaam vidit, poterant numerari. Hinc quoque in Genesi Dominus locutus est Abrahæ : Si quis hominum possit numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. *Gen.* XIII, 16.

Moriatur anima mea morte justorum, hoc est, anima mea recedat a corpore morte salubri, quæ est janua vitæ beatæ : non quod anima desinat esse, sed quia mors justorum est recessus a vita præsenti in statu gratiæ et salutis : et tali modo optavit Balaam iste, ad horam compunctus, ab hac vita recedere ; noluit tamen justorum apprehendere vitam. *Et fiant novissima mea horum similia,* hoc est, tale judicium et talem beatitudinem adipiscar, qualia justi acquirunt. Istud desiderium Balaam fuit quædam imperfecta velleitas optativa, qua nunc usque multi cupiunt vitam suam bene concludere, finaliterque salvari, non tamen procedunt in actum : quia non habent velle imperativum plenum et efficax, quod, impedimento cessante, in opus procedit, quale nec Balaam habuit. Transla-

Digitized by Google

tio Septuaginta sic habet: Moriatur anima A mea inter animas justorum, et fiat semen meum ut semen hoc. Sicque optavit posterorum suorum salutem: quod secundum Matth. II, 11. Glossam impletum est in Magis, qui Christum adoraverunt, qui descenderunt de Balaam per generis successionem et disciplinæ traditionem, quos constat cognovisse stellam quam Balaam prædixerat orituram.

Dixitque Balac ad Balaam. Audita hac benedictione populi, cujus maledictionem speravit audire, rex Balac contristatus est B valde, et secundum Glossam ultra non ferens, verba prophetantis interrupit, dicendo: *Quid est hoc quod agis?* quasi dicat, Perverse te habes. Nam *ut malediceres inimicis meis,* imprecando eis adversa, et prædicendo de eis mala, ac operam dando quod talia nunc eis contingant, *vocavi te; et tu econtrario benedicis eis,* id est, eos commendas, et bona vaticinaris de eis. *Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?* Certum est quod Balaam non poterat licite aliquid lo- C qui contra præceptum Dei, et tamen post hæc dedit consilium malitiosum adversus hunc populum, contra Dei præceptum. Verumtamen Deo omnipotenti, tanquam infinitæ potentiæ supergloriosissimo Creatori, est proprium directe et immediate agere in omnem voluntatem creatam, et illam ad libitum immutare, flectere, et vertere quocumque voluerit; nec potest quis hujuscemodi inclinationi motionique Dei resistere, nec tamen absolute compellitur (sicut nec Sancti in patria, quamvis non D possint in contrarium boni, in quo sunt confirmati), nam et Creator excelsus movet voluntatem ipsius. Denique per hæc verba fassus est Balaam, magicas suas artes, superstitiosasque practicas divinationum et auguriorum contra Deum nil posse, nec aliquid nisi Deo permittente valere.

Dixit ergo Balac ad Balaam: *Veni mecum in alterum locum, unde partem Israel videas, et totum videre non possis.* Quod ait, Veni mecum in alterum locum, quidam exponunt de alio monte, juxta præhabita in præcedenti articulo. Alii autem exponunt de alio loco præfati montis, videlicet Phasga. *Et inde maledicito ei.* Juxta expositores, Balac iste putavit ipsum Balaam perterritum ex inspectione totius Israelitici populi, et ideo ausum non fuisse maledicere ei, sed beatificasse tantum exercitum: ideo voluit eum ducere in locum, in quo non videret, nisi partem populi hujus. Forsitan quoque putavit hic Balac, quod Balaam non audebat maledicere populo toti, propter virtutes et merita tantæ communitatis Deum summum colentis; sed quod parti populi, quæ minus habuit gratiæ ac virtutis, maledicere bene auderet. Iterum æstimabant gentiles, præsertim augures et divini, omnia interesse locis atque temporibus, et in auguriis ac magicis actibus loca esse observanda ac tempora. *Quumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga:* qui locus quamvis esset plurimum altus, tamen erat sic situatus, quod ex eo totus populus Israel simul videri non poterat, quamdiu erat in loco, in quo tunc fixit tentoria; *ædificavit Balaam septem aras,* id est, eas erigi fecit, *et impositis supra vitulis et arietibus:* fecit enim, ut ante, parari septem vitulos, totidemque arietes ob causam prædictam; *dixit ad Balac: Sta hic juxta holocaustum tuum, donec ego pergam obvius* ad locum seorsum, in quo dæmonem mihi occurrere opto, ut instruar ab eodem.

Cui quum Dominus, scilicet angelus Domini, *occurrisset,* ob causas præhabitas, *posuissetque verbum in ore ejus, ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris ei.* Ista fuit causa, cur bonus et sapiens Deus permisit impium Balaam ire ad Balac, et quod eunti ad consulendum diabolum, Dominus dignabatur occurrere: ut scilicet ex malitiis Balaam, bona magna eliceret, ut scilicet ei annuntiaret quædam secreta, et ea per spiritum prophetiæ pronuntiarentur a Balaam, ad omnium gentium utilitatem. Hinc loquitur Origenes: Deus verbum suum in-

Digitized by Google

jecit in os Balaam, prohibens fieri maledictiones, ut benedictionibus locum daret; et pro maledictionibus proferri fecit benedictiones et prophetias, quæ ædificant etiam reliquas gentes. Si enim prophetiæ Balaam a Moyse scriptæ sunt, quanto magis ab his qui cum ipso Balaam in Mesopotamia habitabant, a quibus tanquam discipulis magicæ artis, magnificus habebatur? Ex ipso namque fertur gens institutioque magorum vigere in partibus orientis, qui scripta habentes omnia quæ Balaam prophetaverat, hoc inter cetera habuerunt : Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel. Ideo Magi nato Domino, cognoverunt et intellexerunt impleri prophetiam, magis quam Judæi. Ideo Magi scientes adesse tempus, venerunt et adoraverunt Dominum, atque ad magnum fidei argumentum, venerati sunt puerum parvum quasi regem magnum. Hæc Origenes. Hinc ait et Glossa : Rogatur Balaam ut populo Israel maledicat. Stant attonitæ gentes, obnixe exspectantes quid respondeat Balaam, quem divinis dignum credebant colloquiis. Vide quomodo divina sapientia vas in contumeliam præparatum, proficere fecit, non uni genti dumtaxat, sed toti mundo ; et huic cui solebant dæmones apparere, apparet Deus, prohibens illi iter mali operis. Stupescit Balaam, et miratur prohibentis auctoritatem. Hæc Glossa.

Num. xxiv, 17.

Matth. ii, 1.

Reversus, invenit eum, videlicet Balac regem, *stantem juxta holocaustum suum, et principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac : Quid, inquit, locutus est Dominus? At ille assumpta parabola sua, ait : Sta, Balac, et ausculta ; audi, fili Sephor.* Balaam iste admiratione majestatis divinæ repletus ad horam, et magnitudine revelationum sibi factarum attonitus, nescit blandiri, sed velut imperterritus, constanter locutus est regi, adstantibus ejus principibus. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur :* idcirco quod jam semel pronuntiavit, implebitur ; *nec ut filius hominis, ut mutetur :* ideo invariabiliter fixum est verbum ipsius, qui per Malachiam ait, Ego Dominus, et non mutor; Apud quem, ut Jacobus ait apostolus, non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio. Ipse enim Deus gloriosus et adorandus, est actus purus, et ens infinite perfectum, æternaliter in optima sui dispositione consistens. *Dixit ergo, et non faciet ?* quasi dicat : Non utique, sed quod se dixit facturum, efficiet. *Locutus est, et non implebit?* Verumtamen in Ezechiele, Jeremia, Zacharia, aliisque Prophetis frequenter loquitur Dominus per modum dominatoris ac judicis variabilis atque flexibilis; et per Isaiam ac Jonam quædam dixit futura, quæ non evenerunt, puta de morte Ezechiæ, eversioneque Ninive.

Malach. iii, 6. Jacob. i, 17.

Ezech. iii, 11; xx. Jer. ii, iii, xiii. Zach. viii, xii. Is. xxxviii, 1. Jonæ iii, 4.

Quocirca pensandum, quod duplex est prophetia seu prænuntiatio Dei : Una prædestinationis seu æternæ præcognitionis, dum scilicet Deus prænuntiat aut revelat aliqua, prout sunt in sua infallibili ac divina notitia : in qua omnia quasi præsentialiter intuetur, et quidquid ita prænuntiat aut revelat, infallibiliter adimpletur seu evenit. Alia prænuntiantur aut revelantur a Deo per angelos, secundum quod sunt in causis suis secundariis, naturalibus et proximis, quæ interdum non ita eveniunt nec implentur, quoniam causæ eorum mutantur. Unde ait per Zachariam : Convertimini ad me, et convertar ad vos. Atque per Jeremiam : Repente loquar adversum regnum, ut destruam illud. Si pœnitentiam egerit, agam et ego pœnitentiam. Et tamen in primo libro Regum Samuel contestatur : Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur.

Zach. i, 3. Jer. xviii, 7, 8. I Reg. xv, 29.

Ad benedicendum adductus sum. Bene ait, Adductus sum : nam quamvis ipse non venit intentione benedicendi, Dominus tamen adduxit eum ad benedicendum populo suo. *Benedictionem prohibere non valeo,* id est, vitare nequeo quin verba bona et commendatoria, imprecativaque boni loquar de populo isto, quoniam Deus me movet ad talia. *Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel,* id est, plebs ista Israelitica nata ex Jacob, non est

Digitized by Google

vitio idololatriæ obnoxia. Dicuntque aliqui, quod idolum sit imago facta ad similitudinem alicujus rei exsistentis; simulacrum vero, imago facta ad similitudinem rei non exsistentis. Glossa vero dicit opposito modo, quum et Apostolus dicat :
1 Cor. VIII, 4. Nihil est idolum in mundo. Alia translatio habet sic : Non erit labor in Jacob, nec videbitur dolor in Israel. Per quæ verba status futuræ vitæ denuntiatur, ut Origenes exponit. In hac etenim vita labor et dolor abundant. *Dominus Deus ejus cum eo est,* id est, verus Deus per gratiam, opem et protectionem adest populo huic : idcirco superari non potest, nisi Deum offenderit; *et clangor victoriæ regis in illo est :* id est, quamvis hic populus non habeat regem terrenum, tamen adjutorio regis cœlestis undique prævalet, sicque clangor victoriæ, id est præclara fama triumphi, convenit huic plebi. Clangor autem proprie dicitur sonus tubarum, et filii Israel certis tubis utebantur ac personabant in præliis: qui sonus fuit signum victoriæ eis promissæ a Rege cœlorum. Septuaginta sic transtulerunt : Præclara principum cum ipso sunt. Potestas eximia, victoriosaque pugna consistunt in Israelitico populo.

Dominus Deus eduxit eum, scilicet populum istum, *de Ægypto* per signa atque prodigia, *cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Quod ait, Cujus fortitudo, potest referri sive ad Deum, sive ad populum Israel. Dicitur autem rhinoceros ἀπὸ τοῦ ῥίς, quod est naris, et κέρας, quod est cornu, quasi animal gerens cornu in naribus, sive ut alii dicunt, inter oculos seu in fronte : quod Græce vocatur μονόκερως, a μόνος, quod est unum, et κέρας, quasi unicum cornu habens. De hoc animali scribunt, qui de proprietatibus animalium tractant, quod sit animal fortissimum atque acerrimum, subtilissimum habens caput, et unicum cornu in nare; estque talis naturæ, quod nullus venator ipsum capere valet, sed virgo in campo exponitur, qua visa, omnem feritatem deponit, et quasi humiliatus, cedit in ejus amplexus, tamen absque

A libidinis fœditate. Gregorius quoque : Rhinoceros, inquit, tantæ est fortitudinis, ut nulla venantium capiatur virtute, sed virgo puella proponitur, quæ venienti aperit sinum, in quo ille, omni ferocitate deposita, caput ponit; sicque soporatus, velut inermis mox capitur. Verumtamen tam indomitæ est naturæ, ut dum captus fuerit, teneri non queat; aut si teneatur, impatiens mori protinus dicitur. Ideo alii dicunt, quod sit superbissimum animal, ita quod dum contra suam inclinationem
B tenetur, ex indignatione cadit et moritur. Denique secundum Albertum, cornu rhinocerotis longitudinis est duodecim pedum et amplius, quod est ante valde acutum, et plenum seu solidum, non concavum; et in basi ubi conjungitur capiti, diameter ejus est plus quam palmi, quod egreditur ad similitudinem gladii. Ideo alii asserunt: Unicornis in media fronte gerit cornu tam acutum et validum, ut quidquid impetierit, aut ventilet, aut perforet. Cum elephantibus solet pugnare, quos in ventre
C vulnerat ac prosternit, et buxei fertur esse coloris. Unde omnipotens Deus ad ostendendam infinitam suæ excellentiam potestatis, mentionem inducit de rhinocerote ad Job : Numquid, inquiens, volet rhinoceros servire tibi ? Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus ? Job XXXIX, 9, 11.

Itaque si comparatio ista ad fortitudinem rhinocerotis, referatur ad Israeliticum populum, sensus est, quod sicut rhinoceroti nulla pene bestia poterit prævalere, sic nulla gens filiis Israel, quamdiu Deo obe-
D dierint, prævalere valeret. Si vero comparatio ista referatur ad Deum, merito quæritur, quid magnum omnipotenti Creatori, si fortitudo ejus fortitudini bestiæ assimilaretur, nisi in his quid mysticum intelligatur : videlicet quod Virgo mundissima atque sanctissima Omnipotentem, cui nullus potest resistere, sua humilitate, caritate, et interno decore in se traxit, et in suo ventre ac gremio requiescere fecit, juxta illud, Concupiscet rex decorem tuum, Ps. XLIV, 12. quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Sic-

Digitized by Google

que in verbis istis mysterium Incarnationis innuitur, quod (ut infra patebit) erat Balaam revelatum. Porro Septuaginta transtulerunt : Deus eduxit eum ex Ægypto ; gloria ejus gloria unicornis. Circa quod loquitur Origenes : In potentia unicornis intelligitur Christus ; cornu autem pro regno multoties ponitur, juxta illud in Daniele, Quatuor cornua, quatuor regna sunt. Sicque sub nomine unicornis ostenditur, quod universa quæ sunt, sint unum regnum Christi. Omnia enim subjecit (Pater) sub pedibus ejus. Et ipse testatur : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.

Dan. VIII, 22. — *Ps.* VIII, 8. — *Matth.* XXVIII, 18.

Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel : id est, Israeliticus populus superstitionibus et magicis artibus non utitur, nec per auguria quæ ex garritu avium veritatem prognosticant, nec ex aliis speciebus divinationis quærunt de secretis et futuris doceri, sed a Deo suo. Ideo subditur : *Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli, quid operatus sit Deus :* id est, tempore congruo revelabitur Israelitico populo per Prophetas aut alios sanctos viros, quid Deo sit placitum, et quid fecit, aut facturus sit Deus, secundum quod expedit sciri. *Ecce populus ut leæna consurget, et quasi leo erigetur :* id est, populus Israel adversus hostes suos accedet ad pugnam cum omni confidentia et virtute, et ipsos prosternet, quemadmodum leo et leæna cum animositate animalia alia invadunt et vincunt. *Non accubabit donec devoret prædam :* id est, non quiescet donec adversarios suos prostraverit, diripueritque bona ipsorum ; *et occisorum sanguinem bibat.* Hoc est metaphoricum verbum, ad insinuandum quod sicut sitiens delectatur in potu, et ex abundantia ejus reficitur, sic filii Israel in dejectione adversariorum suorum lætati sunt zelo justitiæ, et in quantum ex præcepto Dei fecerunt hoc, juxta quem modum fertur de justo : Manus suas lavabit in sanguine peccatoris. In libro quoque Job : Videbunt justi et lætabuntur, et innocens subsannabit eos.

Ps. LVII, 11. — *Job* XXII, 19.

Dixitque Balac ad Balaam : Nec maledicas ei, nec benedicas : quasi dicat, Si vis non maledicere hostibus meis, saltem cessa a benedictione eorum. Consternatus fuit Balac, et omnes qui adstabant attoniti erant ac territi ex auditis. *Et ille,* scilicet Balaam, *ait : Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem,* id est, dicerem et implerem ? Non poterat se aliter excusare. *Et ait Balac ad eum : Veni, ducam te ad alium locum, si forte placeat Deo, ut inde maledicas ei.* Credidit Balac ipsum Balaam habere maledicendi voluntatem, quamvis hucusque prohibitam, sed adhuc putat ei deesse loci opportunitatem. *Quumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem, dixit ei Balaam : Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes per singulas aras.* Impius iste magus tam frequenter increpatus a Domino, atque prohibitus maledicere populo, adhuc in pessima permanet voluntate, et quærit occasionem qua maledicat, consentitque regi iniquo, loca mutando, et sacrilega sacrificia jubet. *Fecit Balac ut Balaam dixerat. Imposuitque vitulos et arietes per singulas aras,* id est, super quamlibet aram imposuit vitulum unum et unum arietem, sicut et antea egit.

Spiritualiter docemur ex præsenti capitulo, ne pauperibus, idiotis, simplicibus, monstruosis, infirmis aut justis maledicamus, quibus Dominus benedixit : Beati, inquiens, pauperes, quia vestrum est regnum Dei : imo talibus, præsertim miserabilibus personis, præcipuo caritatis affectu condoleamus, benedicamus, auxiliemur. Denique quidquid benedictionis ad litteram locutus est Balaam de Israelitis, spiritualiter et præeminenter de christiano potest intelligi populo, quem considerare debemus de summis silicibus, et intueri de collibus : quoniam quanta sit dignitas, virtus, excellentia et perfectio populi hujus, non solum ex contemplatione Christi qui est petra altissima, sed et Apostolorum,

Sensus spiritualis. — *Luc.* VI, 20.

Digitized by Google

apostolicorum quoque virorum oportet advertere. Christus quippe per gloriosos Apostolos insignivit Ecclesiam suam, exaltavit et locupletavit eamdem ecclesiasticis sacramentis, auctoritatibusque divinis, sacris Scripturis, omni virtute, dono et gratia Spiritus Sancti. Nec solum in uno climate terræ et angulo mundi, sed ubique terrarum dilatavit Ecclesiam, merito et numero auxit eam, ita ut pulvis Jacob, hoc est spiritualis soboles Christi, omnium vitiorum excellentissimi supplantatoris, nequaquam valeat numerari.

Dicamus demum et nos : *Moriatur anima mea morte justorum.* (*Ps.* cxv, 15.) Pretiosa enim in conspectu Domini mors justorum. Sed sic dicamus hoc, ut vitam illorum viriliter aggrediamur, et efficaciter prosequamur. Qui autem tanti fervoris est, ut cum sanctis martyribus pro fidei veritate, aut defensione justitiæ optet occumbere, condigne potest orare : Moriatur anima mea morte justorum, *et fiant novissima mea horum similia.* Sed curemus ut prima nostra ac media, sint primis illorum ac mediis, puta conversationi et profectui spirituali, conformia. Nec aliud loquamur, *nisi quod jusserit Dominus,* hoc est, nil proferamus contra præceptum Altissimi. Non mendacium, nec detractionem, neque seminationem discordiæ, aut verba contumeliosa seu jactantiosa, sed ea quæ jussit Creator, assidue resonemus, implentes quod scriptum est : (*Ps.* xxxIII, 2.) Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

Non est idolum in Jacob. Israeliticus ille populus in idololatriam frequenter dilapsus est, non autem populus christianus. Verumtamen a spiritualibus idolis, hoc est a phantasmatibus vanis et turpibus, ab amore venereo, ab avaritia, quæ (*Coloss.* III, 5.) simulacrorum est servitus, ab omni elatione et ambitione, quæ sunt diabolicæ imitationes, atque ab omni inordinata adhæsione, qua creaturis magis quam Creatori impie cohæretur, nos abstinere oportet : sicque stabiliri in Domino, et in veritatis ac virtutum affectum tam constanter ac immobiliter transformari, ut ad imitationem invariabilis Dei, nec mentiamur, nec a præfatis bonis mutemur, ita ut nec terror, neque cupido, nec amor, nec pœna, neque voluptas a veritate et virtuositate nos unquam avertat. Justus etenim quasi fundamentum æternum. (*Prov.* x, 25.) Hinc namque hortatur Apostolus : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper. (I *Cor.* xv, 58.) Si ita egerimus, erit Dominus Deus noster nobiscum, neque prævalebunt nobis adversarii nostræ salutis, imo succumbent. Nam *et clangor victoriæ regis* nostri sonabit in cordibus nostris, exclamans : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. (*Rom.* xvi, 20.) Et item : Beati omnes qui sperant in Domino. (*Ps.* xxxIII, 9, 23.) Proprie Dominus nos eduxit de Ægypto, id est vitiorum caligine et potestate tenebrarum invisibilium inimicorum. Non sit ergo in nobis augurium, nec ulla species magicæ artis. Curiositas præscientiæ futurorum, atque aviditas cognoscendi secreta, quorum notitia non est ad salutem proficua, abjiciantur ; sed quæ Deus præcepit, et quæ nobis in Scripturis patefecit, jugiter cogitemus. (*Eccli.* III, 22.) Qui autem indiget sapientia, postulet a Deo, nihil dubitans, plenus fide. (*Jacob.* I, 5, 6.)

Postremo populus christianus multoties ut leæna surrexit, atque ut leo erectus est contra visibiles et invisibiles hostes, in tantum quod qui ei maledicere tentaverunt, coacti sunt virtutem Christi fateri, ejusque populum exaltare : imo innumerabiles tales ad fidem Christianorum conversi sunt, etiam persecutores et magi atque philosophi multi, qui spiritui et gratiæ Christi non poterant reluctari.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI QUARTI : QUUMQUE VIDISSET BALAAM QUOD PLACERET, ETC.

CONTINUATUR hic historia duorum A præcedentium capitulorum. *Quumque vidisset Balaam quod placeret Domino ut benediceret,* ipse Balaam vel Deus per Balaam, *Israeli, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quæreret.* Præce- Num. xxiii, 3, 15. denti namque capitulo patuit, quod bis recessit per aliquantulum spatium a Balac, ceterisque adstantibus ad quærendum augurium, ut scilicet a dæmonibus instrueretur de modo maledicendi filiis Israel; sed angelo sancto præveniente et occurrente, impeditum est propositum Balaam, et B jussus est benedicere plebi. Timens ergo ne et tertia vice sibi accideret simili modo, non ivit ad quærendum augurium, quia scivit quod non acquireret responsum a dæmone, sed quod angelus ei appareret, atque juberet benedicere populo. *Sed dirigens contra desertum,* in quo filii Israel quiescebant, *vultum suum:* quod fecit Deo instigante, ut sic excitaretur ad benedicendum populo Dei; *et levans oculos* exteriores et interiores, *vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas.* Nam quæ- C libet tribus habuit locum et situm proprium, sibi assignatum per Moysen, distinctum ab aliis tribubus. *Et irruente in se spiritu Dei.* Proposuit impius ille maledicere plebi Dei; sed Spiritu Sancto præveniente, impeditus est actus voluntatis perversæ. Irruit autem in eum spiritus Dei per suum effectum, quia repente illuminatus est spiritu prophetiæ, et immutatum est cor ipsius, non de vitio ad virtutes, sed de consideratione malevola ad agnitionem salubrem, et si non sibi qui ea abusus est, D aliis tamen. Irruit ergo in eum spiritus Dei, quantum ad dona gratiæ gratis datæ, quæ bonis et malis exsistunt communia.

Et *assumpta parabola, ait.* Job quoque Job xxvii, 1. legitur esse locutus assumpta parabola. *Dixit Balaam filius Beor; dixit homo, cujus obturatus est oculus:* obturatus, id est vitiis obscuratus, repletus et clausus, fuit oculus ejus interior, ita quod nihil salubriter ac meritorie vidit. Alia translatio habet: Dixit Balaam filius Beor, homo vere videns. Unde et littera alia habet, Cujus revelatus est oculus : ut sit sensus, quod oculus ejus interior fuit cœlestibus visionibus illustratus, quando et oculus ejus exterior fuit obturatus, id est somno clausus, quia in somno factæ sunt ei aliquæ revelationes, tam ab angelo bono, quam a malo, sæpius tamen a malo. *Dixit auditor sermonum Dei :* quoniam tam in somno quam in vigilia audivit a Deo per angelum verba prophetalia ac divina, imo et quædam præcepta, quibus et partim inobediens fuit, ut patuit et patebit; *qui visionem Omnipotentis intuitus est,* hoc est, revelationes imaginarias seu aliter sibi factas, veraciter intellexit. Vel, Visionem Omnipotentis, id est, ipsum Omnipotentem in visione cognovit speculative per suos effectus.

Qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. Hoc multipliciter explanatur. Primo sic : Qui cadit, id est, ruit in culpam, et sic aperiuntur oculi ejus interiores: quia dum ruit ad quærendum auguria, contemplatus est in vigilia exteriori inspectione angelum, qui docuit eum quid diceret, et futura prænuntiavit eidem. Secundo sic, Qui cadit : quia dum angelum vidit ad oculum, prostravit se, adoravitque illum ; vel ex timore et admiratione seu reverentia cecidit, vel ex alienatione a corpore, aut corporis debilitatione, quemadmodum in

Digitized by Google

talibus visionibus fieri solet. Unde et Daniel : Collapsus sum, inquit, pronus in terram. (*Dan.* VIII, 18.) Ezechiel quoque : Vidi, et cecidi in faciem meam. (*Ezech.* II, 1.) Et Isaias : Corrui quum audirem. (*Is.* XXI, 3.) Et post hujusmodi casum illuminati sunt spiritu prophetiæ oculi Balaam infelicis. Tertio sic : Qui cadit, hoc est, in somnum resolvitur, et sic aperiuntur oculi ejus, quia in somno revelationes quasdam sortitus est. Unde, ut aliqui dicunt, in Hebræo habetur : Qui ponit, id est, in lecto reclinat se, ut in historiis exponit Magister.

Hanc ultimam expositionem sequitur Albertus, dicens super illud Job, In horrore visionis nocturnæ, quando sopor solet occupare homines (*Job* IV, 13) : Sopor est somnus profundus, ligans sensus et imaginationes ; sed ad intellectum non perveniens, quia intellectus non est virtus in corpore : propter quod in sopore magis operatur, quia nec operatione membrorum, nec imaginatione sensuum evocatur vel impeditur. Somnus autem commune est ligamentum sensuum, non phantasiæ nec imaginationis. Unde ait Philosophus primo de Somno et vigilia, quod phantasia movetur in vigilia, et magis in somno. Hujus signum est, quod dicitur in Genesi, quia quum Dominus vellet Adæ revelare intellectuali revelatione, qualiter de latere Christi formanda esset Ecclesia, immisit soporem in Adam (*Gen.* II, 21), ut scilicet non impedito intellectu, limpide perciperet revelationem. Hinc scriptum est in Canticorum libro : Ego dormio, et cor meum vigilat. (*Cant.* V, 2.) Et in commendatione visionis Balaam, qua dicitur, Visionem Omnipotentis intuitus est, præmittitur, Dixit homo cujus obturatus est oculus, et sic aperiuntur oculi ejus : et intendit quod quanto obturatus est oculus exterior, tanto limpidius videt interior ; et quanto cadit exterior profundiori destitutus sopore, tanto apertiores habet oculos interiores ad veritatis contemplationem. Hæc verba Alberti, quæ partim procedunt secundum philosophiam ipsius, recitative magis quam assertive commemoro.

A Præterea considerandum, quod Balaam vir ingeniosus et arrogans dona sibi supra merita sua collata, intelligens ea*, non parum extollitur, et de eisdem se ipsum non mediocriter elevat, ac in præsentia regis et principum laudat, ut moris est superborum, ut scilicet omnibus esset admirationi, magisque honoraretur.

* nec intelligens ea se aliunde habere (3a ed.)

Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! Alia littera habet : Quam bonæ domus tuæ, Jacob! In quibus verbis, secundum Origenem, non laudat B domos terrenas, sed populum habitantem in eis. Itaque tabernacula illa nominat pulchra, similiter ejus tentoria : quoniam filii Israel erant ordinate, pulchre, et sapienter divisi per loca et habitacula sua, et in tabernaculi gyro. (*Num.* II, 2 *et seq.*) Et primo erant divisi in duodecim tribus, præter tribum Leviticam. Quælibet quoque tribus fuit divisa per familias, domos, ac capita. Rursus duodecim tribus erant divisæ in quatuor partes, in quarum qualibet erant tres tribus, quæ quatuor partes erant in circuitu taberna- C culi in quatuor locis, secundum quatuor plagas mundi. Levitæ quoque erant in tres partes divisi, et tabernaculo Dei propinquiores. (*Ibid.* III, 17 *et seq.*) Tam multiplex autem et condecens ordo, multum perornat atque pulchrificat tam habitacula quam habitantes in eis. Nam et ordo est optimum quid in rebus. Multum quoque intuentes delectat. Ex qua consideratione venerabilis doctor Richardus de Mediavilla, super primum Sententiarum probat, quod relatio sit ens reale, quoniam ordo qui est relatio, actum D habet realem.

Ut valles nemorosæ, hoc est, nemoribus consitæ quæ sunt pulchræ ad intuendum, et delectabiles ad inhabitandum, et valent ad protegendum contra solis ardorem. Unde alia habet translatio : Ut nemora umbrantia. *Ut horti juxta fluvios irrigui.* Quemadmodum enim horti qui fluviis irrigantur, sunt fructuosi, herbisque virentes, et amœni ad conspectandum ac spatiandum in eis, sic populus Israel prole atque divitiis crevit, potestate et virtutibus floruit,

Digitized by Google

et delectabiliter fuit dispositus; eratque deliciosum inter eos versari, ad inspiciendum assidua Dei miracula, ac præclara gratiarum charismata. *Ut tabernacula quæ fixit Dominus.* Hoc aliqui sic exponunt, quod tabernacula et tentoria populi imitabantur pulchritudinem tabernaculi Dei, quod Dominus fixit, et posuit in medio populi sui : quod et pluraliter Tabernacula nuncupatur, quoniam atrium comprehendebat, et in duas principales partes, videlicet tabernaculum exterius, tabernaculumque interius, fuit distinctum, et inibi fuit stabilis mansio Dei. Potest quoque intelligi, quod tabernaculum illud portatile, et tabernacula seu tentoria populi transferibilia, assimilavit in pulchritudine tabernaculis, quæ postea facta sunt a Salomone et a Zorobabel, et ceteris a Babylone reversis, quæ etiam facta fuerunt juxta similitudinem tabernaculi Moysis; et item domibus, quas filii Israel in terra promissionis construxerunt, quæ tabernacula non portatilia erant, sed fixa in uno jugiter loco quamdiu durabant. *Quasi cedri prope aquas,* quæ cedri sunt pulcherrimæ atque altissimæ arbores : sic populus Israel magna excellentia et decore virtutum est sublimatus.

III *Reg.* VI, VII. I *Esdr.* III, 8 *et seq.*; VI, 3 *et seq.*

Fluet aqua de situla ejus : hoc est, aqua sapientiæ salutaris accipietur ex doctoribus et sacris Scripturis populi hujus. Quemadmodum enim situla est instrumentum hauriendi aquas ex puteo, sic Prophetæ et sancti doctores legis, ex fonte æternæ et increatæ Sapientiæ, rivos sapientiæ ac scientiæ susceperunt. Similiter libri legis salutarem continebant doctrinam ex infusione sapientiæ Deitatis. *Et semen illius erit in aquas multas :* hoc est, populi magni ac innumerabiles gignentur ex semine Israeliticæ plebis : quod libri Regum ac Paralipomenon docent copiose esse impletum. Quod autem per aquas populi designentur ad litteram, constat ex verbis Salomonis, dicentis : Mitte panem tuum super transeuntes aquas. In Apocalypsi quoque habetur : Aquæ multæ, populi multi. Et Isaias : Beati, inquit, qui seminatis super omnes aquas. Vel, Semen illius, est prima et originalis scriptura legis Mosaicæ, ex qua diversi libri multiplicesque doctrinæ fluxerunt.

Eccli. XV, 3. *Eccle.* XI, 1. *Apoc.* XVII, 15. *Is.* XXXII, 20.

Tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius. Istud, secundum expositores communiter, est evidens prophetia de Saul, primo generali rege totius Israeliticæ plebis, quem Deus a Philistæis permisit occidi, regnumque Israel transtulit ad aliam tribum : quoniam Saul, secundum quod sibi erat præceptum a Domino, non occidit Agag regem Amalecitarum, et meliora pecora ejus, ut legitur primo libro Regum. Aliqui vero Hebræi dicunt, quod iste sit verus textus : Altior Agag rex ejus, hoc est, Saul rex Israel potentior erit rege Amalec nomine Agag, et exaltabitur regnum ejus, quia post illam victoriam obtinuit Saul diversos triumphos, quemadmodum scriptum est primo libro Regum : Quocumque se vertit, superabat. Post mortem autem ipsius, multo plus exaltatum est regnum Israel sub David ac Salomone. Porro alia littera, quam Origenes exponit, aliter habet. Siquidem pro eo quod dictum est, Semen illius erit in aquas multas, sic continet, Exibit homo de semine ejus, et dominabitur gentibus multis. Quod quamvis aliquo modo videatur impletum in David et Salomone, quibus multæ gentes servierunt sub tributo, maxime tamen in Christo, cui Pater in Psalmo : Postula, inquit, a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Deinde pro eo quod habemus, Tolletur propter Agag rex ejus, etc., habet sic : Exaltabitur super Gog regnum ejus, et crescet regnum ejus. In quibus verbis Gog non sumitur, prout est proprium nomen viri aut gentis, sed prout interpretatur Tecta, ut sit sensus, quod regnum Israel in altum excresceret, præsertim per perfectionem fidelium.

I *Reg.* XXXI, 6. II *Reg.* II, 4; V, 3. I *Reg.* XV, 9. *Ibid.* XIV, 47. II *Reg.* VIII. III *Reg.* IX. *Ps.* II, 8.

Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Hoc præcedenti capitulo scriptum expositumque

Num. XXIII, 22.

Digitized by Google

est; et nisi mysticum quid ac profundum A includeret sensum, non hic (ut puto) sub eadem forma repeteretur. *Devorabunt gentes hostes illius.* Hoc sic potest intelligi, quod filii Israel devorabunt seu vincent gentes incredulas inimicas Dei seu Israelitici populi. Unde in Hebræo fertur haberi: Devorabit, scilicet Israel, gentes hostes suos. Alia quoque translatio habet, Edent gentes inimicorum suorum, et ita quod dicitur, Gentes inimicorum suorum, intransitive accipitur pro gentibus adversariis Israeli. *Ossaque eorum confringent :* id B est, filii Israel adversarios suos penitus conterent, eorumque robur comminuent, sicut hoc in libris Josue ac Judicum recitatur impletum; *et perforabunt sagittis* adversarios suos : hoc tamen in præfatis Josue et Judicum libris non legitur ad litteram adimpletum, nisi forsan metaphorice accipiatur. Sed in libro Regum legitur,
I *Reg.* xxii, 17. Saul emissarios habuisse; occisoque Saul,
II *Reg.* i, 18. legitur David jussisse, ut docerent filios Juda arcum, id est artem sagittandi. *Accubans dormivit ut leo :* id est, populus C Israel in terra promissionis quiescet, dormietque secure instar leonis; *et quasi leæna quam suscitare nullus audebit :* quia sicut vix aliquis est qui audet suscitare leænam, sic vix aliqua gens audebit filios Israel impugnare. Quod sub Josue fuit impletum,
Josue x, 21. quia ut legitur in Josue, Nullus contra filios Israel mutire ausus est, et fuit eis terra subjecta; certumque est, quod permanentibus filiis Israel in observantia legis plenarie, nullus eis poterat prævalere. *Qui benedixerit tibi,* o Israel, *erit et ipse bene-* D *dictus,* id est, bene aget tibi benedicendo, et Deo placebit, dummodo non ponat obicem suæ benedictioni, quemadmodum fecit hic Balaam : quia quamvis populo Israel benedixit, nihilo minus fuit maledictus propter alia sua peccata. *Qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur,* id est, maledici merebitur.

His auditis, Balac vehementer indignans, interrupit vaticinia Balaam. Propter quod subditur : *Iratusque Balac contra Balaam, complosis,* id est super se percussis, *manibus,* vel complosis, id est in pugnum contractis, *ait : Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus econtrario tertio,* id est tertia vice, *benedixisti. Revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te* donis, obsequiis et exhibitionibus reverentiarum, si mihi acquievisses; *sed Dominus privavit te honore disposito,* per hoc quod inclinavit te in ea quæ displicent mihi. *Respondit Balaam ad Balac : Nonne nuntiis tuis dixi, Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo, sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar? Verumtamen pergens ad populum meum, dabo tibi consilium, quid populus tuus huic populo faciat :* id est, quamvis tunc ita locutus sim, nunc tamen mutato proposito, quum cœpero ad terram meam reverti, consulam tibi qualiter subditi tui poterunt populum Israel ad peccata, et ex consequenti ad pœnam et dejectionem pertrahere; *extremo tempore.* Quod dicitur, Extremo tempore, Rabbi Paulus refert ad prophetias sequentes, quas dicit pertinere ad Judæos sub tempore Christi et evangelicæ legis. Quod convenienter dictum videretur, nisi post istud complexum alia verba interponerentur, quæ declarant quod tempus istud extremum, sit referendum ad verba præhabita : ut sit sensus, Quid populus tuus faciat populo huic extremo tempore, id est ultimis diebus in quibus recedam a vobis; vel extremo tempore, id est tempore necessitatis, quo viderint se aliter non posse resistere filiis Israel; vel extremo tempore vitæ suæ, quia fortassis probabiliter cognovit Balaam, quod populus Balac regis cito occideretur et periret post expletionem consilii quod dare proposuit. Dedit tamen consilium ad satisfaciendum aliqualiter regi, cui in toto satisfacere non valebat.

Sumpta igitur parabola, rursum ait : Dixit Balaam filius Beor; dixit homo cu-

Digitized by Google

jus obturatus est oculus; dixit auditor sermonum Dei. Ista exposita sunt. *Qui novit doctrinam Altissimi,* id est, prophetalia documenta sibi divinitus revelata veraciter intellexit, et alia multa moralia dogmata noscit, quæ a Deo fontaliter cognoscun-
Eccli. I, 1. tur : quoniam omnis sapientia a Domino Deo est, a quo etiam fluit et datur naturale lumen mentis humanæ, per quod naturalia et moralia plurima cognoscuntur. Unde ad Romanos de philosophis ait Apostolus :
Rom. I, 19. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit. *Qui visiones Omnipotentis videt,* hoc est quod nunc dixit, Visionem Omnipotentis intuitus est. Similiter quod subjungit, *Qui cadens, apertos habet oculos,* idem est ei quod protulit, Qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. Verum, ut Origenes disseruit, vix de aliquo Prophetarum tam magnifica recitantur, aut quisquam eorum in prooemio vaticiniorum suorum tam sublimiter se commendat; sed juxta prætacta, arrogans iste avidus lucri et laudis, in conspectu regis ac principum, dona gratiæ gratis datæ sibi concessa in tantum magnificavit, ut amplius reputaretur.

Videbo eum, sed non modo. Quid est quod ait, Videbo eum, quum non præmiserit quemquam ad quem fiat ista relatio? Sed quæstio ista perfidis Judæis potest proponi, qui hoc quod ait, Eum, exponunt (ut fertur) de statu prospero filiorum Israel sub David et Salomone : quem statum Balaam vidit in spiritu. Quæ expositio videtur extorta, quum non sit immediate jam ante mentio facta de statu aut populo illo, sed de Deo quem Balaam altissimum et omnipotentem vocavit. Ideo vera et propria est catholicorum expositio Patrum, qui per Eum, intelligunt verum Deum, de quo immediate facta est mentio : ut sit sensus, Videbo eum, videlicet Unigenitum Dei, Verbum æternum, Christum incarnatum : quem Balaam vidit in spiritu per gratiam prophetiæ et fidem informem, eo modo quo dicitur fidem hujusmodi habuisse; Sed non modo, id est, tempore meo

A non erit incarnatio ejus, nec in sua persona eum conspiciam visu corporeo in hac vita. Ultimo, Videbo eum in futuro generali judicio et in secundo ejus adventu, sicut et sanctus Job dixit : In carne mea *Job* XIX, 26,
videbo Deum Salvatorem meum, quem vi- 27.
surus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt. Potest quoque aliquo modo exponi de Christo, quoad primum ejus adventum : in quo etsi Balaam non vidit eum oculis propriis, tamen in posteris suis vidit Christum, quando tres Magi ex Balaam
B nati, Christum corporaliter præsentem in sua infantia adoraverunt. *Intuebor illum, sed non prope :* quia longe distat ejus adventus a tempore meo; vel, Non prope, id est, Deum clare et immediate in se ipso intueri nequeo in vita præsenti, sed per creatas species, et per suos effectus dumtaxat. Unde scriptum est : Omnes homines *Ibid.* XXXVI,
vident Deum, unusquisque intuetur procul. 25.

Orietur stella ex Jacob. Judæi ad Christum conversi, de ipso Christo ista exponunt; similiter quidam Judæorum doctores
C increduli, sed alia intentione : quia quod credimus factum, credunt futurum. Unde et Rabbi Paulus testatur : Rabbi Moyses Gerundensis super hunc locum scribit : Messias congregaturus est dispersos Israel ab extremis terræ usque ad extremum terræ, idcirco assimilatur stellæ, quæ transit per firmamentum a summo cœli. Quidam vero Hebræi increduli, per stellam intelligunt David regem, qui ob suam sapientiam et sanctitatem stella vocatur : quem item per virgam intelligunt ob suam regiam
D potestatem, quum subditur, *et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab.* Scriptum est enim secundo Regum, quod II *Reg.* VIII,
regem Moab et populum ejus devicit. *Va-* 2.
stabitque omnes filios Seth. Isti per filios Seth, intelligunt habitatores urbis nomine Seth situatæ in regno Moab, quos dicunt a David occisos. *Et erit Idumæa possessio ejus,* quia servivit David regi sub tributo; *Ibid.* 14.
hereditas Seir, id est terra Edom, videlicet Idumæa, *cedet inimicis suis,* id est, in dominium regum filiorum Israel, scilicet

David et Salomonis, veniet. *Israel vero fortiter aget,* id est, victoriose prævalebit, virtuoseque vivet. *De Jacob erit qui dominetur.* Hoc referunt ad Salomonem, quem dicunt toti orbi dominatum, juxta illud tertio Regum : (III *Reg.* x, 23, 25.) Magnificatus est Salomon super omnes reges, et singuli deferebant ei munera. *Et perdat reliquias civitatis,* id est, eos vincet quos pater suus David non vicit. Quidam tamen Hebræi per dominatorem istum intelligunt regem Messiam, quem dicunt in temporali potestate venturum ac regnaturum, perditurum quoque reliquias civitatis Romæ, id est eos qui tunc in Romana fuerint urbe.

Verumtamen expositiones istæ probantur ineptæ, quia nec David nec Salomon fuit hereditarius Idumææ possessor, quamvis Idumæa fuerat tributaria eis. Quemadmodum enim Deus prohibuit filios Israel (*Deut.* ii, 5.) ab invasione Idumæorum quando ex Ægypto venerunt, eo quod terram Idumææ contulerat Esau et filiis ejus, sic eadem ratione posteris Israelitarum non licuit Idumæam hereditarie possidere. Salomon quoque non præfuit toti orbi, imo nec decimæ ejus parti; nec hoc prætendit auctoritas allegata, sed quod magnificatus est divitiis et gloria (III *Reg.* x, 23.) super omnes reges, id est, præ unoquoque regum seu præ cunctis divisim : et quod singuli detulerunt ei munera, (*Ibid.* 25; iv, 21.) intelligitur de regibus in circuitu Israelitici regni, seu non multum remote sitis, vel est per hyperbolen aut synecdochen dictum, secundum quod tales locutiones in Scripturis veteris Testamenti frequentes sunt. Denique Prophetæ apertissime prædixerunt, Messiam in primo suo adventu in omni humilitate et paupertate venturum, ut judicaretur ac pateretur, suaque passione redimeret mundum ; Judæos quoque tunc excæcandos ac relinquendos, et gentes credituras esse in ipsum : ad quæ omnia comprobanda, introductæ sunt alibi auctoritates Prophetarum et legis copiosissimæ.

Idcirco per stellam hoc loco intelligendus est Christus rex cœlestis, omni sapientia sanctitateque plenus, qui in Apocalypsi

A testatur : Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. (*Apoc.* xxii, 16.) Per virgam vero consurgentem de Israel, intelligitur idem Christus, judex et princeps populi christiani, seu regia ejus potestas vel evangelica lex. Unde habetur in Psalmis : Virga directionis, virga regni tui. (*Ps.* xliv, 7; ii, 9.) Itemque : Reges eos in virga ferrea. Potest rursus per virgam intelligi sacratissima Virgo Christifera, de qua loquitur Isaias : Egredietur virga de radice Jesse. (*Is.* xi, 1.) *Et percutiet duces Moab,* id est, Moabitas eorumque principes corriget B virga seu disciplina evangelicæ legis, convertendo eos ad fidem. Unde Isaias testatus est : Percutiet terram virga oris sui. (*Ibid.* 4.)

Vastabitque omnes filios Seth, id est, totum genus humanum, seu quosdam ex omni genere, statu, graduque hominum, salubriter mortificabit et jugo suæ legis subjiciet, ita quod per arctam viam incedent salutis. (*Matth.* vii, 14.) Hinc Psalmista locutus est Christo : Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime ; sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis. (*Ps.* xliv, 4, 6.) C Ista est salubris vastatio, de qua Dominus per Isaiam prædixit : Volabunt in humeros Philistiim, simul deprædabuntur filios orientis. (*Is.* xi, 14.) Et ipse Dominus in Evangelio Joannis : Qui amat animam suam, perdet eam. (*Joann.* xii, 25.) Circa hunc passum loquitur Origenes, et habetur in Glossa : Iste est Seth filius Adæ, (*Gen.* iv, 25.) a quo, videlicet Seth, descendit omne genus humanum. Qui enim de Cain nati sunt, diluvio perierunt. Hinc et Lyra hic scribit : De Seth egressi sunt omnes populi, quoniam Abel mortuus est sine filiis, et D filii Cain fuerunt deleti diluvio. Sed his objici potest, quod quamvis Scriptura in speciali non exprimit, nisi hos tres filios Adæ, certum est tamen quod Adam habuit alios quamplures filios, de quibus nati sunt innumerabiles homines. Unde scriptum est : Facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios et filias. (*Ibid.* v, 4.) Sed istud videtur posse solvi per hoc quod in Scholastica fertur historia : De Seth totum genus humanum est, de quo Seth fuit Noe. Itaque, qui post diluvium

Digitized by Google

exstiterunt, nati sunt de Seth, in quantum A
prodierunt ex filiis Noe nati de Seth. Nihilo minus ante diluvium fuerunt multi, qui neque de Seth, neque de Cain exorti sunt.

Et erit Idumæa possessio ejus, quoniam gens illa fuit per evangelicæ legis prædicationem Christo subjecta. *Hereditas Seir cedet inimicis suis.* Apostoli ex Judæis na-
Ps. XLIV, 17. ti, constituti sunt principes super omnem terram; populus autem Seir Judæos reputavit hostes et adversarios suos. Dum ergo in Christi et Apostolorum ditionem redacti B
sunt, cesserunt in hereditatem inimicis suis, non quod Christus et Apostoli fuerint inimici illorum, sed quoniam illi erant æmuli Judæorum. Ideo Pater in Psalmo ait
Ps. II, 8. Christo : Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam. *Israel vero fortiter aget,* quoniam Christus, et ejus discipuli ex Judaismo conversi, omnem orbem terrarum converterunt ad Dominum. Hinc scriptum
Is. XI, 14. est in Isaia : Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt. De hac vastatione, possessione, con- C
versione et fortitudine Israel, multa sunt scripta in Michæa, ubi inter cetera legitur:
Mich. V, 4-6, 8. Stabit et pascet in fortitudine Domini; et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines; et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis ejus. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus quasi leo, et quasi leæna. *De Jacob erit qui dominetur :* id est, Christus omnium dominator, erit ex semine Jacob secundum carnem: D
Dan. VII, 13, 14. de quo legitur in Daniele, quod Antiquus dierum, videlicet Pater æternus, dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient.
Ps. XXI, 28. Unde prædixit Psalmista : Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ. *Et perdat reliquias civitatis.* Om-
Marc. XVI, 16. nes enim qui non credunt in Christum, condemnantur ab ipso, qui sunt reliquiæ civitatis Babylonis et ecclesiæ malignantis, et filii hujus sæculi nequam.

Hæc Balaam iste prophetavit de Christo. Quidam autem per stellam, intelligunt stellam quæ Magis apparuit, quæ orta est Matth. II, 2.
ex Jacob, id est, ad designandam nativitatem Christi ex Jacob progeniti. Propter quod loquitur Origenes, quod stella illa fuit indicium deitatis Christi, et quod de deitate Christi, id est Christo Deo, dicitur, Orietur stella ex Jacob; de humanitate vero, Exsurget homo ex Israel.

Consequenter describitur qualiter Balaam prophetavit de aliis gentibus. *Quumque vidisset Amalec.* Unde elicitur, quod aliqui principales ex Amalecitis confluxerunt ad Balac, vel pro consilio acquirendo, vel pro subsidio exhibendo. *Assumens parabolam, ait : Principium gentium Amalec.* Hoc secundum quosdam ad litteram stare non potest, quoniam Amalec non fuerat ante ceteras gentes universas; sed diabolus designatus per ipsum, fuit principium gentium incredularum, quando ex cultoribus Dei fecit idololatras vel iniquos. Alii vero exponunt ad litteram, quod Amalec fuit principium gentium contra filios Israel pugnantium, quia dum egressi fuissent Ægyptum, primo ab Amalecitis sunt im- Exod. XVII, 8.
pugnati, ut dictum est in Exodo. *Cujus extrema perdentur,* id est, posteri populi Amalec a filiis Israel occidentur : quod factum est per Saul et populum ejus, quando per Samuelem locutus est Dominus, Recensui quæ Amalec fecit filiis Israel I Reg. XV, 2.
quando egressi sunt de Ægypto, ut in primo libro Regum scribitur. Vel dicitur Amalec principium gentium propter multitudinem populi nati ex ipso Amalec filio Eliphaz, primogeniti ipsius Esau, ut legi- Gen. XXXVI, 4, 12.
tur in Genesi.

Vidit quoque Cinæum. Per Cinæum quandoque intelligitur certa persona, quæ alio nomine dicta est Hobab, qui (ut pro- Num. X, 29.
babilius dicitur) fuit filius Jethro, qui vo- Exod. II, 18.
catus est etiam Raguel. Sed nunc per Cinæum accipitur certa progenies nata de terra Madian ex semine Jethro. *Et assumpta parabola, ait : Robustum est quidem habitaculum tuum,* id est, in regione aut

Digitized by Google

urbe forti seu in domibus firmis moraris; *sed si in petra posueris nidum tuum,* id est, quamvis in ædibus saxeis seu petrosis habitationem feceris tibi, *et fueris electus de stirpe Cin,* id est, dato quod sis de elegantioribus natis ex semine viri Cin nomine, a quo Cinæi sunt appellati, *quamdiu poteris permanere?* quasi dicat, Non permanebit posteritas tua tamdiu ut putas. *Assur enim capiet te,* id est, rex et populus Assyriorum capiet te : quod aliqui dicunt impletum, quando sub Osee rege Israel captæ sunt decem tribus Israel ac translatæ, cum quibus Cinæi tunc prope ipsas tribus manentes, sunt capti, quod et ante contingere potuit.

IV *Reg.* XVII, 6.

Assumptaque parabola, iterum locutus est : Heu, quis victurus est quando ista faciet Deus? Istud dupliciter potest exponi. Primo, ut exclamatio ista ad præcedentia referatur : tanquam dicat, O quis vivet? et heu quod ego non vivam tunc, quando implebuntur ea quæ dixi, Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel, qui idololatriam destruet, et gentes suæ subjiciet legi! quasi dicat, Beati qui vivent tunc, et viderint ea visione fideli, secundum quod Christus ait discipulis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi reges et Prophetæ voluerunt ea videre, et non viderunt. Secundo, exclamatio ista refertur ad subsequentia, ad insinuandum quod illa fierent circa primum Christi adventum, instante incarnatione Filii Dei. Nam subditur : *Venient in trieribus de Italia,* id est, Romani et Italici venient per aquas in navibus tres ordines remorum habentibus, *superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos.* Hoc factum est quando Romani cœperunt obtinere monarchiam et undique prævalere. Quumque Julius vastasset occidentem, atque Pompeius orientem, idem Pompeius intravit Jerusalem, graviterque oppressit Judæos, sicut in chronicis legitur, et Josephus refert. Julio autem successit in imperio Octavianus, sub cujus imperio incarnatus et natus est mundi Salvator.

Luc. X, 23, 24.

De Bello Jud. I, 13 *et seq.*

Et ad extremum etiam ipsi peribunt. Judæi increduli putant imperium Romanorum per suum Messiam penitus destruendum : et verum est quod Antichristus potissimum destruet illud ad modicum tempus. Interim tamen non deficiet nec cessabit in toto. Verumtamen a tempore quo monarchiam obtinuerunt, statim cœperunt contra se invicem dimicare, et sicut refert Orosius, et Augustinus in libro de Civitate Dei, gravius dilaniaverunt et vastaverunt se mutuo, quam antea erant ab extraneis devastati. Quod etiam in visione quam Daniel regi Babylonis exposuit, evidenter est prænuntiatum. Ibi namque fertur de quarto fortissimo regno, videlicet imperio Romanorum : Regnum quartum erit velut ferrum. Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc, utpote cetera regna. Porro quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream, regnum divisum erit; et ex parte erit solidum, et ex parte debile. Commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ. Denique instante Antichristi adventu, fiet discessio præcipua ab utroque imperio, puta papali et imperiali. Occiso autem Antichristo, pene universus orbis convertetur ad Christum, et idololatria prorsus cessabit, atque Romanum imperium erit plenum; sed modico tempore hoc durabit, quia secundus Christi instabit adventus ad universale judicium.

Dan. II, 40-43.

His demum quæ dicta sunt de Christo, Percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, manifeste consonat quod Daniel de regno Christi inducit : In diebus illorum regnorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur; et regnum ejus populo alteri non tradetur. Comminuet et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti quod de monte abscissus est lapis sine manibus. Et comminuet testam et ferrum et æs et argentum et au-

Ibid. 44, 45.

Digitized by Google

rum. Quæ omnia super Danielem exposita sunt diffuse. Et quantum ad hæc, aliquo modo posset salvari quod in Scholastica historia ex Josepho allegatur hoc modo: Dicit Josephus ipsum Balaam prophetasse adhuc, totum orbem futurum eorum, videlicet Hebræorum, habitaculum, etiam insulas, in æternum; et quum pars prophetiæ sit expleta, reliquum pro certo implendum est. Hæc ibi.

Surrexitque Balaam, postquam ista se- A dendo locutus est, vel potius postea. Nam prædicta et forsitan multo plura videtur stando locutus, juxta profana Balac altaria. *Et reversus est,* id est, cœpit reverti, *in locum suum.* Tamen (ut infra habebitur) in via ad Balac seu Madianitas regressus est. *Balac quoque via qua venerat, rediit.* Deduxerat quippe cum principibus suis ipsum Balaam usque ad terminos Madian, prout in exordio expositionis sequentis tangetur capituli.

ARTICULUS XL

EXPOSITIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI VICESIMI QUARTI.

BALAAM recte figurat eos, qui animo obstinato renuunt converti ad Dominum, et quasi de industria ab ipso rece-
Job xxi, 14. dunt, juxta illud in Job: Dixerunt Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Siquidem impius Balaam vitans angeli sancti occursum, maluit sibi occurrere dæmonem, sibi apparere assuetum. Sic quidam vitant accedere eos, a quibus se æstimant corripiendos atque salubriter informandos, cupiuntque sibi occurrere dæmonem, id est consultorem sociumque pestiferum; et quidquid suggerit inimicus salutis, mox amplectuntur. Verumtamen
Num. xxii, 32. sicut ipsum Balaam cohibuit angelus sanctus a vitiis multis, sic angeli sancti hominum custodes fidelissimi, retrahunt sibi commissos, quantumlibet pravos, a multis excessibus.

Dirigens Balaam *contra desertum vultum suum, vidit Israel in tentoriis commorantem.* Sic interdum contingit quod aliqui litterati, sed mente carnales et mundani, considerant vitam sanctorum eremitarum, regularemque observantiam religiosorum: ex quibus compunguntur ad horam, et hujuscemodi appetunt vel potius laudant vitam; attamen pondere vitiosorum pressi B affectuum, non sequuntur instinctum angelicum nec divinum, nec admonitionem fraternam, imo nec conscientiæ suæ dictamen: quibus informis scientia intolerabilius parit judicium. Quorum unusquisque dicere potest: *Dixit homo cujus obturatus est oculus; dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est; qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus.* Talis quippe, mentis oculum habet vitiis et passionibus obscuratum, nihilo minus audivit sermones Dei, nec implet, cui Ja-
C cobus ait apostolus: Si quis auditor est *Jacob.* i, 23, 24.
verbi Dei, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuit. Ideo
rursus hortatur: Estote factores legis, et *Ibid.* 22.
non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Talis quoque visionem Omnipotentis intuetur, dum ea quæ in veteri Testamento de Christo et evangelica lege sunt prædicta, intelligit vel audit exponi, sive dum specialem aliquam de Deo notitiam susci-
D pit. Quo cadente in culpam, aperiuntur oculi conscientiæ ejus: quia post culpæ perpetrationem habet interdum gravem remorsum, nisi forte adeo sit perversus, ut

Digitized by Google

glorietur malo commisso, et suum jactans A
Is. III, 9. peccatum, prædicet illud ut Sodoma.

Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! Per Jacob designantur fideles activi, et qui contra vitia præliantur, eaque vincunt. Horum tabernacula sunt status et congregationes incipientium ac proficientium, atque eorum qui exterioribus misericordiæ operibus sunt intenti, in quibus est decor gratiæ, et pulchritudo virtutum, ac multiplex ordo. Porro tentoria Israel sunt congregationes contemplativorum, status perfectorum, gra- B
Ps. XXXIII, 9. dusque prælatorum, qui vacant et vident
I *Petr.* II, 3. quam suavis est Dominus, et dicere pos-
Ps. XXIV, 15. sunt : Oculi mei semper ad Dominum ; aut qui spirituales misericordiæ actus exercent, aliosque efficaciter regunt. Rursus tentoria Israel, sunt religiosa cœnobia, cellæ solitariorum, reclusoria electorum : in quibus omnibus est ineffabilis pulchritudo interior. Et ipsa universalis Ecclesia militans, est pulcherrime ordinata, decentissime quoque distincta, et ineffabili modo ornata intus et extra, sed potissimum in- C tra per gratiam, virtutes, dona, fructus, et beatitudines, et per multiplicem omnium horum gradum et ordinem ; deinde per dona multiformia gratiarum gratis datarum, per ecclesiasticas et spirituales personas, per varias religiones, per principatus et prælationes. *Ut valles nemorosæ,* per quas corda humilium plena fructu virtutum signantur. *Ut horti irrigui,* per quos exprimuntur proficientes, qui desuper irrigantur assidue. *Ut tabernacula quæ fixit Dominus,* per quæ mentes stabilitæ D in Deo accipiuntur. *Quasi cedri,* per quas contemplativi et perfecti, præsertim prælati, significantur. *Fluet aqua de situla ejus,* id est, ex ore doctorum et prædicatorum fidelium procedit copiosa ac salutaris doctrina, ex qua multi spiritualiter recreantur atque gignuntur, dum iniqui convertuntur ad fontem totius salutis.

Tolletur propter Agag rex ejus. Hoc impletur, dum prælati aut principes christiani reprobantur a Deo, eo quod iniquis et potentibus sæculi persecutoribus et tyrannis, aut aliis vitiosis hominibus non resistunt, ut obligantur, increpando, prædicando, orando, seu modis aliis renitendo ; sed permittunt mala increscere, justos opprimi, Ecclesiam devastari. *Deus eduxit illum de Ægypto.* Christus namque trans- *Coloss.* I,
tulit nos de potestate tenebrarum in re- 13.
gnum suæ Ecclesiæ, in locum religiosum,
in pœnitentiæ statum, in admirabile lumen I *Petr.* II, 9.
suum. *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis :* quia quem nullus unquam capere aut comprehendere quivit, mundissimæ et incomparabilis sanctimoniæ Virgo, sua humilitate, caritate, decore in se traxit, concepit et peperit, lactavit et maternaliter contrectavit, imo et subditum habuit sibi ac commorantem. *Devorabunt gentes hostes illius.* Populus christianus Deo perfecte obediens, adversariis suis corporaliter ac spiritualiter ubertim prævaluit, et ubique terrarum diffusus est, tamque incomparabilibus donis supernaturalibus fuit repletus, ut ei dignissime dicatur : *Qui benedixerit tibi, erit benedictus ;* et *qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.*
Videbo eum, sed non modo. Videbimus *Ps.* LXXXIII,
plane Deum deorum in Sion triumphante 8. I *Cor.* XIII,
Ecclesia, clare per speciem, et immediate 12.
facie ad faciem : quod in præsenti non conceditur vita.

Principium gentium Amalec, etc. Per Amalec, qui interpretatur ablingens, designantur avari, qui jugiter lambunt terrena, et quasi ablingendo aliorum cupiunt bona. Idcirco perdentur eorum extrema, quoniam quidquid superflue colligunt, una hora in fine amittent, quemadmodum sanctus Job loquitur : Dives quum dormierit, *Job* XXVII,
nihil secum auferet ; apprehendet eum 19, 20.
quasi aqua inopia. Et Psalmista : Nihil, in- *Ps.* LXXV, 6.
quit, invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. *Videns quoque Cinæum.* Per Cinæum intelliguntur potentes et nobiles hujus mundi, in quibus elatio atque præsumptio, potentiæ divitiisque frequenter junguntur. Hi tales quantumlibet terrenis opibus, potestate clientium, fortitudine mu-

Digitized by Google

nitionum armaverint se, nil proderit eis, A quia subito una hora veniet hora judicii
Sap. vi, 7. eorum, qua potentes potenter tormenta patientur, et ignobiles esse cernentur quicumque Dei contempserunt præcepta, hoc est, qui non curaverunt nec sategerunt obedire proprio Creatori. Denique tales sæpe a sibi similibus et potentioribus in hac vita dejiciuntur, quia et unus reprobus multoties est instrumentum divinæ justitiæ ad puniendum peccata alterius, sicut per Persas et Medos punivit impietates Assyriorum et Chaldæorum, per Græcos autem punivit Persas et Medos, per Romanos vero dejecit Græcos ac ceteras nationes. Idcirco per Isaiam ait ad regem Assyriorum : Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est. Dan. v, 28. Is. x, 5.

ARTICULUS XLI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI QUINTI : MORABATUR AUTEM ISRAEL EO TEMPORE.

EFFECTUS iniquissimæ suggestionis reprobi Balaam, hoc loco describitur. *Morabatur autem Israel eo tempore,* quo fiebant quæ in præcedenti scribuntur capitulo, *in Setim,* id est in loco deserti sic appellato arboribus consito, qui et contra solis valebat ardorem ; *et fornicatus est populus* Israel *cum filiabus Moab.* Qualiter factum sit istud, Moyses brevitati studens in quibusdam historiis, hoc loco non ex-
Num. xxxi, 15, 16. primit, sed infra ait : Cur feminas reservastis ? Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt super peccato Phogor, unde et percussus est populus ? De hac re in multis Scripturæ locis fit mentio. Nam
Apoc. ii, 14. et in Apocalypsi istud apertius legitur : Balaam docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari. Judas quoque apostolus in sua Canonica scri-
Judæ 11. psit : Væ illis qui errore Balaam, mercede effusi sunt. Denique per Michæam loqui-
Mich. vi, 5. tur Dominus : Populus meus, memento, quæso, quid cogitaverit contra te Balac rex Moab, et quid ei responderit Balaam. Sed
Josue xxiv, 9, 10. et in libro Josue legitur : Surrexit Balac filius Sephor, et pugnavit contra Israelem. Misitque et vocavit Balaam ut malediceret vobis, et ego nolui audire eum, et liberavi vos de manu ejus. Verumtamen Moyses B non scribit quod Balac pugnavit contra filios Israel saltem manu armata. Hieronymus vero dicit, quod perduxit exercitum contra Hebræos. Unde elicitur, quod ad pugnandum se præparavit.

Itaque, sicut et in Scholastica fertur historia : Quum Balaam in finibus Madian valediceret Balac et principibus ejus, consuluit ut mitterent virgines nobiles, pulchras, ornatas, quarum specie filii Israel, ad carnalia proni, accenderentur ; quumque cum encæniis seu mercibus circa C tentoria Israel convenissent, invitarentque Israelitas ad sui accessum et emptionem, deinde ad commixtionem, inflammatis vero filiis Israel non acquiescerent ad copulam fœdam, nisi prius de sacrificiis deorum earum comederent, ac idola adorarent : quod totum sic factum est, idque consuluit Balaam, quatenus Deo Israelitis irato, devincerentur. Deo namque eis, inquit, propitio, nec bella, nec pestis aliqua eos corrumpere poterit.

Hinc itaque dicitur : Fornicatus est populus cum filiabus Moab, D *quæ vocaverunt eos,* scilicet filios Israel, *ad sacrificia sua. At illi* concupiscentia victi, *comederunt* idolothyta, *et adoraverunt deos earum.* Forte adoraverunt deos, non quod putaverunt deos illos esse colendos, sed ne obsce-

Digitized by Google

nis carerent deliciis, sicut et Salomon, ne suas contristaret delicias. Sed quomodo dicuntur hic fornicati cum filiabus Moabitarum, quum infra legantur peccasse cum filiabus Madianitarum? Respondetur, quod cum utrisque transgressi sunt. Unde Magister in historiis ait, quod de Madianitis puellis missæ sunt plures, et de Moabitis virginibus paucæ, quia naturaliter sunt deformes. *Initiatusque est Israel Beelphegor,* id est, populus Israel pro parte consecratus est idolo Madianitarum sic dicto; quia videlicet populus ille tam proclivis ad scelera, se ipsum applicuit venerationi idoli hujus.

III *Reg.* XI, 7, 8.

Num. XXXI, 16.

Et iratus Dominus, ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem, id est versus orientem, vel mane sole ascendente, *in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel.* Hoc aliqui sic exponunt, quod principes jussi sunt crucifigi, eo quod unusquisque eorum plebem sibi subjectam a fornicatione illa carnali cum puellis, et spirituali cum idolis atque dæmonibus, non compescuerunt. Sed huic expositioni videtur obviare quod subditur: *Dixitque Moyses ad judices Israel: Occidat unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor.* Judices enim principes erant, et econverso. Si ergo Moyses commisit judicibus occidere idololatras, ipsi non erant affigendi patibulo. Insuper, si per suspensionem principum fuit ira Dei avertenda a populo, quid necesse fuit jubere principibus ut occiderent ceteros reos? Hinc quidam per principes intelligunt auctores seu principales factores idololatriæ hujus. Aliqui vero exponunt sic: Tolle principes, id est, accipe eos tecum, ad dijudicandum puniendumque idololatras. Sed his obviare videtur translatio Septuaginta quæ habet: Accipe duces populi, et ostenta * eos Domino contra solem; ubi Aquila transtulit, Configе eos. Hinc Origenes et Augustinus, Glossa, multique alii referunt pœnam istam ad principes, eo quod populum non prohibuerunt aut corripuerunt. Nam principes aderant sibi commissis. Sed tunc quæstio oritur, an jussio ista de suspensione principum fuit impleta: si sic, cur non est scriptum? si non, ubi obedientia Moysis?

* traduc

De hoc Augustinus sic scribit: Mirum quod Scriptura non narrat, an hoc fuit ex præcepto Dei impletum, quod contemni potuisse non video, aut contemptum impune contemni. Si autem factum est et tacitum, cur ex eo quod Phinees transfixit fornicantes, Scriptura dicit Dominum esse placatum, et plagam cessasse, quasi crucifixis ducibus, sicut præceperat Dominus, indignatio ejus perseverans, adhuc alio modo videretur placanda, quum tamen dixisset iram suam ab Israel avertendam ducibus crucifixis? Et si hoc ita factum est, quid necesse fuit ut Phinees ad placandum Dominum, fornicantes transfoderet, Scripturaque perhiberet hoc modo Dominum esse placatum? Deinde Augustinus solvit, dicendo: Nisi forte intelligamus, quum illud quod præceperat Dominus de ducibus suspendendis, Moyses implere disponeret, voluisse etiam Moysen secundum legem punire illa flagitia, ita ut juberet unumquemque interficere proximum suum diis alienis consecratum, et inter hæc Phinees perfoderit fornicantes: sicque ira Dei placata, non fuisse opus duces suspendi. Hæc Augustinus. Insuper dici potest, quod diversus ibi fuit principum et judicum ordo, quoniam aliqui erant tribuni, aliqui centuriones, quidam quinquagenarii: ideo non oportet per principes et judices sumi eosdem.

Et ecce unus de filiis Israel, scilicet Zambri dux et princeps in tribu Simeonis, *intravit coram fratribus suis ad scortum,* id est Madianitidem meretricem, quæ fuit filia Sur nobilissimi principis Madianitarum, quæ tamen non fuit antea meretrix, sed virgo puella, attamen facta est meretrix, coeundo nefarie cum principe illo, qui tamen secundum Josephum duxit eam uxorem, sed non erat verum connubium, quia lege prohibitum, et fuit dispar cultus; *vidente Moyse et omni turba filio-*

Digitized by Google

rum Israel: quo patet, quod vir ille fuit A totus excæcatus, rebellis, inverecundus et libidinosus; *qui flebant ante fores tabernaculi.* Flebant autem ex compassione, quia timebant viro tam impio periculum imminere. Flebant quoque propter aliorum excessus, et quia timebant iram Dei populo superventuram. *Quod quum vidisset Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et accepto pugione,* id est parvo gladio bis acuto, *ingressus est post virum Israelitam in lupanar, et perfodit ambos* coeuntes *in locis* B *genitalibus:* ut per quæ peccabant, punirentur; et ubi abundabat voluptas, abundaret et pœna. *Cessavitque plaga a filiis Israel,* id est, ultra non duravit, nec amplius desævit in plebe. *Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Sed qualiter seu a quibus et qua morte, Scriptura non exprimit, ut aliqui dicunt: quod non videtur idonce dictum, quum in isto capitulo habitum sit: Dixit Moyses ad judices Israel, Occidat unusquisque proximos suos. Sicque Moyse præcipiente, a filiis Israel vi- C dentur gladio interfecti. Verumtamen in Scholastica historia legitur: Occisi sunt forte a Domino per plagam aliquam præcedentem, quæ tunc cessavit. Josephus vero sentire videtur, quod plurimi juvenes ex Israel, exemplo et zelo Phinees inflammati, percusserunt multa millia populi; alios autem pestilentia esse percussos.

Denique istam historiam Josephus plenius recitat, dicens, quod Zambri duxit feminam illam in conjugem, et ea jubente, omisit Deo sacrificare. Propter quod D increpatus in generali a Moyse, respondit se alienigenam duxisse, deosque colere, nec curare de tyrannicis Moysis legibus, quibus sub figmento legis ac Dei gravius premeret populum, auferendo ei libertatem vivendi, quam pressus ab Ægyptiis erat. Objecitque Moysi, quod et ipse alienigenam duxerat. Sicque cum elatione discessit, et ivit ad feminam, admirantibus cunctis quod non fuit subito mortuus.

Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari avertit iram meam a filiis Israel, id est, justitiæ meæ suo merito satisfecit pro populo reo nondum occiso; *quia zelo meo,* id est zelo justitiæ mihi accepto, et fervido caritatis meæ affectu, ac desiderio mei honoris, *commotus est contra eos,* quos ita perfodit; *ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo,* id est, ne ego ipse zelo justitiæ meæ acrius punirem et plures occiderem ex fornicatoribus istis, aut communicantibus eis in crimine isto. Porro si Phinees ista intentione illos perfodit, sic quod dictum est, Ut non ipse, etc., tenetur causaliter. Si vero non intendit hoc, sed solum juste punire duos illos sic coeuntes, tunc quod dicitur, Ut non ipse, etc., tenetur concomitanter. *Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei,* id est pacificam participationem sacerdotii, imo et pontificii post obitum Eleazari pontificis patris sui, sicut instituí, fœdusque inii cum Aaron. Jam nempe *Exod. XXVIII, XXIX.* Phinees erat sacerdos, et quamvis secundum legem debuit patri suo in pontificatu succedere, poterat tamen per mortem aut aliter impediri. Sed nunc propter meritum suum certificatur, quod jure illo utetur non solum ipse, sed et posteri ejus. Unde subjungitur: *et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum,* id est, per omne tempus veteris Testamenti sacerdotio isto fungentur: quod tamen in posteris poterat per eorum vitia impediri, sicut et factum est. *Quia zelatus est pro Deo suo,* id est, pro honore Dei conservando, et pro ejus inhonoratione vindicanda, motus est sancto zelo, *et expiavit,* id est, remitti fecit, *scelus filiorum Israel.*

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ, et pro id est, *percutite eos,* non ex invidia, sed zelo justitiæ, et ex præcepto majestatis divinæ; *quia et ipsi hostiliter,* hoc est invide et inimice, *egerunt contra vos, et decepere insidiis,* id est versute, *per idolum Phogor,* inducendo vos ad idola sua veneranda, *et* per *Cozbi filiam ducis Ma-*

Digitized by Google

dian, sororem, hoc est cognatam, *suam,* A inducendo vos ad libidinem per tam formosam nobilemque puellam: non tamen per eam solam, sed per eam præcipue, quia ex ejus intuitu multi fuerant accensi. Similiter exemplo Zambri, qui eam accepit, multi erant ad similia provocati. *Quæ percussa est in die plagæ,* hoc est, perfossa in die quo Phinees eam juste occidit, quando et præfata viginti quatuor millia sunt percussa, *pro sacrilegio Phogor,* hoc est propter sacrilegam adorationem Beelphegor. Nam et si propter corporalem fornica- B tionem plagati sunt, magis tamen propter idololatriam. Ex hoc autem, quod Madianitæ miserunt tam illustrem puellam, constat quod maxime cupiebant filiorum Israel deceptionem.

Quæritur, cur Dominus non jussit simili modo Moabitas occidi, quia et ipsi filias suas miserunt ad eadem crimina perpetranda. Ad quod juxta prætacta poterit responderi, quod paucæ erant missæ a Moabitis, nec illæ tantum inflammaverunt filios Israel ut feminæ Madianitæ. Vel propter merita sancti Lot Deus pepercit posteris ejus: propter quæ etiam prohibuit filios *Deut.* II, 9. Israel ab impugnatione Moabitarum. Præterea aliqui opinantur, quod Deus per verba præfata mandavit occidi feminas quæ deceperunt filios Israel, sicut occisi fuerunt qui peccaverunt cum illis.

ARTICULUS XLII

DE MORALI EJUSDEM CAPITULI VICESIMI QUINTI INTELLECTU.

SICUT præhabitum est, Setim erat lo- C cus amœnus arboribus plenus. Dum itaque Israel, id est populus christianus, aut etiam clerus incipit deliciosa quærere loca, et carnali repausationi dat locum, mox a spirituali relaxatur custodia hominis interioris, incipitque tentari concupiscentiis carnis, et vel consentiendo, aut turpiter imaginando, aut in ipsis imaginationibus delectando, vel in actum prodeundo fornicatur cum filiabus Moab, id est cum feminis impudicis, aut puellis ornatis: quæ quantum ad impudicitiam suam D superfluumque ornatum, ex diabolo sunt, qui iniquorum est pater, sicut ait Salva-
Joann. VIII, 44. tor: Vos ex patre diabolo estis. Moab autem interpretatur, ex patre. Ideo filiæ Moab sunt, quæ curioso ornatu pompaticove vestitu, verbis, incessu, signis aut nutibus, amplexu aut osculis, quempiam ad incontinentiam excitant. Nec minus, imo plus filii Moab sunt, et impii Moabitæ, quicumque aliquo modo prætacto feminas aut puellas naturaliter fragiles trahunt, aut trahere optant seu moliuntur ad actum obscenum. Præterea, per Moabitas et Madianitas, qui filias suas miserunt ornatas ad filios Israel decipiendos, recte designantur diaboli, quorum suggestione mulieres faciunt talia, vel etiam carnales parentes, qui filias suas non bene informant, superflue ornant, pompatice vestiunt, ad choreas sive spectacula dirigunt, vel ire permittunt.

Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; sa- *Ps.* L, 19. crificium Dei laus devota, oratio fervida. Sacrificium salutare, attendere manda- *Eccli.* XXXV, 2. tis; sacrificium sacrificiorum, Eucharistiæ sacramentum. Quæ ergo sunt sacrificia diabolica, sive inanium hominum, quæ diabolo offeruntur, nisi spiritus vitiose delectans, carmina sæculi, procatio fallax, transgressio præceptorum? Ad hæc sacrificia præfatæ filiæ Moab vocant viros et juvenes, videlicet ad choreas, ad confabulationes carnales, ad deducendum tempus

Digitized by Google

infructuose, ad concupiscendum inique, ad agendum pravissime: imo frequenter viri et juvenes vitiosi ad ista et consimilia provocant mulieres et adolescentulas, quarum simplicitati et instabilitati frequenter multipliciterque illudunt. Mutuo quoque alliciunt se ad cultum deorum, et ad idola adoranda, hoc est ad aversiones mentis a Deo, ad fornicationem spiritualem cum diabolo, ad inhærendum creaturis magis quam Creatori, ita quod turpem carnem quasi Venerem colant, et nummum plus ament quam Deum, suisque phantasmatibus fœdis in absentia objectorum, quasi idolis, infatuata cohæreant mente. Ecce ad quanta vitia traxit consilium nequissimi Balaam, quem imitantur consiliarii mali, et copulatores ac copulatrices abominandi. Innotescit quoque ex his, quam intense et periculosissime concupiscentia carnis rationem obtenebret, quoniam ad idololatriam traxit Israelitas.

Rom. I, 25.

Ps. CV, 28. *Initiatusque est Israel Beelphegor.* Quemadmodum homo per virtutes et dona Spiritus Sancti deiformis efficitur, et juxta principis Apostolorum sacram doctrinam, divinæ efficitur consors naturæ: ita per passiones et vitia non bestiis tantum, sed dæmonibus quoque assimilatur; totque dæmonibus initiatur et mancipatur, quot vitiorum speciebus subjicitur et fœdatur. Si acediosus es, si gulæ deservis, si iracundiæ facibus inflammaris, aut consimilibus obnoxius es peccatis, scito quia spiritibus malignissimis, qui de his vitiis sollicitant homines, es consecratus. Quocontra, ut loquitur Origenes, adest unicuique angelus bonus, qui regat, moveat, qui pro nostris actibus corrigendis et miserationibus exposcendis, videat et exoret faciem Domini.

II Petr. I, 4.

Et iratus Dominus, ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis. Ex his primo instruimur, quam gravia scelera sint fornicatio et idololatria, quæ Deus tam celeriter tamque terribiliter puniri mox jussit. Rursus constat ex istis, quam periculosissimum sit præesse, præsertim in spiritualibus, quia et principes isti, qui in temporalibus præfuerunt, jussi sunt propter subditorum peccata suspendi. Tertio elucescit ex his, quod subditorum peccata præsidentibus imputentur, nisi qui præsunt omne sui officii debitum exhibuerint sibi commissis, informando, hortando, corripiendo, corrigendo, orando, custodiendo, exemplariterque vivendo. Quis igitur est qui appetit præsidere, nisi qui non metuit in manus Dei viventis incidere, nec perpendit quam durissimum judicium instet prælatis? Ideo loquitur Origenes: Non tantum pro suis arguuntur peccatis, sed pro populo etiam compelluntur principes et prælati reddere rationem, ne forte non docuerint, non moverint, non sollicite arguerint eos qui primum peccaverunt, ne contagio dispergeretur in populos. In ipsos namque convertetur ira Dei, et cessabit a populo. Hæc si homines cogitarent, principatum non ambirent. Sufficit cuique pro peccatis propriis argui, et reddere rationem. Quid necesse est, pro peccatis populi ostentari ante solem, coram quo nihil potest abscondi? Hæc Origenes. Advertant hæc ambitiosi, qui quum non sufficiant custodire et regere semetipsos, ad aliorum adspirant ducatum, omni insipientia, imo insania mentis repleti, quemadmodum in Proverbiis Salomon protestatur: Homo stultus plaudit manibus, quum spoponderit pro amico suo. Itemque: Noli esse cum his qui defigunt manus suas, et vades se offerunt pro debitis.

Sap. VI, 6.

Prov. XVII, 18.

Ibid. XXII, 26.

Ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse et omni Israel. Per virum illum, qui et princeps fuit in progenie Simeonis, intelliguntur universi rebelles, elati, incorrigibiles, habituati in vitiis, qui sine verecundia peccant, quibus facta est frons meretricis: propter quod erubescere nolunt, sed characterem bestiæ gestant in frontibus suis. Et heu! modo sunt multi tales ex præsidentium numero, quibus propria voluntas est lex, et potestate pro æquitate utuntur.

Jer. III, 3.

Apoc. XVI, 2.

Digitized by Google

Porro, per Phinees qui illum perfodit, A expressi sunt viri virtutum, qui zelo Dei accensi sunt, qui etsi propriam, non tamen Creatoris, injuriam pati queunt. Verumtamen non debet quis proprio capite, aut usurpata auctoritate, privatave potestate, se ipsum ingerere ad ulciscendum Dei aut sui ipsius offensam : quia nec Phinees ultus est illud piaculum, nisi legis auctoritate, et quoniam Moyses dixit judicibus : Occidat unusquisque proximos suos. Postremo, docemur ex sententia Omnipotentis, factum illud Phinees magnifice B commendantis ac multipliciter remunerantis, quam acceptus sit Deo verus justitiæ zelus, qui discretione conditur et æmulatio Dei, seu zelus divini honoris : quo zelo renititur homo pro viribus suis omni peccato, hisque potissime quæ evidenter contrariantur rectitudini æquitatis, et Deum ab universis cupit ac satagit honorari. Hunc zelum adipisci non possumus, nisi a privato purgemur amore, affectum proprii commodi penitus excludentes, ita ut non simus ad nos ipsos inordinate reflexi, sed in Deum directe linealiterque reducti, constabiliti, et transformati.

ARTICULUS XLIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEXTI : POSTQUAM NOXIORUM SANGUIS EFFUSUS EST.

NUNC recitatur, qualiter secundo numeratus est totus Israeliticus populus, C non ut numerus ejus innotesceret Deo, sed ad nostram informationem, ut advertamus quanta sit Deo omnipotenti cura et providentia de plebe sua. Denique sicut pastor accelerat sua computare jumenta et pecora, quum quædam ex eis fuerint a lupis, et forte furtim ingressis, vorata sive sublata ; sic Dominus facta strage in populo suo ex suggestione dolosæ vulpis, videlicet Balaam, atque ex infernalium instigatione luporum, per subintroductionem filiarum Moab ac Madian, protinus jussit eas quæ D remanserant oves diligentissime numerari, ut de cetero vigilantius custodirentur.

Itaque ait : *Postquam noxiorum sanguis effusus est*, id est, occisis viginti quatuor millibus ex plebe Israel, propter idololatriam et fornicationem præcedenti descriptas capitulo, *dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum filium Aaron sacerdotem,* id est pontificem. Verumtamen quidam exponunt istud de effusione sanguinis Ma-
Num. xxv, 17. dianitarum, de quibus in fine præcedentis capituli legitur, quorum interfectio infra *Num.* xxxi, 2 *et seq.*
recitatur, dicentes hanc populi numerationem factam post Madianitarum necationem, quamvis ante hic describatur, quoniam in historica relatione ordo temporis non semper servatur. *Numerate omnem summam filiorum Israel a viginti annis et supra, per domos et cognationes suas,* id est per tribus atque familias, *omnes qui possunt ad bella procedere.* Multa hic dici possent de causa et significatione numerationis istius, et qualiter adjutorio principum facta sit, et usque ad quotum annum numerabantur, et cur feminæ non computabantur : de quibus pertranseo, quoniam in expositione superiorum sunt inducta.

Filius Phallu, Eliab. Hujus filii, Namuel et Dathan et Abiron. Isti sunt principes populi, id est inter præcipuos in tribu Ruben, et forsan in aliquibus erant officiis constituti, *qui surrexerunt contra Moysen et Aaron in seditione Core,* et in *Ibid.* xvi, 1 *et seq.*
rebellione, cujus auctor præcipuus fuit Core Levites, Moysis consobrinus, quoniam

Digitized by Google

filii fratrum erant; *quando adversus Dominum rebellaverunt,* quoniam resistendo Moysi et Aaron fidelibus Dei, vicariis ac ministris, opposuerunt se Deo, et contra Dominum, hoc est, contra ejus præceptum præsumpserunt hoc agere; *et aperiens terra os suum, devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros.* Totum istud habitum pleniusque expositum est supra. *Et factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii ejus non perirent,* id est, non devorarentur a terra, nec consumerentur ab igne. Contra hoc sic argui posset, quia aut filii ejus consenserunt excessibus sui patris, aut non: si consenserunt, ergo perierunt cum eo, cujus contrarium dicitur hic; si non consenserunt, non fuit miraculum quod non perierunt, imo injustum fuisset quod perissent, secundum
Gen. XVIII, 23. quod Abraham dixit ad Deum: Numquid perdes justum cum impio?

Circa hoc scribit Lyra: Quod aut quale fuit istud miraculum, non habetur ex textu in speciali, sed Glossa super Psalmum quadragesimum quintum dicit: Quando terra devoravit ipsum Core, filii ejus manserunt stantes in aere divina virtute, quousque terra fuit reclusa: propter quod in gratia-
Ps. XLV. rum actionem fecerunt psalmum, Deus noster refugium et virtus. Non enim David fecit omnes psalmos. Hæc Lyra. Alibi demum refert, quemadmodum Rabbi Salomon dicat, quod filii Core primo consenserunt suo patri; sed audita Moysis exhortatione, pœ-
Num. XVI, 26. nituerunt. Quanquam Moyses dixit, Recedite a tabernaculis hominum impiorum; ipsi tamen manserunt cum patre suo in tabernaculo ejus, non ad adsistendum ei in malo, sed ut suis exhortationibus et precibus averterent eum a suo proposito: ideo non fecerunt contra Moysis jussionem, sic remanendo. Quumque terra aperto ore deglutiret patrem eorum, stabant suspensi in aere usque ad terræ reclusionem: quo facto, totis præcordiis ad Deum conversi sunt, et plures fecerunt psalmos pulcherrimos. Hæc Lyra. Verumtamen Rabbi Paulus his contradicit: Ubi, inquiens, translatio nostra habet, Factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii ejus non perirent, in Hebræo habetur, Facti sunt in signum, id est in miraculum; et quod additur, Ut Core pereunte, etc., non est de textu. Sicque quod dicitur, Facti sunt in signum, refertur ad immediate præcedentia, scilicet quod illi qui fuerunt devorati ab ore terræ, et combusti ab igne egresso a Domino, facti sunt in miraculum. Unde glossa illa Hebraica allegata, non habet fundamentum in littera. Similiter fundamentum certum non habet, quod propter illud miraculum factus sit psalmus, Deus noster refugium, etc. Exponitur enim et aliter. Item quod dicitur, omnes psalmos non esse factos a David, est contra opinionem Augustini, quam credo veram. Hæc Paulus.

Circa hæc dico, glossam illam Hebraicam, et dictum Rabbi Salomonis, vera esse in parte hac: habetque glossa illa fundamentum in littera ista, quam tota Ecclesia quæ non errat, credit esse simpliciter veram; nec Hieronymus in hac parte, sicut nec alibi, ab Hebraica veritate recessit. Porro, quod Lyra dicit de psalmo prætacto, et quod non omnes psalmi sunt facti a David, non est certum, et circa hoc sancti viri vario modo senserunt. Nam et Hieronymus protestatur, et Hebræi communiter, quod psalmi non sunt omnes a David facti. Ait quoque Hieronymus: Totum perlustrans psalterium, non invenio in psalmis filiorum Core aliquod terrenum aut triste, sed omnia spiritualia sunt in eis atque jucunda. Potius tamen credo, cum Augustino, omnes psalmos a David factos, prout in exordiis expositionis psalterii persuasiones ad hoc aliquas introduxi.

Hæ sunt familiæ Manasse, et numerus earum quinquaginta duo millia septingenti. Hæc est summa filiorum Manasse. De numero autem filiorum Ephraim, subditur: *Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti.* Istud videtur esse contra

Digitized by Google

id quod in Genesi sanctus Jacob in benedictione Manassæ et Ephraim dixit. (Gen. XLVIII, 19.) Iste quidem, videlicet Manasses, erit in generationes, et multiplicabitur ; sed frater ejus junior, utpote Ephraim, major illo erit, et semen illius crescet in gentes. Et respondendum, quod populus natus ex Ephraim, communiter et pro majore temporis parte, creditur fuisse major, quam populus genitus ex Manasse. Interdum tamen potuit aliter esse. Nam et in prima populi numeratione, Ephratæi fuerunt multo plures quam nati ex stirpe Manassæ, ut (Num. I, 32-35.) habetur supra. In Judicum libro quoque (Judic. XII, 6.) leguntur quadraginta duo millia ex semine Ephraim uno tempore corruisse sub Jephte.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum, hoc est suppositorum, *in possessiones suas,* id est ad hoc, ut hereditarie eam possideant. Hinc subditur : *Pluribus* hominibus *majorem* terræ *partem dabis, et paucioribus minorem.* Circa quod ait Glossa, Ut scilicet numerosior tribus majora terræ spatia sortiatur ; quæ autem minor fuerit hominum numero, minora accipiat. Circa hoc Magister in historiis scribit : Istud non est intelligendum de tribubus et familiis, sed de domibus. Terra enim æque divisa, secundum sortes data est tribubus ; et quælibet tribus sorte partes æquales dedit familiis. Familiæ vero, juxta numerum capitum, domibus diviserunt sine sorte minores et majores partes. Alii quoque dicunt, quod in divisione terræ non solum considerata est spatii magnitudo, sed et terræ fertilitas ; sicque quod dicitur, Majorem, intelligitur vel mole, vel valore. Ex quibus patet intellectus verborum sequentium : *Ita dumtaxat, ut sors terram* promissionis *tribubus dividat et familiis.* Illam etenim sortium projectionem Deus moderabatur, secundum quod (Prov. XVI, 33.) Salomon loquitur : Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. Idcirco non poterat ibi quisquam murmurare, propter terræ participationem, quasi (A) injuste factam. Qualiter vero liceat sortibus uti, et qualiter non, dictum est sæpe.

Verumtamen Moyses dedit tribubus Ruben et Gad, ac dimidiæ tribui Manasse terras duorum regum trans Jordanem absque sortibus. Dicunt quoque expositores super Josue, quod ipse Josue dedit in terra promissionis tribui Juda, tribui Ephraim, et dimidiæ tribui Manasse, terram et partes absque sortium missione. Quod qualiter intelligendum sit, ibidem exposui. Siquidem tribubus illis data est terra dupliciter, (B) utpote concessione et sorte : concessione, ut quidquid expugnarent, esset earum. Unde et Origenes hic ait : Video Moysen non sorte dividere hereditatem Ruben et Gad et dimidiæ tribui Manasse. Jesus quoque, id est Josue, extra sortem dat hereditatem tribui Juda, et Caleb, et tribui Ephraim, et dimidiæ tribui Manasse. In ceteris sors mittitur.

Consequenter describitur numeratio filiorum Levi ab uno mense et supra, et plana est littera. Quod vero in textu Jo- (C) chabed mater Moysis, vocatur filia Levi, intelligitur quod fuit filia filii ejus, ut ante expositum est. Hoc interea advertendum, quod supra leguntur Levitæ numerati ab uno mense et supra. (Num. III, 15.) Deinde ibidem alio capitulo leguntur numerati ab anno tricesimo usque ad quinquagesimum annum : (Ibid. IV, 3.) de qua numeratione non agitur hic, quoniam illa facta est ad deportandum tabernaculum in profectione castrorum ; jam autem filii Israel venerunt usque confinia terræ promissionis. Vel, quod semel fue- (D) rat jussum, insinuabatur deinceps servandum. Sed ex supradictis patet intelligentia litteræ hujus.

Ut tamen quæ dicta sunt, et adhuc quædam dicenda, clarius intelligantur, pensandum, quod in prima secundæ, quæstione 105, ait Thomas : Circa res possessas, optimum est, ut dicit Philosophus in secundo Politicorum, quod possessiones sint distinctæ, et usus earum sit partim communis, et partim juxta voluntatem possessorum communicetur : quæ tria fuerunt in lege

Digitized by Google

statuta. — Primo enim possessiones divisæ erant in singulos, secundum quod in Numerorum codice Dominus ait : Ego dedi vobis terram in possessionem, quam sorte dividetis vobis. (*Num.* XXXIII, 53, 54.) Et quia per possessionum irregularitatem plures civitates destruuntur, secundum Philosophum, secundo Politicorum, ideo ad possessiones regulandas, lex adhibuit triplex remedium : Unum, ut secundum numerum hominum æqualiter dividerentur ; unde dicitur in Numeris, Pluribus dabitis latiorem, et paucioribus angustiorem. (*Ibid.* 54.) Aliud, ne possessiones in perpetuum venderentur, sed usque ad certum tempus dumtaxat, videlicet ne confunderentur sortes possessionum. Tertium fuit, ad auferendum talem confusionem, ut proximi morientibus succederent in bonis possessis : primo videlicet gradu filius, secundo filia, si filius non adesset, tertio fratres, quarto patrui, quinto quicumque propinqui. Ad conservandam autem sortium distinctionem, ordinavit lex ultra, ut mulieres quæ sunt heredes, nuberent viris suæ tribus. — Secundo instituit lex, ut quantum ad aliqua, usus rerum esset communis patriæ. Et primo quantum ad curam, juxta illud Deuteronomii : Non videbis ovem et bovem fratris tui errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo ; et similiter de aliis. (*Deut.* XXII, 1.) Secundo, quantum ad fructum. Concedebatur namque communiter, quantum ad omnes, ut ingressus in vineam amici, comedere posset quantum vellet, non tamen extra portaret ; (*Ibid.* XXIII, 24.) quantum vero ad pauperes specialiter, ut relinquerentur manipuli obliti, et fructus racemique remanentes ; et quæ sponte nascebantur, septimo anno communicabantur. (*Ibid.* XXIV, 19-21.) — Tertio, statuit lex communicationem factam per dominos rerum : unam pure gratuitam ; unde in Deuteronomii libro dicitur, Anno tertio separabis aliam decimam, venientque Levites et peregrinus, etiam pupillus et vidua, et comedent, et saturabuntur ; (*Ibid.* XIV, 28, 29.) aliam vero cum recompensatione utilitatis, sicut per emptionem et venditionem, per locationem et conductionem, per mutuum, et iterum per depositum. Sicque sufficienter ordinavit convictum Israeliticæ plebis.

Sensus spiritualis.

Præterea, spiritualitas hujus capituli, ex dictis in exordiis libri hujus est evidens. Nempe ut asserit Origenes, Terræ hujus divisio atque hereditas, forma est cœlestis hereditatis quæ Sanctis datur, ubi in domo Patris multæ sunt mansiones. (*Joann.* XIV, 2.) Et sicut quibusdam filiis Israel divisa est terra absque sorte, (*Josue* XIV *et seq.*; XIX, 49, 50.) sic puto quod quidam in cœlesti hereditate non venient ad sortem, neque cum ceteris, quamvis sancti sint, numerabuntur ; sed erit egregia eorum hereditas, sicut fuit Caleb et tribui Juda, et Josue filio Nave. Quemadmodum enim, dum adepta victoria dividuntur spolia, egregii bellatores non ducuntur ad sortem, sed optima quæque merito virtutum suscipiunt, ceteri autem sorte utuntur jure victoriæ ; ita videtur mihi Christus Dominus meus facturus. Illis namque præcipuos et sublimes decernet dabitque honores, quorum facta magnifica et sublimes cognoscit virtutes, quibus ait : Sedebitis super duodecim thronos, etc. (*Luc.* XXII, 30.) Et iterum : Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ita et isti unum in nobis sint. (*Joann.* XVII, 21.) Hæc omnia non sorte descendunt, sed dilectionis prærogativa. Hæc verba Origenis, quæ et in Glossa habentur, secundum primum intellectum possunt salvari ; nihilo minus constat, unumquemque præmiari in cœlo juxta suorum meritorum mensuram. Omnes quoque in regno cœlesti sunt unus exercitus, et unum inter se, ac unum in Domino.

Dicit quoque Isidorus : Sexcenta millia armatorum de Ægypto egressa sunt, et duo tantum viri ex eis in terram promissionis ingressi. Multi enim ad fidem transeunt per Baptismum, sed ad cœlestem patriam perducuntur paucissimi. Duo tantum ingrediuntur, ad designandum eos qui ex utroque populo regnum cœleste adipiscuntur, vel qui per vitam activam et contemplativam salvantur. Hinc ait et Origenes : Omnia ad monadem reducuntur. Pone omnem humani generis numerum, elige

Digitized by Google

fideles : pauciores erunt quam infideles ; de fidelibus elige meliores, et invenies pauciores ; de melioribus elige perfectio- A res, et pauciores erunt ; et quanto eligendo processeris, tanto pauciores invenies, donec venias tandem ad unum summum.

ARTICULUS XLIV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : ACCESSERUNT AUTEM FILIÆ SALPHAAD.

ACCESSERUNT autem ad Moysen *filiæ Salphaad,* qui fuit de tribu Manasse ; *steteruntque* quinque filiæ illæ *coram Moyse et Eleazaro sacerdote, et cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt : Pater noster* Salphaad *mortuus est in deserto.* Salphaad iste secundum Hebræos et quosdam Catholicos fuit ille, de quo supra legitur : (*Num.* xv, 32.) Factum est quum filii Israel essent in deserto, invenerunt hominem colligentem ligna in sabbato. Quod non videtur certum, præsertim quia subjungitur : *nec fuit in seditione quæ concitata est contra Dominum,* utpote contra Moysen et Aaron Dei vicarios, *sub Core* qui fuit principalis (*Ibid.* xvi.) concitator rebellionis illius. Etenim vir ille qui ligna collegit in sabbato, fuerat lapidatus, de quo omnibus patuit quod non fuit in seditione Core. Salphaad quoque, qui directa linea fuit quartus a Manasse filio Joseph, fuit notabilis vir, de quo non apparet, quod personaliter ligna collegerit. Aliqui vero dicunt, quod idcirco addiderint patrem suum non fuisse in Core seditione, ad innuendum quod non erant privatæ jure percipiendi possessionem hereditariam ex demerito rebellionis illius, quemadmodum posteri seditiosorum illorum : quod tamen supra approbatum non est. *Sed in peccato suo mortuus est,* pro- (*Ibid.* xiv.) pter prævaricationem privatam, aut propter murmurationem suam ex verbis exploratorum conceptam. An autem in mortali obierit culpa sine pœnitentia vera ejus, non patuit filiabus, estque probabile eum

B pœnituisse. *Hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habet filium?* hoc est, cur inter alios filios Manasse non est annumerata domus ipsius, nec manet ejus memoria per prolis successionem et hereditatis participationem, quoniam soli viri sunt numerati ? Et jussum est, quod eis terra dividatur per sortem : sicque erimus exheredatæ. Quod ne fiat, *Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri.*

Retulitque Moyses causam earum ad C *judicium Domini,* id est, a Deo petiit edoceri, quid in hoc casu esset sibi agendum. Nam contra præfatum Dei præceptum noluit auctoritate propria dispensare. *Qui dixit ad eum : Justam rem postulant filiæ Salphaad :* quia non erant sine rationabili causa hereditate privandæ. Deinde occasione hujus casus, datur lex generalis de successione in paterna hereditate. *Ad filios autem Israel loqueris hæc : Homo quum mortuus fuerit absque filio, ad ejus filiam transibit hereditas* sua, eo defuncto. D *Et si non habuerit filiam,* successio devolvetur ad propinquiores ei, sicut in textu narratur, et in fine præcedentis capituli est ostensum. Quocirca loquitur Origenes : Libertas filiarum Salphaad non solum eis hereditatem contulit, sed perpetua jura vivendi sæculo dedit. Quis potest legem istam dissolvere, qua universus utitur mundus, omnes videlicet homines qui legibus vivunt? *Eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua,* id est, statutum istud de hereditaria successione, a filiis

Digitized by Google

Israel est servandum tanquam justum et A ratum.

Dixit quoque Dominus ad Moysen : Ascende in montem istum Abarim, qui campestribus istis propinquus est, *et contemplare inde terram quam daturus sum filiis Israel,* id est terram promissionis quam ingredi cupis, sed nequibis : ideo pro tua aliquanta consolatione tibi eam monstrabo. *Quumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum,* id est ad limbum patrum. Secundum quosdam dubium est, an Moyses ascendit hac vice montem præ- B fatum, an postea. Sed quia Dominus ait, Quumque ascenderis eum, ibis ad populum tuum, apparet quod postea et non modo ascendit, nisi dicatur bis ascendisse : imo certum est, quod morte sua de proximo imminente,ascenderit montem illum,quum

Deut. xxxiv, 1. scriptum sit in Deuteronomio : Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super Nebo. Eratque Nebo, eminens pars seu monticulus in monte Abarim.

Cui respondit Moyses : qui audita sua defunctione, et quod propter culpam suam C ingressurus non esset terram promissam, ostendit se vere ac valide inflammatum caritate populi sibi commissi et zelo communis boni eorum. Nam quasi immemor sui, nec de sua morte et punitione turbatus, oravit mox pro eisdem : *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis,* qui solus novit corda omnium filiorum hominum, ideo novit quis dignus sit principatu, *hominem qui sit super multitudinem hanc* dignitate et auctoritate; *et possit exire et intrare ante eos,* id est, se in omnibus ex- D emplarem præbere, et primus esse in acie belli, atque in actibus vitæ activæ exterioris et contemplativæ internæ præfulgere, *et educere illos* ad exsequendum agenda, *vel introducere* ad terram promissionis; *ne sit populus Domini sicut ovis absque pastore.*

Dan. x, 21. Quamvis etenim Deus, et sub Deo Michael princeps magnus præfuit Synagogæ; ipsa tamen indiguit pastore propriæ speciei,et ejusdem conversationis ac status cum ea, a quo per sensibilia poterat informari ac dirigi.

Dixitque Dominus, qui tam caritativam et piam orationem protinus exaudivit, etiam meritis deprecantis, *ad Moysen : Tolle,* id est accipe ad te, *Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus Dei,* id est virum virtuosum in quo Spiritus Sanctus per caritatem et virtutes tam gratiose moratur, quod tanta prælatione condignus est ; *et pone manum tuam super eum,* in signum quod instituatur a te, atque ut ex impositione manus tuæ gratiam sortiatur majorem. *Qui stabit coram Eleazaro sacerdote,* id est pontifice, *et omni multitudine,* quatenus universi sciant, quod me jubente, instituatur a te ad præsidendum post mortem tuam ; *et dabis ei præcepta cunctis videntibus,* ut acquiescat suæ promotioni, et qualiter post te debeat præsidere, *et partem gloriæ tuæ,* id est auctoritatem et eminentiam tuam, quæ est pars beneficiorum tibi a me præstitorum ; vel, Partem gloriæ tuæ, hoc est participationem donorum gratiæ tibi concessæ. Verumtamen Josue habuit jurisdictionem super universum populum illum, quemadmodum Moyses ; sed in aliis fuit inferior Moyse, qui hanc gloriam suam contulit ipsi Josue dispositive et ministerialiter, Deus autem effective et principaliter. *Ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel,* id est, tota plebs ei obediat. *Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum,* hoc est, occurrente aliquo arduo et intricato negotio, Eleazar per orationes et sacrificia, quæret informationem a Domino pro directione Josue. *Ad verbum ejus,* videlicet Eleazari, *ingredietur et egredietur ipse* Josue,*et omnes filii Israel cum eo,* id est, juxta oraculum Dei notificatum per Eleazarum ipsi Josue, faciet Josue et omnes ei subjecti. Verumtamen Josue post mortem Moysis fuit major et excellentior Eleazaro, quemadmodum postea reges pontificibus, prout in libro de Regimine regum, Thomas declarat. Nam sacerdotium illud fuit carnale et typicum. Ex prædictis autem non est putandum, quod Moyse vivente, Josue fuerit supremus po-

Digitized by Google

puli princeps, quia sic duo fuissent principes plebis illius, non subordinati, nec regimen populi fuisset monarchicum. Unde etsi potestas quæ est de genere qualitatis, præstita fuit ipsi Josue, adhuc vivente Moyse; jurisdictio tamen quæ est relatio, data est ei mox ut Moysis principatus cessavit. Hinc in Deuteronomio describitur, qualiter Moyses protinus moriturus, commisit Josue exsecutionem sui officii. (Deut. XXXI, 7, 8.)

(Sensus moralis.) Moraliter per filias Salphaad, intelliguntur animæ imperfectæ, quæ audientes quod regnum cœlorum promissum sit viris virtutum, atque militibus Christi, nequaquam volunt excludi, sed inter illos petunt aliquam in cœlestibus portionem, et saltem ad inferiorum ordinum societatem assumi, quamvis pater earum, hoc est imperfectus prælatus, non potuerit eas ad virorum perfectionem deducere. Huic petitioni Deus Pater misericorditer acquiescens, Christo homini omnium judici, quoad prolationem sententiæ jubet, ut tales quoque animas æterna hereditate felicitet.

Homo quum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hereditas. Moritur homo, quando mortaliter peccat, præsertim si in mortali decedat peccato : cujus præcedentia merita non remanent irremunerata, quamvis ipse non præmietur pro illis, sed ad mysticum corpus Ecclesiæ convertuntur. Relinquit autem filium, qui imitatorem habet discipulumve perfectum, ad quem ejus hereditas cœlestis (quam obtinuisset, nisi obicem posuisset peccando) devolvitur, dum apud Deum est ratio, ut ei communicetur : et si talem non habet filium, sed filiam, id est imitatricem aut discipulam animam imperfectam, quæ in statu decedit salutis, potest tandem ad eam devolvi hereditas memorata. Quod si nec filium reliquit, nec filiam, transibit hereditas sua ad fratres, id est alios Christianos electos, secundum quod major aut minor ratio fuerit coram Deo, ut ipsis communicetur felicitas quam ille olim promeruit, sed male cursum suum finiendo, tanto præmio se privavit.

Dixit quoque Dominus ad Moysen : Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel. Per montem designatur virtutum sublimitas, præsertim perfectio doni sapientiæ, fervorque caritatis divinæ : in quem montem debemus indesinenter proficiendo ascendere, ut tantam sublimitatem adepti, simus idonei in carne ista mortali contemplari Regem gloriæ in suo decore, triumphantem Ecclesiam, et ea quæ oculus non vidit, nec auris audivit. (Cant. III, 11. I Cor. II, 9.) In eodem quoque monte moriendum est nobis, ita ut nunquam cancrorum more retrocedamus, nec caritas tepescat in nobis, nec redeamus retrorsum, sed quæ retro sunt obliviscentes, in contemplatione et desiderio divinorum salubriter obdormiamus. (Philipp. III, 13.) Qui sic moritur, evolat, moxque pergit ad populum suum beatum, cujus est Dominus Deus ejus per beatificam fruitionem, ut in sinu Dei Patris omnipotentis æternaliter ac securissime et desiderantissime conquiescat. (Ps. CXLIII, 15.)

Cui respondit Moyses : Provideat Dominus Deus hominem qui sit super multitudinem hanc. In omnibus his proponitur sanctus Moyses prælatis omnibus in exemplum, ut scilicet migraturi de sæculo, non sint circa terrena solliciti, sed summe desiderent, orent, procurent, ut idoneos habeant successores, et oves Christi eis commissæ, post eos salubriter gubernentur ; nec studeant cognatos, in quantum tales, sed vere condignos et virtuosos promovere ad regimen. Hinc loquitur Origenes : Recessurus Moyses de sæculo, orat Deum ut provideat ducem populo. Habuit Moyses ipse filios Gersam et Eliezer, et nepotes filios fratris sui magnos et egregios viros; non oravit Deum pro ipsis, ut constituantur duces populi : ut discant Ecclesiarum principes, successores sibi non propinquitate carnis testamento signare, nec principatum Ecclesiæ hereditarium tradere, nec eligere eum quem humanus commendat affectus, sed Dei judicio successoris electionem dimittere. Poterat Moyses ducem eligere, cui dixerat Dominus : Elige presbyteros

Digitized by Google

populo, etc. ; non tamen eligit nec audet, A ne relinquat posteris præsumptionis exemplum. Quis ergo se ad præsidendum judicet dignum ex plebe, quæ sæpe moveri solet clamoribus, ex gratia, seu favore aut pretio excitatis? aut ex sacerdotibus, nisi si alicui oranti aut petenti (ut Moysi) reveletur, secundum quod Deus ait ad Moysen, Assumes Jesum, id est Josue, etc. ? Audis evidenter ordinationem principis populi tam manifeste descriptam, ut pene expositione non egeat. Nulla hic populi acclamatio, nulla propinquitatis contemplatio. B Relinquatur propinquis agrorum et prædiorum hereditas ; gubernatio populi illi tradatur quem Deus elegit, ei scilicet in quo est Spiritus Dei, et qui in conspectu suo habet divina præcepta, qui notus et familiaris sit Moysi, hoc est in quo sit observantia, et claritas, atque scientia legis. Hæc Origenes. Ex quibus certissime innotescit, quam enormiter peccent, qui importune aut per subreptionem, vel ex carnali affectu seu commodi privati intuitu, conantur quempiam promovere : per C quod non tantum se ipsos, sed universum etiam gregem exponunt periculis. Quemadmodum enim in rebus humanis vix præclarius donum esse potest quam bonus prælatus, sic summum periculum est habere indignum. Talis itaque eligatur qui valeat ingredi et exire ante oviculas Salvatoris, id est, ad actus vitæ contemplativæ et activæ sit expeditus, atque in omnibus fervens, agilis, exemplaris.

Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine. Sic princeps debet sacerdotes obedienter audire, et gregi sibi commisso adstare. Sacerdotum vero et cleri est, indesinenter Dominum exorare, quatenus eos qui præsunt, dignetur piissime illustrare, afficere, dirigere et gubernare in omnibus, quemadmodum ad Timotheum ait Apostolus : Obsecro primum omnium I *Tim.* II, 1, 2. fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate.

Postremo, quod nec Moyses nec Aaron, sed Josue introduxit plebem in terram promissam, præfiguravit, quod nec observantia legis designatæ et datæ per Moysen, neque legale sacerdotium expressum per Aaron, sed fides et gratia Christi significati per Josue, perduxit electos ad patriam claritatis æternæ finaliter repromissæ.

ARTICULUS XLV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI OCTAVI : DIXIT QUOQUE DOMINUS AD MOYSEN.

RECITATIS jam quibusdam historiis, D reditur ad cærimonialia legis. *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Præcipe filiis Israel, et dices ad eos : Oblationem meam,* id est mihi debitam, et quæ mihi offertur de his, quæ jure creationis sunt mea, *et panes* propositionis seu panes primitiarum, et ceteros qui secundum legem sunt offerendi, *et incensum odoris suavissimi,* id est thymiamatis adolitionem, seu holocaustum, quod totum incendebatur, vel immolationem partium quæ in altari holocausti cremabantur ; *offerte per tempora sua,* id est unumquodque tempore opportuno, prout in lege præfixum est.

Consequenter descendit ad juge sacrificium, quod offerebatur quotidie, de cujus materia, ritu et significatione dictum est *Exod.* XXIX, 38-42. sæpe : ideo non condecet immorari. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis : Agnos*

Digitized by Google

anniculos, qui scilicet non excedant ætatem anni unius, *immaculatos,* id est bene dispositos, non monstruosos, viles aut languidos, quia præstantiora Deo sunt offerenda, *duos quotidie in holocaustum sempiternum,* quod scilicet duret per omne tempus veteris Testamenti. *Unum offeretis mane, et alterum ad vesperum.* Sacerdos namque seu pontifex in diluculo obtulit agnum unum super altare holocausti, qui toto die cremabatur ibidem : quo consumpto, in crepusculo immolavit agnum secundum, qui tota nocte comburebatur. *Decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin.* Holocaustum namque non offerebatur nisi adjunctis libamentis, quæ
Num. xv, 4-10. erant simila oleo conglutinata, et vinum ; et cum agniculo offerebatur simila mensuræ decimæ partis ephi. *Holocaustum juge est quod obtulistis* Domino *in monte Sinai :* quia in consecratione sacerdotum, dedicationeque tabernaculi seu altaris, oblatum fuit sacrificium istud, antequam a monte Sinai recesserunt, non quod in ipso monte, sed prope, factum sit sacrificium hoc. *Et libabitis vini quartam partem hin,* id est, de vino offeretis simul cum agniculo mensuram quæ teneat quartam partem metretæ, quæ hin appellatur, de qua dictum est sæpe. Nec possumus determinatam quantitatem mensurarum istarum per vocabula nota exprimere.

Die autem sabbati, id est quolibet sabbato, *offeretis duos agnos anniculos immaculatos :* qui tamen poterunt habere maculas diversorum locorum, nec ante octavum diem a nativitate poterant immolari ; *et duas decimas similæ oleo conspersæ,* id est oleatæ in sua pistratione, sumendo decimam pro decima parte ephi, *in sacrificio ; et liba, quæ rite funduntur,* id est libamenta quæ cum hujusmodi pecoribus legitime offeruntur, *per singula sabbata in holocaustum sempiternum :* quia et isti agni in holocaustum offerebantur, pariter tamen et ultra duos agnos anniculos jam prædictos, secundum Josephum. A Unde (ut fertur) in Hebræo habetur, Super holocaustum juge, videlicet præter et ultra illud.

In Calendis autem, id est in mensium exordiis seu noviluniis, *offeretis holocaustum Domino,* utpote *vitulos de armento,* id est sumptos de grege suæ speciei, *duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, et tres decimas similæ oleo conspersæ, in sacrificio per singulos vitulos,* ita quod sacrificio cujuslibet vituli addebantur tres decimæ similæ oleatæ ; B *et duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes ; et decimam decimæ ex oleo in sacrificio per singulos agnos.* Per decimam decimæ, designatur una dumtaxat decima similæ, quæ est decima pars cori. Quæri potest, cur cuilibet vitulo addebantur tres decimæ similæ oleatæ, cuilibet autem arieti duæ decimæ, unicuique autem agno anniculo una tantum. Respondere quis potest, quod juxta valorem sacrificii seu animalis oblati, fuit mensura additionis istorum et consimilium libamentorum ; C vel, ut aliqui opinantur, juxta mensuram ætatis animalium : quia (ut putant) vituli debebant esse trium annorum, arietes duorum, agni non amplius quam unius. Similiter quæri potest, cur in Neomeniis offerebantur agni anniculi septem, quum in sabbatis duo jussi sunt immolari. Dici potest, quia sacrificium istud rarius fiebat quam illud in sabbato, vel ad designandum universitatem beneficiorum quæ habemus a Deo. Festum etenim Neomeniæ agebatur in honorem et recognitionem di- D vinæ gubernationis ac providentiæ Dei, a qua universa quæ habemus emanant ; et septenario universitas denotatur. In specialibus quoque festis merito fiebant speciales oblationes, ad solennitatis, imo ad Dei honorem : et quia indesinenter conservamur a Deo, et ei jugiter obligati sumus, ac servire indesinenter debemus, decuit eum juge sacrificium illud duorum agnorum quotidie immolari. *Libamenta autem,* id est oblationes de materiis liquidis : itaque libamenta *vini quæ per singulas*

Digitized by Google

fundenda sunt victimas, id est pecorum A præfatorum immolationes, *ista erunt: Media pars hin* de vino *per singulos vitulos, tertia* pars hin de vino *per arietem* quemlibet, *quarta per agnum* unumquemque. *Hoc erit holocaustum per singulos* * *menses,* id est in exordio cujuslibet mensis: quia Judæi in legitimis suis lunationes habebant pro mensibus, et diem novilunii nominabant Calendas legales, eratque ferialis, id est celebris, apud eos. Vocabatur quoque Neomenia, a νέος, quod est novum, et μήνη, quod interpretatur defectus seu B luna. *Hircus quoque offeretur Domino* in Calendis *pro peccatis,* id est pro peccatorum populi remissione, *in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.*

* *omnes*

Sequitur de solennitate paschali et sacrificiis ejus. *Mense autem primo,* secundum computationem Judæorum, qui annum incipiunt a Martio seu Aprili, qui apud eos frequenter concurrunt saltem in parte, et interdum quasi in toto, et mensis ille primus vocatur Nisan; *quartadecima die mensis* ejusdem, *Phase Domini erit,* id C est, festum paschale incipietur ad vesperam; *et quintadecima die solennitas* Azymorum *erit:* quia die immediate sequente fuit paschalis celebritas toto tempore ejusdem diei, ita quod fuit prima integra dies festi illius, in quo septem diebus panibus azymis seu non fermentatis vescebantur. *Offeretisque incensum holocaustum Domino,* id est holocaustum quod totaliter incendatur, vel in holocaustum, in cujus oblatione consuevit thymiama incendi. Itaque offeretis *vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos* D *septem; et sacrificia singulorum ex simila quæ conspersa sit oleo,* etc.; *et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis,* id est, quatenus Deus vobis placetur atque indulgeat, *præter holocaustum matutinum, quod semper,* id est quotidie hora matutinali seu in aurora, *offeretis,* quum sit sacrificium juge. *Ita facietis per singulos dies septem dierum,* id est quolibet die paschalis celebritatis, quæ durat septem diebus, cujus ultima dies fuit tam solennis ut prima. Unde subjungitur: *Dies quoque septimus celeberrimus et sanctus vobis erit,* id est celebris valde præ diebus intermediis, nisi in illis sabbatum evenisset; et si sabbatum occurrerit prima die aut ultima, fuit præ ceteris sex diebus solennis, quia duplex concurrebat festivitas uno die.

Sequitur de solennitate Pentecostes: *Dies etiam Primitivorum,* id est Pentecostes, *quando offeretis novas fruges Domino,* quæ tunc in terra illa maturæ sunt, de quibus offerebantur primitiæ. Dicebatur autem præcipue festum Primitivorum, quia tunc offerebantur panes recentes duo de novis frugibus, seu frumento anni illius: atque ut Josephus ait, erant panes illi formati de alphito siccato, id est de farina frumenti in summitatibus spicarum collecti, quod ibi grossius meliusque consistit, et fermentati: idcirco de his nil super altare ponebatur. Offerebantur quoque cum his duæ agnæ in esum sacerdotum dumtaxat, nec licuit aliquid inde servare in crastinum. Rursus hoc festum dicebatur Hebdomadarum, quoniam celebrabatur evolutis septem hebdomadibus a celebritate paschali, in commemorationem legis acceptæ in monte Sinai quinquagesimo die ab egressione Ægypti. Eadem etiam sacrificia fiebant in ista solennitate, quæ in paschali; et septem diebus duravit, quemadmodum illa: ex quibus textus est clarus.

Exod. XXXIV, 22.

At vero aliqui dicunt, quod juge sacrificium fiebat ad litteram ad Dei honorem, puta in protestationem quod Deus est prima principalisque causa motus diurni, qui per mane et vesperam maxime manifestatur; sacrificium vero Neomeniæ, ad protestandum quod Deus est causa principalis et prima proprii motus stellarum, quem habent ab occidente in orientem: qui motus per lunam apertius demonstratur. Fiebat autem in novilunio præfata oblatio, quia secundum motum lunæ Deus præsertim immutat ista inferiora, et non in plenilunio, propter idololatriam excludendam: quia idololatræ in plenilunio ma-

Digitized by Google

gis sacrificabant. Per sabbatum autem et sacrificium ejus, fiebat protestatio immobilitatis et superplenissimæ tranquillitatis Dei in semetipso, qui immobilis permanens, omnia movet.

A De spirituali demum et mystica significatione, imo et litteralibus causis eorum quæ in isto sunt dicta capitulo, tot sunt dicta et toties, ut ea repetere gignat fastidium.

ARTICULUS XLVI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI NONI : MENSIS ETIAM SEPTIMI PRIMA DIES.

AGITUR hic de solennitatibus quas Hebræi in septimo mense juxta suam numerationem agebant quolibet anno; et quæ de hoc introduci nunc possent, diffuse præhabita sunt in Levitico. Quemadmodum (*Lev.* xxiii, 24 *et seq.*) autem inter dies hebdomadæ dies septima erat festiva, sic inter menses septimus erat totaliter celebris et sabbatum mensium. *Mensis etiam septimi,* puta Septembris, *prima dies venerabilis et sancta erit vobis,* id est, ad vestram salutem expendenda est in actibus virtuosis. Dicitur etenim tempus sanctum seu venerabilis dies, propter sancta et venerabilia quæ in eis gesta sunt, aut gerenda vel recolenda. *Omne opus servile non facietis in ea,* id est nullum actum peccati aut mechanicum, *quia dies clangoris est et tubarum,* id est dies festiva, in qua tubis pecorinis, id est cornibus pecorum buccinare debetis seu clangere, in commemorationem liberationis Isaac a morte, quando pro eo oblatus est aries, qui cornibus hærebat in (*Gen.* xxii, 13.) vepribus, prout in Genesi legitur. *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos septem,* etc., *præter holocaustum Calendarum,* id est præter sacrificia quæ offerenda sunt in exordio cujuslibet mensis. Quum enim festum Tubarum evenerit primo die mensis septimi, constat quod die illo erat duplex festivitas, utpote Neomeniæ et Tubarum, propter quod duplex sacrificium totale seu integrum

B tunc fiebat; et de sacrificio Calendarum præcedenti capitulo est tractatum. *Et sacrificium* sempiternum,* id est etiam juge sacrificium quod nullo die omittebatur. Et quia in festo illo Tubarum erant tam multa alia sacrificia offerenda, sacrificium illud festi Tubarum fuit tam modicum forsitan institutum, videlicet vitulus unus et aries unus : quod et ideo potuit esse, quoniam beneficium illud liberationis Isaac erat minus et particularius, quam beneficium liberationis populi ex Ægypto, C et beneficium legis datæ in Sinai. *Eisdem cærimoniis offeretis incensum,* ponendo thymiama supra prunas ardentes pro bono odore habendo in tabernaculo, ne odor qui ex combustione holocaustorum in atrio diffundebatur, generaret horrorem aut indecentiam quamdam in tabernaculo.

* *holocaustum*

Subditur de festo Expiationis, quod servabatur in recognitionem veniæ eis datæ a Deo per preces et merita Moysis, pro scelere adorationis conflatilis vituli : quam veniam Moyses de monte descendens illo die (*Exod.* xxxiv, 9 *et seq.*) D eis annuntiavit. *Decima quoque dies hujus mensis septimi, erit vobis sancta atque venerabilis, et affligetis animas vestras,* id est vos ipsos per jejunia, per contritionem et fletum pro peccato illo præterito ac ceteris, atque pro gratia præservationis ab eisdem et consimilibus. Nihilo minus etiam tunc gaudebant in Domino pro beneficio tantæ veniæ eis concessæ. *Offeretisque holocaustum suavissimum Domino,* etc.; *hir-*

Digitized by Google

cum pro peccato absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem. Nam ultra prætacta offerebatur et hircus emissarius, de quo in Levitico scriptum est ; Lev. XVI, 10. vitulus quoque, cujus sanguis intra Sancta inferebatur : de quibus memorato Levitici capitulo dictum est plenius. Hæc itaque offeretis, et etiam holocaustum sempiternum, id est juge sacrificium.

Sequitur de festo Scenopegiæ seu Tabernaculorum, in quo septem diebus sub umbraculis factis de arborum ramis demorabantur, in recognitionem, quod post egressum ex Ægypto, manserunt in tabernaculis in deserto. Lev. XXIII, 43. *Quintadecima vero die mensis septimi, quæ erit vobis sancta atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea,* quia est prima dies præfatæ festivitatis, quæ etiam septem diebus duravit. Unde subjungitur : *sed celebrabitis solennitatem Domino septem diebus.* De hac solennitate et aliis dictum est diffuse in Levitico; Ibid. XXXIII. non tamen dictum est ibi tam plene de sacrificiis fiendis in eis, ut nunc. Unde et propter sacrificiorum illorum descriptionem, fit hic repetitio de ipsis solenniis. *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino,* primo die festi istius, *vitulos tredecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim, et in libamentis eorum,* etc., de quibus patet intellectus ex dictis ; *et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno,* id est jugi sacrificio, quod propter nullum aliud sacrificium omittebatur quocumque die. *In die altero,* id est festi Scenopegiæ, *offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos,* etc.

Consequenter in isto capitulo describitur sacrificium singulorum dierum sequentium festi hujus, nec est mutatio in sacrificiis horum dierum, nisi quod quotidie offerebatur unus vitulus minus quam die præterito. Sicque in toto vituli qui infra septem dies hujus festi offerebantur, erant septuaginta, in memoriam quod patres eorum in septuaginta animabus descenderunt in Ægyptum, Gen. XLVI, 27. Deut. X, 22. ut aliqui opinantur. Dicunt autem Hebræi, quod vituli isti of- A ferebantur pro ceteris gentibus : ideo sicut dicuntur esse septuaginta gentes totidem linguis distinctæ, sic erant in toto vituli septuaginta ; et quotidie subtrahebatur unus in sacrificio, ad designandum quod regna gentilium erant paulatim diminuenda per Christi imperium, cui interim fuerunt subjecta : quod totum Judæi increduli putant in adventu Messiæ implendum. Verumtamen de his determinatam et certam reddere rationem per singula ad litteram, non puto, sine revelatione, possibile.

B Sequitur de festo Cœtus et collectæ. *Die octavo qui est celeberrimus :* non tamen pertinebat ad præfatam Scenopegiæ festivitatem, sed immediate sequebatur septimam et ultimam ejus diem ; *omne opus servile non facietis in eo. Offerentes holocaustum, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem.* Cur autem dicebatur festivitas ista Cœtus et collectæ, expositum est in Levitico : Lev. XXIII, 36. quia videlicet tunc colligebantur a plebe communi, quæ ad celebrandum præfatam so- C lennitatem Tabernaculorum confluxerat, sumptus aut pecunia pro communibus sacrificiis aut necessariis tabernaculi usibus, seu pro pauperum necessitatibus. Et quod contra hoc scribit Rabbi Paulus, dissonat a doctoribus catholicis ac Hebræis, ut copiose ostensum est in Levitico.

De spirituali autem significatione et litterali ratione ac numero et ordine solennitatum istarum, super Levitico est Ibid. XXIII. tractatum. Denique superaddita sunt postea a Judæis quædam festivitates in lege, D videlicet festum seu dies Phurim, id est Sortium, ut legitur in Esther libro, Esth. IX, 26. festum Dedicationis templi sub Salomone, III Reg. VIII item Victoriæ tempore Judith. Judith XVI, 31. Similiter Judas Machabæus et fratres ejus aliqua festa in- I Mach. VII, 49. stituerunt, utpote de victoria contra Nicanorem, et de quadam templi dedicatione, II Mach. X, 8. prout in libro habetur Machabæorum.

Sensus spiritualis. Præterea spiritualiter tredecim vitulos offert, qui universas animæ passiones mortificat et reformat, qui dum in tali conflictu crescit, quasi quotidie subtrahit unum

Digitized by Google

vitulum a mactatione, quia non indiget tot A vitia jugulare. Qui autem primo quærit regnum cœlorum, et ab innocentia incipit expendere diem, offert agnum in juge sacrificium; offert et agnum in vespere, dum diem fructuose ac innocenter transegit et claudit. Porro in exordiis mensium sacrificare, est totius gratiæ illuminationis causam atque initium Deo grata ac humili mente adscribere, propriumque defectum corde contrito recognoscere et fateri. Quatuordecim agnos offert, qui tribus virtutibus theologicis et quatuor cardinalibus, B septemque donis Deum sinceriter colit: quod præcipue adimplere censetur, qui in umbraculis commoratur, id est in protectione Dei et sub umbra alarum ipsius, atque sub tegumento manus Altissimi, et in refrigerio Spiritus Sancti. Agit quoque festum Cœtus et collectæ, qui universas cogitationes, affectiones, verba et opera sua convocat, examinat, dijudicat; et quidquid in eis culpabile est, damnat, punit et vitat: sicque per sanctas meditationes, orationes et affectiones, stabilit se in Deo.

Matth. VI, 33.

Ps. XC, 1.

Postremo circa præhabita loquitur Origenes: O mira festivitas! Dies festus vocatur afflictio animæ, quia dies propitiationis, dies est afflictionis. Vide ergo si diem festum vis agere, si vis ut lætetur Deus super te, afflige animam tuam et humilia eam, ne expleat desideria sua, ne lasciviat. Denique Paschæ festivitas et Azymorum, panem afflictionis habere dicuntur; nec potest quis agere diem festum, nisi afflictionis manducaverit panem: nam et pascha cum amaritudine manducatur. Vides ergo quales sint festivitates Dei: non recipiunt corporalem dulcedinem, nihil remissum, nihil voluptuosum admittunt; sed afflictionem animæ et amaritudinem, humilitatemque deposcunt. Quum enim afflicta fuerit anima et humiliata in conspectu Dei, propitiatur ei Christus, quem Pater posuit propitiatorem in sanguine ejus. Si autem vis videre, quomodo in futuro agantur dies festi, obliviscere cuncta: describe tibi quomodo cœlum terraque transeunt, et omnis habitus hujus mundi; cœlumque novum et terra nova fundantur. Amove lucem solis hujus, et da sæculo illi solem septies clariorem, imo ipsum Deum altissimum. Pone adstantes angelos C gloriæ, et omnes cœli virtutes. Considera quæ ibi festivitas, quæ gaudia, quanta lætitiæ magnitudo. Vere sicut nunc ex parte cognoscimus, atque ex parte prophetamus, ita ex parte agimus festa. Hæc Origenes.

Rom. III, 25.

Luc. XXI, 33.

Apoc. XXI, 1.

I *Cor.* XIII, 9.

ARTICULUS XLVII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI: NARRAVITQUE MOYSES FILIIS ISRAEL.

QUALITER filii Israel habere se debeant in præceptis, præhabitum est; D nunc edocetur, qualiter in his quæ sunt supererogationis, debeant se habere. *Narravitque Moyses filiis Israel omnia quæ ei Dominus imperarat* ut diceret ea ipsis: in quo patent fidelitas et obedientia Moysis; præsidentibus quoque datur exemplum, duplexque documentum, videlicet ut universa quæ tenentur subditis dicere instruendo, hortando, corripiendo, aut alio modo, dicant eisdem assidue, omni scilicet tempore opportuno; deinde, ut quam prompte volunt sibi a subditis obtemperari, tam prompte, imo multo promptius, ipsi obtemperent Deo. Hinc enim in Actis ait Apostolus: Non subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Et alibi: Prædica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa, in

Act. XX, 27.

II *Tim.* IV, 2.

Digitized by Google

omni patientia. *Et locutus est ad principes tribuum filiorum Israel,* quatenus ipsi denuntiarent ea ulterius subditis sibi: *Iste est sermo quem præcepit Dominus : Si quis virorum votum voverit Domino,* id est, promiserit Deo aliquid se facturum, aut non facturum, *aut se juramento constrinxerit ; non faciet irritum verbum suum, sed implebit quod promisit* sive juravit : et istud est intelligendum de viro libero, et qui est sui juris, ut infra magis patebit. Et quia in persolutione debiti carnis, contorales ad paria judicantur, non B potest maritus votum continentiæ adimplere sine uxoris consensu. Intelligendum est quoque de voto et juramento, prout sunt actus virtutis, et super debitam cadunt materiam, atque habuerint tres comites suos, qui sunt, veritas, judicium (id est discretio) et justitia : contra quæ tria si quid juretur aut voveatur, non est servandum ; imo non est veraciter juramentum aut votum, ut sunt actus virtutis quæ latria nuncupatur, per quam Deo cultum cærimoniamque impendimus : et qui taliter jurat aut vovet, peccat et transgressor C efficitur ; non quia non implet quod juravit aut vovit, sed quia illicite juravit aut vovit.

Mulier si quidpiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari, id est, nondum data est aut affidata marito, sed est adhuc juvenilis ætatis seu adolescentula ; *si cognoverit pater* ejus *votum quod pollicita est, et juramentum quo obligavit animam suam,* id est se ipsam, D sumendo partem pro toto, *et tacuerit,* id est, non contradixerit verbo aut signo evidenti, et multo plus, si verbo aut evidenti signo consenserit, *voti rea erit,* id est, obligata erit ad votum solvendum. *Quidquid pollicita est et juravit, opere complebit,* id est, implere tenebitur, sive obligaverit se solo voto, seu solo juramento, et maxime si simul utroque. Denique, quia vovere est actus virtutis, ad quem necessaria est discretio rationis, ideo de puellis adultæ ætatis, quæ discretionis attigerint annos, intelligenda sunt ista. Quocirca duæ occurrunt dubitationes : Prima, an simile sit judicium de pueris seu masculis nondum emancipatis : et videtur, quod imo, quum eadem esse ratio æstimetur, quia sub parentum cura sunt constituti. Secunda, an quod dictum est de patre, sit etiam intelligendum de matre, præsertim patre defuncto. Certum est equidem, quod pater sit principalis in regimine domus, curaque sobolis. Sed eo defuncto irrecuperabiliterve subtracto, manet proles sub cura et regimine matris. Sicque apparet, quod in ea exsistat auctoritas revocandi suæ sobolis juramentum et votum. Insuper intelligenda sunt ista de prole non emancipata, quantum ad ea in quibus subjecta est patri, et quantum ad res patris. In aliquibus vero est libera, præsertim quantum ad actus intellectivæ partis interioris, et quoad ea quæ directe concernunt totum atque perpetuum suæ personæ statum, ut sunt religionem intrare, contoralem accipere, castimoniam conservare, militiam profiteri : et in talibus non possunt ejus vota aut juramenta revocari a patre.

Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens, animam ejus obligaverit juramento : quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat. Istud dupliciter potest intelligi : Primo, de muliere quæ aliquid juravit aut vovit antequam nupsit aut fidem dedit marito, cui mulieri a patre suo concessum est implere quod vovit sive juravit, et tamen ante hujusmodi impletionem datur marito, qui quum cognoverit votum aut juramentum traditæ sibi uxoris, potest illud cassare : et si primo die quo cognoverit tale suæ conjugis votum aut juramentum, contradixerit, mulier non est voti juramentive rea ; alias obligatur implere. Sic exponit Augustinus et Glossa. Secundo exponitur de muliere affidata, nondum egressa de domo paterna, cujus votum potest cassari tam a patre, in quantum adhuc est

Digitized by Google

sub ejus cura, quam a marito modo prætacto. Sicque, ut fertur, exponunt Hebræi. Et hanc expositionem approbat Lyra, qui tamen in expositione casus præhabiti, qui est de puella non affidata nec maritata, affirmat quod casus ille non sit intelligendus de his quæ sunt maritatæ, licet adhuc maneant cum patre, quia sunt emancipatæ : per quod videtur innuere, quod non sint sub cura patris, ita quod earum votum aut juramentum queat cassare. Ideo, quod pater possit irritare votum aut juramentum filiæ affidatæ, quamvis adhuc secum manentis, non videtur aliquibus certum, si per verba de præsenti in potestatem mariti translata sit ; secus, si per verba de futuro data sit fides. *Vidua et repudiata, quidquid voverint* aut juraverint, *reddent,* secundum sensum prætactum de viris, videlicet si sint sui juris, et licenter fecerint votum aut juramentum.

Sequitur de uxore quæ est in domo mariti sui, seu ei jam tradita plene. *Uxor in domo viri, quum se voto constrinxerit,* etc., *reddet quodcumque promiserat.* Littera est plana, quoniam talis mulier non potest ita vovere aut jurare, quin vir valeat revocare, mox ut audierit sive perceperit. Si autem vir non contradixerit prima die, mulier est obnoxia, id est, obligata voto aut juramento implendo quantum in se est. Verumtamen si maritus prohibuerit ei postea votum implere aut juramentum, ipsa excusatur, et viro culpa imputatur. Ideo dicitur : *Si autem non contradixerit postquam rescivit,* id est, si maritus non revocaverit uxoris votum aut juramentum, statim quum illud primo agnovit, sed postea prohibuerit ea impleri, *portabit ipse iniquitatem ejus,* id est, culpabilis erit, pœnamque luet, quam mulier sustineret, si ex propria voluntate violaret votum aut juramentum. Istud tamen intelligendum censetur de his, in quibus uxor viro subjecta est, non de his, in quibus est libera : quia si vovet quis, quod implere non valet sine derogatione juris quod alter habet in eo, non potest illud implere sine consensu alterius. Verumtamen in votis potest dispensatio fieri, dum rationabilis causa occurrit, et commutari possunt in melius auctoritate superioris.

Insuper, secundum quod Thomas scribit in secunda secundæ, quæstione 88, Votum est conceptio boni propositi cum deliberatione firmata, qua quis ad faciendum vel non faciendum Deo se obligat. In qua definitione, facere, capitur multum extense, prout includit loqui, cogitare, affectare ac agere. Et quamvis homo non possit homini aliquid promittere, nisi per verba aut exteriora signa, Deo tamen potest promissio fieri per solam interiorem cogitationem et definitionem. Interdum tamen verba adduntur, propter sui ipsius excitationem aut aliorum contestationem. Quumque votum sit promissio Deo facta, cui nil placet nisi quod moraliter bonum est seu virtuosum, ideo mala seu indifferentia non cadunt proprie sub voto. Similiter nec impossibilia, nec ea quæ sunt necessaria absolute. Opera autem supererogationis propriissime cadunt sub voto. Ea quoque quæ sunt necessaria necessitate finis, videlicet impletio præceptorum, sub voto cadere queunt, in quantum libere observantur. Amplius, votum obligat magis quam juramentum : quia ad fidelitatem pertinet votum implere, et voti fractio infidelitatis est species ; ad juramenti autem impletionem tenemur ex debito reverentiæ, quam Deo exhibere tenemur, implendo quod per nomen ipsius firmavimus. Infidelitas autem est gravius malum quam irreverentia, et eam includit, et mali aliquid superaddit, non econverso. Ex præhabitis etiam constat, quod servus empticius sive vernaculus aut hereditarius, non potest vovere religionis ingressum, aut aliquid quod sine domini sui consensu implere non valet ; proles autem quæ ad pubertatis annos devenit, quum sit libera, quoad suam personam operationesque personales, potest invitis parentibus ingressum religionis promittere et implere. Porro religiosa persona

Digitized by Google

suo prælato aut prælatæ subjecta est, secundum tenorem suæ professionis : ideo quando non occupatur a suo superiori circa debita aliqua, potest facere alia. Sed quoniam nullum est tempus in quo a præsidente occupari non possit, ideo nullum votum religiosæ personæ vim habet, nisi de superioris sui consensu. Postremo, quum A votum sit actus latriæ, quæ est præclarissima virtus moralis, valde meritorium est vovere. Virtuosiusque consistit facere bonum ex voto, quam absque voto, præsertim quum vovens, votumque implens, offerat fructum cum arbore, et suam voluntatem Deo intentius uniat, et opus bonum liberaliori reddat affectu.

ARTICULUS XLVIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI PRIMI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

Num. XXV, 17. EXSECUTIO præcepti de Madianitarum interfectione in superioribus positi, modo describitur. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Ulciscere prius filios Israel de Madianitis,* id est, Madianitas fac occidi propter impietates eorum in filios Israel, quos deceperunt ; *et sic,* id est hoc facto, *colligeris ad populum tuum,* id est, per mortem corporalem descendes in limbum patrum, vel (ut Glossa exponit) colligeris ad sanctos supernæ civitatis cives. Non tamen factum est hoc ante Christi adventum, nisi quod Sancti illi in limbo C detenti, erant cives futuri in regno cœlorum, et prædestinati ad hoc. Nec est putandum, quod Moyses obiit immediate post Madianitarum interitum, sed cito post eum. Verum secundum Glossam et Origenem, ex verbis his sumitur argumentum contra eos qui negant animæ immortalitatem et resurrectionem futuram. Nemo enim apponitur ad eos qui non sunt. Constat igitur esse aliquem populum, cui Dominus dicit Moysen apponendum. *Statimque Moyses* ad populum : *Armate, inquit, ex vobis viros* D *ad pugnam.* Quamvis sanctus vir audivit a Domino se celeriter moriturum Madianitis occisis, non tamen ob hoc procrastinat divini exsecutionem præcepti, quasi desiderans diutius vivere in hoc mundo ; sed mox præcepit jussionem Dei exsecutioni B mandari. *Qui possint ultionem Domini de Madianitis expetere,* id est vindictam a Deo jussam, et quæ vindicabit injuriam Deo illatam, quia ex Madianitarum practicatione filii Israel in fornicationem et idolatriam, deinde in corporalem interitum sunt prolapsi. *Num.* XXV, 1-5, 9. *Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum,* videlicet viri aptiores ad prælium.

Quos Moyses misit cum Phinees, qui erat vir fervens, fortis et audax, quemadmodum antea miserat ipsum Josue et quosdam ex populo contra Amalec, ut in Exodo scriptum est. *Exod.* XVII, 9. Josephus dicit, de qualibet tribu sumpta fuisse duodecim millia : et sicut Josue elegit illos, sic Phinees istos, adjuvantibus eum in eligendo principibus. Quare autem Moyses non misit millia ista cum Josue ? Forsan quia jam substituerat sibi ipsum Josue in totius populi principem. *Vasa quoque sancta et tubas ad clangendum tradidit ei,* id est ipsi Phinees, id est, ejus custodiæ ea commisit. Porro, per vasa sancta quidam intelligunt arcam Dei et auream laminam, quæ pendebat ad frontem pontificis, habens sibi inscriptum nomen Domini tetragrammaton, ut in Exodo est dictum. *Exod.* XXVIII, 36-38. Unde et primo libro Regum leguntur filii Israel misisse pro arca, quando semel cæsi fuerunt a Philistæis. *I Reg.* IV, 4. Per tubas vero intelliguntur tubæ, quibus utebantur *Num.* X, 9.

Digitized by Google

in bellis, ut dictum est supra. Unde et in A
Josue VI, 4. libro Josue leguntur septem sacerdotes, septem buccinis clanxisse. Vel vasa sancta erant quæcumque instrumenta deputata ad Dei cultum, quorum usus poterat esse in præliis. Sacerdotes quippe habuerunt buccinas duplices, scilicet corneas, quibus utebantur in jubilæo et festis quibusdam, quibus et in subversione Jericho usi sunt; et item productiles bellicas : et cur illis ute-
Num. X, 9. bantur in præliis, dictum est supra. Sicque per vasa sancta intelligi possent buccinæ, quibus in solennitatibus utebantur.

Quumque pugnassent filii Israel *contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt*. Omnipotens enim perterruit et dejecit impios illos, et confortavit suos cultores. Dicunt autem Judæi, quod aurea lamina elevabatur in altum : qua visa adversarii excæcati, corruerunt in terram. *Et reges eorum Evi et Sur et Recem et*
Ibid. XXII, 10. *Hur et Rebe*. Præhabitum est, quod Balac fuit rex Madianitarum. Ideo isti non fuerunt plenarie reges, sed reguli et principales
Judic. III, 3. *I Reg.* VI, 16. post regem totius regni, quemadmodum et C Philistæi leguntur habuisse satrapas quinque et regem. Hinc de his Madian regibus subditur : *quinque principes gentis eorum*, ita quod unusquisque eorum sub rege, præfuit alicui parti populi sibi assignatæ. *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio :* sicque obiit morte justorum, id est illata sibi a justis; sed absolute loquendo, obiit morte injustorum, de
Ps. XXXIII, 22. qua in Psalmo : Mors peccatorum pessima. Hinc elicitur, quod Balaam post recessum suum a Balac, ad Madianitas reversus sit. D Forsitan enim, audita transgressione et interfectione filiorum Israel, quas inciderunt ex sua suggestione, putavit eos adhuc vincendos in bello, ideo sumpsit redeundi audaciam. Verumtamen Origenes circa hæc scribit : Dictum est quod Balaam rediit in locum suum; sed forte reversus est, quamvis Scriptura non dixerit, vel forsan a loco sacrificii rediit in locum sui hospitii. Attamen potius reor, quod cœpit reverti in terram suam. Nam inter cetera dixit ad

Balac : Verumtamen pergens ad populum meum, dabo tibi consilium, etc., ut scriptum est supra. *Num.* XXIV, 14.

Egressi sunt autem Moyses et Eleazar sacerdos, et omnes principes synagogæ, id est duces tribuum et judices qui præfuerunt sub Moyse, *in occursum eorum*, quia victoriose egerunt, *extra castra*. Unde et militibus strenuis cum triumpho redeuntibus rex solet occurrere. *Iratusque Moyses* ira per zelum, *principibus exercitus* duodecim millium, utpote *tribunis et centu-*
B *rionibus qui venerant de bello*. Principes autem illi præfuerunt exercitui, id est aliquibus partibus ejus, et erant sub Phinees, qui erat princeps communis totius illius exercitus. Sed quare Moyses non fuit iratus ipsi Phinees, quum ei sequens culpa tanquam superiori videretur magis imputanda, quam aliis? Dici potest, quod et Phinees includitur sub nomine principum, vel in facto illo non habuit culpam, quia fortassis cessit principum importunitati. *Ait: Cur feminas reservastis?* id est, vivere permisistis, quum meruerint mortem, alliciendo filios Israel ad fornicandum et idololatrandum. Ideo sequitur : *Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam*, ut patuit capitulo vi- *Ibid.* XXV, 1-3.
cesimo quinto, *et prævaricari fecerunt vos in Domino super peccato Phogor*, id est per idololatriam Beelphegor? Est autem consuetudo Scripturæ, ut adscribat communitati aut societati, quod factum est aut contigit quibusdam ex eis. Sic et isti dicuntur taliter prævaricati, quoniam eorum consocii idololatraverunt in Phogor : qui enim illa crimina commiserunt, fuerunt occisi. Vel si adhuc quidam illorum *Ibid.* 9.
erant superstites, per pœnitentiam et per zelum operationemque Phinees, manum Domini evaserunt juxta præinducta.

Ergo cunctos interficite quidquid generis est masculini, etiam in parvulis. Istud fortasse durum et crudele videtur fuisse, et tamen juste ac rationabiliter gestum est, videlicet in tantorum detestationem facinorum commissorum a patribus parvulorum

Digitized by Google

istorum, qui patres filias suas prostituerunt, et ut patres in suis parvulis punirentur, et quoniam expediebat parvulis illis sic mori, ne in adultam pervenientes ætatem, graviter peccando, æternam acquirerent damnationem, et quia Deus volebat hoc modo rigorem suæ manifestare justitiæ ad aliorum terrorem. *Et mulieres quæ noverunt viros in coitu, jugulate :* quoniam
Num. xxv, 18. provocando filios Israel ad peccandum, vel filias suas mittendo ad ipsos, meruerunt occidi, imo et aliis modis, quoniam erant vitiosæ idololatræ. *Puellas autem,* etiam
* feminas parvulas, *et omnes mulieres* virgines reservate vobis,* non ad luxuriandum, sed ad commendationem virgineæ castitatis, et ut suo tempore ducatis eas uxores, convertatisque eas ad Dei cultum ; et quia puellæ non potuerunt postea ita nocere filiis Israel, sicut parvuli mares. *Et manete extra castra* Dei *septem diebus,* id est, non præsumatis ingredi sacra loca seu atrium tabernaculi infra septem dies, quousque sitis purgati juxta legis præceptum per adspersionem aquæ lustrationis tertio die ac septimo : non quod peccaverunt interficiendo Madianitas ex Dei præcepto, imo in hoc
Ibid. v, 2. meruerunt ; sed quoniam ex contactu mortuorum et rerum mortuis adjunctarum contrahebatur immunditia quædam legalis, impediens ab ingressu sancti loci et esu sacrificiorum, per modum frequenter expressum. Hinc subditur : *Qui occiderit hominem,* quamvis juste, *vel occisum tetigerit, lustrabitur,* id est, aqua adspersionis purgabitur, *die tertio et septimo. Et de omni præda,* id est, quidquid inter spolia continetur, *sive vestimentum fuerit, sive vas,* etc., *expiabitur,* id est, purgabitur juxta ritum legis, quia immundum est eo modo, quo immunda fiebant quæ in domibus morientium erant, dum moriebantur.

Hinc subjungitur : *Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnaverant, sic locutus est : Aurum et argentum, et æs, et ferrum, et plumbum, et stannum, et omne quod potest transire per flammas,* absque sua corruptione et notabili læsione, *igne purgabitur. Quidquid autem ignem non potest sustinere,* saltem ad modicum tempus, quemadmodum aurum et argentum, quæ tamen resolvi possunt si diu in igne remaneant, *aqua expiationis sanctificabitur,* id est, per adspersionem aquæ lustrationis purgabitur ; *et lavabitis vestimenta vestra die septimo :* unde supra scriptum est, Expiatus die septimo lavabit se Num. xix, 19.
et vestimenta sua ; *et purificati postea castra intrabitis,* id est atrium tabernaculi, ut Dominum exoretis, et ei hostias offeratis.

Sequitur de spoliorum divisione : *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Tollite summam eorum quæ capta sunt* in terra, *ab homine usque ad pecus* inclusive, numerando tam homines quam pecora illa : et intelligitur de adhuc viventibus ; de hominibus autem Madianitis captis, non erant superstites nisi virgines, quas filii Israel discreverunt ab aliis per aliquod signum datum a Deo per Moysis informationem ; *tu et Eleazar sacerdos et omnes principes vulgi ; dividesque ex æquo prædam inter eos qui pugnaverunt, et inter omnem reliquam multitudinem,* id est, totam harum rerum viventium, scilicet virginum et pecorum, prædam seu multitudinem, sive supposita, divides in duas partes æquales, quarum unam dabis eis qui pugnaverunt, aliam reliquæ multitudini Israel. Sic quidam exponunt. Tamen, ut verba sonant, videtur sic accipi posse, quod æque multum dabatur his qui pugnaverunt, et eis qui manserunt in castris, ita quod singulis æqua pars donabatur, secundum quod primo Regum libro ait David : Æqua pars I Reg. xxx, 24.
erit descendentis in prælium, et remanentis ad sarcinas. Quod si dicatur, obviare videtur quod prætacto Regum capitulo legitur : Factum est hoc deinceps quasi con- Ibid. 25.
stitutum et lex in Israel. Ex quo apparet, quod antea non fiebat sic.

Denique in textu subjungitur : *Et separabis partem Domino,* id est ad usum ministrorum ejus, scilicet sacerdotum ac Levitarum, *ab his qui pugnaverunt, unam*

Digitized by Google

animam, id est unam personam, quantum (A) ad virgines, et unum individuum, quantum ad pecora, *de quingentis* animabus, *tam ex hominibus,* id est virginibus captis, *quam ex bobus et asinis et ovibus,* id est quibusvis jumentis ; *et dabis eam Eleazaro sacerdoti,* id est pontifici pro ipso et sacerdotibus aliis, *quia primitiæ Domini sunt,* id est, de rebus jure prælii adeptis offerendæ sunt Domino pro primitiis, sicut de animalibus et terræ nascentibus offerebantur primitiæ Domino. *Ex media quoque parte filiorum Israel,* id est ex alia (B) medietate prædæ assignata et data his qui in bello non erant, *accipies quinquagesimum caput,* id est individuum, *hominum et boum,* id est virginum et pecorum, *et dabis ea,* id est individua illa, *Levitis,* per divisionem justam et congruentem. Sicque a pugnatoribus plus de præda habentibus, minus acceptum est, et plus ab aliis : forsan quoniam pugnatores eundo, pugnando et redeundo plus laboraverunt. Porro, quod media pars totius prædæ data sit eis, apertissime patet ex sequentibus verbis textus, (C) in quo divisio illa taxatur, et planus est textus. Virginibus autem Madianitis sacerdotes et Levitæ non ad libidinem sunt abusi, sed potius converterunt eas, et connubio sociaverunt, aut aliter pie tractaverunt.

Quumque accessissent principes exercitus qui pugnavit, *ad Moysen, dixerunt : Recensuimus,* id est, numeravimus et intuiti sumus, *numerum pugnatorum,* veluti post pugnam fieri moris est ; *et ne unus quidem defuit,* id est, nullus eorum in bello (D) succubuit, quum tamen adversarii fuerint multo plures quam ipsi : quo clarissime patuit, victoriam eis desuper datam. *Ob quam causam offerimus* sponte pro gratiarum actione *in donariis Domini,* id est inter ea quæ Domino consecrantur ut munera, *singuli quod in præda auri potuimus invenire,* id est aurea ornamenta quæ inter spolia reperimus. Fuit autem oblatio ista de rebus inanimatis. *Periscelides,* quæ sunt ornamenta feminarum in earum vestitu circa renes, ad componendum earum gressum, *et armillas,* quæ sunt ornamenta circa armos seu humeros, *annulos,* qui digitis imponuntur, *et dextralia,* id est ornamenta brachiorum seu dexteræ, *ac murænulas,* quæ sunt ornamenta colli, seu catenulæ ibi circumpositæ pro ornatu ; *ut depreceris pro nobis Dominum :* non quod corporalia illa dabantur ut pretium orationis, quæ est bonum spirituale, sed tanquam signa internæ devotionis ad provocandum et inclinandum cor Moysis ut oraret pro ipsis. *Susceperuntque Moyses et Eleazar* illa donaria. *Unusquisque enim quod in præda,* id est in deprædatione Madianitarum, *rapuerat, suum erat* jure belli justi, et ex concessione Dei, cujus sunt omnia, et qui dat ea cui voluerit. *Et susceptum intulerunt in tabernaculum,* id est, omnia illa a bellatoribus devote oblata, Moyses et Eleazar posuerunt in tabernaculo, *in monumentum,* id est memoriale, *filiorum Israel coram Domino :* ut scilicet Deus illa in suo sanctuario videns sic posita, pie recordaretur et misereretur eorum qui ea obtulerunt, totiusque populi.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIX

DE SPIRITUALI SENTENTIA HUJUS CAPITULI TRICESIMI PRIMI.

PER Moysen non solum Christus, sed et quilibet prælatus seu princeps vere christifidelis, figuraliter designatur. Quemadmodum ergo Moysi desuper jussum est, ut populum sibi commissum vindicaret de adversariis suis ante obitum suum, sicque colligeretur ad Sanctos in limbo ; ita christianis jubetur principibus, ut plebem Christi a perfidis ac tyrannis, impiisque tueantur hominibus, et pro christianæ religionis defensione viriliter prælientur, ac devastationem Ecclesiæ ulciscantur in hostes ipsius. Porro prælatis præcipitur, ut contra invisibiles hostes, a quibus plebs Christi assidue fallitur, spiritualiterque mactatur, accingantur ad pugnam, et subditos suos arment virtutibus, ac fervide exhortentur, quatenus cum omni humilitate et spe divini auxilii atque fervore Spiritus Sancti, resistant pessimis humanæ beatitudinis inimicis, eosque sub suis pedibus conterere enitantur, vitia superando, ac Deo in omnibus obediendo. Nempe quoties tentationibus prævalent et vitia superant, toties invisibiles illos hostes conculcant.

Quod si prælatus viderit omnes sibi commissos non esse ad talia bella idoneos, eligat fortiores, id est, virtuosiores quosque admoneat ad pugnandum pro se ipsis ac aliis, indesinenter orando, gemendo, et cetera virtutum exercitia alacriter prosequendo. Talibus Christi militibus præficiendus est Phinees, id est vir exercitatus in omni virtute, imperterritus corde, zelator Dei, amator fratrum. Et danda sunt eis vasa sancta, quia ecclesiasticis sacramentis sunt muniendi ; et sancti patres, qui erant vasa electionis divinæ et gratiæ ac virtutum, proponendi sunt eis in exemplum ad imitandum. Dandæ quoque sunt eis tubæ ad

A clangendum, id est orationes et psalmi, cantica spiritualia, et divinarum eloquia Scripturarum, juxta quæ regant se, et dæmones clangore orationum ac laudum expellant : sicque vincant non solum Madianitas, id est visibiles seu invisibiles æmulos Christianismi, sed et quinque reges eorum, id est principes tenebrarum, qui per exteriorum quinque sensuum objecta et delectamenta vincunt innumerabiles, et jugiter contradicunt veritatibus evangelicæ legis. Insuper interficiendus est Balaam gladio :
B id est, seductores pestiferi et consultores fallaces, verbo Dei sunt convincendi ac reprobandi.

Per hoc quoque quod Moyses iratus fuit principibus, eo quod feminas corruptas reservaverunt, datur intelligi, quod virtuosus prælatus gregi sibi credito debeat juste irasci, si vitiorum occasiones ac scandala adduxerint secum, nec scandalizantia absciderint membra. Ideo occidendæ sunt feminæ tales, id est, concupiscentiæ venereæ prorsus sunt suffocandæ, imo et par-
C vuli sexus masculini, id est primi motus carnalitatis. Virgines vero, id est castæ affectiones, sunt conservandæ. Similiter pecora : quoniam corpora non sunt penitus conterenda, sed moderate frenanda ac castiganda. Verumtamen pugnatores isti quantumlibet fortes, maculas aliquas contrahunt in pugnando, vel non tam cito ac fortiter resistendo, aut aliquid suis viribus attribuendo, aut superflue repausando : ideo indigent aqua adspersionis, id est lacrimis compunctionis, et rore gratiæ am-
D plioris, undaque sapientiæ salutaris perfundi ac emundari ; et quidquid prædando obtinuerunt ab adversariis suis, ut aurum sapientiæ naturalis, argentum eloquentiæ

Digitized by Google

rhetoricalis, æs constantiæ, ferrum roboris, A plumbum gravitatis, stannum nitoris, oportet igne caritatis purgari a culpis eis admixtis ; sed vestimenta, id est virtutes, (*Is.* xliv, 6.) earumque actus, qui panno menstruatæ assimilantur, necesse est emundari a quotidianis peccatis quæ permiscentur.

Præterea tollenda est summa eorum, quæ capiuntur in bello, quoniam omnis spiritualis profectus est computandus, et quidquid in tali triumpho est præcipuum, Deo in primis loco primitiarum est offerendum. Sed et principes christiani, qui in B exterioribus bellis sortiuntur victorias, debent ecclesiis Dei largas conferre oblationes. Et immolandæ sunt Deo periscelides, id est castimoniæ decoramenta, et armillæ, id est piæ sufferentiæ defectuositatum alienarum, dextralia quoque, id est fortitudines operum, annuli fidei, murænulæ quoque, id est connexiones et contemperationes actionum virtuosarum, ac ordinationes sermonum utilium : quibus omnibus perornandæ sunt animæ, et de eisdem glorificandus est Deus universorum fons bonorum, adjutor et conservator suorum.

ARTICULUS L

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI SECUNDI : FILII AUTEM RUBEN ET GAD HABEBANT PECORA MULTA.

SCRIPTURA nunc docet, qualiter duæ tribus et dimidia sortitæ sunt terram habitationis suæ ultra Jordanem. Facilia autem sunt transcurrenda, ut difficilioribus immoretur. Porro nulla in isto est difficultas capitulo. *Filii autem Ruben et Gad,* quibus infra annumeratur media tribus Manasse, *habebant pecora multa.* Jam enim tria regna vastata et deprædata erant a (*Num.* xxi, 24, 35. *Ibid.* xxxi, 7.) filiis Israel, scilicet regnum Sehon, regnum Og, regnumque Madian. Ex Ægypto quoque deduxerunt pecora sua, quæ in deserto C prolificaverunt. *Et erat illis in jumentis infinita,* id est magna valde et ultra solitum, *substantia. Quumque vidissent Jazer et Galaad aptas alendis animalibus terras,* quia pascuæ abundabant rivis, campi graminibus, *venerunt ad Moysen et Eleazarum sacerdotem et principes multitudinis, atque dixerunt : Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel,* cujus habitatores percusserunt filii Israel adjutorio Dei, *regionis uberrimæ est,* id est territorium fertilissimum ; *precamurque ut des eam nobis in possessionem,* D *nec facias nos transire Jordanem.* Si hoc intellexerunt, quod non voluerunt transire Jordanem ad habitandum ibidem, et tamen parati erant transire ad adjuvandum ceteras Israel tribus, recta fuit eorum intentio. Si autem sic, quod nec ad adjuvandum alios, perversa fuit intentio eorumdem : sicque Moyses verba eorum accepit. Quamvis enim verba dubie prolata, quæ multipliciter possunt intelligi, sint in partem meliorem interpretanda, quantum ad internum judicium, ad vitandum judicia temeraria ; prælatus tamen verba et facta subditorum suorum, quæ et bene et male accipi possunt, accipere debet quasi in partem deteriorem in exteriori judicio tempore castigationis, quia hoc tutius est, propter bonum correctionis, ad vitandum periculum incorrectionis, nisi ipse prælatus de opposito rationabiliter informetur.

Quibus respondit Moyses : Numquid fratres vestri, id est ceteræ tribus quæ ex semine Patriarcharum, sicut et vos, natæ sunt, et fratres vestri sunt fide ac religione, *ibunt ad pugnam,* in qua solent oc-

Digitized by Google

currere labor, dolor, timor, et diversa pericula, *et vos hic sedebitis,* id est secure quiescetis? *Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne audeant transire in locum, quem eis daturus est Dominus?* Nam præfata petitio tribuum Ruben et Gad, videbatur prima facie ex timore vel ignavia processisse, vel ex cupiditate immoderata, ita quod horruerunt imminentia prælia aut labores, vel nimis avide cupiebant terras et opes communi omnium acquisitas certamine. Sicque petitio illarum nondum bene exposita, fuit aliorum scandalizativa. *Nonne ita egerunt patres vestri,* etc.? *Qui ascenderunt ex Ægypto a viginti annis et supra,* id est, quando erant ad minus viginti annorum vel circiter, ita quod in prima numeratione numerati fuerunt. (*Num.* I, 3.) *Et vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa et alumni hominum peccatorum,* id est, nutritores facti estis vitiorum in aliis, quos verbis et exemplo vestræ perversitatis provocatis ad scelera, graviusque peccatis quam patres vestri. Ista Moyses non dixit simpliciter asserendo, sed valde suspicando et metuendo de pejori. *Ut augeretis furorem Domini contra Israel,* id est rigorosam punitionem filiis Israel infligendam. *Quod si nolueritis sequi eum,* id est Deo obedire intrando terram promissionis, *in solitudine populum derelinquet,* præsertim eos qui vestro exemplo subversi exstiterint, vel etiam alios: quia interdum unus propter peccata alterius in corporalibus punitur, in quantum sunt quodammodo unum origine, societate, aut simili communione aut connexione: quod tamen omnipotens atque justissimus Deus convertit et ordinat in melius his, qui talem pœnam corporalem non meruerunt, quemadmodum alibi frequenter declaratum est plenius. *Et vos causa eritis necis omnium* filiorum Israel, qui vobis consenserint, aut propter vos incurrerint plagam: et hoc secundum ordinem inferiorum causarum, quia æterna præordinatio Dei cassari nequivit.

At illi propius accedentes ex confidentia bonæ conscientiæ: sicut et Judas propius accessit ad Joseph, excusaturus se et fratres suos de furto, a quo erant immunes; (*Gen.* XLIV, 18.) *dixerunt: Non revertemur, usque dum possideant filii Israel hereditatem suam,* id est eis promissam trans Jordanem. *Quibus Moyses ait: Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam.* Ista enim assertio fuit promissio. *Præcepit ergo Moyses Eleazaro et Josue,* super quos habuit jurisdictionem, quam Josue nondum accepit quamvis fuerat institutus in principem quantum ad potestatem, ut clarius dictum est ante. (*Num.* XXVII, 18-23.) *Si transierint filii Ruben et Gad vobiscum, date eis terram Galaad:* non tamen illam dumtaxat, ut infra exprimitur. *Si autem noluerint transire Jordanem* ad pugnandum pro aliis, *inter vos habitandi accipiant loca,* id est, ibi morentur vobiscum si voluerint, nec habeant terram istam. Tribus istæ in sua acerrima increpatione patientes fuerunt, et sua molli responsione fregerunt Moysis iram. (*Prov.* XV, 1.) Nam subditur: *Responderunt filii Gad et Ruben: Sicut locutus est dominus noster,* scilicet Moyses, *servis suis, ita faciemus; ipsi armati pergemus, et possessionem jam nos suscepisse confitemur* in spe, et sub præfata conditione.

Tunc igitur Moyses, videns firmum eorum propositum, dedit eis per se ipsum absolute territoria illa optata, quorum urbes quas paulo ante destruxerant, reparaverunt, *imponentes vocabula urbibus, quas exstruxerant:* quibus imposuerunt nomina nova pro memoriali victoriarum suarum et sui ipsorum vel patrum suorum, quemadmodum in libro Judicum leguntur filii Dan urbem, quæ ante vocabatur Lais, appellasse nomine patris sui, quæ tamen in Josue Lesem Dan, secundum expositores, vocatur. (*Judic.* XVIII, 29; *Josue* XIX, 47.) Hinc subditur: *Jair filius Manassæ occupavit vicos ejus,* videlicet terræ Galaad, *quos appellavit Havoth Jair, id est villas Jair. Nobe quoque,* id est vir sic nominatus de tribu Manasse. Quandoque autem Nobe est nomen urbis, ut in Isaia: Adhuc dies est ut in Nobe stetur. (*Is.* X, 32.) Itaque Nobe

perrexit cum domo et familia sua, *et apprehendit Canath,* id est urbem sic dictam trans Jordanem. Fuit autem et alia urbs ejusdem nominis in terra promissionis. *Vocavitque eam ex nomine suo Nobe.*

Sed quæri potest, qualiter verum sit quod in isto capitulo legitur, Dedit Moyses terram Galaad Machir filio Manassæ, et quod nunc expositum est, Jair autem filius Manassæ occupavit vicos ejus. Filii namque Manassæ non videntur usque hanc distributionem vixisse, præsertim quum
Gen. L, 22. scriptum sit in Genesi, Filii Machir filii B Manassæ, nati sunt in genibus Joseph, quo constat, quod Machir multis annis vixit cum Joseph in regno Ægypti; et dato quod de Ægypto exisset cum Moyse, numeratus fuisset in prima populi numeratione, idcirco mortuus jam fuisset. Idem de Jair argui potest. Ideo respondendum, quod per nomina ista propria designantur familiæ natæ ex viris illis, vel aliqui in familiis illis præcipui sic vocati. Iterum quæritur, quomodo terra Galaad dicatur istis donata, quum in hoc ipso capitulo C scriptum sit : Si transierint filii Ruben et filii Gad vobiscum, date eis terram Galaad. Et respondendum, quod filii Ruben et Gad sumuntur ibi cum inclusione filiorum Manassæ. Similiter terra Galaad capitur ibi cum annotatione terrarum Sehon et Og, quemadmodum etiam per regna Sehon et Og, datur intelligi et terra Galaad, quum dicitur in capitulo isto : Dedit Moyses filiis Ruben et Gad et dimidiæ tribui Manasse regnum Sehon regis Amorrhæorum, et regnum Og regis Basan. Hoc quoque D sciendum, quod Galaad interdum est proprium nomen viri : unde supra scriptum
Num. XXVI, 29. est, quod Galaad fuit filius Machir; aliquando vero est nomen urbis, sed nunc pro regione accipitur.

Sensus spiritualis. Spiritualiter per filios Ruben et Gad atque Manassæ, habentes in pecoribus substantiam infinitam, intelliguntur divites et avari. Specialiter vero per filios Ruben
Gen. XXIX, 32. primogeniti Jacob, designantur eminentiores prælati, qui a sanctæ dilectionis fervo- A re alieni, terrenorum amore et immundarum voluptatum replentur affectu. Per Gad qui interpretatur accinctus, accipi possunt principes sæculares, corporalibus armis muniti, sed a spirituali armatura immunes. De quibus dicit Baruch : Ubi sunt principes qui argentum thesaurizant et aurum, Baruch III, 16, 18. in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? At vero Manasses interpretatur oblivio, per cujus filios intelliguntur sacerdotes et clerici, potissime religiosi, quorum est omnium temporalium oblivisci, et mente transformari in Deum, solis intendendo cœlestibus, spiritualibus ac divinis. Sed heu! isti pro maxima parte abierunt retrorsum, abjicientes a se jugum Christi, regularia instituta, canones et decreta Patrum sanctorum, professionem monasticam, ita quod ubi abundabant omnis devotio, spiritualitas maxima, exemplarissima vita, econtrario nunc abundent omnis aversio, carnalitas fœda, scandalosaque vita. Unde præsentibus delectati, et pascuis Amorrhæorum attracti, non curant terram promissionis supernam, regionem lucis altissimam ingredi : qui si propter hoc increpentur, æquanimiter ferre videntur servili forsan timore, et ne præsenti principatu priventur. Nam et alios suo modo præcedunt, suorum officiorum quædam opera exercendo.

Præterea ex increpatione Moysis edocemur, quam damnabile sit otio et torpori vacare, negligentiæ et carnalitati locum præstare, aliorum subvertere corda per verba prava aut opera vetita, præsertim in tempore peregrinationis præsentis et exsilii hujus, in quo est pœnitentiæ hora et locus gemituum : in quo tempore fratres nostri vere christiani, vere religiosi et clerici, virtuosis exercentur laboribus, pœnitentes, gementes, et flentes in lacrimarum hac valle, et contra suæ salutis hostes indesinenter pugnantes. Erubescat ergo piger Christianus, negligens religiosus, carnalis clericus aut sacerdos, qui scientes quam virtuose et fervide patres eorum olim vixerunt, imo de gratia Dei adhuc aliqui

Digitized by Google

conversentur, non confunduntur coram oculis majestatis divinæ, angelorum sanctorum et omnium Beatorum, tam viliter se habere.

Verumtamen filii Ruben et Gad ac Manassæ, accipi possunt in bono, quia bona intentione videntur petisse territoria illa, quamvis verba sua non satis circumspecte protulerint. Efficaciter quoque impleverunt, quod Moysi promiserunt. Sicque per eos optimi prælati ac principes designantur, qui viliori temporalium parte contentantur, dummodo subditos verbo et exemplo, oratione et omni modo sibi possibili, ad terram cœlestis paradisi queant inducere. Sicque laudabile valde fuit in istis, quod sine suo demerito tam acriter a Moyse increpati, patienter omnino tulerunt. In hoc itaque eos imitari curemus, in tantum, ut si etiam sine nostris demeritis fuerimus acriter reprehensi, cum omni sustineamus tranquillitate, et cum ingenti respondeamus humilitate : imo exemplo istorum propius accedamus ad Moysen, utpote ad prælatum vel alium correptorem, non indignantes aut ab illo nos avertentes, sed ferventius quam ante, ipsum pro tanto beneficio diligentes. O sapientem, qui hoc implet !

ARTICULUS LI

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI TERTII : HÆ SUNT MANSIONES FILIORUM ISRAEL.

NUMERUS mansionum filiorum Israel, in quibus quieverunt ab Ægypto usque Jordanem, hic recitatur : et sunt in toto mansiones quadraginta duæ, videlicet quatuor antequam transierunt mare Rubrum ; deinde octo a mari Rubro usque Sinai montem ; et a Sinai usque Cadesbarne, viginti una ; atque a Cades usque Jordanem, novem : inter quas omnes fuerunt tres principales, a quibus tanquam a terminis præcipuis se moverunt, puta Ramesses, Sinai et Cades. Nec est putandum, quod omnia loca, in quibus ad tempus quieverunt, mansiones vocentur, quia tunc multo plures consisterent mansiones ; sed ea loca, in quibus novum quid et notabile aliquid contigit eis, aut ubi manserunt diutius. *Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas :* non quod omnes illi fuerunt in omnibus mansionibus istis, imo multi eorum qui exierunt Ægyptum, hinc inde in diversis eremi locis fuerunt prostrati, et multi in solitudine nati fuerunt, et pene omnes qui primo fuerant numerati, obierunt antequam ad ultimas mansiones perventum est. Egressi sunt autem Ægyptum *in manu,* id est cum ducatu et ministerio, *Moysis et Aaron, quas* mansiones *descripsit Moyses juxta castrorum loca,* id est secundum loca tentoriorum, seu filiorum Israel habitantium in eis, notabiliora : quia juxta numerum talium locorum, fuit et numerus mansionum istarum ; *quæ* loca *Domini jussione mutabant :* quoniam processerunt de loco ad locum ad motum nubis eis viam monstrantis, quam angelus sanctus movit juxta imperium Dei. *Exod.* XII, 41, 51.

Profecti igitur de Ramesse, id est de loco et oppido quodam Ægypti sic nominato : quod secundum Isidorum fuit in extremis Ægypti partibus, ubi populus convenit ad exeundum, et videtur fuisse in terra Gessen, in qua habitaverunt filii Israel, quæ fuit pars quædam terræ Ægypti ; *mense primo,* scilicet in Aprili secundum quosdam, vel in Martio secundum alios, ut dictum est sæpe, et utrumque aliquo modo verum est juxta præhabita : qui mensis est primus juxta Hebræorum computationem ;

Digitized by Google

quintadecima die mensis primi : nam A Exod. xii, 18. quartadecima die ad vesperam comederunt agnum paschalem, et nocte illa percussa fuerunt primogenita Ægyptiorum : Ibid. 31, 33. propter quod territi Ægyptii, compulerunt filios Israel altera die valde mane exire, ut in Exodo legitur ; *altera die* post *Phase.* Aliqui textus habent, Altera die fecerunt Phase. Circa quod dicit Lyra, quod in Hebræo et libris correctis non habetur, Fecerunt : ut sit sensus, quod exierunt quintadecima die, quæ dies fuit altera dies Phase, id est dies proxime sequens diem, in B quo ad vesperam oblatus atque comestus fuit agnus paschalis. Glossa tamen exponit hunc passum cum inclusione hujus verbi, Fecerunt : dicendo, quod quartadecima die ad vesperam inceperunt Pascha ; et quia die sequenti non potuerunt continuare festivitatem inceptam, prosecuti sunt eam Ibid. 37. in Socoth. Egressi sunt ergo Ægyptum *in manu excelsa,* id est sublimi adjutorio Dei per præclara prodigia, *videntibus cunctis Ægyptiis,* id est quibusdam de omni genere Ægyptiorum. Non enim tota Ægyptus C confluxit ad videndum egredientes. *Nam et in diis eorum exercuerat ultionem,* idola dejiciendo et comminuendo, falsorumque deorum impotentiam demonstrando, ut Josephus refert, et super Exodum tactum est. *Castrametati sunt in Socoth,* id est in loco sic dicto, et sito inter Ramessen et solitudinem, fuitque alter a loco quem Jacob de Mesopotamia rediens, vo- Gen. xxxiii, 17. cavit Socoth, sicut in Genesi scriptum est. Fuit quoque civitas in terra filiorum Israel Judic. viii, 16. nomine Socoth, quam Gedeon devastavit, D sicut in libro Judicum habetur, et dicitur quod sit idem locus cum illo, quem Jacob sic nuncupavit. Denique aliqui dicunt, quod Socoth fuit prima filiorum Israel mansio ; alii, quod Ramesses. Verumque est, quod Socoth fuit prima post exitum de Ægypto.

De Socoth venerunt in Etham, id est partem extremam eremi, versus Ægyptum. Ideo subditur : *quæ est in extremis finibus solitudinis,* id est totalis et magni deserti, quod est inter Ægyptum et Chanaan. Istud Exod. xiii, 20. in Exodo scriptum est. *Inde egressi, venerunt contra Phihahiroth,* id est ex opposito loci sic dicti et circa eumdem. Ista secundum Hieronymum, fuit mansio quarta : quod verum est, includendo et computando Ramessen pro prima mansione. Hinc in Exodo scriptum est : Castrameten- Ibid. xiv, 2. tur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum et mare. *Et castrametati sunt,* id est tentoria sua fixerunt, *ante Magdalum,* quod fuit civitas in Ægypti confinio, ad quam primo confugerunt Judæi tempore Jeremiæ Godolia occiso, ut in Scholastica habetur historia. *Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare,* id est per fundum maris Rubri miraculose siccatum, et aqua maris divisa ac instar muro- Ibid. 22. rum stante ex utroque transeuntium latere, *in solitudinem,* quia transito mari illo, introierunt desertum. *Et ambulantes tribus diebus per desertum Etham :* idem enim totale desertum diversa sortitur nomina atque agnomina in diversis partibus suis, sicque desertum Etham fuit pars totalis deserti, in quo fuit locus Etham præfatus ; *castrametati sunt in Mara,* id est in loco ubi aquam inventam ob ejus amaritudinem potare nequibant : propter quod locum illum vocabant *Mara,* id est amaritudinem, Ibid. xv, 23. ut in Exodo scribitur. *Profectique de Mara, venerunt in Elim,* id est in locum solitudinis sic vocatum, *ubi erant duodecim* Ibid. 27. *fontes aquarum :* in quibus tamen secundum Josephum, modicum fuit de aqua ; *et septuaginta palmæ :* quod et in præallegato Exodi habetur libro.

Inde egressi, fixerunt tentoria super mare Rubrum, non tamen in ea parte, ubi ingressi sunt illud, sed longe inde et alio latere. Nam et idem mare in diversos sinus declinat, super quos hinc inde a viantibus devenitur. *Profectique de mari Rubro,* id est de præfata parte et sinu ipsius, *castrametati sunt in deserto Sin.* Secundum Hieronymum, tota eremus usque Sinai, Sin vocatur, et a tota provincia locus mansionis illius nomen accepit, quemadmodum

Digitized by Google

Moab tam urbis quam provinciæ nomen A est. *Unde egressi, venerunt in Daphca; de Daphca in Alus.* Istæ mansiones fuerunt in deserto Sin. In mansione autem Exod. XVI, 14, 15. Sin primo datum est manna, ut in Exodo legitur. *Egressique de Alus, in Raphidim fixerunt tentoria :* qui locus est etiam in deserto Sin, secundum Glossam; *ubi populo aqua defuit ad bibendum,* et ibi Do- Ibid. XVII, 6. minus primo eduxit aquam de petra, ut scribitur in Exodo. *Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai,* id est juxta Sinai montem in deserto situm, ubi secundum Hieronymum duodecima mansio fuit. *Sed et de solitudine Sinai,* id est de parte illa solitudinis monti vicina, *egressi, venerunt ad sepulcra Concupiscentiæ,* id est ad locum sic dictum, Num. XI, 33, 34. quoniam ibi percussi sunt et sepulti, qui esum carnium desideraverunt, ut dictum est supra. *Profectique* inde, *castrametati* Ibid. XII, 1, 2. *sunt in Haseroth,* et ibi Maria et Aaron oblocuti sunt Moysi, ut supra habitum est. Deinde in textu multæ mansiones exprimuntur, de quibus ante hæc in textu nil legitur.

Profecti de Asiongaber, venerunt in desertum Sin. Iste locus est alius a præhabito loco Sin, quia diversa loca frequenter idem habent vocabulum : tamen ut ait Hieronymus, loca ista diversimode scribuntur. Unde subjungitur, *hæc est Cades :* a quo loco missi fuerunt exploratores, et ibi mortua est Maria, ut dictum est capitulo vicesimo; et vocatur etiam desertum Pharan, propter Num. XIII, 1-3. quod supra scriptum est : Profectus est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan, ubi locutus est Dominus : Mitte viros qui considerent terram. *Inde venerunt in montem Hor,* id est ad locum Ibid. XX, 29. ei vicinum : in quo monte defunctus est Aaron et sepultus, sicut supra scriptum Ibid. XXI, 1. est. *Audivitque Chananæus,* etc. Istud supra scriptum est atque expositum. Sed quæri potest, qualiter Chananæus iste rex Arad habitasse dicatur ad meridiem in terra Chanaan, quum terra Chanaan dicatur terra promissionis, extra quam iste moratus est, scilicet ultra Jordanem. Ad quod dicendum videtur, quod terra Chanaan capitur hic extense, pro tota scilicet terra in qua posteri Chanaan filii Cham habitaverunt. Rex autem Arad fuit de semine Chanaan, ut in Genesi continetur. Gen. X, 18.

Profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona; inde venerunt in Phunon. Istæ duæ mansiones, secundum Hieronymum, in ordine historiæ non habentur, sed scriptum est pro eis, Egressi de monte Hor, per viam maris Rubri, circuierunt B terram Edom : ex quo ostenditur, eas in finibus et circuitu Edom positas esse. *Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth,* ut scriptum est supra. *Et de Oboth venerunt in Jeabarim, quæ est in finibus Moabitarum.* Num. XXI, 10, 11. Hoc eodem capitulo scriptum expositumque est. *Inde venerunt in Dibongad, inde in Helmondeblathaim.* Ista nomina non sunt ante descripta. Sed ut ait Hieronymus, pro eis legitur supra, Fixerunt tentoria in Jeabarim, et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared, quem Ibid. 12, 13. C relinquentes, castrametati sunt contra Arnon. *Venerunt ad montes Abarim,* ubi postea defunctus est Moyses, *contra Nebo,* id est ex adverso loci seu montis sic dicti. Inde *transierunt ad campestria Moab supra Jordanem contra Jericho,* id est ex opposito urbis illius, inter quam et filios Israel fuit Jordanis. *Ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque Abelsatim,* id est per spatium quod fuit inter duo loca sic nuncupata. Non tamen oportet putare, quod occupaverint totum hoc spatium, et D aliqui dicunt, quod tria milliaria de spatio occupaverunt. Refert tamen Lyra, quod inter duo hæc loca erant duodecim milliaria; sed non habet apparentiam quod occupaverunt tot milliaria, nisi forsitan valde parva.

Ubi, scilicet in campestribus Moab, *locutus est Dominus ad Moysen,* dicens : *Præcipe filiis Israel et dic ad eos : Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, disperdite,* id est interficite, *cunctos habitatores terræ illius.* Ab hac

Digitized by Google

tamen lege communi, facta est postea exceptio ex speciali causa in casu, ut patet in Gabaonitis, qui per suam humiliationem adepti sunt veniam, ut patet in Josue libro. *Confringite titulos,* id est signa solennia aut nomina, quæ in honore deorum suorum erexerunt. Aliqui tamen per titulos intelligunt aras. *Statuas,* id est idola, *comminuite, atque omnia excelsa vastate,* id est, loca amœna et alta, in quibus sacrificaverunt idolis suis, in quibus etiam locis construxerunt ædes atque altaria dejicite, *mundantes terram et habitantes in ea,* id est, per has pœnas facite cessare solita scelera in terra illa, habitatoribus ejus occisis; qui non mundabantur absolute per mala illa pœnalia, sed cohibebantur a consuetis criminibus : quibus deletis, consecrata est terra illa cultui veri Dei. *Sin autem nolueritis* ista implere; *qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus,* id est, erunt vobis incitamentum atque occasio incidendi facinora gravia, quia ad idololatriam trahent vos seu posteros vestros : sicque consequenter incidetis servitutem gravissimam, et opprimemini ab illis, et interficiemini propter scelera vestra. Ideo subditur : *Quidquid illis facere cogitaveram, vobis faciam,* infligendo vobis hæc mala pœnalia, sicut in libro Judicum satis ostenditur adimpletum.

Josue IX, 26. — Judic. II, 14 et seq.; III, 8, 12, etc.

ARTICULUS LII

EXPOSITIO SPIRITUALIS CAPITULI HUJUS TRICESIMI TERTII.

NON sine mystica ratione Moyses Spiritu Sancto plenus, tam distincte ac diligenter descripsit mansiones filiorum Israel, quoniam Israeliticus populus figura fuit populi christiani. Egressus autem Israelitarum ex Ægypto, typus fuit liberationis Christianorum a servitute diaboli, a jugo peccati, et eductionis ex caligine vitiorum. Introductio vero Israelis in terram promissionis, designavit introductionem omnium electorum in patriam regni cœlestis. Porro, progressus Hebræorum per desertum, significavit peregrinationem nostram in sæculo isto, et spiritualem profectum, quo itur ad regnum cœlorum. Mansiones demum illorum, præsignabant inhærentiam et quietem fidelium in executionibus quarumcumque virtutum, præsertim in contemplationibus ac dilectionibus divinorum, post labores exercitiorum bonorum.

Itaque ait : *Hæ sunt mansiones filiorum Israel,* hoc est Christifidelium, qui per fidem et gratiam sunt imitatores ac filii Patriarcharum, *qui egressi sunt de Ægypto,* id est de ignorantiæ tenebris et statu damnationis, *per turmas suas,* id est secundum diversos status, et gradus ac ordines. Diversæ etenim turmæ Christianorum, sunt spirituales et sæculares, prælati et subditi, vulgus et clerus, conjugati et continentes, religiosi et viduæ, incipientes, proficientes, perfecti. *In manu Moysis,* id est virtute et mysteriis Christi, *et Aaron,* hoc est vicariorum ipsius, quorum primus et maximus fuit sacratissimus Petrus, per quem post Christi ascensionem christiana religio potissime invaluisse censetur. *Quas descripsit Moyses,* id est, Christus per Evangelistas atque Apostolos fecit describi; *juxta castrorum loca,* id est secundum profectus virtutum, Christianorumque agminum ; *quæ Domini jussione mutabant :* quia secundum tenorem præceptorum Dei, student proficere, transeuntque de virtute una in aliam, prout Dominus

Ps. LXXXIII, 8.

Digitized by Google

jussit, nunc uni virtuti, nunc alteri esse A intentum.

Profecti igitur de Ramesse, quod interpretatur commotio : quia salvari volentibus, primo necesse est salubriter commoveri et conturbari ex memoria et dolore præcedentium vitiorum. *Castrametati sunt in Socoth.* Socoth interpretatur tabernacula : per quod intelliguntur particulares Ecclesiæ, congregationes devotæ, claustra, collegia, sacraque loca, ad quæ pertingit, qui propter sua peccata salubri compunctione
Ps. xxxvii, 9. concutitur, sicque turbatur, ut dicat : Af- B
flictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei; atque cum
Job iii, 24. sancto Job : Antequam comedam, suspiro, et tanquam inundantis aquæ sic rugitus mei. Talis dignus est incorporari Ecclesiis Christi, et in ejus tabernaculis commorari. *De Socoth venerunt in Etham,* quod interpretatur fortitudo : quia per sacram contritionem et incorporationem mysticam
Ephes. vi, 10. jam præfatam, confortatur homo in Domi-
Ps. cxviii, 63. no et in potentia virtutis ejus, particepsque efficitur omnium timentium Domi- C
num, quoniam merita aliorum sibi per caritatem communicantur. *Inde egressi, venerunt contra Phihahiroth,* quod interpretatur os nobilium. Dum etenim quis virtutibus est firmatus, et gratiose confir-
Jer. xv, 19. matus in Deo, discernit pretiosum a vili, verum a falso, virtutem a vitio : sicque efficitur quasi os Domini, et per os ejus loquitur Spiritus Sanctus et angeli gloriosi. Ipse quoque vere nobilitatur in Creatore, cujus intuitu et amore omnia vana, prava ac vilia aspernatur. Inde *transierunt* D
per medium mare : quoniam gurgites vitiorum, flumina tentationum, et opera sanguinum cedunt his, fugiuntque ab istis, qui ad prætactas virtutum celsitudines sunt perducti, ita quod pede sicco, hoc est immaculato affectu, tentationes et adversitates pertranseunt, in quibus submerguntur iniqui et persecutores justorum.

Inde venerunt *in Mara :* quoniam per præmemoratas virtutum ascensiones, perducitur homo ad tantam caritatis et æquitatis dilatationem, quod propter proximorum peccata et totius mundi miserias et errores, præsertim propter innumerabiles et enormes Deitatis offensiones et inhonorationes, assidue ingemiscit, torquetur, et lacrimas fundit, dicens illud in Esdra :
Deus meus, confundor et erubesco levare I Esdr. ix, 6.
faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et peccata nostra creverunt usque
ad cœlum. Itemque : Zelus domus tuæ co- Ps. lxviii, 10.
medit me. *Profectique de Mara, venerunt in Elim,* quod interpretatur arietes : per quod status prælationis signatur. Aries enim cornutus est, et dux ovium : in statu autem prælationis, sunt eminentiæ ecclesiasticæ auctoritatis ac potestatis. Porro, qui ad præinductam caritatis atque justitiæ amaritudinem, generalemque Dei zelum tam fervidum attigit, prælatione condignus est, et idoneus regere alios, utpote
qui cum gloriosissimo Petro plus aliis di- Joann. xxi, 15-17.
ligit Christum corde, ore et opere, et proximos suos. In hoc loco sunt *duodecim fontes :* per quos exprimuntur duodecim Apostoli, qui fuerunt post Christum primi et summi Ecclesiarum prælati, quamvis non omnifarie æque summi, quoniam Petrus ceterorum fuit prælatus et princeps. Isti fuerunt fontes evangelicæ prædicationis et supernaturalium doctrinarum. Fuerunt quoque ibidem *septuaginta pal-*
mæ : per quas septuaginta secundi ordinis Luc. x, 1.
discipuli Christi significantur, qui florue- Ps. xci, 13.
runt ut palmæ, fueruntque arbores decoræ ac fulgidæ, et fidelissime sanctis Apostolis cooperati noscuntur.

Inde egressi, fixerunt tentoria super mare Rubrum : per quod juxta præhabita denotatur Baptismatis gratia. Qui autem in prælatione sunt constituti, habent aliorum conversioni ac baptizationi intendere, sacramentorumque pensare virtutes. Potest item per mare Rubrum intelligi passio
Salvatoris, de cujus latere profluxerunt Joann. xix, 34.
aqua et sanguis. Quantumlibet autem quis perfectus exsistat, et aliorum saluti seu contemplationi invigilet, certis tamen ho-

Digitized by Google

ris debet quotidie dominicæ passionis meditationibus affectuosissimis immorari. Inde venerunt in desertum *Sin*, quod odium interpretatur : quoniam per inductos ascensionum spiritualium gradus, pertingit homo ad sincerissimum odium iniquitatis, in quantum iniquitas, et præsertim in quantum offensiva est Dei. Rursus, qui tam virtuosus est, præsertim si aliis præsit, ut justitiæ fervens zelo, corripiat strenue delinquentes, incurrit frequenter odium aliorum. Inde *venerunt in Daphca*, quod interpretatur pulsatio. Qui enim sic odit iniquitatem et iniquos, in quantum sunt tales, et propter virtutes suas oditur, non cessat Deum precibus suis pulsare, etiam pro inimicis orando, imo et pro conservatione ipsius, ne per impatientiam aut alio modo vincatur adversis. Inde *in Alus*, quod interpretatur labores. Qui enim Deum sic pulsat pro aliis, grandem sibi ipsi indicit laborem internum, ita ut fateatur : Laboravi in gemitu meo. (*Ps.* vi, 7.) Nempe quantumlibet oret pro proximis, semper videt sibi indesinentis luctus abundare materiam, adesse causam. Talis quoque dire laborat, ut cor suum in Deo ita recolligat et defigat, quod saltem tempore orationis et cultus divini non evagetur. Inde venerunt *in Raphidim*, quod interpretatur dissolutio fortium seu remissio manuum : quoniam per studium memoratum, quod est contra proprii cordis instabilitatem, et pro aliorum reductione ad Deum, dissolvitur et fugatur invisibilis hostis, et vires ipsius debilitantur, quum Jacobus contestetur, Resistite diabolo, et fugiet a vobis; (*Jacob.* iv, 7.) imo quum dicat Psalmographus, Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis. (*Ps.* xc, 7.)

Inde venerunt in desertum *Sinai*, quod interpretatur rubus : quo designatur Ecclesia, quia præfatis exercitata profectibus, instar rubi a Moyse visi inflammatur, et cooperitur igne divini amoris, nec læditur inde, sed culpæ rubigo consumitur : sicque in arce Ecclesia ponitur, et in monte sublimi, tanquam lucerna lucens et ardens. (*Joann.* v, 35.) Inde *ad sepulcra Concupiscentiæ* : quia vir talis progreditur, ut prædicet his qui concupiscentiis sunt depressi, et carnalitatibus victi, ut pœnitendo reviviscant, et igne caritatis tangantur, et ait : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis. (*Ephes.* v, 14.) Inde *in Haseroth*, quod interpretatur atria. Hæc namque agendo, meretur homo Deitatis atria ingredi, et in eorum contemplatione suspendi, ita ut ex sententia psallat : Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. (*Ps.* lxxxiii, 2, 3.) Atria ista sunt mansiones cœlestes. Inde *venerunt in Rethma*, quod interpretatur visio consummata : quia ingredienti cœleste palatium, protinus datur pro præmio beatifica visio, quæ est contemplatio consummata. Inde venerunt in *Remmomphares*, quod mali divisio interpretatur. Qui enim Deo beatifice perfruuntur, plenissime cum suavissimo gustu discernunt, quid inter Creatorem et creaturam intersit, quam incomparabiliter increatum illud superpurissimum bonum ceteris universis emineat in omni suavitate, amabilitate, felicitate et gloria. Inde *in Lebna*, quod dealbatio dicitur, per quam puritas designatur. Qui enim Omnipotenti beatifice sunt uniti, amplius jam peccare non valent : idcirco eorum munditia, nulla potest culpa aut macula tangi. Inde venerunt *in Ressa*, quod interpretatur laudabilis. Quamvis etenim Sancti in patria culpabiliter tentari non queant, inclinantur tamen animæ sanctæ ad resumenda corpora sua, non talia qualia nunc sunt, sed glorificanda, ut simul cum illis glorificentur in sempiternum. Inde *venerunt in Ceelatha*, quod interpretatur ecclesia : quoniam Beati ad viatores et ad militantem Ecclesiam, et ad eos qui in purgatorio detinentur, oculum pietatis, opem orationis, affectum dilectionis extendunt.

Inde venerunt in montem *Sepher*. Sepher pulchritudo interpretatur : sicque mons Sepher est sublimitas pulchritudinis intellectualis, imo Deus superpulcherrimus, fons universi decoris, in quem Beati totaliter transformantur, viatores quoque ali-

Digitized by Google

Cant. I, 15. qualiter intinguntur, psallentes : Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Inde *in Arada,* quod interpretatur miracula : nam et cives cœlestes in hoc sæculo coruscant miraculis, devoti etiam viatores insistendo præinductis virtutum processibus, miraculorum efficaciam sortiuntur ; et qui ex se ipsis non habent nisi deficere et peccare, in Deo eos confortante supernaturalia operantur. Inde venerunt *in Maceloth,* quod principatus interpretatur : quoniam adversariis potestatibus imperant Sancti, et dæmones fugant, dominanturque vitiis, quod est saluberrimus principatus. Inde *in Thahath,* quod dicitur pavor : quia per hæc fit miles Dei hostibus metuendus, ut castrorum acies ordinata. Timor quoque reverentialis, quo quis ex contemplatione immensæ excellentiæ Dei in propriam resilit parvitatem, abundat in Sanctis tam triumphantis quam militantis Ecclesiæ. Inde *in Thare,* quod ecstasis dicitur : quia præ admiratione æterni et increati omnium Dominatoris, cuncti electi deficiunt et extra se rapiuntur in ipsum. Inde *in Methca,* quod interpretatur mors nova : hæc est mortificatio saluberrima, qua præ abundantia gratiæ Dei, mens omni propriæ voluntati mortua, soli vivit Creatori, ut ait Apostolus : Vivo, jam non ego. Itemque : Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Luc. X, 17. — *Cant.* VI, 3, 9. — *Galat.* II, 20. — *Coloss.* III, 3.

Inde venerunt *in Hesmona,* quod festinatio sonat : quoniam taliter mortuus, omni abjecto torpore, ardentissime festinat ad patriam electorum. Inde *venerunt in Moseroth,* quod dictum est disciplina : quoniam sic festinantes ad Dominum, instruuntur ab ipso, et si quid forefecerint, paternaliter disciplinantur ab illo, et sine dissolutione festinant. Inde *in Benejaacan,* quod resonat fontes : quia sic currens ad increatum Fontem, fontibus sapientiæ ac virtutum recreatur ab ipso, sicut ait Salvator : Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Inde *in montem Gadgad,* quod expeditio interpretatur : quia sic recreatus, carnalia et terrena

Joann. IV, 14.

A adspernans, cuncta spiritualis cursus deponit obstacula, ut animo expedito, appropiet Deo. Inde *in Jetebatha,* quod dicitur bonitas : quoniam ita se occupans, totus in boni honesti affectum convertitur, et lædere nescit, cupitque cunctis prodesse, pro communi bono semper sollicitus et laborans. Inde *in Hebrona,* quod dicitur transitus : quia sic bonus effectus in se, jugiter appetit dona gratiæ proximis communicare, sicque caritativo affectu tendit in eos. Inde *in Asiongaber,* quod interpretatum B est ligna viri : quoniam talis, de aridis infructuosisque lignis diaboli, orando et prædicando, exemplariterque vivendo, facit fructuosa atque virida ligna Christi, de quo loquitur Zacharias : Ecce vir, Oriens nomen ejus. Inde *in desertum Sin, hæc est Cades,* quod interpretatur tentatio : quoniam post excellentia virtutum exercitia, contingit interdum tentari a gloria vana, imo a stimulo quodam, dicente Apostolo : Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ. Inde in montem *Hor,* quod C lumen seu montanus interpretatur : quoniam per tentationis triumphum ad lumen gloriæ et omnium verticem Deum ascenditur. Deinde *in Salmona,* quod portio dicitur : quoniam sic ascendens, veraciter psallere potest : Portio mea in terra viventium. Et rursus : Pars mea Dominus, dixit anima mea. Inde *in Phunon,* quod dicitur os, per quod confessio laudis divinæ significatur : quoniam a laudibus Dei homo hujusmodi nunquam desistit.

Zach. VI, 12. — II *Cor.* XII, 7. — *Ps.* CXLI, 6. — *Thren.* III, 24.

Deinde venerunt *in Oboth,* quod pythones D seu magi interpretatur : quoniam homo tam virtuosus jam illudit dæmonibus, eorumque machinas pro nihilo reputat. Inde *in Jeabarim,* quod acervos transeuntium lapidum signat : per quod multitudo Sanctorum instar petræ solidorum, ad regnum cœleste pergentium, denotatur, quibus Dei laudator se jungit. Inde *in Dibongad,* quod interpretatur tentatio fortiter intellecta : et convenit viro sancto heroico, adeo forti ut in omni tentatione maneat corde tranquillus et ratione illæsus, ita ut sinceriter

queat perpendere pondus suæ tentationis, et intentionem tentantis : sicque tanto infatigabilius virtuti omni inhæreat, quanto se acrius atque acutius sentit tentari. Inde venerunt *in Helmondeblathaim,* quod interpretatur contemptus opprobriorum : quoniam vir perfectus ita proficiens, opprobria spernit; ita quod nec alteri ea infert, et si sibi ingerantur, non conturbatur, imo gaudet adversis, juxta illud Threnorum : Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis; præsertim quum dicat Unigenitus Dei : Beati estis quum maledixerint vobis homines. Inde *ad montes Abarim,* quod interpretatur montes perrectionis : quia dum per hos virtutum gradus ascenderit homo, migrat de carne, evolatque in cœlum, sicut et Moyses in monte Abarim est defunctus.

Thren. III, 30. *Matth.* V, 11. *Deut.* XXXIV, 5.

Hæ sunt mansiones et profectiones veri et spiritualis Israelitæ, cui præcipit Dominus, ut quum terram promissionis intraverit, id est, Ecclesiæ Christi fuerit incorporatus aut religionem professus, disperdat *cunctos habitatores terræ* malos, convertendo eos pro posse, saltem orando et exemplariter conversando, sicque impleat illud, Verte impios, et non erunt; spiritus quoque malignos in mentibus iniquorum morantes pellendo, insinuando videlicet proximis, quam vile, stultum ac impium sit talibus habitatoribus locum præbere in corde, quod consecratum est Spiritui Sancto, et quod ipse verus Deus paratus est sibi in habitaculum, imo in templum assumere, dedicare et possidere. Sic quoque dissipet *titulos,* id est vanitatum erectiones et memorialia inania ac elata; *et statuas,* id est simulacra vitiorum et fœda phantasmata, distractionesque cordis; *atque excelsa,* id est omnem altitudinem elationis, præsumptionis et intimoratæ securitatis, quatenus homo Dei in valle humilitatis et pavida consideratione periculorum suorum obsequatur et sacrificet soli Deo. Quod si quis non studuerit in his Domino obedire, justo judicio relinquetur, et incidet mala culpæ et pœnæ, sicque tradetur in manus Satanæ et dæmonis, quibus insipientissime acquiescit ac subditur. Paulo post *erunt ei clavi in oculis, et lanceæ in lateribus,* et pessimam ei remunerationem rependent : quia quo amplius eis deservit, eo ab ipsis gravius punietur.

Prov. XII, 7.

ARTICULUS LIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI QUARTI : LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN.

Ne filii Israel plus sibi usurparent de terra, quam concessum fuit divinitus, præfiguntur eis termini totius terræ eis promissæ. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe filiis Israel, et dices ad eos : Quum ingressi fueritis terram Chanaan, et in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur : Pars meridiana* terræ promissionis, respiciens plagam australem, *incipiet a solitudine Sin,* de qua dictum est præcedenti capitulo, *quæ est juxta Edom,* id est terram Idumæorum; *et habebit terminos contra orientem,* id est versus plagam orientalem, *mare Salsissimum,* utpote mare Mortuum : in cujus loco stetit olim Pentapolis pulcherrima atque uberrima regio, quæ ob Sodomæ crimen versa est in lacum salsum et sterilem, qui vocatur mare Mortuum, in quo nec piscis, nec avis vivere potest, nec navigabile est, et fumigat. Propter quod in libro Sapientiæ, fumigabunda terra est appellata, de qua in Genesi plenius est dictum. *Qui circuibunt australem plagam,*

Gen. XIII, 10. *Sap.* X, 7. *Gen.* XIX, 24, 25, 28.

id est, per gyrum attingent meridionalem terræ promissæ partem, *per ascensum Scorpionis,* id est per montem sic nominatum, quoniam scorpiones habitabant in eo, *ita ut transeant in Senna,* id est locum seu vicum sic dictum, *et perveniant ad meridiem usque ad Cadesbarne,* de quo loco seu oppido dictum est. *Ibitque per gyrum terminus* iste australis *ab Asemona,* id est loco sic nuncupato, *usque ad torrentem Ægypti :* quod (ut quidam dixerunt) non est intelligendum de Nilo, sed de fluvio multum minori, qui Rhinocolura dicitur, et dividit inter Ægyptum et Palæstinam, estque terminus terræ promissionis a parte australi, ut sextodecimo de Civitate Dei docuit Augustinus. Unde Geneseos quinto-
Gen. xv, 18. decimo Dominus ait ad Abraham : Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti. *Et maris Magni littore finietur* pars ista me-
Josue i, 4. ridionalis. Quemadmodum autem in Josue, multisque locis Scripturæ, ita et hic per mare Magnum, intelligitur non mare Oceanum, quod est simpliciter magnum mare, sed mare Mediterraneum, quod respectu maris Mortui, dicitur magnum.

Sequitur de ejusdem terræ promissionis termino occidentali. *Plaga autem occidentalis a mari Magno incipiet, et ipso fine claudetur,* id est termino maris ejusdem, ita quod non extendetur ultra hoc mare. Non autem potest per mare Magnum, mare Oceanum accipi, quia sic filii Israel nondum obtinuissent totam terram eis promissam.

Subditur de terminis plagæ aquilonaris. *Porro ad septentrionalem plagam a mari Magno,* id est Mediterraneo, puta ab una ejus parte versus aquilonem respiciente, *termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum,* id est ceteris altiorem in situ terræ illius : per quem quidam intelligunt montem Libani, qui esse legitur in termino aquilonari terræ promissionis; *a quo venient in Emath,* id est usque prope Antiochiam, *usque ad terminos Sedada ; ibuntque confinia usque Zephrona et villam Enan,* id est, pertingent usque ad loca sic dicta : et juxta Glossam, per Ze-

A phrona intelligitur urbs Ciliciæ, quæ usque nunc Sephædum appellatur. Enan autem villa, Hebraice Asiram nuncupatur. Circa hæc fertur in Glossa : Dicunt Hebræi septentrionalem plagam incipere a mari Magno, quod Palæstinæ, Phœnices et Syriæ prætenditur littoribus, et per Ægyptum tendit ad Libyam. Quod autem dicitur, Pervenientes usque ad montem altissimum, autumant significari montem Amanum vel Taurum : quod verius videtur.

Subjungitur de terminis partis orienta-
B lis. *Inde,* videlicet a termino aquilonari, *metabuntur,* id est ducentur, *fines contra orientalem plagam de villa Enan* jam dicta, *usque Sephama,* quam Hebræi Aphamiam vocant; *et de Sephama descendent termini* isti orientales *in Reblatha,* id est Antiochiam Syriæ ex alia parte, *contra fontem,* id est ex opposito fontis nomine *Daphnim :* de quo Antiochia abundantissimis fruitur aquis, secundum Glossam; atque (ut fertur) in hoc fonte est verus ortus Jordanis, quoniam paleæ ibi imposi-
C tæ, recipiuntur per mediterraneam viam in fonte qui dicitur Dan, a quo et alio fonte Jor nomine, nomen sumpsit Jordanis. *Inde pervenient* termini orientales *ad mare Cenereth :* quod secundum Glossam est stagnum seu mare Tiberiadis, estque lacus magnus, in cujus littore sitæ sunt urbes, nomine Tiberias, Genesareth, Bethsaida, quæ sunt oppida Galilææ. Unde in Evangelio nominatur mare Galilææ, quoniam Joann. vi, 1.
transit per eam. *Et tendent usque ad Jordanem,* qui transire fertur per stagnum
D præfatum, *et ad ultimum Salsissimo claudentur mari,* quod fuit in angulo terræ Chanaan Israelitis promissæ, orientalem partem cum occidentali copulante. Quemadmodum enim australis plaga inchoat inde, id est a mari illo Salsissimo, sic orientalis pars terminatur ad ipsum. Denique ista terminatio terræ promissæ ad hoc quoque necessaria fuit, quoniam extra terram promissionis non licuit filiis Israel templum ædificare aut sacrificare.

Et ait Dominus ad Moysen : Hæc sunt

Digitized by Google

nomina virorum qui terram vobis, id est populo tibi commisso, *divident,* utpote novem tribubus atque dimidiæ : *Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et singuli principes de singulis tribubus,* id est de A qualibet tribu suam portionem nondum sortita, princeps unus, qui simul decem fuerunt, quia dimidiæ tribui nondum dotatæ assignatus fuit unus princeps, ut patet in textu qui est planus.

ARTICULUS LIV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI QUINTI : HÆC QUOQUE LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN.

QUALITER Dominus jussit sacerdotibus ac Levitis dari urbes ac viculos ad commorandum, et suburbana earum ad enutriendum eorum jumenta, qualiter etiam eis assignatæ sint urbes refugii, modo describitur. *Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho : Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis,* id est de civitatibus quas possidebunt, *urbes ad habitandum et suburbana earum,* id est spatia contigua urbium muris et extra eos, *ut ipsi* Levitæ *in oppidis maneant.* Erant autem sacerdotes et Levitæ per omnes tribus dispersi ad populum informandum. *Et suburbana sint pecoribus ac jumentis* eorum ad pastum : et proprie dicuntur jumenta, animalia quæ hominibus adjutorium præstant in necessariis laboribus exercendis seu oneribus deferendis ; cetera domestica animalia, dicta sunt pecora ; *quæ a muris civitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tendentur,* id est, extendentur in latum, in quo spatio erunt pascua animalium prædictorum. Verumtamen istud difficultatem non haberet, nisi subjungeretur : *Contra orientem duo millia cubiti erunt, et contra meridiem similiter erunt duo millia. Ad mare quoque quod respicit occidentem,* de quo mari dictum est capitulo præcedenti, *eadem mensura erit,* videlicet spatium duorum millium cubitorum, B *et septentrionalis plaga æquali termino finietur,* id est, spatium suburbanorum respiciens aquilonem, erit quantitatis æqualis : hoc est, spatium illud per totum urbium gyrum, seu versus quatuor partes orbis, erit æquale, ita ut contineat duo millia cubitorum. Hæc autem sibi invicem contrariari videntur, quoniam mille passus faciunt plus quam duo millia cubiti, quum passus sit spatium quinque pedum, juxta illud : Quinque pedes passum faciunt, etc.

Num. xxxiv, 5-7.

Circa hæc scribit Lyra : Dicunt expositores C communiter, quod idem est spatium mille passuum, et duorum millium cubitorum : quia passus continet quatuor pedes, ut dicunt ; sed hoc est contra illud commune dictum, quod passus continet quinque pedes. Dato etiam quod passus contineret quatuor pedes tantum, adhuc dictum eorum non consonaret Hebraicæ veritati. Nam ubi translatio nostra habet, Mille passuum, in Hebræo habetur, Mille cubitorum : quod tamen videtur repugnare ei quod subditur, Ad orientem duo mil- D lia cubiti. Ad hoc Rabbi Salomon respondet, quod secundum veritatem duo millia cubiti erant extra muros civitatum per circuitum. Mille tamen cubiti propinquiores civitati, sic erant dispositi, quod in eis non poterat domus ædificari, nec poterant arari, seminari, nec plantari poterant vineæ ibi, sed erant ad recreationem et pascua animalium. Fiebant etiam ibi pisci-

Digitized by Google

næ ad vestium lotionem. Ideo isti mille cubiti vocantur proprie suburbana, et de eis loquitur Scriptura præcise, quum dicitur in Hebraica veritate, quod a muris civitatum forinsecus per circuitum mille cubitorum spatio tenderentur. In aliis autem mille cubitis remotioribus a muris, poterant vineæ plantari. Large tamen loquendo pertinent ad suburbana, ut hoc modo loquatur Scriptura, quum subditur: Ad orientem duo millia cubiti erunt. Hæc Lyra.

Ista responsio Rabbi Salomonis non videtur idonea, quoniam sub eodem contextu, mox quum dictum est, quod suburbana a muris civitatum tenderentur forinsecus per circuitum spatio passuum mille, immediate subjungitur: Contra orientem duo millia cubiti erunt, etc., quod non est nisi expositio et determinatio quædam præcedentium verborum, si recte pensetur. Denique illa Rabbi Salomonis solutio non satisfacit nostræ translationi, de cujus veritate non dubitamus: quoniam juxta istam solutionem non erant extra muros, nisi dumtaxat duo millia cubitorum per gyrum; non ergo mille passus, etiam si cubitus contineat duos pedes, quum tamen communiter dicatur, non continere nisi pedem cum medio, nisi dicatur, quod passus contineat solum quatuor pedes.

Præterea Rabbi Paulus contra præhabita scribit, et reprobat solutionem Rabbi Salomonis, dicens, quod in littera non habeat fundamentum, ideoque nullius auctoritatis exsistat. Expositio autem Rabbi Pauli, quantum capere queo, nullius videtur valoris. Nec enim civitates, de quibus nunc sermo, jussæ sunt esse quadratæ, nec in quadro positæ erant, ut ipse insinuat. Itaque salvando nostram translationem, cum Catholicis est tenendum, quod passus hic sumitur pro spatio quatuor pedum, et cubitus pro spatio pedum duorum. Nec obstat objectio introducta, quoniam mensuræ apud diversos variantur, imo in eodem territorio frequenter diversimode accipiuntur. Sunt enim et cubiti geometrici, quorum unus continet sex cubitos communiter dictos. Itaque, etsi passus communiter apud nos accipiatur pro spatio quinque pedum, et cubitus pro mensura usuali continente cubitum unum cum medio, nunc aliter accipiuntur: nec solum nunc, sed in aliis quoque locis. Nam quod in Genesi legitur (Gen. vi, 15, 16.) de cubitis arcæ, Augustinus, Origenes, multique alii de cubitis geometricis exposuerunt. Credo etiam in Hebræo haberi, sicut Hieronymus transtulit, et quod dictio illa Hebraica, pro qua posuit Passum, significet vere passum, quamvis possit et cubitum ac alia significare.

Sequitur de civitatibus refugii, de quibus in Deuteronomio plenius dicitur. (Deut. xix.) *De ipsis autem oppidis quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata,* id est deputata ad hoc, ut in ea confugiant fugitivi. Hinc subditur: *ut fugiat ad ea qui sanguinem fuderit,* non qualitercumque, sed nolens, ut infra exprimitur. Harum urbium refugii tres deputavit Moyses (Ibid. iv, 41-43.) adhuc vivens trans Jordanem, ut legitur in Deuteronomio; alias tres Josue, mortuo (Josue xx, 7.) Moyse. *Et exceptis his,* etc., id est, in toto erunt quadraginta octo oppida Levitis præstanda, non in dominium, nec in possessionem hereditariam, sed in habitationem. Quod qualiter factum sit, in Josue historia habetur: sic et de urbibus fugitivorum. (Ibid. xxi.) *Ait Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaan, decernite,* id est, judicate et instituite communi consensu, *quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint,* id est casu seu sine lædendi proposito. *In quibus,* id est in aliquam harum, *si fugerit profugus,* qui homicidium tale commisit, *cognatus occisi eum non poterit occidere.* Ex quo eliciunt quidam, quod poterat hoc, si apprehendebat eum antequam urbem illam profugus introivit. Sed melius est, ut dicatur quod non poterat homicidam talem occidere, nisi sententia contra eum ordinarie prolata, præsertim quum innocens fuerit, nec me-

Digitized by Google

ruerit pro homicidio tali occidi. Unde subjungitur: *donec stet* profugus *in conspectu multitudinis,* id est hominum commorantium in loco, in quo, vel in cujus dominio homicidium perpetravit, *et causa illius judicetur* a judicibus loci illius. Habitatores enim urbis confugii, tradebant talem homicidam in manus judicum illorum, ut discuterent causam ipsius: et si inveniebatur innocens, restituebatur secure in urbem refugii; si reus, dabatur manibus propinquorum ad occidendum, sicut super Exodum dictum est, et infra in isto continetur capitulo. *Exod.* xxi, 12, 13.

De ipsis autem urbibus quæ ad fugitivorum subsidia separantur, tres erunt trans Jordanem, et tres in terra Chanaan, tam filiis Israel quam advenis atque peregrinis. Hoc videtur inconveniens, quoniam terra novem et mediæ tribuum, erat multo major quam alia. Ad hoc Lyra allegat Rabbi Salomonem, dicentem quoniam homines in terra Galaad, quæ erat trans Jordanem, erant ad effusionem sanguinis proni; et item ut effusores sanguinis elongarentur a templo quod non fuit ultra Jordanem, sed citra. Verum prima harum rationum videtur invalida, quia hoc fuisset homicidas ex proposito occidentes fovere in crimine, utpote quia faciliter poterant fugere. Secunda quoque inepta censetur, quia secundum legem homicida fuit tutus in templo, dummodo non per industriam occidisset, nec pacis pactum frangendo. Verior ergo causa apparet, quoniam qui trans Jordanem morabantur, erant nimis remoti a templo, ideo tanto plus indigebant aliis confugii locis. Denique ad tollendam talem imparilitatem civitatum refugii, infra in Deuteronomio præcipitur, ut adhuc alias tres refugii urbes haberent, quum dilatati essent eorum termini in terra promissionis. *Deut.* xix, 8, 9.

Si quis ferro percusserit, id est, læserit alium ex proposito seu scienter, *et mortuus fuerit qui percussus est,* id est læsus; *reus erit homicidii* qui fecit hoc, *et ipse morietur,* id est occidetur. *Si lapidem jecerit, et † ictu* lapidis *occubuerit* alius; *similiter*

A *punietur* talis projector, præsertim si projecit ut tangeret alium, vel ad locum in quo est consuetum et publicum iter. *Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur,* id est, percutiens illum judicabitur et interficietur ut homicida. Et per hæc tria instrumenta percutiendi, intelliguntur et alia per quæ quis potest occidi. *Propinquus occisi, homicidam* talem ex proposito occidentem sive lædentem *interficiet,* dato judicio quod reus sit sanguinis; *statim ut apprehenderit eum, in-*

B *terficiet,* id est, occidet eum, quamvis fuerit in civitate refugii, quia in ea non fuerat tutus, sed ab ea fuit expellendus, postquam judicatus fuit ex proposito occidisse.

Quod si fortuitu, id est per ignorantiam et sine proposito, *et absque odio et inimicitiis quidquam horum fecerit,* id est occiderit, *et hoc audiente populo fuerit comprobatum* per testes sufficientes atque idoneos; *liberabitur innocens,* id est casualis occisor, *de manu ultoris,* cui prohibebitur a judicibus facere ultionem in in-

C nocentem, *et reducetur per sententiam* judicum *in urbem ad quam confugerat.* Ex quo innotescit, quod judicabatur in loco seu dominio in quo occidit, illucque ducebatur secure, ut causa sua ibi ventilaretur: nam et quisque sortitur forum a loco excessus. Inventaque et approbata per judices innocentia ejus, reducebatur cum securitate ad urbem confugii. Exemplum excusabilis homicidii ponitur in Deuteronomio, ut si ferrum exierit manubrium abscidentis ligna in silva, et læserit alium. *Deut.* xix, 5.

D *Manebitque ibi,* scilicet in urbe refugii, *donec sacerdos magnus,* puta episcopus, *qui oleo sancto unctus est* in capite et manibus, quod inferioribus sacerdotibus non fiebat, *moriatur:* quo defuncto, poterat ad locum suum reverti, et non ante, ne ex ejus inspectione propinqui ejus quem interfecit, incitarentur adversus eum. Longitudine autem temporis poterant oblivisci mortem propinqui sui occisi, præsertim in tempore mortis pontificis, dum erat dolor communis et occupatio generalis in aliis, *Lev.* viii, 12.

Digitized by Google

vel propter reverentiam novi pontificis; et item ob mysticam significationem, quia per Christi veri et summi antistitis occisionem, inductum est genus humanum ad cœlestis patriam paradisi, qua erat privatum demerito Protoplasti.

Si interfector, qui a casu quemquam occidit, *extra fines,* id est muros, *urbium,* nisi forte et suburbana sacerdotalium urbium infra earum fines computentur, *quæ exsulibus,* id est fugitivis, *sunt deputatæ, fuerit inventus, et percussus ab eo qui ultor est sanguinis,* id est ab occisi propinquo, cui jure divino competit secundum legis tenorem vindicare occisionem sui cognati; *absque noxa erit qui eum occiderit,* id est non imputabitur ei ad culpam, si tamen zelo legis et non ex vitiosa fecerit id radice. Nam etsi casualis occisor occidendo non meruit trucidari, tamen non remanendo in urbe confugii juxta legis statutum, meretur occidi. Ideo subditur : *debuerat enim profugus,* utpote hujusmodi homicida, *usque ad mortem pontificis in urbe* refugii *residere. Postquam autem ille,* videlicet pontifex, *obierit, homicida revertetur in terram suam.* Istud et in evangelica lege quodammodo observatur, quantum ad hoc, quod rei cum novo episcopo aut principe redeunt unde exsules erant.

Homicida sub testibus punietur, id est, non nisi ex sufficienti testimonio contra eum adjudicabitur pœnæ : attamen evidentia facti pro testimonio reputatur. *Ad unius testimonium nullus condemnabitur,* quia facile atque probabile est unum mentiri aut falli sive subverti : ideo ad minus duo testes exiguntur, qui una cum accusatore non possunt tam facile deviare et concordare in malo, quanquam et hoc quandoque contingere possit; sed et lex respicit ad id, quod ut in pluribus accidere solet. Testes quoque diligenter sunt examinandi et seorsum interrogandi de circumstantiis rei : quibus et grave incumbit periculum, si in falsitate deprehendantur. In omni autem materia, certitudo est de circumstantiis rei exigenda secundum qualitatem materiæ. Idcirco in rebus actibusque humanis, in quibus frequenter non potest certitudo absoluta haberi, sufficit certitudo probabilis. Est autem probabile, quod assertio duorum cum tertio concordantium, verior sit quam unius. Nec omnes indifferenter ad perhibendum testimonium admittuntur, sed qui secundum jura censentur idonei.

Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis. Hoc in veteri Testamento fuit rationabiliter institutum, quoniam judices ipsi erant ad avaritiam proni. Judæi quoque erant crudeles et ad homicidium inclinati. Ideo hoc rigore oportuit judicum cupiditatem et subditorum crudelitatem compesci. Unde subjungitur : *statim et ipse* qui reus est mortis, *morietur,* data contra eum sententia, quæ non sine necessitate est differenda, ne interim aliquo modo evadat. *Exsules et profugi, ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas* seu alia habitacula sua *reverti poterunt.* Hoc dicitur ad designandum, quod nec ab eis fuit pretium accipiendum ut possent redire. Quamvis enim fuerant a crimine homicidii innocentes, tamen propter multa mala vitanda, et propter commune bonum patriæ, erant tali exsilio puniendi. Etenim interdum necesse est bono personæ seu particulari commodo aliquid tolerare propter procurandum vel conservandum bonum commune, quemadmodum nonnunquam propter curationem membri principalioris, totiusve corporis, in membro sano fit quædam incisio, et membrum ægrum omnino abscinditur. Nec in tali casu derogatur personæ, quia et ei sic expedit, et ipsa est pars communitatis, et bonum universale præferendum est bono particulari.

Ne polluatis terram habitationis vestræ, id est, opera criminosa non faciatis, nec fieri permittatis in ea, nec facta dimittatis inulta. Dicitur autem terra pollui, sicut et consecrari, non quod sit vitii aut virtutis subjectum, sed instrumentum aut medium quoddam, vel ordinata ad sacra aut non

Digitized by Google

sacra. *Quæ insontium,* id est innocentium, *cruore maculatur :* non quod sanguis innocens sit immundus aut maculans, sed ejus effusor, et ipsa detestanda effusio maculat terram. Præterea propter innocentium sanctitatem, et passionis eorum mortisque meritum, terra interdum dicitur sanctificari, et sancta vocatur : sicut Jerusalem, in qua passus est Sanctus sanctorum, vocatur civitas sancta; et terra promissionis, propter mysteria Christi ibi expleta, sancta vocatur. *Nec aliter expiari potest,* id est purgari, et Deo quodammodo reconciliari, suoque modo placere, *nisi per ejus sanguinem,* id est justam interfectionem, *qui alterius sanguinem fuderit :* ut injustitiæ obliquitas per hanc justitiæ rectitudinem reducatur ad medium quoddam, et recompensetur excessus culpæ per adimpletionem justitiæ; sicque fiat uni, sicut fecit alteri, et per quæ peccavit, per ea et puniatur. Simili modo erat vitanda et præcavenda fusio sanguinis homicidii casualis per præfatum exsilium. *Atque ita emundabitur vestra possessio,* id est terra seu regio, *me commorante vobiscum,* id est ob hoc, quod ego tam gratiose dignor inter vos commorari, quem non decet in terra polluta morari. Unde in Deuteronomio legitur : Dominus Deus ambulat in medio castrorum; ideo castra vestra sint sancta. *Ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israel,* id est in tabernaculo seu in templo quod erat in medio Israeliticæ plebis, imo potius inter filios Israel, id est in cordibus ipsorum per fidem et gratiam, ad quod obtinendum, necesse est meis obedire præceptis.

Matth. XXVII, 53. — *Sap.* XI, 17. — *Deut.* XXIII, 14.

Sensus spiritualis.

Præterea spiritualis et mysticus hujus capituli sensus, hinc inde præhabitus est, qui tamen breviter tangi potest. Nempe per hoc quod sacerdotibus et Levitis datæ sunt urbes ad habitandum, non ad hereditandum aut principandum, designatur in primis, quantum avaritia atque ambitio vitandæ sint sacerdotibus et clericis, maxime religiosis evangelicæ legis, et ut habentes victum et tegumenta, contenti sint;

I *Tim.* VI, 8.

A deinde, quod populus libenter debet temporalia ministrare his, a quibus spiritualia suscipit. Per suburbana vero Levitarum, quibus pecora sua alebant, intelliguntur spiritualia dona, per quæ prælati et spirituales, animas subditorum vulgariumque reficiunt. Quæ suburbana debent mille passuum spatio tendi : quia grandis spiritualium charismatum exuberantia superioribus necessaria est, ut de plenitudine sua copiose communicent sibi commissis. Possunt tamen per suburbana extra urbes sita, intelligi libri sacræ Scripturæ, et sanctorum Patrum volumina, ex quibus populus saluberrime enutritur : quod sine personarum acceptione est faciendum, quod significatum videtur per hoc, quod ad quatuor plagas terræ suburbana æqualiter tendebantur.

I *Petr.* IV, 10.

Porro, per urbes refugii intelliguntur ecclesiastica sacramenta et pœnitentiæ loca, claustra, collegia, congregationes devotæ, in quibus protegitur homo ab invisibilibus inimicis, etm ortem evadit perpetuam : quæ si ante mortem exierit præsulis, occidetur : quoniam si prætacta refugii deseruerit loca sive remedia, antequam finaliter merito dominicæ passionis salvetur, æternaliter perit. Hæc quoque refugii loca, inter sacerdotes spiritualesque homines maxime reperiuntur. Amplius, nolens sanguinem fudit, qui non ex deliberatione, sed ex infirmitate aut ignorantia peccat et alios scandalizat, et facilius veniam promeretur. Qui autem ex proposito et certa scientia facit hoc, difficulter curatur, potissimum si consuetudinis pravæ mole oppressus sit; sed desperandum non est, quoniam omnipotenti Medico animarum, universa non solum possibilia, sed et facillima sunt. At vero de urbibus refugii tres sunt trans Jordanem, et tres ab alia parte, quia tam spirituales quam sæculares indigent istis remediis.

Si quis ferro percusserit. Ferro occidit, qui detrahit. Detractio namque est gladius bis acutus et ferrum durissimum, quo detractor simul et auditor, nisi dissentiant,

Digitized by Google

perimuntur. Lapidem projicit et occidit, A qui cum immoderata asperitate increpat aut objurgat, aut pungitiva pronuntiat verba. Ligno autem occidit, qui virgam correctionis ultra mensuram extendit, nec juxta modum culpæ apponit remedium pœnæ. Per hoc demum quod cognatus occisi poterat homicidam opprimere, significata videtur spiritualis censura Ecclesiæ, qua per excommunicationem, suspensionem, interdictum, degradationem, aut simili modo aliqui puniuntur. Per exsilium vero fugitivi notatur, quod homo tamdiu a my- B stico corpore Ecclesiæ permanet separatus, quousque per pœnitentiam Deo reconcilietur in morte pontificis, id est virtute et merito dominicæ passionis. Per hoc etiam quod Dominus prohibuit pretium accipi ab eo, qui reus est sanguinis, constat quam dire peccent, qui in evangelica lege ex cupiditate aut cum remissione pretium sumunt a facinorosis in derogationem justitiæ et jacturam reipublicæ, aut crimina fieri sinunt quæ possent aliquo modo impedire, ut ex aliorum sceleribus atque injuriis temporalia commoda sortiantur : qui utique ineffabiliter vitiosissimi sunt censendi, qui pecunias sic præferunt Deo et proximorum saluti atque virtutibus.

Postremo, si terram illam Israelitarum et tabernaculum Domini oportuit esse tam munda, quia ibidem Dominus habitavit, quanto magis terram, loca et regna, claustra, collegia, ecclesias, imo potissimum corda Christianorum, in quibus Deus tam multipliciter, tam misericordissime, tam evidentissime commorari dignatur, ubi et per sacramentalem sic adest præsentiam, per ecclesiastica sacramenta, per Sanctorum reliquias ?

ARTICULUS LV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI SEXTI : ACCESSERUNT AUTEM ET PRINCIPES FAMILIARUM.

LEX specialis circa matrimonia contra- C henda, in præsenti recitatur capitulo. *Accesserunt autem et principes familiarum Galaad,* hoc est viri sic dicti, *filii Machir, filii Manassæ, de stirpe filiorum*
Num. xxvi, 29. *Joseph :* de quorum genealogiis dictum est supra. *Locutique sunt Moysi : Tibi domino nostro* vicariali et secundario *præcepit Dominus* universorum, primus ac principalis, *ut divideres terram filiis Israel sorte, et ut filiabus Salphaad fratris,* id est cognati, *nostri, dares possessionem debitam patri,* id est partem hereditariam, quam D pater earum habiturus erat, nisi peccando
Ibid. xxvii, 1-6. demeruisset : de quo præcepto et causa institutionis suæ dictum est supra, quia videlicet pater earum non habuit aliquem filium. *Quas si alterius tribus homines,* id est viri, *uxores acceperint, sequetur possessio sua :* hoc est, hereditas filiarum illarum devolvetur ad earum filios, et consequenter ad tribum illam, de qua earum filii fuerint nati ex parte patris : quoniam genealogia filiorum sumitur ex parte patrum suorum, non matrum ; imo nec moris est Scripturarum, mulierum genealogiam describere, ut ait Hieronymus. *Atque ita fiet, ut quum jubilæus, id est quinquagesimus annus remissionis advenerit :* in quo omnis hereditas ad pristinam redit tribum atque heredem, quia nec poterat ultra tempus illud alienari aut vendi, ut dictum est sæpe ; *confundatur sortium distributio :* hoc est, hereditates sortibus distributæ misceantur confuse ad invicem, deveniendo ad alias tribus,

Digitized by Google

nec maneant sicut a Domino erant distinctæ.

Respondit Moyses, et Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Joseph locuta est : hoc est, viri isti de tribu Manassæ filii Joseph nati, sapienter quæstionem hanc proposuerunt, ad evitandum inconvenientia jam prætacta. *Et hæc lex,* hoc est jussio, *super filiabus Salphaad, a Domino promulgata est,* hoc est, mihi a Deo est revelata per angelum, ut eam omnibus pandam. *Nubant quibus volunt, tantum suæ tribus hominibus :* non tamen indifferenter quibuscumque viris de tribu sua, sed eis, qui secundum legem non excludebantur ab earum connubio, propter consanguinitatem vel affinitatem. Deinde occasione casus istius datur lex generalis : *Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua :* non quod omnes mares erant obligati simpliciter ad contrahendum conjugium, quum nec Elias nec Jeremias hoc fecerunt ; sed omnes matrimonium contracturi, contrahant cum mulieribus suæ tribus; *et cunctæ feminæ* maritandæ, *de eadem tribu,* de qua ipsæ sunt, *maritos accipient, ut hereditas permaneat in familiis,* hoc est, quælibet familia teneat, aut saltem in jubilæo recipiat hereditatem patrum suorum, quæ ei secundum legem debetur.

Ex hoc verbo doctores eliciunt, istud non esse intelligendum de mulieribus quibuscumque, sed de his, in quibus locum habuit ratio hujus institutionis, hoc est de feminis in hereditate paterna succedentibus, ex quarum connubio cum viris aliarum tribuum inito, sequi poterat hereditatum ad aliam tribum translatio, sortiumque confusio. Unde et Thomas ait in prima secundæ, quæstione 105 : Lex non statuit, quod mulieres succederent in bonis paternis, nisi in defectu filiorum masculorum. Tunc namque necessarium erat in tali casu, ut successio hereditatis concederetur mulieribus in consolationem patris, cui valde grave fuisset, si ejus hereditas transisset ad omnino extraneos. Adhibuit tamen lex circa hoc debitam cautelam, præcipiens ut mulieres succedentes in hereditate paterna, nuberent suæ tribus hominibus, ad hoc quod sortes tribuum non confunderentur. Hæc Thomas. Hinc etiam asserit Augustinus, quod mulieres non succedentes in hereditate, poterant successive nubere maritis tribuum diversarum, quum et in Judicum libro scriptum sit, quod post Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar. Sicque Phua fuit frater Gedeonis, qui fuit pater ipsius Abimelech, quum tamen Gedeon esset de tribu Manasse. Ad quod Augustinus respondet, quod Phua et Gedeon fuerunt fratres ex parte matris, quæ successive nupsit uni viro de Manasse, et alteri viro de Issachar : quod et expositores communiter approbant. *Judic.* x, 1.

Sed obviare videtur auctoritas litteræ hujus. Nam sequitur : *nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separatæ sunt.* Denique maritus et uxor correlativa sunt, et rite concluditur, si femina nubat viro alterius tribus, quod etiam vir contrahat cum muliere alterius tribus. His de causis quidam dixerunt, quod nulla mulier secundum legem poterat nubere viro alterius tribus, nec econverso : quos sequitur Lyra hoc loco, quamvis super Judicum libro aliter dicat. Nempe hic scribit : Non poterant viri accipere mulieres, etiam hereditatem non habentes, de alia tribu ; nec per consequens illæ, videlicet mulieres, poterant contrahere cum viris alterius tribus, quoniam ex utraque parte eadem ratio assignatur, utpote impermixtio tribuum. Dispensatum tamen fuit, quod tribus regia et sacerdotalis poterant matrimonio sociari, propter utriusque tribus nobilitatem ; et item, ut ex mutua familiaritate reges tenerentur facilius in cultu Dei per sacerdotes; et rursus, ut per regis et sacerdotum concordiam, communis pax magis conservaretur in populo. Hæc Lyra.

Sed Rabbi Paulus his contradicit : In hoc, inquiens, præcepto multum deviat

Digitized by Google

translatio nostra a veritate Hebraica, quia secundum Hebraicam veritatem non prohibetur mulieribus, quin nubant quibuscumque voluerint de genere Israelitico, nisi tantum feminis hereditatem habentibus. Nam ubi nostra translatio habet, Cunctæ feminæ maritos de eadem tribu accipient, in Hebræo habetur, Omnis filia quæ habet hereditatem, viri de cognatione patris sui erit uxor. Similiter non prohibetur, quin viri ducant uxores de alia tribu. Hoc enim quod dicitur in nostra translatione, Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua, non est in Hebræo, sed ibi sic dicitur : Non revertatur hereditas filiorum Israel de tribu in tribum, sed unusquisque in hereditate patrum suorum adhæreat. Similiter ubi nostra translatio habet, Ne sibi misceantur tribus, etc., in Hebræo habetur, Ne revertatur hereditas unius tribus ad aliam tribum. Nec legitur aliquando facta dispensatio, ut tribus regia et sacerdotalis possent matrimonio commisceri. Non enim necessaria fuit in hoc dispensatio, quia Deus non prohibuit commixtionem tribuum, nisi tantum ubi ex tali matrimonio posset sequi commixtio hereditatum, ut patet secundum Hebraicam veritatem.

In his Rabbi Pauli verbis male sonat, quod ait translationem nostram multum a veritate Hebraica discrepare. Sic enim videretur sequi, quod vera non esset. Nec Lyra aliquid tangit hic inde, qui tamen communiter tangit, quando aliquid aliter aut plus habetur in nostra translatione quam in Hebræo. Nec verisimile reor, B. Hieronymum tantam hic fecisse mutationem verborum aut sensus ; nec ignorabat consuetudinem Hebræorum in observationibus connubiorum. Ideo puto, quod sine dispensatione non licuit aliter fieri, quam noster continet textus, et si absque dispensatione aliter fiebat, illicitum fuit. Unde quod David filiam Saul sumpsit uxorem, (I *Reg.* xviii, 27.) ex dispensatione creditur factum, sive Deus per occultam inspirationem, sive per Prophetarum revelationem, aut alio modo dispensaverit ita.

Feceruntque filiæ Salphaad, ut sibi fuerat imperatum : in quo earum obedientia commendatur.

Postremo subditur epilogus prædictorum. *Hæc sunt mandata atque judicia.* Per judicia intelliguntur judicialia Dei præcepta. Et quia in hoc libro multa sunt jussa, quorum aliqua ad præcepta moralia, aliqua vero ad cærimonialia pertinent, possunt duplicia ista præcepta hoc loco intelligi per id quod ait : Hæc sunt præcepta. *Quæ præcepit* * *Dominus per manum,* hoc est (* *mandavit*) ministerium, *Moysis ad filios Israel in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.*

Spiritualiter, qui illicita, clandestina, aut prohibita ineunt conjugia, confundunt Ecclesiæ ordinationem, et hereditate Patris cœlestis privantur. Omnes quoque Christifideles contrahere cupientes, non nisi suis socientur cognatis, hoc est personis ejusdem, non disparis, cultus, ut pariter atque concorditer ministrent Altissimo, et ad ejus honorem prolificent, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI NUMERORUM

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM DEUTERONOMII

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

SERVA *mandata et legem quasi pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam.* Prov. VII, 2, 3.

In his verbis tria tanguntur : Primum est, quam diligenter servanda sint mandata Dei et lex ejus, per operum exsecutionem, quantum ad substantiam facti seu actus, quum dicitur, Serva mandata, id est, adimple. Secundum est, quam tenaciter lex divina sit custodienda per veram discretionem, ut scilicet ea quæ legis sunt, non solum fiant quantum ad actum imperatum, sed etiam ut cum debitis circumstantiis impleantur, utpote suo loco et tempore, et taliter ac recta intentione, sicut oportet, et ut dictat discretio, quæ significatur per digitos quemadmodum opus seu vis operativa per manus. Tertium, quam indelebiliter lex divina sit memoriæ imprimenda, dum additur, In tabulis cordis tui scribe eam. Nempe hæ tabulæ sunt intellectus atque memoria, seu intellectus speculativus et practicus, vel voluntas et intellectus, ut sicut intellectus exercendus est jugiter in consideratione et commemoratione cœlestium præceptorum ac legis divinæ, ita voluntas semper parata sit et fervens ad eorumdem exsecutionem. Unde de viro fideli cantatur : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur *Ps.* I, 2. die ac nocte. Itaque ad observantiam legis Dei concurrunt hæc tria, quamvis non eo ordine ut nunc tanguntur, sed modo retrogrado. Primo namque requiritur, ut lex divina insit memoriæ ; secundo, ut cum discretione servetur ; tertio, ut realiter fiat quod jubet, si adsit facultas.

Porro, ad hoc quod aliquid firmiter imprimatur memoriæ, et diligenter actualiterque pensetur, confert, quod sæpius repetatur, atque interdum ad tollendum fastidium sub verbis aliis resumatur, et aliquando cum additamentis : et ita in præsenti libro nunc exponendo peragitur. Dicitur quippe liber iste Hebraice, ELLE HADDEBARIM ; Græce autem, † δεύτερον, id est, iterum, vel δευτερονόμιον, quod Latine interpretatur, secunda lex, hoc est lex secundo seu altera vice repetita. Ideo in hoc libro descripta non est alia ab ea, quæ in Exodo, atque Levitico, Numerorumque libro digesta est. Hinc loquitur Glossa : Intentio Moysis in hoc libro est, recapitulare prædicta triplici ratione. Primo, ut arctius memoriæ commendentur. Secundo, ut per tam frequentem repetitionem insinuetur, et mentibus inculcetur utilitas eorum quæ continentur in lege ista. Quod etenim utile est, merito non pigebit sæpius dicere, nec molestum debet esse frequenter audire. Tertio, ut Judæorum duritia condemnetur, qui toties dictum non impleverunt. Propterea Magister in historiis ait : δεύτερον Græce, Latine interpretatur, iterum vel secundo ; et νόμος lex, quasi secunda lex. Ex hoc nomine quidam errantes, dixerunt duas esse leges : unam quæ in libris præcedentibus continetur, alteram datam a Moyse, quæ in isto libro habetur. Quod probabant ex hoc, quod de illa legitur lege, Locutus est Dominus ad Moysen ; de ista autem, Locutus est Moyses ad omnem Israel : et item per hoc, quod hic multa leguntur, quæ supra expressa non sunt. Sed verius dici-

Digitized by Google

1 Cor. IX, 9. tur, quod non sit nisi una lex vetus, quæ ab apostolo Paulo ac aliis sæpius appellatur
Hebr. X, 28. lex Moysis, quam lex Dei. Hebræi quoque vocant hos quinque libros Moysis, THORAH, id est Legem. Iterantur autem tria in libro isto, tribus de causis. Primo enim, iterantur præcepta et cærimoniæ, ut commendentur memoriæ, et ut repetitio sit confirmatio. Secundo, repetuntur beneficia Dei, ut per ea accendamur amore ipsius. Tertio, flagella peccantium, ut timor Dei nobis incutiatur. Hæc ibi.

Denique sanctus Moyses in hoc libro ita procedit, quod obscura declarat, præhabita breviter replicat, supplet omissa, necessaria quoque addit et applicat.

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM DEUTERONOMII
HEBRAICE ELLE HADDEBARIM

IN QUO REPLICANTUR QUÆ IN QUATUOR LIBRIS PRÆHABITIS DICTA SUNT, ATQUE DE VARIIS LEGALIBUS INSTITUTIONIBUS, MORTE MOYSIS, ET JOSUE AGITUR SUBSTITUTIONE.

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : HÆC SUNT VERBA QUÆ LOCUTUS EST MOYSES AD OMNEM ISRAEL.

FACTOR libri hujus, quasi prologum quemdam ac titulum volumini huic præmittit, dicendo : *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri*. Porro quod ait, Trans Jordanem, quidam sic intellexerunt, quasi verba ista prolata sint pertransito jam Jordane, hoc est, postquam filii Israel transierunt Jordanem : et quoniam Moyses non transivit Jordanem, sed obiit antequam Jordanem filii Israel transierunt, prout infra scriptum est; hinc dixerunt quod Moyses non conscripsit hunc librum, sed Josue. Verum hoc argumentum perimit semetipsum. Nam sive Moyses, sive alius librum hunc conscripserit, oportet concedere, quod ipse verba ista protulerit trans Jordanem, sicut textus evidenter affirmat. Quum ergo Moyses non transivit, nec pervenit ultra Jordanem, fateri necesse est, id quod dicitur, Trans Jordanem, non posse intelligi ultra Jordanem a loco possessionis duarum tribuum atque dimidiæ, quæ communiter habitasse dicuntur trans Jordanem, quia in terra possessionis earum defunctus est Moyses. Idcirco quod ait, Trans Jordanem, intelligendum est per respectum terræ promissionis, præsertim urbis Jerusalem, ita quod Moyses dixit hæc verba trans Jordanem, hoc est in terra quæ respectu Jerusalem et terræ promissionis, est ultra, non citra, Jordanem. Unde in Scholastica fertur historia : Pro situ terræ promissionis Scriptura dicere solet, Ultra Jordanem, vel Citra Jordanem. Itaque terra duarum tribuum ante Jordanis transitum acquisita, vocatur Trans Jordanem respectu terræ promissionis. Per solitudinem autem campestrem, intelligitur magna illa planities campi, in terra Moab supra Jordanem siti, in qua filii Israel multis quieverunt diebus, ut in libro Numerorum legitur : quæ planities ob suam magnitudinem instar solitudinis se habebat.

Præterea quæritur, cur dictum est, Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses, et non

Deut. xxxiv, 5. Deut. xxxiv, 5. Num. xxxiii, 49.

Digitized by Google

potius, Quæ scripsit. Respondetur, quod verba sequentia Moyses primo pronuntiavit ad populum, exhortando ac instruendo; deinde conscripsit, quemadmodum infra habetur : Scripsit itaque Moyses legem hanc. Itemque : Postquam scripsit Moyses verba legis hujus atque complevit. Nec mirum aut rarum, quod Moyses in tertia persona loquitur de se ipso, quasi de alio, quum et alibi frequenter ita locutus sit, sicut dum ait, Erat Moyses vir mitissimus. Ideo ait Glossa : Hæc de se tanquam de alio, more sanctæ Scripturæ dicit. Sic namque vitat, et vitandam docet arrogantiam, seu propriam laudem. Similiter Job de se dicit : Vir erat in terra Hus. Et Joannes : Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his. Vel per istum modum loquendi, Spiritus Sanctus perhibet testimonium Moysi, ut nemo dubitet eum ista scripsisse. Hæc Glossa. Tamen ut dictum est, quidam dixerunt Moysen ista oretenus prædicasse ad populum, et ipsum Josue aut (secundum quosdam) Esdram ea redegisse in scriptis. Hinc Petrus Comestor : Videtur Hieronymus velle, quod Josue magnam hujus libri scripserit partem ; sed verius esse videtur, quod a Moyse scriptus sit, et ista in principio apposuit Esdras, quemadmodum et in fine libri, de obitu Moysis. Hæc Petrus. Verumtamen probabilius reor, quod Esdras non apposuit aliquid principio hujus libri, quum et in textu isto dicatur quod Moyses verba ista locutus sit, nec Hebræi hoc dicant. Ultimum vero hujus libri capitulum, creditur a Josue editum : quod et Hebræi fatentur.

Deut. XXXI, 9, 24. *Num.* XII, 3. *Job* I, 1. *Joann.* XXI, 24. *Deut.* XXXIV.

Moyses igitur volens in exordio hujus voluminis insinuare, quod primo dixerit verba ista ad populum, deinde ea conscripserit, ita exorsus est scribere hoc volumen : Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses. Itaque locutus est ista in solitudine campestri, *contra mare Rubrum,* hoc est ex opposito alicujus partis, aut sinus maris illius, cujus aliqua pars videtur non multum distans fuisse a loco illo ; *inter Pharan et Tophel et Laban et Haseroth.* Secundum Glossam, ista sunt nomina quatuor montium ac locorum vicinorum campestribus, in quibus ista locutus est Moyses. Pharan quoque quandoque accipitur pro urbe, interdum pro provincia. Laban etiam interdum est nomen proprium viri. *Ubi auri est plurimum,* id est, multum de auro est in illo loco. Et quod ait, Ubi, potest referri vel ad ultimum horum locorum, vel etiam ad alia ; nec certum arbitror, ad quid potius referatur.

At vero, secundum Thomam super illud Job, Auro locus est in quo conflatur : Quum aurum sit purissimum, invenitur ut plurimum in sua puritate generatum, inter fluviorum arenas propter multitudinem evaporationis et caliditatem arenæ, quia ex multis arenulis colliguntur granula auri, quæ in unum liquantur : quod fit in locis ubi concurrit debita proportio virtutis activæ, ad materiam de qua gignitur aurum. Generantur quippe metalla ex vaporibus humidis, ex terra resolutis, per virtutem et calorem solis ac siderum : propter quod metalla liquabilia sunt atque ductilia ; quemadmodum lapides et hujusmodi, quæ non molliuntur nec funduntur, ex sicca exhalatione infra terram retenta. Diversificantur autem species metallorum secundum majorem et minorem puritatem resoluti vaporis, secundum diversam quoque efficaciam et vim digerentis caloris, inter quæ aurum videtur esse purissimum, et post illud argentum. Amplius, super illud Job, Ab aquilone aurum venit, scribit Albertus : Aurum inter metalla est melioris digestionis et commixtionis : ad quod requiritur, ut frigus circumstans extrinsecum reprimat, et impellat calorem mineralem ad interiora viscerum terræ, ut calor ille intensus sit ad digerendum metalli materiam. Idcirco in aquilone ubi frigus circumstat, aurum melius generatur. Hæc quoque est causa, quod in fluviorum arenulis frigidorum generatur multoties aurum, quia frigiditas aquæ impellit calorem ad profundum, ut melius digerat materiam, et faciat puriorem. Ex his elici po-

Job XXVIII, 1. *Ibid.* XXXVII, 22.

Digitized by Google

test, cur in loco præfato sit multum de A
auro.

Undecim diebus de Horeb per viam
montis Seir usque ad Cadesbarne. Hoc
quidam exponunt sic, quod Moyses per
undecim dies exposuit populo legem. Sic-
que quod dicitur, Undecim diebus, refer-
tur ad verba illa præhabita, Hæc sunt ver-
ba quæ locutus est Moyses. Cui expositioni
non videtur consonare quod subditur, De
Horeb per viam montis Seir usque Cades-
barne : nisi dicatur quod per viam illam
quæ fuit a monte Horeb per montem Idu- B
mæorum, quæ via decem dietas includit,
Moyses locutus sit ista. Quod etiam Glossa
tangit et sentire videtur, dicendo : Unde-
cim diebus antequam veniret ad Cades-
barne, Moyses legem solo verbo recapitu-
lavit, et de Cadesbarne usque campestria
Moab. Verum huic expositioni a quodam
objicitur, quoniam non apparet, quod
Moyses ambulando exposuerit legem, quo-
niam explanatio talis requirit docentis
audientiumque quietem. Quæ objectio fa-
cillime solvitur, quum et Christus in Evan- C
Luc. XIII, 22. gelio legatur ambulando populum docuis-
se. Filii quoque Israel in itinere constituti,
certis horis pausabant. Legitur quoque
I *Mach.* V, 53. primo Machabæorum libro de Juda Macha-
bæo : Erat Judas congregans extremos, et
* viam exhortabatur populum per totam noctem*,
donec venirent in terram Juda.

Sed magis me movet, quod dictum est
quod Moyses locutus est verba hæc in soli-
tudine campestri contra mare Rubrum, et
paulo post in isto habetur capitulo, quod
cœpit legem explanare interfectis regibus D
Num. XXI, 24, 35. Amorrhæorum Sehon et Og, qui interfecti
fuerunt post recessum de Cadesbarne, ut
in Numeris describitur. Hinc quidam ex-
ponunt sic : Undecim diebus, supple, ve-
nerunt de Horeb, id est de monte Sinai,
cujus pes dicitur Horeb, per viam montis
Seir, seu Edom usque Cadesbarne : quam
expositionem Glossa interlinearis tangit.
Sed objici potest (ut Lyra allegat et ap-
probare videtur) Rabbi Salomon, dicens,
quod lege data, filii Israel recedentes de
monte Horeb, venerunt illuc, videlicet us-
que Cadesbarne, in tribus diebus. Et re-
spondendum, quod dictum hoc Rabbi Sa-
lomonis non videtur salvari posse, nec
textui consonare. Scriptum est enim in
Numeris, quod profecti sunt de monte Do- *Num.* X, 33.
mini, utpote de monte Horeb, seu Sinai,
viam trium dierum, sicque venerunt ad
sepulcra Concupiscentiæ, in quo integro
mense aut circiter, carnes ederunt, ut in *Ibid.* XI, 20.
Numeris scribitur. Inde egressi, venerunt *Ibid.* 34.
in Haseroth, ubi septem diebus manse- *Ibid.* XII, 15.
runt, prout in Numeris legitur; atque post
hoc venerunt in Cadesbarne, quemadmo- *Ibid.* XIII, 27.
dum in Numeris rursum recitatur. Non er-
go in tribus diebus venerunt illuc. Ve-
rumtamen Rabbi Salomon protestatur, quod
spatium inter Horeb et Cadesbarne sit iti-
neris undecim dierum.

Insuper dici posset, quod etiam post re-
cessum a monte Horeb, cœpit Moyses le-
gem aliqualiter explanare, eundo per viam
usque ad Cades : sicque per solitudinem
campestrem possit intelligi eremus illa in-
star campi plana; sed postea fixus in loco
campi Moab præfato, cœpit legem plenius
explanare, sicut subjungitur.

Quadragesimo anno, undecimo mense
quadragesimi anni, *prima die mensis* un-
decimi. Quocirca quæri potest, de quo
quadragesimo anno istud dicatur. Ad quod
in Scholastica respondetur historia : Qua-
dragesimo anno ab exitu filiorum Israel
de Ægypto. Isidorus quoque : Quadragin-
ta, inquit, annis filii Israel ad terram pro-
missionis venerunt, seu transierunt. Sed
obviare videtur, quod secundum Glossam,
ab exitu Israel de Ægypto usquequo per-
venerunt ad campestria Moab supra Jorda-
nem, fluxerunt quadraginta duo anni. Et
hoc videtur probabile, quia ut in Numeris
fertur : Quum redissent exploratores qua- *Ibid.* 26; XIV, 33, 34.
dragesimo die, et populum murmurare fe-
cissent, locutus est Dominus, quod qua-
draginta annis vagi exsisterent in deserto,
secundum numerum dierum explorationis
et reditus. Fuerunt autem filii Israel ante
exploratorum missionem, integro anno in

Digitized by Google

monte Sinai, imo secundum Hieronymum, per annum et quatuor dies, ut dictum est in Numeris. Venerunt vero ad montem Sinai quadragesimo septimo die post exitum de Ægypto. Numerantur etiam quadraginta dies, a recessu de Sinai usque ad missionem exploratorum, ut patet ex dictis in isto articulo. Et præter hos dies, fuerunt et alii multi dies post secundam populi numerationem, antequam filii Israel post mortem Moysis transierunt Jordanem. Nam et obitum Moysis deplanxerunt triginta diebus. Sicque in toto colliguntur circiter quadraginta duo anni ab exitu de Ægypto, usque dum venerunt ad campestria Moab. Idcirco quod dictum est, Quadragesimo anno, etc., videtur intelligendum, de anno quadragesimo a reditu exploratorum ad Moysen.

Num. x, 11, 12. *Exod.* xix, 1. *Deut.* xxxiv, 8.

Itaque, quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis, *locutus est Moyses,* id est, loqui cœpit per modum explanationis, *ad filios Israel.* Jam dictum est, quod ad omnem Israel verba ista locutus sit. Quibusdam tamen apparet non esse probabile, quod universus populus ille potuerit verba Moysis immediate audire. Propterea dicunt, quod loquebatur majoribus populi, et majores ad tribus seu turmas sibi subjectas; sed quoniam Deus omnia quasi miraculose egit per Moysen, facile fuit Deo sic ordinare, quod verba Moysis audirentur distincte ab omnibus tempore opportuno, præsertim quum Moyses esset totius plebis illius legislator et doctor communis. *Omnia quæ præceperat illi Dominus* per angelum, *ut diceret eis :* in quo patet obedientia Moysis. Non tamen in ista explanatione legis repetivit omnia in speciali, quæ (Deo jubente) dixerat ante ad Israelem ; sed omnia quæ Deus jussit resumi, resumpsit, et aliqua addidit ; vel resumpsit omnia, hoc est quædam de omnibus, videlicet aliqua de præceptis judicialibus, et quædam de cærimonialibus, aliqua quoque de moralibus, vel omnia in generali. *Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, et Og regem Basan, qui mansit in Astaroth et Edrai, trans Jordanem in terra Moab,* hoc est, postquam Moyses cum populo Israel (Deo auxiliante) percussit duos reges præfatos, eorumque populos. Porro, quæ in textu isto dicuntur, exposita sunt in Numeris.

Num. xxi, 21 *et seq.*

Cœpitque Moyses explanare legem obscura elucidando, *et dicere.* Porro, secundum Josephum, Moyses congregavit populum ad Jordanem, ubi tunc erat civitas Abila, et locus palmarum. *Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb,* id est in monte Sinai, *dicens : Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis,* id est, satis diu fuistis in monte isto; *revertimini,* hoc est, mentem vestram rursus convertite ad pergendum versus terram promissionis, ob cujus acquisitionem egressi estis Ægyptum, jamque per annum cessastis ab isto itinere, et circa alia occupati, interrupistis propositum eundi ad terram illam. Vel ideo ait, Revertimini, quoniam quamvis filii Israel, de quibus Dominus ista locutus est, non fuerunt ante in terra promissionis in propriis personis, tamen patres eorum demorati erant in illa, atque ex ea descenderunt in Ægyptum : sicque propter unitatem consanguinitatis ac parentelæ, filii dicuntur illuc reverti : quia quod patribus convenit, adscribitur filiis, et econtra. Unde interdum legitur Deus dixisse ad Abraham : Tibi dabo terram hanc. Hinc in Genesi legitur Deus dixisse ad Jacob exsistentem in via ad intrandum Ægyptum : Noli timere descendere in Ægyptum, quia ego descendam tecum illuc, et inde adducam te revertentem. Et tamen constat quod Jacob in propria persona non rediit inde. Dominus quoque ait ad Abraham de posteris ejus : Generatione quarta revertentur huc.

Gen. xii, 7; xiii, 15. *Ibid.* xlvi, 3, 4. *Ibid.* xlix, 32. *Ibid.* xv, 16.

Et venite ad montem Amorrhæorum, hoc est, accedite terram promissionis, in qua sunt montes qui dicuntur esse eorum qui commorantur ibidem : et potest per montem intelligi aliquis mons eminentior aliis, situs circa terram præfatam ; *et ad cete-*

Digitized by Google

ra quæ ei proxima sunt loca, *campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem.* Per verba hæc exprimitur magnitudo terræ promissionis, in qua erant magni campi, et loca montana ac valles : eratque terra illa situata contra meridiem respectu terræ Ægypti, quæ versus austrum vergebat quoad terram promissionis. *Et juxta littus maris.* Hoc de Mediterraneo mari exponitur, super quod terra promissionis, quoad longitudinem suam dicitur situata, et est terminus ejus ab occidente. Unde subjungitur, *terram Chananæorum :* nam terra promissionis communiter appellatur terra Chanaan seu Chananæorum, qui nati fuerunt ex Cham filio Noe, et habitaverunt in ea ; *et Libani :* eadem terra vocata est terra Libani, quia in termino ejus aquilonari est mons Libani situs ; *et usque ad flumen magnum Euphraten.* Euphrates est unus de quatuor fluviis paradisi, ut in Genesi habetur, et per Chaldæam decurrit ; et versus ortum solis, dicitur esse terminus terræ promissionis, saltem pro aliqua sui parte.

Gen. XI, 31; X, 6.

Ibid. II, 14.

Præterea, verba jam memorata non legitur Deus dixisse ad filios Israel, quum essent juxta Sinai montem, in aliquo quatuor præcedentium librorum, nec apparet quod immediate dicta sint ad populum totum, sed primo ad Moysen, et per eum ad plebem. Verumtamen aliquid simile his in libro Numerorum conscriptum est, utpote, Ad imperium Domini movebant castra, seu erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant. Quum autem filii Israel in monte Sinai accepissent legem, et tabernaculo cum suis attinentiis ibi completo, ceterisque peractis in monte illo, quæ in Exodo et in libro Numerorum ibi peracta leguntur, tempus fuit ut inde recederent ad terram promissam.

Num. IX, 18, 20.

En, inquit, tradidi vobis, hoc est, terram illam dare decrevi, et tam certitudinaliter tradam, nisi obicem ponatis, ac si eam jam tradidissem. *Ingredimini et possidete eam, super quam juravit Dominus patribus vestris,* id est, cum juramento

A asseruit et promisit, quod daret eam patribus vestris, *Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret illam eis,* sicut in Genesi originaliter legitur, *et,* pro id est, *semini eorum post eos :* non enim dedit terram illam Patriarchis præfatis in propriis eorum personis, aut per exhibitionem realem, sed posteritati eorum. Propter quod beatissimus Stephanus martyr ait : Deus gloriæ transtulit Abraham in terram istam, et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis, sed repromisit dare illi eam in possessionem, et semini ejus post eum.

Gen. XV, 7, 18 ; etc.

Act. VII, 2-5.

B *Dixique vobis illo in tempore,* hoc est in anno quo circa montem Sinai mansimus, vel in Raphidim, et ante prolationem verborum jam dictorum : *Non possum solus sustinere vos,* hoc est, gubernare et judicare ac expedire universa negotia vestra ; *quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cœli, plurimi,* hoc est valde multi, quamvis multo pauciores quam sidera : et ita est comparatio hyperbolica. Unde et in Genesi C Dominus dixerat Abrahæ : Suspice cœlum, et numera stellas, si potes : sic erit semen tuum. *Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum* vestrum : qui determinate habetur in Numerorum libro pro tempore illo. Nam legitur ibi : Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, et mille septingenti triginta. Tot equidem erant viri. Estque probabile, quod mulieres et parvuli ac puellæ et juvenes infra vicesimum annum exsistentes, multo plures fuerunt. Itaque, D Dominus addat successive, per generationis propagationem, *multa millia,* ut populus Deum verum colens, numero augeatur ac merito. Propter quod subditur : *et benedicat vobis* per infusionem supernorum charismatum et temporalium affluentiam rerum, *sicut locutus est* se facturum, dummodo peccando obicem non ponatis. Itaque Moyses non oravit absolute pro sola individuorum multiplicatione, sed et pro eorum sanctificatione, seu pro bonorum suppositorum copiosa propagine. Propter

Gen. XV, 5.

Num. XXVI, 51.

Digitized by Google

Eccli. XVI, 4. quod scriptum est in Ecclesiastico : Utile est mori sine filiis, quam relinquere filios *Ibid.* I, 3. nequam. Et rursus ibidem : Ne jucunderis in filiis nequam si multiplicentur. Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii.

* valeo

Non possum solus negotia vestra sustinere,* hoc est, causas vestras portare, examinare, et exsequi, *et pondus,* id est curam, *ac jurgia,* hoc est contentiones et lites. *Date ex vobis viros sapientes et gnaros,* id est, eligite ex tribubus vestris viros in divinis ac temporalibus eruditos præ ceteris, utpote aptiores ad regimen aliorum, *quorum conversatio sit probata in tribubus vestris,* id est, qui communi omnium aut plurimorum testimonio sint bonæ vitæ ac famæ honestæ, ita quod sint in virtutibus notabiliter exercitati et exemplares ; *et ponam eos vobis principes,* id est, vestram electionem approbabo et authenticabo, vel electis a vobis dabo auctoritatem, et disponam in quo gradu quivis eorum debeat præsidere.

Tunc respondistis mihi : Bona res quam vis facere. Tulique, hoc est, eos quos elegistis, accepi et acceptavi, *de tribubus vestris :* quia de qualibet tribu aliqui accipiebantur, ne aliqua tribus videretur contempta, et in unaquaque tribu erant principes nati ex ea. Tribus tamen Levitica habuit specialem regiminis dispositionem et modum. *Viros sapientes* in divinis, *et nobiles* non solum carnis propagine, sed et virtutum claritate, *et constitui eos principes :* tamen in diverso gradu, et ordine quodam. Unde subjungitur : *tribunos,* qui præsident mille viris : nam alia translatio habet, Chiliarchos, hoc est millenarios ; *et centuriones,* qui præsunt centum, *et quinquagenarios, et decanos, qui docerent vos singula* quantum eorum exegit officium, ita quod unusquisque eorum instruere habuit sibi subjectos, de pertinentibus ad cathedram seu præsidentiam suam circa sibi commissos.

Præcepique eis, dicens : Audite illos, hoc est, patienter et prudenter auscultate, quid

A quilibet ad vestra judicia aut documenta confugiens, dicat ; et ambas partes ante prolationem sententiæ in foro contentioso, audite auribus cordis et corporis. Nemo etenim judicandus est, nisi prius auditus, nisi forte propter evidentiam facti, enormitatemve sceleris manifesti. *Et quod justum est, judicate,* hoc est, per sententiam approbate et declarate, seu justam proferte sententiam in omni negotio ad vestrum forum spectante ; *sive civis sit ille,* id est natione Judæus, aut ejusdem urbis habi- B tator, *sive peregrinus,* hoc est ad Judaismum conversus, vel extraneus, aut advena. *Nulla erit distantia personarum :* id est, quantum ad hoc, ut de unoquoque recte et vere judicetis, non erit differentia inter judicandos, quoniam quantumcumque aliunde distincti sint, tamen in hoc cuncti conveniunt, quod de unoquoque judicabitur secundum exigentiam juris : sicque a judicibus excludenda est omnis privata et inordinata affectio, qua in foro judicii magis solent foveri cives, quam peregri- C ni ; et cognati, quam alieni. A judicibus quoque excludendus est timor carnalis, humanus et sæcularis, quo judices magis solent palpare potentes et eminentes personas, quam impotentes. Hinc sequitur : *ita parvum,* id est vilem, ignobilem, egenum, *audietis ut magnum :* imo quantum fieri potest, salvo ordine juris, miserabiles personæ sunt in foro judicii pie tractandæ, præsertim dum agunt contra potentiores, ne ex timore a sua desistant justitia.

Nec accipietis cujusquam personam, id D est, in judicando attendite causas, non homines secundum quod homines, vel quantum ad ea quæ impertinentia sunt in foro judicii. Est namque personarum acceptio, dum in aliquo attenditur, non id propter quod aliquid ei merito dandum aut deputandum vel adjudicandum est, sed aliud per quod non habet proportionem aut dignitatem, seu rationabilem causam ad illud : ut si alicui detur præbenda, non quia propter scientiam aut virtutes dignus censetur, sed quia cognatus aut carus est. Ideo

Digitized by Google

dicit Thomas in secunda secundæ, quæstione 63 : Acceptio personarum opponitur distributivæ justitiæ, quæ diversis personis tribuit secundum dignitatem ipsarum ac merita. Ideo considerando personæ proprietatem, propter quam aliquid ei datur, non est acceptio personæ, sed causæ. Hinc judex discernere debet causas, non personas. Si autem in judicio aliquis justificetur aut foveatur, quia propinquus, dives vel potens, non quia causam habet justam, personæ acceptio est, et contra justitiam, atque ex suo genere est mortale. *Quia Dei judicium est,* id est, in judicando geritis vicem Dei, et estis vicarii ejus, cui ex
Act. x, 42. se ipso competit esse universorum judicem justum, qui omnem injustitiam detestatur. Ideo judices constituti sub eo, debent secundum tenorem et regulas juris
Ibid. 34. procedere, et Deum sequi, apud quem non est personarum acceptio. Quod si a veritate et æquitate declinent, non se habent ut vicarii, sed ut adversarii Dei. Hinc secundo libro Paralipomenon, Josaphat rex
II *Par.* xix, 6, 7. ait judicibus suis : Videte quid faciatis. Non enim hominum exercetis judicium, sed Domini; et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec acceptio munerum. Hinc et Aristoteles naturali ratione inductus, subtiliter est locutus : Judex debet esse tanquam viva lex, et sicut animata justitia.

Quod si difficile aliquid vobis visum fuerit, id est, causa ardua, intricata, vestrum forum aut intellectum excedens, occurrerit vobis, *referte* illam *ad me,* id est, ad me habete refugium, qui auctoritate et sapientia vos excedo. Non arroganter dixit hoc Moyses, sed juste et caritative propter bonum commune, et quia evidenter sic fuit, et quoniam inter judices necesse est ordinem esse, ut in certis casibus inferiores judices ad superiores recurrant. *Et ego audiam,* id est determinabo et expediam hujusmodi causas : quod Moyses fiducia-
A liter dicere potuit, quia si nescivit quid judicaret, habebat ad libitum recursum ad Dominum, et mox informabatur ab eo, ut patuit de his qui non poterant suo tempore facere Phase, et de eo qui ligna collegit *Num.* ix, 6-12; xv, 35; xxvii, 1-6.
in sabbato, et de causis concernentibus filias Salphaad. *Præcepique omnia quæ facere debetis,* id est, omnia vobis necessaria ad salutem, et quidquid Deus requirit a vobis, ex parte Dei vobis mandavi.

Præterea advertendum quod in Exodo non legitur Moyses protulisse verba quæ
B hic recitat se dixisse, videlicet, Non possum solus sustinere vos, etc.; imo potius in libro Numerorum legitur ista dixisse. Ibi quippe loquitur Deo : Cur imposuisti *Num.* xi, 11, 14.
pondus universi populi hujus super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. Sed hoc fuit post recessum de Horeb, nec de illa locutione nunc agitur, quia post illam Moyses non dixit, Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et cetera nunc prætacta; imo diu ante illam locutionem constitue-
C rat principes et judices sub se, secundum *Exod.* xviii, 24-26.
modum nunc recitatum. Sed merito quæritur, qualiter ista Moysis recitatio consonet rationi quam in Exodo Moyses ipse describit. Siquidem ibi narrat se judices constituisse ex consilio Jethro soceri sui; hic autem refert quasi ex propria consideratione id fecerit. Ibi quoque consulit Jethro, ut Moyses provideat viros aptos ad judicandum; hic autem fertur, quod Moyses commisit populo talium virorum electionem. Et respondendum, quod utrum-
D que horum tunc factum est. Nam Jethro primo admonuit Moysen seorsum de istis, et inter cetera dixit ad eum ex familiarita-
te : Stulto labore consumeris; ultra vires *Ibid.* 18.
tuas est hoc negotium, solus illud non poteris sustinere. Quibus auditis, Moyses acquievit et locutus est eadem aut consimilia verba populo quasi ex se ipso, sicut nunc recitat. Verumtamen electionem judicum plebi commisit. Porro secundum Josephum, Jethro venit ad Moysen circa montem Sinai ubi in rubo multas viderat Moyses visiones.

Digitized by Google

Profecti autem de Horeb, id est, a monte Sinai recedentes, *transivimus per eremum terribilem et maximam,* id est solitudinem valde magnam. Legitur tamen in India major ac terribilior eremus esse. *Quam vidistis :* in qua erant feræ et animalia venenata, ut infra habebitur. De qua eremo scriptum est in Jeremia : Dominus transduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis et imaginem mortis, per terram in qua non habitavit vir nec ambulavit homo. Quo constat, quod solitudo illa erat solo adspectu valde terribilis. *Per viam montis Amorrhæi,* id est per iter quod ducit ad montem Amorrhæorum ; *sicut præceperat Dominus Deus noster nobis.* Præcepit enim ut sequerentur motum ducatumque nubis, vel forte etiam per Moysen istud præcepit verbo.

Jer. II, 6.

*Quumque venissetis * in Cadesbarne,* id est ad locum eremi sic vocatum. In Numeris autem leguntur venisse in Cades, ubi et Maria soror Moysis est defuncta. An tamen sit idem locus ille et iste qui nunc Cadesbarne vocatur, diversi diversimode opinantur, ut super librum Numerorum est inductum. *Dixi vobis : Venistis ad montem Amorrhæi,* qui vicinus est præfato loco, qui Cades nominatur, *quem Dominus Deus noster daturus est vobis.* Dedit etenim Dominus filiis Israel regnum Sehon regis Amorrhæorum, in quo regno fuit mons ille, sicque per partem totum significatur. Verumtamen regna Sehon et Og non pertinebant ad terram promissionis, quam constat Moysen non intrasse. Noverat tamen in spiritu Moyses, quod regna illa filii Israel essent adepturi. *Vide,* tu popule Israel, *terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Si hoc de terra promissionis ultra Jordanem sita intelligatur, non apparet quod filii Israel potuerint illam videre corporali intuitu, exsistendo in Cades aut in monte prædicto : quæ loca multis distabant dietis a terra promissa : idcirco de interiori intuitu potest exponi. *Ascende et posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis,* certus de promissione Dei, dummodo non diffidas, nec obicem ponas per alias culpas. *Noli timere* resistentiam Chananæorum, *nec quemquam paveas* carnali et inordinato timore.

* venissemus

Num. XX, 1.

Et accessistis ad me omnes, id est aliqui ex parte omnium vestrum, *atque dixistis : Mittamus viros qui considerent terram* promissionis, *et renuntient* nobis, *per quod iter debeamus ascendere, et ad quas pergere civitates.* Istud in Numeris plenius scriptum est atque expositum, tamen ibidem habetur, quod Deo committente missi sunt exploratores. Populus quippe aliqualiter metuens et diffidens, incitavit Moysen ut mitteret viros : super qua re Moyses consuluit Dominum, qui vel jussit vel permisit sic fieri, et hoc justo judicio, in pœnam populi male timentis, ut in Numeris dictum est plenius. Verum, ut ait Gilbertus, exposita reexponere, otiosi est, non studiosi : non ergo immorandum est semel expositis. *Quumque mihi sermo placuisset.* Postquam enim Dominus dixit ut nuntii mitterentur, tunc placuit Moysi. *Misi ex vobis duodecim viros qui dixerunt* post reditum suum : *Bona est terra,* id est fecunda et pulchra, *quam Dominus Deus noster daturus est nobis.* Hoc Josue et Caleb dixerunt ex animo. Alii decem exploratores etiam ex animo commendabant terræ fertilitatem ; sed videbatur eis impossibile, quod filii Israel acquirerent eam, propter multitudinem et fortitudinem habitatorum ipsius, urbiumque munimen. Idcirco quod dictum est, Quam Dominus Deus noster daturus est nobis, vel non, vel ironice solum dixerunt.

Num. XIII, 3.

Ibidem.

Præterea quæritur, quomodo nunc dicatur, quod in Cadesbarne facta sit dispositio ista de exploratoribus destinandis, quum in Numeris scriptum sit : Profectus est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan, ibique locutus est Dominus ad Moysen : Mitte viros qui considerent terram Chanaan. Ad hoc præallegato Numerorum libro est data responsio. Glossa quoque hoc loco ex verbis Augustini declarat, quod filii Israel bis venerunt in Cades. Primo

Ibid. 1-3.

Digitized by Google

ante missionem exploratorum. Secundo autem diu post hoc, scilicet quadragesimo anno post exitum de Ægypto, quando ibi- *Num.* xx, 1. dem Maria defuncta est, ut in Numeris scriptum est.

Et noluistis ascendere ad terram promissionis : quæ situ altior est Ægypto, ac interposita eremo; *sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri,* qui per me vobis promisit terram illam atque victoriam, *murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet* B *in manum Amorrhæi,* id est Chananæorum : quorum una gens seu natio dicebatur populus Amorrhæorum, id est natus de *Gen.* x, 16. Amorrhæo filio Chanaan filii Cham, qui fuit filius Noe, ut in Genesi legitur; *atque deleret. Quo ascendemus ?* quasi dicant, Frustra ascenderemus ad terram illam. *Nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes : Maxima multitudo est* habitatorum terræ promissæ, *et nobis statura procerior.* Unde *Num.* xiii, 34. in Numeris dixisse scribuntur : Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de C genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur. *Urbes magnæ* sunt in terra illa, *et ad cœlum usque muratæ,* id est valde altos muros habentes, erectos in cœlo aereo. Istud tamen est verbum hyperbolicum, ad insinuandum magnitudi- *Ps.* cvi, 26. nem rei, sicut illud in Psalmo : Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos. Verumtamen in libro Numero- *Num.* xiii, 29. rum exploratores dixisse narrantur : Urbes grandes atque muratas. Sed isti perversi verba illa exaggeraverunt ad colorandam D suam perversitatem. Ecce in verbis ostenditur magna vitiositas plebis illius. Primo enim peccaverunt per inobedientiam, quod notatur quum dicitur : Noluistis ascendere. Secundo, per incredulitatem, propter quod dictum est : Sed increduli ad sermonem Domini. Tertio, per murmurati- *Ibid.* xiv, 1-3. onem, de qua in Numeris plenius legitur. Nam ex nimia malitia ploraverunt, et murmurando dixerunt : Utinam pereamus. Quarto, per ingratitudinem quum dixerunt:

A Odit nos Dominus, quum tamen tot signa dilectionis eis monstrasset. Quinto, per mendacium perniciosum, detractionem atque blasphemiam, quum dixerunt : Idcirco eduxit nos ut traderet. Hinc in Numerorum libro Dominus ait : Usquequo *Num.* xiv, 11. detrahet mihi populus iste ? Sexto, per inordinatam et carnalem formidinem, quia dicebant : Nuntii terruerunt nos. Septimo, per indurationem et pertinaciam proprii sensus, ut statim subjungitur. Octavo, per stultam audaciam, quia contra præceptum Moysis cœperunt procedere, ut infra in isto habetur capitulo.

Filios Enacim vidimus ibi. Et dixi vobis : Nolite metuere, nec timeatis eos; Dominus pro vobis pugnabit, sicut fecit in Ægypto et in solitudine, quando Amalec vos invasit, et quando Pharao cum suo *Exod.* xvii, 8-13. exercitu vos insequebatur in solitudine, ubi angelus interposuit nubem inter vos *Ibid.* xiv, 20. atque Ægyptios, ut in Exodo scriptum est. *Portavit te Dominus Deus tuus,* id est, pie toleravit, et providit tibi de necessariis, ac protexit, *ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulasti donec veniretis ad locum istum,* scilicet Cadesbarne, ubi Moyses primo protulit verba ista, quæ postea in campestribus Moab repetivit. Verumtamen, sicut homo parvulum filium quem amorose portat, aliquando corrigit dum meretur, sic Dominus ante missionem exploratorum, interdum correxit populum illum ob suos excessus, videlicet juxta montem Sinai ubi vitulum adoraverunt, *Ibid.* xxxii, 28, 35. et postea in sepulcris Concupiscentiæ, et *Num.* xi, 33; xi, 1; xxi, 6. quando pro labore itineris murmuraverunt. *Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro,* id est, nec per tanta beneficia, nec per commemorationem eorum nunc factam a me, nec per verba quæ ex parte Dei retuli vobis, Domino credidistis. Verumtamen agnoscendum, quod Moyses in toto hoc passu loquitur de toto populo illo, quasi de una turba, in qua diversi homines continentur, scilicet boni et mali, quibus et diversa adscribuntur ac compe-

Digitized by Google

tunt. Sic omnia jam inducta intelligenda sunt, non de his quibus in campestribus Moab Moyses ista locutus est, sed de patribus eorum, qui propter prætacta scelera jam in solitudine erant defuncti. Hi autem quibus Moyses ista repetiit, non fuerunt tunc numerati, sed postea illis prostratis.

Qui præcessit vos in via, id est, per motum nubis motæ ab angelo viam monstravit, *et metatus est locum in quo tentoria figere deberetis,* id est, per quietem nubis ostendit et determinavit loca et mansiones, in quibus, fixis tentoriis, quievistis, *nocte ostendens vobis iter per ignem :* interdum enim ambulaverunt de nocte, et tunc columna ignis aerem illustravit, et viam ostendit; *et die per columnam nubis,* id est per nubem, cujus una atque anterior pars plebem præcessit, alia pars eam obumbravit contra solis ardorem. Porro an fuerit eadem columna ignis et nubis, ita quod nubes pro parte fuit subtilis, clara,
Exod. XIII, 21. et ignea, et pro alia parte spissa, super Exodum est discussum; nec est certum, quia de hoc sunt duæ probabiles opiniones. Hebræi vero potius tenent, quod erant duæ columnæ : una nubis, apparens in die, et disparens de vespere; alia ignis, de vespere subintrans, ac mane recedens. Alii dicunt, quod una fuit in substantia, sed duplex officio, utpote ex una parte lucens ut ignis, ex alia parte obumbrans ut nubes.

Quumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, id est præinducta pravissima verba vestra : quæ non audivit auditu corporeo, nec per alterationem aut cognitionem recentem, sed æternaliter præcognovit; et quando proferebantur, ostendit se ea cognoscere per vindictam; *iratus* non per conturbationem affectus, sed per rigorem effectus, *juravit, et ait : Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam,* scilicet repromissam, *præter Caleb filium Jephone,*
Num. XIV, 30. et etiam præter Josue, qui alibi exprimitur. Et istud intelligendum fuit de his, qui

A in prima numeratione fuerant numerati, ideo et Levitæ excipiuntur. *Nec miranda indignatio Dei in populum,* id est contra vulgares numeratos, *quum mihi quoque iratus Dominus propter vos,* etc. Quasi dicat, Non mirum quod vobis, hoc est prædictis patribus vestris, indignatus est Dominus propter tot scelera eorumdem, quum et mihi sibi tam familiari et electo indignatus sit propter vos. Hoc non est intelligendum, quod propter crimina populi Deus iratus fuerit Moysi, et eum prohibuerit terram Chanaan ingredi : quoniam in
B libro Numerorum et alibi manifeste habetur, quod Moyses et Aaron peccaverunt ad aquas Contradictionis vitio incredulitatis, Domino ad eos loquente, Pro eo quod non *Num.* XX, 12. credidistis mihi. Idcirco quod ait, Propter vos, exponendum est, Propter peccatum quod occasione vestri incidi. Ex importuna quippe plebis instantia, seditione ac jurgio, Moyses et Aaron conturbati fuerunt et mente impediti a consideratione omnipotentiæ Dei, sicque videbatur eis
C quasi impossibile aliquid, aquam de petra *Ibid.* 10. ejicere, ut in Numeris dictum est plenius. *Vos autem revertimini et abite in solitudinem per viam maris Rubri.* Omnia hæc in libro Numerorum scripta sunt atque exposita : siquidem propter scelera sua jussit Dominus ut redirent in eremum, per *Ibid.* XIV, 25. viam ducentem ad mare Rubrum.

Et respondistis mihi : Peccavimus Domino. Hoc dixerunt, visa subitanea morte *Ibid.* 36, 37. decem exploratorum, ex quorum verbis moti fuerunt ad murmurandum. *Ascende-*
D *mus et pugnabimus, sicut præcepit nobis Dominus. Quumque instructi armis,* id est armis muniti. Unde et in Exodo legitur, quod filii Israel armati ascenderunt *Exod.* XIII, 18. de Ægypto. Circa quod aliqui dicunt, quod aliqui arma secum tulerunt, et quod Ægyptii concesserunt eis arma, sicut et vasa aurea atque argentea. Vel per arma, intelliguntur fustes et baculi aut etiam gladii. *Pergeretis in montem,* ad eundum versus terram promissionis, ad pugnandum quoque contra adversarios vestros, *ait mihi*

Digitized by Google

Dominus : Dic ad eos : Nolite ascendere, A *neque pugnetis, non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris. Locutus sum vobis* verbum Dei id prohibentis, *et non audistis* auribus cordis, id est, non obtemperastis ; *sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbia,* quia præsumpsistis de vestris viribus,et vane gloriabamini de hoc quod essetis populus Dei,et adjuvandi ab eo, cui non obedistis, *ascendistis in montem,* id est in loca Amorrhæorum montuosa. *Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam* B *veniens, persecutus est vos sicut solent apes persequi,* id est, faciliter fugavit vos, sicut fugantur apes. Vel, Persecutus est vos, acriter vos lædendo sicut apes persequuntur eos quos acutis aculeis pungunt. *Et concidit* *, id est, gladio percussit, *de Seir,* id est a loco vel confinio Idumæorum, *usque Horma,* id est usque ad locum sic dictum, propter causam in Numeris positam. Et ut in Numeris habetur, Horma interpretatur anathema. Porro ut in eodem libro legitur, Descendit Amalecites et Chananæus, et persecutus est eos usque Horma. Unde elicitur, quod Amalecitæ juvabant Amorrhæos, qui ibi designantur per Chananæos.

* *cecidit*

Num. XIV, 45. *Ibid.* XXI, 3. *Ibid.* XIV, 45.

Quumque reversi : non illi qui gladio corruerunt, sed qui per fugam evaserunt ; *ploraretis coram Domino,* potius propter adversa seu mala pœnæ quæ incurristis, quam propter mala culpæ quæ commisistis ; *non audivit vos,* id est,vestrum fletum non acceptavit, quia non venit ex vera contritione, *nec voci,* hoc est orationi, *vestræ voluit acquiescere :* quia non relaxavit pœnam, quam vobis infligendam prædixit propter scelera vestra, nec suam retractavit sententiam. Etiam dato quod quidam illorum vere pœnituissent, non tamen retractavit Deus sententiam prolatam de eorum justa punitione, quam nec Moysi nec Aaron relaxavit pro peccato eorum ad aquas Contradictionis. Interdum etenim, imo frequenter Deus dimittit culpam, non pœnam. *Sedistis ergo,* id est, mansistis et habitastis, *in Cadesbarne multo tempore.* Quum enim vidissent se non posse ad terram promissionis procedere, C manserunt diu in loco præfato et in circumjacentibus locis. Redierunt tamen in eremum ad nubis motum.

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI PRIMI INTELLECTU.

MOYSES non Christum dumtaxat, sed D et quemlibet designavit fidelem prælatum. Quemadmodum ergo Moyses, obitu suo instante, populum sibi commissum præ solito diligenter ac fervide admonuit et instruxit, de pervigili divinæ legis custodia, de beneficiis et mirabilibus Dei factis atque fiendis, de iniquitatibus et ingratitudinibus populi, et de justis judiciis Omnipotentis super justos ac reprobos in futurum ; sic Dominus et Salvator ante diem festum Paschæ, sciens quia venit hora ejus qua transiret ad Patrem, convocatis et secum cœnantibus Apostolis, atque in eorum persona universis fidelibus, post cœnam fecit prolixum pulcherrimumque sermonem, in quo legem evangelicam, quam jam ante in monte tradiderat, explanavit, et plurima addidit, christianæque fidei docuit fundamenta, et ejus per mundum divulgationem, miraculis roborandam. In quo item sermone, Judæorum scelera ac dispersionem prædixit, beneficia Spiritus Sancti promisit, et de futuro statu

Joann. XIII-XVI.

Digitized by Google

Ecclesiæ evidentissime ac copiosissime est locutus.

Moraliter, horum exemplo docentur animarum curam habentes, ut tota sollicitudine sibi commissos hortentur, informent, corripiant, et præcepta Dei eis proponant frequenter, quousque eorum cordibus efficaciter imprimantur. Districtionem quoque divini judicii, et tormenta inferni, cum omni fervore sermocinentur, ut saltem timore retrahantur a vitiis, qui boni honesti amore non afficiuntur virtutibus. Insuper, beneficia per Christum exhibita populo christiano ab Ecclesiæ primitivæ exordio, distincte replicent ac ferventer, et peccata eorum improperent eis cum discretione, exhortando semper eos ad pœnitentiam et emendam. Denique, sicut Moyses locutus est populo cuncta quæ Dominus jussit; sic prælatus et prædicator, omni carnali et mundano timore postposito, insinuare debet gregi dominico universa Dei atque Ecclesiæ sanctæ præcepta, et quidquid audientium necessarium est saluti. Verumtamen qui præest et docet, satagere debet, ut in primis et antequam instruat alios, interficiat reges Amorrhæorum, id est, vitia mundi, omnem ambitionem et fastum atque carnalitatem in semetipso, tenebrarumque principes sub suis conterat pedibus.

Insuper, sicut filiis Israel, mox ut legem in Sinai susceperunt, Dominus jussit ire ad terram promissionis, sic Christus quum in monte Thabor legem evangelicam dedisset, statim auditoribus suis præcepit, ut per divinorum exsecutionem præceptorum, ad cœlestem properarent hereditatem, hujusque sæculi pertransirent desertum, nil in hoc mundo inordinate amando, delectationesque sæculi aspernando. Amplius, sicut Moyses deprecatus est, Israeliticum populum merito numeroque augeri; sic unusquisque fidelis, præsertim prælatus et doctor, toto debet affectu Dominum jugiter exorare, ut plebs christiana in omni sanctitate et justitia, in potestate et multitudine copiosa excrescat assidue, et invisibilibus ac visibilibus suæ salutis prævaleat inimicis. Debent quoque prælati sibi assumere adjutores idoneos ad informandum ac dirigendum subjectos, nec se in exterioribus superflue occupare, ne a spiritualibus exercitiis impediantur; sed circa gregem commissum, intus purgandum ac servandum, semper intenti sint; sicque exteriorum dispositionem, quantum congrue fieri potest, suis committant officiatis.

Matth. V-VII. *Luc.* VI, 20 *et seq.*

Præterea ex hoc textu docemur, quales sint ad prælaturas atque officia eligendi ac promovendi : videlicet qui vita, scientia, ætate et fama reputantur magis idonei, qui et in omni suo officio debent se juste habere, et sine personarum acceptione unumquemque judicare, corripere, castigare, neminem spernere, universos in Deo diligere, omnique passione exclusa, secundum verum justitiæ callem procedere. In difficilioribus vero ac periculosioribus causis ac casibus, ad suum debent superiorem cum humilitate habere recursum, nec transgredi terminos sibi præfixos. Principes demum et prælati superiores singulariter debent esse solliciti et intenti circa vicarios, officiatosque suos, instruendo ipsos qualiter habere se debent, et inquirendo an sicut tenentur, ita se habeant. Qui nisi juste habuerint se, admoneantur ut corrigant se : quod nisi fecerint, a suis stationibus expellantur, et eorum officia melioribus committantur. Sic etenim multi virtuosi et sancti reges, principes et prælati, leguntur fecisse. Quid autem per exploratores et facta eorum mystice designetur, in libro Numerorum est expressum. *Num.* XIII.

Postremo, erudiamur ex isto capitulo, omnem inobedientiam evitare, diffidentiam fugere; nec contra Deum nec contra ejus vicarios murmuremus. Absit vero ut aliquis sic passionibus inflammetur, ut prorumpat in verba malitiæ et nequitiæ contra Deum, ne inter eos numeretur, de quibus per Prophetam Dominus conqueritur, dicens : Quoniam declinaverunt in me *Ps.* LIV, 4.

Digitized by Google

iniquitates. Nec quispiam dicat : Odit me Dominus, id est, reprobus sum et præscitus, et salvari non valeo. Acquiescat quoque unusquisque superioribus et correptoribus suis in omni salubri materia ; nec in montem superbiæ ascendamus, neque ad montem præsidentiæ quis adspiret, ne dæmonum incidat manus. Verumtamen ad montem perfectionis pertingere enitamur, et vestigia Christi, qui est mons montium, imitemur, atque ad montem triumphantis Ecclesiæ adspiremus. Rogemusque Dominum, ut in nocte vitæ præsentis, id est in omni adversitate et tentatione, in omni ignorantia et errore, dignetur nobis iter salutis, lumen veritatis, splendorem justitiæ demonstrare per ignis columnam, hoc est per Spiritus Sancti gratiam ac virtutem : ipse quippe est ignis innocue ardens, peccata consumens, corda inflammans, et superessentialis dilectio ; in die vero, id est in omni prosperitate et profectu, per columnam nubis, hoc est per veram discretionem, quæ dulciter mentem refrigerat et obumbrat contra indiscretum fervorem, contra passionum vitiorumque æstum : sicque Deo ductore via regia gradiamur, nec in prosperis inaniter gloriemur, aut in tumore alicujus arrogantiæ seducamur, aut per indiscretionem cadamus, nec in adversis dejiciamur per impatientiam aut errorem.

Postremo vitandum, ne quis contra doctrinam Scripturæ, aut contra suorum monita prælatorum, sponte se ingerat ad prælia tentationum, instructus armis propriæ præsumptionis, et confidens viribus suis : quia si fecerit, ab immundis spiritibus facillime elidetur, sicut solent apes prosterni : propter quod imperfectis non expedit tentationes optare. Qui autem in omni humilitate, caritate, discretione bene fundati sunt et armati in Domino, ita ut dicere queant, Persequar inimicos meos, etc., possunt eos sine periculo affectare. *Ps.* XVII, 38.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : PROFECTIQUE INDE VENIMUS IN SOLITUDINEM.

PROSEQUITUR Moyses inchoatam historiam, specialiter nunc describens, a quarum gentium impugnatione prohibuerit Dominus filios Israel. *Profectique inde,* puta de Cadesbarne, secundo, videlicet post determinationem divinæ sententiæ quod per quadraginta annos in solitudine maneremus, *venimus in solitudinem,* id est in partem quamdam totius deserti illius, quod a diversis partibus suis, et a circumjacentibus locis, atque a quibusdam eventibus diversa nomina habet, *quæ ducit ad mare Rubrum,* id est ad aliquem ejus sinum : redierunt enim ad quædam loca in quibus ante fuerunt ; *sicut dixerat Dominus. Et circuivimus montem Seir longo tempore.* Per montem Seir intelligitur territorium Idumææ, vel aliquis eminens mons in ea.

Dixitque Dominus ad me : Sufficit vobis circuisse montem istum, id est, satis diu in gyro montis istius deambulastis. Alloquitur autem Dominus Moysen in persona totius populi sibi commissi, et sic Moyses verba Dei retulit plebi. *Ite contra aquilonem,* id est versus plagam septentrionalem. In Idumæa autem est valde intensus calor solis tempore æstivali, ita quod habitatores terræ illius de die latere consueverunt in subterraneis ædibus, secundum Hieronymum. *Et populo præcipe, dicens : Transibitis per terminos fratrum*

Digitized by Google

vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir : qui vocantur fratres filiorum Israel, *Gen.* xxv, 24, 25. quoniam Jacob et Esau fuerunt fratres gemelli uterini ; *et timebunt vos.* Audierant enim Idumæi, qualiter Ægyptii erant propter filios Israel destructi, submersi, occisi : ideo timebant sibi imminere periculum, vel suspicabantur quod filii Israel intenderent terram eorum vastare aut possidere, vel bona eorum diripere. Forsitan etiam timuerunt eos, quoniam perceperunt quod Deus eorum pugnaret pro ipsis, cui nullus resistere posset.

Sed contra hæc duplex potest fieri objectio. Prima, quoniam in Numeris scriptum *Num.* xx, 21. est, quod rex Edom negavit filiis Israel transitum per terram suam, propter quod declinaverunt ab eo. Quomodo ergo nunc dicitur, Transibitis per terminos fratrum vestrorum ? Secunda, quia in eisdem Numeris legitur, quod rex Edom mandavit *Ibid.* 18, 20. populo Israel : Non transibis per me, alioqui armatus occurram tibi. Statimque egressus est obviam cum infinita multitudine. Ergo apparet quod Idumæi non timuerunt filios Israel. Verum ad hæc patet solutio ex dictis Numerorum. Certum est quoque, quod multi vadunt ad prælium contra eos quos aliqualiter timent, quum et in Job *Job* xv, 24. scriptum sit : Angustia vallabit impium, sicut regem qui paratur ad prælium. In expositione autem hujus voluminis est observandum, quod ait Gilbertus : In aliis libris exposita transcurrimus, ut his quæ non sunt exposita, immoremur.

Videte ergo diligenter ne moveamini contra eos, id est, nec affectu, nec opere ineatis pugnam contra Idumæos. *Neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium : quia in possessionem Esau dedi montem Seir,* id est, terram Idumææ montuosam dedi hereditarie ipsi Esau ac posteris ejus, propter merita patriarcharum Abrahæ avi Esau, et Isaac patris ejus. *Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis.* Ibant enim filii Israel vel juxta vel per Idumæam ; sicque vendiderunt Idumæi eis cibaria cupiditate

A lucri magis quam ex caritate fraterna. *Aquam emptam haurietis,* id est, antequam hauriatis aquam ex puteis ipsorum, emetis eamdem. Aqua enim rara et cara est ibi. Ex hoc videtur, quod transierunt per terram ipsorum, saltem circa extrema terræ illius. *Et bibetis.* Sed cur Dominus dixit istud, quum filii Israel haberent quotidie manna ? Respondetur, quod quando filii Israel potuerunt sibi de necessariis vitæ providere modo humano, hoc Dominus permisit, atque in isto indulsit imper-
B fectioni ipsorum.

Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum, id est, gratiose adfuit tibi in cunctis. Præsertim autem sic adfuit justis, et gratiosius adfuit his, quibus Moyses ista locutus est, quam patribus eorum qui jam occubuerunt in eremo. *Novit iter tuum,* id est, processum tuum approbavit, et te in tuo custodivit itinere, consideravitque pie tuum progressum, *quomodo transieris solitudinem hanc magnam per quadraginta an-*
C *nos :* non quod assidue aut quotidie ambulaverunt in ea tot annis, imo frequenter quieverunt multis diebus in certis locis ; *habitans tecum,* id est in tabernaculo quod fuit in medio populi, in cordibus quoque bonorum, *Dominus Deus tuus ; et nihil tibi defuit.* In libro Numerorum et Exodo *Num.* xx, 2. leguntur interdum aqua indiguisse, sed et *Exod.* xvii, 1-3. infra habetur, Afflixit te penuria : quo- *Deut.* viii, 3. modo ergo nihil defuit eis ? Et respondendum, quod sic nihil defuit eis finaliter, quia necessitatibus eorum Deus pie subve-
D nit. Justis etiam manna sapuit ut volebant.

Quumque transissemus fratres nostros filios Esau, per viam campestrem venimus ad iter quod ducit in desertum Moab : quod totius deserti illius pars perhibetur, et a regno Moabitarum sibi vicino, desertum Moab vocatur. *Dixitque Dominus ad me : Non pugnes contra Moabitas. Non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem.* Ar fuit civitas metropolis in regione illa : idcirco per Ar, tota illa regio significa-

Digitized by Google

tur, quam Dominus contulit filiis Lot, id A est posteritati natæ ex Lot per filium ejus *Gen.* XIX, 37. primogenitum nomine Moab, deditque terram hanc Moabitis meritis Lot patris eorum, vel etiam meritis Abrahæ, cum quo *Ibid.* XII, 4. Lot propriam terram reliquit. *Emim,* id est homines sic vocati, quia terribiles erant adspectu : Emim quippe, secundum Glossam, interpretatur terribilis; *primi fuerunt habitatores ejus,* hoc est, ante Moabitas habitabant in terra illa, *populus magnus* numero, *et validus* robore corporali, *et tam excelsus* statura, *ut de Enacim stirpe* B *quasi gigantes crederentur,* id est, quantitate et robore similes erant filiis Enac seu Enacim gigantis, ita quod putabantur a multis nati ex illo gigante, de quo in *Num.* XIII, 34. Numerorum libro facta est mentio. *Denique Moabitæ appellant eos Emim,* id est terribiles, quoniam vultu, statura et robore erant terribiles.

In Seir autem, hoc est in Idumæa, *prius habitaverunt Horræi :* qui secundum quod legitur, ita vocati sunt, quia et ipsi enormitate corporis erant horribiles ; *quibus* C *expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau :* id est, posteritas Esau, auxiliante Deo, Horræos illos expugnavit, et terram eorum possedit ; *sicut fecit Israel in terra possessionis suæ.* Si hoc exponitur de filiis *Josue* VI, *et seq.* Israel qui terram promissionis hereditaverunt, interfectis in ea Chananæis, sicut in libro Josue recitatur : dicendum, quod Moyses dixit hoc more prophetico, de futuro loquens per modum præteriti. Nam ipso vivente, filii Israel terram promissionis ingressi non sunt. Si vero intelligatur D de tribubus Ruben et Gad atque dimidia tribu Manasse, quæ ante hujus libri conscriptionem obtinuerunt regna Sehon et Og, sic est historialis narratio. Porro, secundum Glossam, Seir est mons in terra Edom, in quo habitavit Esau in regione *Gen.* XIV, 6. Gabalena, ubi ante habitavit Chorræus, quem interfecit Chodorlahomor rex Elamitarum, ut in Genesi legitur : qui mons ab Esau piloso et hispido, nomen Seir, id est pilosi, accepit.

Surgentes ergo de solitudine Moab, *ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum.* De quo torrente dictum est super illud Numerorum : Filii Israel fixerunt *Num.* XXI, 11, 12. tentoria in solitudine quæ respicit Moab ; inde venerunt ad torrentem Zared. *Tempus autem quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta octo annorum fuit :* non quod tot annis fuerint in continuo motu aut directo progressu de uno illorum locorum ad alium locum, sed sæpe et diu quieverunt hinc inde, et terram Edom circuierunt ; *donec consumeretur omnis congregatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus. Postquam autem universi ceciderunt pugnatores* in prima numeratione numerati, *locutus est Dominus ad me, dicens : Tu* cum populo tuo *transibis,* id est transire incipies, *hodie,* vel, Transibis hodie, id est in brevi seu tempore isto, *terminos Moab, urbem nomine Ar :* de qua jam dictum est, et circa illam pertransierunt Israelitæ, non per urbem illam ; *et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium,* eadem ratione qua nec contra Moabitas. *Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon. Terra gigantum reputata est* regio Ammonitarum ; *et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus et multus et proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum,* utpote Ammonitarum, qui Dei auxilio illos vicisse censentur. *Hevæos quoque qui habitabant in Haserim,* id est in terra sic nuncupata, *usque Gazam* urbem Philistiim, *Cappadoces expulerunt : qui egressi de Cappadocia, deleverunt eos.*

Surgite et transite torrentem Arnon. Ista sunt verba Dei ad filios Israel, quibus jussit torrentem illum transire. De quo transitu dictum est circa illud Numerorum : Castrametati sunt contra Arnon. Siquidem *Ibid.* 13, 14. Arnon terminus est Moab. Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon, etc. *Ecce tradidi,* id est, pro certo

Digitized by Google

tradam, et dare decrevi, *Sehon regem Hesebon in manu tua,* etc. *Hodie,* id est de proximo, *incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cœlo, ut audito nomine tuo, paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur :* hoc est, ita incipiam te, o popule Israel, exaltare, per hoc quod mea virtute tam repente ac facile vinces hunc regem, et deinde alios reges ac populos, quod universi habitatores orbis terrarum, audita fama tua, concipient timorem cordis ac formidinem corporis ex tua consideratione. Itaque non est sensus, quod ex sola dejectione Sehon aut Og tantum crevit fama filiorum Israel, sed crescere cœpit præcipue. Ideo apparentiam non habet opinio Rabbi Salomonis, qui (ut Lyra refert) ait quod in prælio Israelitarum contra Sehon et Og sol stetit, quemadmodum in prælio Josue ; nec probabile est, quod Moyses tantum siluisset miraculum. Unde quod dictum est, Incipiam mittere terrorem tuum in populos qui habitant sub omni cœlo, per synecdochen atque hyperbolen dictum videtur.

Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth, id est loci sic dicti in eremo situati, A *ad Sehon regem Hesebon.* Qualiter factum sit istud, in Numeris scriptum est atque expositum. (*Num.* XXI, 21 *et seq.*) Denique regna Sehon et Og non pertinebant ad terram promissionis, ut dictum est sæpe. Ideo Moyses primo obtulit eis pacem, et pacificum postulavit salvumque conductum ac transitum : quibus id agere renuentibus, meruerunt occidi. *Noluitque Sehon nobis dare transitum, quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus,* id est, justo judicio eum reliquit, nec mentem ejus per gratiam B emollivit, *et obfirmaverat cor illius,* non influendo malitiam, sed sponte conceptam non auferendo, quemadmodum cor Pharaonis legitur obdurasse (*Exod.* IV, 21; XI, 10.); *ita ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides* factum. Quod ait, Ut traderetur, aliqui dicunt intelligendum consecutive, non causaliter. Sed quia malum pœnæ causaliter est a Deo, et Deus justo judicio illum ita reliquit, ut illam incurreret pœnam, scilicet interfectionem ab Israelitis, potest dici quod, Ut, tenetur hic causaliter. Cetera hujus capituli verba C patent ex dictis Numerorum. (*Num.* XXI, 21 *et seq.*)

Postremo, sicut litteralis, ita et spiritualis hujus capituli intellectus patet ex dictis in præallegatis libri Numerorum capitulis.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : ITAQUE CONVERSI, ASCENDIMUS PER ITER BASAN.

QUALITER filii Israel vicerunt Og regem Basan, nunc recitatur. *Itaque conversi,* id est, vertentes nos a regione Sehon, ad ingrediendum territorium regni Og, *ascendimus per iter Basan,* hoc est, per viam quæ ducit ad regnum ipsius Og regis, quæ regio Basan vocatur. Dicunt nonnulli, quod Moyses non misit ad Og pro transitu, quoniam Og exiit in occursum filiis Israel antequam regionem suam attingerent. Glossa vero testatur, quod Moyses non dignabatur D legatos ad ipsum dirigere, forsitan propter ipsius superbiam et obdurationem. Hæc autem historia qualiter victus est Og, præhabita est atque exposita in Numeris. (*Ibid.* 33-35.)

Solus quippe Og rex Basan restiterat, id est, superstes fuit, *de stirpe gigantum* in terra illa. Alibi tamen adhuc erant gigantes, videlicet in terra Chanaan. Unde in Numeris exploratores dixerunt : Ibi vidimus monstra quædam de genere giganteo, (*Ibid.* XIII, 34.) quibus comparati, quasi locustæ videba-

Digitized by Google

mur. Tamen (ut refert Lyra) Rabbi Salomon fabulatur, quod solus Og supererat de gigantibus quos Chodorlahomor cum suis associatis, in Genesi legitur occidisse, quorum manum dicit istum Og evasisse, et usque ad Moysis adventum vixisse. Sicque a tempore Abrahæ tunc usque, vixisset plusquam annos quadringentos : quod fabulosum videtur. *Et monstratur lectus ejus ferreus qui est in Rabbath* urbe *filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor cubitos latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Scriptura ista tam diligenter describit magnitudinem corporalem istius Og, non quod hujusmodi corporea moles magnæ sit appretiationis coram Deo, sed ut victoria filiorum Israel, qua illum cum suo prostraverunt exercitu, mirabilior innotescat ad gloriam Omnipotentis, qui contulit eam. Cubitus autem continet pedem cum medio. Aliqui tamen dicunt quod duos contineat pedes. Porro de magnitudine et robore hujus Og, Judæi aliqua fatua fabulantur, quæ Lyra refert et reprobat; sed recitatione indigna censentur. Deinde in littera enarratur, qualiter terra duorum istorum distributa sit duabus tribubus atque dimidiæ: quod totum in Numerorum codice habitum, expositumque est.

Gen. XIV, 5-7. *Num.* XXXII, 33.

Precatusque sum Dominum in tempore illo, scilicet duobus regibus his prostratis, *dicens: Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo,* mihi videlicet Moysi, *magnitudinem,* id est majestatem, *tuam, manumque fortissimam,* id est operationem magnificam, quia per tam miraculosam dejectionem tantorum regum, exercituumque eorum, eo quod nullus filiorum Israel fuit læsus ab illis, monstravit Deus omnipotentiam suam. *Transibo igitur et videbo terram hanc optimam,* id est valde pulchram et uberem, *trans Jordanem et montem istum egregium et Libanum* qui continetur in terra illa. Istud fuit verbum cujusdam familiaritatis, et spiritualis fiduciæ, et æquivalenter fuit oratio : quasi dicat, Precor ut liceat mihi ingredi terram illam, et omnino confido quod exaudies me in hoc.

A Expertus etenim Moyses tanta beneficia Dei, confidentiam sumpsit ad ampliora; et quamvis jam ante ad aquas Contradictionis audisset a Domino, quod terram illam ob suum peccatum non introiret, nunc tamen cœpit confidere, quod Dominus hoc dixisset non absolute definiendo, sed comminando. At vero per montem egregium, quidam intelligunt montem quemdam situm in termino terræ promissionis australi, in quo est ascensus Scorpionis, de quo in Josue legitur. Per Libanum vero, intelligunt B montem sic dictum, in termino septentrionali ejusdem terræ locatum. Alii per montem, intelligunt montem in quo Abraham voluit ipsum Isaac immolare.

Num. XX, 12. *Josue* XV, 3. *Gen.* XXII, 2.

Circa hunc passum Rabbi Paulus scribit satis catholice, dicens quod Moyses vir perfectus, non optabat tanto affectu terram promissionis corporalibus oculis intueri propter corporalem adspectum dumtaxat, aut propter terræ dispositionem, sed ex devotione quam habebat ad ea quæ in terra illa erant facta, aut fienda : quia jam C ante, Abraham, Isaac, et Jacob habitaverunt ibidem, et Abraham voluit in monte Moria Isaac immolare, et habuerunt visiones multas in terra illa. Præviditque Moyses templum ædificandum in monte illo de lignis Libani, propter quod mentionem fecit de Libano, et scivit Christum in templo illo præsentandum ac prædicaturum : et quoniam scivit Christum per totam terram illam ambulaturum, prædicaturum, et miracula operaturum, optavit totam terram illam conspicere, quemadmodum multi D Christiani nunc cupiunt et laborant eam inspicere ex devotione eorum quæ gesta sunt ibi.

Iratusque est mihi Dominus propter vos, hoc est propter peccatum quod occasione vestri incurri (ut præcedenti articulo expositum est), *nec exaudivit me* in hac oratione, quia etsi culpam illam mihi indulsit, non tamen hanc pœnam, *sed dixit mihi : Sufficit tibi,* id est, satis orasti pro hac re, quia non impetrabis eam, et sufficit tibi gratia mea in aliis atque remissio

II *Cor.* XII, 9.

Digitized by Google

culpæ, nec tuæ saluti necessarium est terram illam intrare. *Nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Ascende cacumen Phasgæ,* id est montis alti sic appellati : de quo in Numeris dictum est; *et oculos tuos circumfer ad occidentem et aquilonem, austrumque et orientem,* id est ad quatuor plagas et terminos terræ promissionis, *et adspice.* Qualiter autem et quando Moyses fecit hoc, et qualiter ex vertice montis illius vidit totam terram promissionis, ultimo hujus libri capitulo recitatur. Sed quæri potest, quomodo hic dicatur, Ascende cacumen Phasgæ, etc., quum in Numerorum volumine Dominus dicat, Ascende in montem istum Abarim. Et infra additur, In montem Nebo. Respondetur, quod ejusdem montis diversa sunt nomina, vel superior pars montis illius dicitur Phasga, imo et Nebo. *Nec enim transibis Jordanem istum. Præcipe Josue,* ut te defuncto, impleat quæ ei vivens jussisti, videlicet ut populum istum præcedat, regat, et introducat in terram promissionis. Qualiter autem Moyses Deo jubente fecerit ipsum Josue successorem suum in principatu, dictum est in Numeris. *Et corrobora eum atque conforta,* id est, verbo et exemplo exhortare eum ad constantiam, A idoneamque sui officii exsecutionem, nec pusillanimis fiat timendo quod corruendo in aliquam culpam demerebitur introducere populum istum in terram promissam, sicut tu eo perfectior demeruisti; *quia ipse præcedet populum istum, et dividet eis terram :* quasi dicat, Absolute affirmo quod faciet hoc, et præservabo eum a tali ruina. *Mansimusque in valle,* id est, ad tempus quievimus in valle montis præfati, *contra fanum Phogor,* id est ex opposito loci, in quo filiæ Madianitarum incitaverunt filios B Israel ad cultum Beelphegor, juxta illud Numerorum : Madianitæ deceperunt vos per idolum Phogor. Initiatusque est Israel Beelphegor.

Num. XXIII, 14. — *Deut.* XXXIV, 1-4. — *Num.* XXVII, 12. — *Ibid.* XXVII, 18-23. — *Num.* XXV, 18 et 3.

Sensus spiritualis. De spiritualitate hujus capituli, super librum Numerorum in præallegatis capitulis dictum est; atque ut dictum est sæpe, quod Moyses legislator Judæorum eos in terram promissionis nequivit inducere, præfiguravit, quod per observantiam veteris Testamenti, nemo valuit cœlorum ingredi regnum, nisi Christo pro humano C genere satisfaciente, et suos electos in cœlestem patriam finaliter principaliterque promissam introducente : sicut et Jesus filius Nun, filios Israel in terram terrenæ induxit promissionis.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTI : ET NUNC, ISRAEL, AUDI PRÆCEPTA.

HUCUSQUE sanctus Moyses præambula quædam præmisit, ad explanationem et observantiam legis deservientia, recitando varia beneficia Dei et eminentiam potentiæ ejus. Nunc incipit legis præcepta repetere, explanare, atque ad ejus custodiam diversis modis plebem hortari.

Et nunc, Israel, audi, hoc est, tu Israelitica plebs, sine dilatione ausculta auribus cordis et corporis, *præcepta* moralia D ac cærimonialia, *et judicia,* hoc est mandata judicialia, *quæ ego doceo te : ut faciens ea.* Scientia enim præceptorum est practica : ideo ordinantur ad opus, quemadmodum et Aristoteles ait : Quid est virtus inquirimus, non ut sciamus, sed ut boni reddamur. Finis autem præceptorum affirmativorum est, facere ea; sed negativa præcepta dantur ad vitandum opera mala, nec immediate, sed ex consequenti ordi-

Digitized by Google

nantur ad operationem. Porro, dum finis A præceptorum dicitur opus seu operatio, per operationem seu factionem intelligenda est non solum exterior, sed item interior actio : imo principales actiones fidei, spei et caritatis, sunt actus interiores, videlicet credere, sperare, diligere. Similiter principales actus virtutum moralium sunt, passiones intrinsecus refrenare ac reformare. De virtutibus quoque intellectualibus et donis constat, quod actus eorum principales, sunt interiores. *Vivas* per gratiam, et etiam vivas vita naturæ longiori, quia lex B vetus directe et evidenter promisit bona terrena, diuturnioremque vitam in corpore. Unde subjungitur : *et ingrediens, possideas terram* promissam, *quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.* Verumtamen sub talibus promissis ac præmiis intelligenda sunt principaliter bona spiritualia et æterna atque cœlestia præmia, quum certum sit bona corporalia, temporalia et terrena, non esse spiritualium bonorum, virtuosorumque actuum sufficientia præmia, potissimum apud Deum, qui ultra C condignum remunerat bona. Multi etiam sanctiores in veteri Testamento caruerunt talibus temporalibus præmiis, prosperitatibusque terrenis, imo graves ac varias *Jer.* XXXVII et XXXVIII. III *Reg.* XIX. persecutiones sunt passi, quemadmodum de Jeremia, Elia, aliisque patet Prophetis.

Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Certum enim est, quod Scripturæ canonicæ nihil liceat addere vel auferre, textum mutando, vel tanquam ad textus substantiam pertinens. Unde et divus Dionysius ait : Non est au- D dendum aliquid de superessentiali Deitate asserere, præter ea quæ nobis in sacris sunt scripta eloquiis. Idem primo libro loquitur Damascenus. Nihilo minus per modum expositionis, exhortationis et doctrinæ plurima addi possunt et addita sunt. Circa hoc ait Glossa : Per hæc verba Moyses docet normam æquitatis, et omnem hæresim percutit. Vetat enim rectæ doctrinæ aliquid pravæ intentionis addere, vel aliquid veritatis subtrahere. Regia enim via est incedendum. Sic et S. Joannes in Apocalypsi ait : Si quis apposuerit ad hæc, apponet *Apoc.* XXII, 18, 19. super eum Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. Itaque Moyses prohibuit suis verbis aliquid addi aut subtrahi, non in quantum erant verba ipsius, sed quoniam erant verba Spiritus Sancti per ipsum loquentis.

Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis, in memoria et effectu. *Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor :* quod consequenter exponitur. *Quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri,* id est, qualiter Deus peremit fratres vestros, qui ad suggestionem Madianitarum adoraverunt idolum Phogor : propter quod scelus percussi fuerunt de populo Israel *Num.* XXV, 9. viginti quatuor millia, ut in Numeris describitur. *Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro* per fidem et obedientiam, nec ad idololatriam declinastis, *vivitis universi* vita naturæ et gratiæ, *usque in præsentem diem.*

Scitis quod docuerim vos præcepta cærimonialia et judicialia, *et justitias,* hoc est præcepta Decalogi, quæ sunt directe de actibus justitiæ, atque ad naturalem pertinent rationem et legem, *sicut mandavit mihi Dominus Deus meus :* qui quamvis sit omnium Deus per creationem et universalem provisionem, electorum tamen est Deus tanto specialius, quanto se gratiosius habet ad eos, et quanto perfectius ab ipsis amatur ac colitur. *Sic facietis ea in terra quam possessuri estis, et observabitis opere.* Mandata enim sunt implenda juxta præcipientis intentionem, nec sufficit ad salutem, ea facere quantum ad substantiam operis, sed ex fide et caritate, intentioneque recta oportet ea servare. *Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis,* id est, in hoc consistit vera et salutaris sapientia vestra ac intelligentia inter gentes et coram hominibus, qui viderint vos in divinorum observantiis præceptorum fideles, *ut audientes universi præce-*

Digitized by Google

pta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens, id est, plebs ista Israelitica, Deum verum obedienter et integre colens, est veraciter sapiens, fortunatam et sapidam divinorum scientiam habens, et ea quæ Dei sunt, recte intelligens : sicque convertantur ad legem vestram. Hinc Job fatetur : Ecce cultus Dei, ipsa est sapientia ; et recedere a malo, intelligentia. *Gens magna,* magnitudine spirituali per donorum abundantiam supernorum. Erant quoque magni numero, quia ut patuit, fuerunt ut stellæ plurimi.

Job xxviii, 28.

Deut. i, 10.

Nec est alia natio tam grandis. Infra legitur : Te elegit Dominus, etc., non quia cunctas gentes numero vincebatis, quum sitis omnibus populis pauciores. Idcirco quod ait, Non est alia natio tam grandis, exponendum est, quod illo in tempore non erat aliqua plebs tam digna et electa a Domino, ut Israeliticus populus, ex electissimis Patriarchis ac vatibus natus, divina lege instructus, variis gratiæ donis ornatus, quia ex ea Christus Dei Filius exstitit nasciturus. *Quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris :* hoc est, gentiles qui idola colunt seu falsos deos, non tam prompte aut salubriter exaudiuntur a diis suis, sicut nos exaudimur a vero Deo quem colimus ; nec dii gentium tam potenter et miraculose suos valent cultores protegere ac juvare, sicut nos defendit ac adjuvat Deus noster. Hoc clarissime patuit in Ægyptiis, Amorrhæis, Madianitis, ac ceteris jam victis ab Israelitis. *Quæ est enim alia gens sic inclyta,* spirituali et vera nobilitate gratiæ ac virtutum, aut nata ex tot clarissimis Patriarchis, *ut habeat cærimonias justaque judicia,* hoc est cærimonialia et judicialia præcepta, *et universam legem,* quantum ad præcepta moralia et hortamenta ac documenta legis, *quam ego proponam hodie,* id est in tempore isto, *in conspectu vestro* *, vobis præsentibus, et ante oculos cordis vestri ? quasi dicat, Non est alia gens talis, sed tu sola es plebs tam electa et nobilitata a Deo. Ne ergo sis

Ibid. vii, 6, 7.

* *ante oculos vestros*

A Deo ingrata, et ne tantam præclaritatem amittas.

Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite, hoc est, cum spirituali sollicitudine præcave tibi ab omni peccato, et intus ac extra sis custoditus, ne in aliquo Deum offendas, sed coram eo semper sollicite ambula. *Ne obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui,* hoc est, divinorum præceptorum ac testimoniorum, quæ oculi tui interiores intellexerunt, nunquam immemor fias. Vel, Ne obliviscaris verborum, B id est rerum significatarum, per verba videlicet signorum et prodigiorum beneficiorumque Dei, quæ corporaliter conspexisti. Possunt quoque per verba, intelligi mandata Decalogi, quæ Dominus in monte Sinai locutus est plebi. Unde in Exodo scriptum est : Cunctus populus videbat voces et lampades, et perterriti dixerunt : Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Atque post pauca dixit Dominus : Vos vidistis quod de cœlo locutus sim vobis. Sicque per visum designatur auditus. Visus C namque inter sensus obtinet principatum : idcirco pro unoquoque sensu accipi potest. *Et ne excidant de corde tuo* per negligentiam, seu occupationem immoderatam in aliis. Verumtamen non oportet sine interpolatione ea actualiter reminisci, sed semper habitualiter debent inesse memoriæ, et actualiter omni tempore opportuno. Estque valde expediens ut assidue recolantur, quatenus secundum ea totam nostram conversationem regulemus ac dirigamus. *Docebis* filios ac nepotes tuos,* hoc D est sobolem ac familiam, posteritatemque tuam, verba præfata *et diem quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb,* id est, omnibus his narrabis, quando et qualiter stetisti ad radices montis Sinai ante legis dationem, et ibi audisti Dominum loquentem ac dantem ipsum legis Decalogum, prout in Exodo legitur.

Exod. xx, 18, 19, 22.

* *ea*

Exod. xix et xx.

Et accessistis ad radices, hoc est pedem, *montis* Sinai, *qui ardebat usque ad cœlum.* Hoc hyperbolice dicitur, id est, valde alte ascendit ignis a cacumine montis illius.

Digitized by Google

Vel usque ad cœlum aereum, quod aqua diluvii occupavit. *Erantque in eo tenebræ,* hoc est fumositates et vapores obscuri, *et nubes,* quæ fuit densissima, *et caligo,* id est carentia luminis : quo constat quod ignis ille fuit fumosus, qui tamen habuit aliquid claritatis, et fuit in una parte montis claritas quædam. Hinc in Exodo legitur, Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace. Eratque mons omnis terribilis. De his et horum causis pertranseo, quia super Exodum hinc dictum est plenius.

Exod. XIX, 18.

Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis : quia in illo igne montem operiente, angelus in Dei persona apparens, loquebatur ex loco eodem, sicut in igne rubi. Et recte Dominus, qui ignis consumens vocatur, in igne apparuit : nam et ignis sua agilitate, actualitate, calore, splendore, puritate et subtilitate, divinæ naturæ proprietates evidenter designat. Voluit quoque Deus per hujusmodi apparitionem et allocutionem terribilem, suæ majestatis timorem Judæis incutere. Unde demum in Exodo legitur : Jam advenerat dies tertius, et ecce cœperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementis perstrepebat, et timuit populus. *Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis,* hoc est nullam sensibilem speciem ejus qui loquebatur. Quamvis enim angelus sic apparens, consuevit Moysi sensibiliter apparere in corpore assumpto, tamen pro tunc non ostendit filiis Israel angelus ille aliquam similitudinem corporalem : primo, ad insinuandum divinæ naturæ incircumscriptibilem immaterialitatem, atque purissimam simplicitatem ; secundo, ne ad imaginem Domini apparentis, filii Israel formarent sibi sculptile aliquod sive conflatile, sicque addiscerent idola colere, prout paulo post in textu exprimitur. *Et ostendit vobis pactum suum,* hoc est legem seu fœdus quod iniit vobiscum, ut essetis de cetero peculiaris populus ejus. *Quod*

Hebr. XII, 29.

Ibid. XIX, 16.

A *præcepit, ut faciatis**, implendo quod lex jubet, et quod fœdus illud requirit ; *et decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis,* hoc est decem præcepta, quæ primo per allocutionem proposuit, deinde in duabus lapideis tabulis scripsit.

* *faceretis*

Exod. XX; XXXI, 18 ; XXXIV, 28.

Mihique mandavit in illo tempore, ut docerem vos cærimonias et judicia, quæ facere deberetis in terra quam possessuri estis. Quum enim filii Israel audissent Dominum decem præcepta terribiliter proponentem, timore concussi, locuti sunt Moysi :
B Loquere tu nobis, et non Dominus, ne moriamur. Atque extunc Dominus soli Moysi proposuit cærimonialia judicialiaque præcepta, ut ipse doceret ea filios Israel, sicut in Exodo legitur. *Custodite ergo sollicite animas vestras* ab omni divinorum præceptorum transgressione, præsertim ab interiori impuritate. *Non vidistis aliquam similitudinem.* Exprimitur ratio una prætacta, cur Dominus non apparuit populo in legis datione in aliqua corporali similitudine, scilicet : *ne forte decepti* errore
C idololatriæ, et putantes Deum in propria sua natura esse materialem, et corporalia lineamenta habentem, *faciatis vobis sculptam similitudinem,* id est corporale exemplar, ad cujus effigiem formentur idola quæ colantur, *aut imaginem masculi vel feminæ,* id est alicujus hominis. Itaque non faciatis *similitudinem omnium jumentorum,* id est, nullius jumenti similitudinem faciatis ad colendum, *quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, atque piscium qui sub terra morantur in aquis :* quæ juxta ripas suas, inferiores sunt terra ne effluant. Verumtamen aquæ in mari, in locis remotis a ripa, superiores sunt terra, imo et montibus terræ, ut patet ex tractatu de Sphæra, pleniusque probavi super illud in Psalmo, Super montes stabunt aquæ.

Ibid. XX, 19.

Ps. CIII, 6.

Ne forte, hoc est, etiam ideo nullam formam Dei vidistis, ne forte *oculis elevatis ad cœlum, videas solem* in die, *et lunam et omnia astra cœli :* non quod universa sidera sunt perceptibilia visu, sed distri-

Digitized by Google

butio ista accommoda est omnibus visibilibus stellis; *et errore deceptus,* putans quod aliquid numinis sit in eis, *adores ea et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.* Hoc Augustinus uno modo exponit sic, quod Deus creavit cœlestia corpora in cultum gentilium, non ita quod ideo fecit ea, quatenus ab idololatris colerentur, sed quia præscivit eos cultum illis exhibituros. Melius tamen exponitur, quod Deus creavit ea in ministerium, id est in usum atque obsequium activum, gentibus universis, ut scilicet cœlestia corpora suo motu, lumine et influentia ministrent hominibus, ac diversa commoda pariant eis, tempora distinguendo, juxta illud Genesis:
Gen. I, 14, 15. Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos, et illuminent terram. Hanc quoque expositionem tangit Augustinus. Itaque cœlestia corpora propter homines, et inferiora sunt eis: ideo non sunt ab hominibus adoranda neque colenda. Denique, numero electorum completo, cessabit motus cœli et influentia siderum consueta. Hinc ministerium quod impendunt hominibus, non est tale, quale quod angeli hominibus exhibent, et prælati subditis suis, quod est ministerium dignationis ac dignitatis. Idcirco ex his sumitur argumentum, quod corpora cœlestia non sint animata, quamvis Rabbi Moyses et alii multi aliter senserint. Hinc per Je-
Jer. X, 2. 3. remiam Dominus loquitur: A signis cœli nolite metuere quæ timent gentes, quoniam leges populorum vanæ sunt.

Præterea pro eo quod nostra habet translatio, Quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus: alia littera continet, Quæ distribuit Dominus Deus cunctis gentibus. Sic quoque secundum Rabbi Paulum, in Hebræo habetur. Circa quod (ut recitat Rabbi Paulus) quidam Hebræi dixerunt, quod sicut Deus deputavit ad custodias singularum gentium singulos
Dan. X, 13, 20. angelos, ut patet in Daniele de principe regni Persarum, et de principe regni Græcorum; sic singulis gentibus deputavit singula astra, quibus tales gentes cultum exhibuerunt. Insuper Rabbi Paulus hoc loco contradicit Lyræ, dicendo: Non videtur sufficiens ratio in proposito, quam postillator assignat hic, dicens: Si creaturæ humanæ non est latria impendenda, multo minus corporibus cœlestibus, quæ propter hominem facta sunt. Quocirca sciendum, quod Lyra compendiose et apte exponit hunc passum, nec valet reprobatio Rabbi Pauli. Quum enim finis sit dignior his quæ ordinantur in ipsum, et corpora cœlestia ordinentur in bonum hominis, quemadmodum elementa et mixta, certum est, quod si hominibus latria non debetur, ergo nec stellis nec orbibus. Unde ad insinuandum hoc ipsum, Moyses ait corpora cœlestia in ministerium gentium condita esse: per quod satis significavit, cœlestium corporum motum esse cessaturum, cessante hominum generatione. Nec obstat, si in Hebræo habeatur, Quæ distribuit: quoniam sensus redit in idem, videlicet quod corpora cœlestia usui commoditatique hominum sunt collata. Propter quod serviunt hominibus servitute inferioritatis, secundum quod Basilius et Damascenus istud exponunt.

Vos autem tulit Dominus et eduxit de fornace ferrea Ægypti, id est gravissima servitute et tribulationum fervore, quibus serviebatis Ægyptiis, quibus et lateres coxistis in furnis; *ut haberet populum hereditarium,* id est ad hoc, ut vos sitis populus Dei peculiaris, ei inseparabiliter cohærendo per fidem et cultum, sicut hereditaria possessio firmiter possessori adhæret. Unde per Isaiam Dominus ait: He- *Is.* XIX, 25.
reditas mea Israel. *Iratusque est Dominus contra me propter sermones meos* *, hoc * *vestros*
est propter culpam meam ad aquam Contradictionis, quam culpam incidi occasione murmurationum et seditionum vestrarum, juxta præhabita; *et juravit ut non transirem Jordanem.* Ante hæc non legitur Deus istud jurasse, sed quia Moyses nunc ita resumit, credendum est; et quia post

Digitized by Google

primam Dei sententiam de hac re Moyses exoravit, ut posset terram promissionis intrare, ut præcedenti habetur capitulo, verisimile reor, quod Dominus denegando illam petitionem, juravit quod Moyses illuc non introiret. Hoc de se interposuit Moyses ad aliorum cautelam, ne peccando demererentur terræ promissæ ingressum. Ideo subdit : *Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui,* id est legis ac fœderis ejus seu præcepti, quo jussit se solum adorari, et omnem idololatriam declinari ; *quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator,* id est acute et acriter puniens vitia, impiosque æterno injiciens igni. Deus item essentialiter caritas est, quæ igni assimilatur : ideo Deus omnem impietatem abominatur, et æquitatem zelatur. Propter quod subditur, Deus æmulator. (*Hebr.* XII, 29.)

Si genueritis filios immediate, *et nepotes* mediate per filios, *testes invoco cœlum et terram,* hoc est intellectuales rationalesque creaturas, et omnes Dei electos in cœlo ac terra morantes : sicque ponitur continens pro contento. Testari autem proprie non competit, nisi intellectualibus creaturis. *Cito vos perituros* cum vestra posteritate, si ad idololatriam cum posteris vestris lapsi fueritis. *Quumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum,* hoc est, dum per veram contritionem invocaveris misericordiam Dei, exaudieris; *si tamen toto corde quæsieris eum,* id est integra fide intellectus, et fervida affectione voluntatis, totisque viribus, *et tota tribulatione animæ tuæ,* hoc est, cum omnimoda afflictione pœnitentialis doloris, et cum salubri tristitia ac bona formidine. *Postquam te invenerint omnia quæ prædicta sunt,* hoc est, præfata mala pœnalia ac culpabilia tibi contigerint. In tribulatione enim Deus præcipue pronus est misereri, et afflictis compati est paratus. Verumtamen cum perseverantia oportet eum sic quærere. *Novissimo autem tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem ejus, quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est. Non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti in quo juravit patribus tuis.* Hoc accipi potest de finali ac generali Judæorum conversione circa sæculi finem, quia ut Apostolus protestatur : Quum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. Sicque Moyses verba hæc retulit ad diu post futuros, sub persona præsentium, quibus hæc loquebatur. (*Rom.* XI, 25, 26.)

Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante te, ex die quo creavit Dominus Deus tuus hominem super terram, id est, gesta a principio mundi revolve, inquire et lege : gesta, inquam, *a summo cœli usque ad summum ejus,* id est in omni loco sub extremis cœli contento. Vel inquire ab omni creatura sub gyro cœli locata. Sic et in Evangelio legitur : Congregabuntur electi a summis cœlorum usque ad terminos eorum. (*Matth.* XXIV, 31.) *Si facta est aliquando hujuscemodi res, aut unquam cognitum est,* id est, an unquam contigit tam admirabile gratiosumque opus Dei circa aliquem populum, *ut* scilicet *audiret populus* alter quam tu *vocem Domini loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti* ipsum tibi loquentem de igne in Sinai. Attamen in Genesi legitur, quod Dominus vocavit et allocutus est Abraham de cœlo ; sed hoc uni personæ, non toti populo, est concessum. (*Gen.* XXII, 11, 15.) Interroga quoque : *Si,* id est an, *fecit Deus* tam pie cum alia gente, *ut ingrederetur* Deus per suos ministros, angelos, et homines sanctos, et per effectus magnificos, *et tolleret sibi gentem,* hoc est, populum aliquem sibi misericorditer applicaret, *de medio nationum* incredularum, *per tentationes,* id est explorationes seu inquisitiones, quibus per verba quæritur aliquid, sicut Deus primo per Moysen a Pharaone per verba exegit, ut dimitteret filios Israel; (*Exod.* IV, 15.) et per *signa* minora seu particularia, ut erant conversio virgæ in colubrum, et reditio ejus in pristinam speciem ; (*Ibid.* VII, 9.) † *et prodigia,* id est generalia ac majora miracula, ut erant conversiones aquarum Ægyptiorum in sanguinem, et

Digitized by Google

obscuritas illa palpabilis trium dierum in A omni loco habitationis Ægyptiorum, sole suam lucem ab ipsis retrahente ; *atque portenta,* ut erant reliquæ Ægyptiorum plagæ ; *per pugnam,* qua Dominus pugnavit pro Israele contra Ægyptios, eorum primogenita occidendo, et ipsos submergendo in mari Rubro ; *et robustam manum,* hoc est potestatem, *extentumque brachium,* id est operationem sublimem, supernaturalem, et evidentem ; *et horribiles visiones,* quia, ut super Exodum dictum est, Deus in somnis dire ac sæpe perterrebat Ægy- B ptios per phantasias et apparitiones horrendas. Propter quod Sapiens ait : Visiones illos turbaverunt. Et item : Tunc continuo visiones somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati. *Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus,* quia per effectus cognoscitur causa, *et non est alius præter eum.*

Sap. XVIII, 19 et 17.

De cœlo audire te fecit vocem suam, ut doceret te, quia de cacumine montis Sinai, qui usque ad cœlum aereum est porrectus ; *et in terra ostendit tibi ignem suum ma-* C *ximum,* hoc est, tibi exsistenti juxta pedem montis, monstravit ignem terribilem valde magnum in vertice montis ejusdem : qui tamen ignis, igni elementari quasi incomparabiliter minor fuit ; *quia dilexit patres tuos,* hoc est, ex sua caritate et pietate hæc fecit, qua Patriarchas sanctos amavit, et propter merita quæ eis donavit, *et elegit semen,* id est posteritatem, *eorum post eos.* Sicque totum fuit pietas et gratia ejus, cujus tamen electio activa seu prædestinatio est æterna, sed per effectus monstratur D in tempore. Elegit quoque semen Patriarcharum non totum, sed aliquos posterorum.

Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam, ut confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum. Hic agitur de urbibus refugii, ad quas confugerunt qui a casu vel ignorantia aliquem occiderunt ; et de ista materia diffuse præhabitum est in Numeris. *Ista est lex quam proposuit Moyses coram filiis Israel,* hoc est, juxta Jordanem repetivit, sicut in Sinai eam recepit, ac populo insinuavit ; textusque planus est. Hanc tamen legem infra magis in speciali resumit, atque hucusque eam in generali multipliciter commendavit.

Num. XXXV, 6, 11-15.

Sensus moralis.

Moraliter docemur ex toto præsenti capitulo, quam sollicite et ferventer debemus legem evangelicam adimplere, quam ipsemet Deus incarnatus in propria persona contulit nobis, in cujus observantia consistit universa salus, honorificentia ac gloria populi christiani coram Deo et universis electis. Et si plebs christiana legem sibi desuper oblatam, integre inviolabiliterque servaret, a cunctis gentibus magnificaretur, et prævaleret universis hostibus suis. Denique quamvis Moyses pro tempore suo ac decursu veteris Testamenti, vere gloriatus est, dicens, Non est alia natio tam grandis, etc. ; itemque, Quæ est alia gens sic inclyta, etc. ? tamen tempore evangelicæ legis evacuata est gloriatio illa, quoniam populus christianus incomparabiliter magis honorificatus, nobilitatus, universis gratiarum eminentiis decoratus est sub novi tempore Testamenti a Deo, quam antea Synagoga. Et in Sacramento vere præsentialiter adest nobis ac precibus nostris Dominus Deus noster, perfectioremque legem contulit nobis quam illis. Sed quanto plus ita est, tanto amplius debemus Deo grati exsistere, atque cum omni diligentia et custodia cordis ei jugiter deservire. Quod si reliquerimus eum, dispergemur per multitudinem vitiorum, et serviemus dæmonibus, creaturis magis quam Creatori, tanquam idolis adhærebimus ; sed si toto corde et tota tribulatione animæ nostræ quæsierimus eum indesinenter, inveniemus. Postremo, quid per civitates refugii et alia in isto capitulo scripta designetur, in Numerorum libro et alibi est expressum.

Digitized by Google

ARTICULUS VI

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : VOCAVITQUE MOYSES OMNEM ISRAELEM.

Nunc incipit legislator legem in speciali resumere, atque ad ejus observantiam affectuosissime admonere; et a decem præceptis moralibus, quæ digniora sunt, incipit. *Vocavitque Moyses omnem Israelem.* Non enim potuit omnia verba hujus libri uno die proferre ad populum, sed vitans fastidium, quolibet die certam proposuit partem. Unde nunc volens ad particularia descendere, populum convocavit. *Et dixit ad eum : Audi cærimonias atque judicia, quæ loquor ego in auribus vestris hodie.* In libro isto idem sensus B nunc sub iisdem, nunc sub aliis verbis frequenter exprimitur ad inculcandam hanc legem duris cordibus Judæorum. *Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb,* id est, in monte Sinai legem contulit nobis, et pactum pacis, amicitiæ ac familiaritatis percussit nobiscum. *Non cum patribus nostris iniit pactum.* Scriptum est
Gen. IX, 8, 9; XVII, 2, 9. in Genesi : Dixit Deus ad Noe et ad filios ejus : Ecce ego statuam pactum meum vobiscum. Similiter alio loco libri ejusdem Dominus ait ad Abraham : Ponam C fœdus meum inter me et te. Tu ergo custodies pactum meum. Quomodo ergo nunc ait Moyses, Non cum patribus nostris iniit pactum ? Sed ad hæc ac similia una responsio, quia cum illis Deus non iniit pactum, id est, observantiam hujus totius legis eis non jussit, nec legem hanc tradidit ipsis. *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis,* id est palam et non per intermedium hominem, quia Decalogum protulit ad totum populum Israel immediate per angelum. *Ego sequester et medius fui inter Deum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Audito enim Decalogo ex ore Dei per A angelum, populus territus rogavit Moysen ut ipse ad Deum accederet, et verba ipsius audiret, denuntiaretque ea ipsis. Exod. XX, 18, 19.

Et ait : Ego Dominus Deus tuus, o Israel, cui solum latriæ cultum impendere debes. Ideo subditur : *Non habebis deos alienos in conspectu meo. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator,* id est zelator justitiæ, et omnem iniquitatem detestans ac puniens, *reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me,* id est imitantibus vitia patrum. Denique, quamvis nemo possit Deum odire secundum se, videlicet in quantum est ipsa bonitatis essentia, et bonitas pura, tamen ratione sui effectus odiri potest ab impiis, in quantum prohibet ea quæ ipsi desiderant, et pœnam infligit. *Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et custodientibus mandata mea.* Verba hæc Ibid. XXXIV, 7 et XX, 6. in Exodo sæpe exposita sunt. Præcepta autem Decalogi quæ hic repetuntur, Exodi etiam alio loco continentur, et diffuse exposita sunt : ideo non est immorandum. *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra,* jurando per Deum aut alio modo sine necessaria aut rationabili causa; *quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit,* id est, ad confirmandum rem seu locutionem cassam, inanem, frivolam aut indignam, Deum in testem acceperit. O quam multi contra hoc agunt, et pessimam sibi consuetudinem faciunt !

Hæc verba, videlicet decem præcepta, D *locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis et nubis et caliginis, voce magna, nihil addens amplius ; et scripsit ea in tabulis*

Digitized by Google

lapideis quas tradidit mihi. Nam quia ad naturalem pertinent rationem, et universos concernunt, præstantioraque sunt, et ad ea reducuntur alia, voluit Dominus per se, hoc est per angelum in sua persona loquentem, non per hominem, primo mandare ea ad populum.

Et *accessistis ad me omnes principes tribuum et majores natu, atque dixistis : Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam,* id est, per suos effectus quos in monte Sinai vidimus et audivimus, patefecit nobis omnipotentiam et eminentiam suam ; *et probavimus hodie* per experientiam, *quod loquente Deo cum homine, vixerit homo,* quum tamen humana fragilitas, præsertim hominum imperfectorum, non possit faciliter talem locutionem sufferre. *Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus ?* quasi dicant : Jam satis ostensa est nobis magnificentia Dei nostri per effectus prætactos, nec opus est ut amplius talia audiamus et inspiciamus : quid ergo necesse est, ut ex talium sensatione penitus prosternamur ? *Si enim ultra audierimus vocem Domini Dei nostri,* id est vocem illam tubalem et magnificam, *moriemur,* id est, ferre non poterimus, sed ex nimia formidine, alteratione et sensuum læsione, prorsus deficiemus in corpore. *Quid* enim *est omnis caro, ut audiat* A *vocem Dei viventis sicut nos audivimus, et possit vivere ?* quasi dicant, Fragilis creatura humana sufferre non potest. Unde in Apocalypsi ait S. Joannes : Quum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et Isaias : Corrui quum audirem, emarcuit cor meum. Daniel quoque : Domine, inquit, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. *Apoc.* I, 17. *Is.* XXI, 3.4. *Dan.* X, 16.

Quod quum audisset Dominus, id est, intra se cognovisset, *ait ad me : Audivi* B *vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi. Bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem ut timeant me ?* Hoc Dominus ait, non quasi impossibile sibi sit dare hominibus mentem hujusmodi, sed ad insinuandum humani arbitrii libertatem, et quod ipse quantum in se est, cupiat nostram salutem, et adjuvare paratus sit. Hinc in Isaia locutus est Dominus : Utinam attendisses mandata mea. *Is.* XLVIII, 18. *Custodite ergo et facite ea quæ præcepit Dominus Deus vobis. Non declinabitis ne-* C *que ad dextram, neque ad sinistram,* id est ad nullum vitiosum extremum, inter quæ mediat virtus : nec ultra vires quid attentetis, nec citra vires pusillanimes sitis, remissi, aut tepidi ; nec propter prospera sæculi obtinenda, nec propter adversa effugienda, recedatis a via justitiæ ac salutis.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : HÆC SUNT PRÆCEPTA ET CÆRIMONIÆ.

In exordio hujus capituli tangitur triplex genus præceptorum veteris legis. Hoc primum est præceptum morale, quod est directe de actu justitiæ seu virtutis observando, vel de vitando ejus contrario. Nam tria prima præcepta pertinent ad latriam, secundum assignationem communem, quamvis D primum magis proprie spectet ad fidem, quæ est omnium fundamentum virtutum. Alia septem ad justitiam pertinent. Secundum genus est, præceptum cærimoniale, quod multas species habet. Suntque præcepta cærimonialia, quædam determinatæ explicationes trium priorum Decalogi

Digitized by Google

præceptorum : quoniam præcepta cærimonialia tradunt varium modum colendi Deum, per sacra et sacrificia ac sacramenta, observantiasque legales. Tertium est præceptum judiciale, quod in diversas dividitur species. Sunt autem judicialia præcepta, quædam statuta divina de modo observandi justitiam in mutuo convictu humano : ideo sunt determinatæ explicationes, et velut conclusiones septem præceptorum Decalogi concernentium proximos. De his dictum est copiose super Exodum ex scriptis Alexandri de Hales super tertium Sententiarum, et S. Thomæ in prima secundæ, atque Guillelmi Parisiensis libro de Fide et legibus.

Hæc sunt præcepta moralia *et cærimoniæ,* id est præcepta cærimonialia, *atque judicia,* id est judicialia jussa. De præceptis autem cærimonialibus et judicialibus, infra tractatur in diversis capitulis. *Audi, Israel, Dominus Deus tuus,* scilicet verus Deus, quem solum colis, aliis gentibus ad idololatriam lapsis, *Deus unus est :* quoniam deitas vera seu divina essentia diversificari non potest, nec multiplicari : quod et philosophi satis demonstrant, qui unam summam et primam omnium causam esse noverunt. Istud est primum præce-
Deut. v, 6. 9, ptum Decalogi, quod et præcedenti capitulo est repetitum, et nunc quoque repetitur: quia ad præceptum principalissimum, quod statim subjungitur, necesse est scire aut credere, quod non sit nisi unus verus Deus, qui tam vere est trinus in Personis, quam vere unus in essentia.

Deinde principalissimum præceptum exprimitur. *Diliges Dominum Deum tuum,* id est, jubeo ut diligas, et diligere obligaris Dominum Deum tuum spirituali et infuso amore, *ex toto corde tuo,* id est toto intellectu, et intellectuali affectu seu voluntate, *et ex tota anima tua,* id est animali et sensitiva vi, cognitiva et affectiva, hoc est omni sensu exteriori ac interiori, sensitivoque appetitu, *et ex tota fortitudine tua,* id est etiam omni robore corporali, et omni vi practica, exteriorique potentia executiva: quæ non sunt intelligenda, quasi actus dilectionis divinæ possit subjective formaliterque inesse intellectui appetitivo, potentiæ sensitivæ, aut viribus sensitivis, quum sic soli inhæreat voluntati, a qua et elicitive procedit; sed quod intellectus ac ceteræ vires, debeant regulari ac dirigi in omnibus actibus suis ad subserviendum divino amori, et sicut exigit caritas Dei, atque ut oportet seu expedit ad proficiendum in puro et supernaturali Dei amore. Itaque in præcepto amandi Deum, non exprimitur certa diligendi mensura, sed jubetur ut totis, corde, anima, et fortitudine diligatur, ad innuendum quod creatura non valeat Deum nimis diligere, imo nec tantum, quantum ipse ex propria bonitate amabilis est; et etiam quoniam
prior dilexit nos, et propter universa be- 1 Joann. IV, 10.
neficia ejus, ineffabilia quoque promissa,
quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, 1 Cor. II, 9.
nec mens apprehendere valet.

Præterea istud præceptum tripliciter potest intelligi et impleri. Primo, ut sic Deus ametur toto corde, etc., quod ejus caritati nil præponatur, nec aliquid tantum ametur ut ipse, imo necesse est ut appretiative ametur incomparabiliter plus quam reliqua omnia. Nec est aliquis in statu salutis et gratiæ, nisi sic stet, quod mallet propriam vitam et totum mundum amittere, quam peccando mortaliter offendere ac perdere Deum. Propter quod loquitur Augustinus : quod minima caritas plus diligit Deum, quam maxima cupiditas mundum, appretiative videlicet, non tamen intensive, monstrat quod quis intensive plus afficiatur creaturæ quam Creatori absque peccato mortali; alias vix aliquis videretur esse in caritate. Secundo exponitur et impletur sic, quod Deus diligatur toto corde, ita ut propter Deum et ejus amorem vitentur non solum illicita, id est peccata, præsertim mortalia, sed etiam licita quædam, quæ solent a divini amoris profectu et perfectione præcipue impedire, ut sunt cognati, uxor, et propriorum possessio, propriæque voluntatis libertas : sicque re-

Digitized by Google

ligiosi se ipsos et omnia relinquentes, nituntur præceptum istud implere. Tertio intelligitur et impletur sic, quod rationalis creatura indesinenter feratur in Deum, et absque interpolatione actualiter, secundum extremum posse suum stet Deo unita et intenta toto corde, tota anima seu natura, universisque viribus suis : et ita hoc præceptum non impletur nisi in patria.

Quumque caritas sit omnium virtutum et donorum finis, vertex, imperatrix ac domina, constat quod istud præceptum, etiam secundum primum et infimum modum suæ impletionis, sit finis ceterorum omnium præceptorum, quorum impletiones seu actus ordinare debemus ad Dei amorem, ejusque incrementum. Loquendo autem de isto præcepto juxta secundum modum suæ impletionis et expositionis, sic non solum cuncta præcepta, sed universa quoque evangelica consilia ordinantur in ipsum. Ideo namque cognati, uxor, divitiæ ac voluntas propria relinquuntur, quatenus homo liberatus et expeditus ab omnibus illis, toto corde feratur et afficiatur ad Deum, quotidie magis ac magis intense et pure. Porro, loquendo de isto præcepto secundum tertium modum implendi exponendique ipsum, sic universa præcepta, consilia, exercitia, imo et præfati duo modi implendi ipsum, finaliter referuntur ad ejus impletionem. Quum igitur præceptum istud sit finis in agendis, debet esse primum in intentione, juxta quod dicunt philosophi, quod finis in agibilibus habet rationem principii, videlicet quoniam primo cadit in apprehensione, et monet agentem ad procedendum in actum. Et ita quod est primum in intentione, est ultimum in executione : sicut in arte medicinæ sanitas, quæ est finis, primo a medente intenditur, et ea adepta, quiescit. Itaque in omni actu et exercitio bono intendamus in Dei amore proficere, et caritas Dei nos excitet ad omne bonum agendum, imo et ad sustinendum libenter omne adversum. Deinde docetur, quam indelebiliter ac indesinenter sint verba hujus præcepti imprimenda memoriæ. Nam actus dilectionis ex prima apprehensione dilecti procedit.

Eruntque verba hæc de diligendo Dominum toto corde, *quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo,* id est in intellectu qui est locus intelligibilium specierum, et idem quod intellectiva memoria, secundum Philosophum tertio de Anima ; *et narrabis ea filiis tuis,* id est domesticis et specialiter soboli tuæ, et his qui sub tua sunt cura ; *et meditaberis* ea, *sedens,* id est exsistens, *in domo tua,* id est, in quocumque domicilio fueris, *et ambulans in itinere,* id est foris exsistens, *et dormiens,* id est ad dormiendum vadens et lectum ingrediens, sive in lecto jacens, mox ut fueris expergefactus, *atque consurgens* de strato, ut sic primitus quæras regnum Dei. Idcirco autem sunt *Matth.* VI, 33.
taliter meditanda, quatenus ex tam assiduis eorum commemorationibus generetur in meditatione assidua, actualis dilectio Dei, et inflammatio in eadem. Denique quoniam dormientibus solent in somno occurrere ea quæ in vigilia diligentius cogitant, tractant, et operantur ; ideo tam assidue et ferventer sunt ista in vigiliis meditanda, ut in somno quoque occurrant. Nam et teste Philosopho primo Ethicorum, Sapientes et virtuosi habent somnia puriora, et in somnis meliora phantasmata. Hinc in Ecclesiaste scriptum est : Multas curas se- *Eccle.* V, 2.
quuntur somnia. Præterea, constat quod hi qui tam assidue et ferventer tempore vigiliarum occupant se in meditatione et actu divinæ dilectionis, frequenter in somno sincerissime eriguntur mente ad Deum, per contemplationem, fervidumque amorem, ita ut ex sententia dicere queant illud in Canticis : Ego dormio, et cor meum vi- *Cant.* V, 2.
gilat.

Verumtamen prætacta non sunt intelligenda, quod homo teneatur aut possit in vita hac sine interruptione actualiter meditari verba divina, aut ea implere effectu, sed loco et tempore opportuno : estque conandum et exercitare se debet, ut quantum suæ fragilitati exstat possibile, meditetur et impleat ea semper in actu, non in

habitu solum. Ideo autem Deus præcepit nobis ista tam ardua et perfecta, ut sciamus quo tendere et ad quid jugiter conari debemus. Semper quoque humiliemus nos vehementer, pensantes quantum distemus a plena exsecutione seu perfecta adimpletione istorum. Itaque in omni exteriori occupatione, locutione et labore, in omni loco et tempore assuescamus mentem nostram ad Deum erigere, et istud præceptum recolere; sicque ingemiscere, adspirare, ac affici ad divina, cœlestia et interna, præsertim ad Deum et superbeatissimam Trinitatem, et actualiter stare uniti cum Deo: quod non debet alicui impossibile apparere, quum multi sic afficiantur ad creaturam, ad aurum, ad vilem carnem, ut vix aliud valeant cogitare, atque in omni loco et actu illud occurrat memoriæ eorum.

Et ligabis ea quasi signum in manu tua, id est, operibus tuis ea semper associabis in exemplum ædificationis aliorum; *eruntque et movebuntur inter oculos tuos,* id est, præ oculis cordis jugiter habeas ea, ac si ante exteriores oculos tuos essent appensa; *scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ,* id est, ingrediens et egrediens habebis ea in corde. Verumtamen Judæi superficiem litteræ assequentes, istud sic intellexerunt, quod verba hæc essent scribenda in schedulis seu membranulis, sicque alliganda fronti ac brachiis, superiorique limini ac janius domus: quod et nunc usque quidam eorum observant, non solum de isto præcepto, sed et de toto Decalogo.

Quumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram promissam, *pro qua juravit patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob,* etc., *cave diligenter ne obliviscaris Domini Dei tui,* id est, vide ne opulentia et prosperitas terrena ac delicata refectio, fiant tibi occasio vitæ intimoratæ, et oblivionis Dei atque tumoris, sicut nonnulli qui de inopia et vili statu subito ad opulentiam et honorificentiam promoventur, solent status pristini oblivisci ac tumidi fieri. *Dominum Deum tuum timebis* filiali et casto vel saltem initiali timore, *et ipsi*
A *soli servies,* obediendo ejus præceptis, cultumque latriæ ei dumtaxat impendes; *ac per nomen ejus jurabis:* id est, nequaquam per falsos deos aut idola debes jurare, sed ratione exigente ut jures, jurabis cum debita reverentia per Deum verum formaliter aut æquivalenter: quia si juretur per aliquod sacrum, in quantum increata veritas aut majestas repræsentatur et relucet in illo, æquivalenter per Deum juratur. Itaque per hæc verba non datur jussio, imo neque licentia passim et sine
B condigna causa jurandi, sed sacrilega ac perfida prohibetur juratio.

Non tentabis Dominum Deum tuum, *Matth.* IV, 7.
sicut tentasti eum *in loco Tentationis,* videlicet in deserto frequenter, quum in Numeris Dominus dicat: Tentaverunt me *Num.* XIV, 22.
jam per decem vices. Porro tentare, est verbis aut factis experimentum sumere de tentato, sive hoc fiat evidenter, ut quum aliquis se tentatorem fatetur; sive occulte et insidiose, seu interpretative, ut dum quis non intendit sumere experimentum
C de alio, aliquid tamen facit, quod non est ad aliud ordinabile, nisi ad sumendum experimentum de aliquo. Itaque homo dicitur Deum tentare verbis, dum aliquid postulat in oratione a Deo, quatenus exploret seu experiatur an Deus omnia sciat, aut possit, seu hoc aut illud velit; similiter factis tentat Deum, qui per ea quæ facit, intendit divinæ scientiæ aut potestatis vel voluntatis sumere experimentum; interpretative autem, qui etsi hoc non intendat, aliquid tamen agit, ad aliud nihil
D referibile aut utile, nisi ad experiendum scientiam, potestatem, voluntatemve Dei: ut si quis se committat divino auxilio sine necessitate aut utilitate, dum scilicet habet unde se possit juvare, et illud omittens, periculo se committit. Hinc, secundum Augustinum, Deum tentat, qui prætermittit facere quod in se est ad evadendum periculum. Ideo ait Glossa: Deum tentat, qui habens quod faciat, se absque ratione committit periculo, experiens an possit liberari a periculo. Hinc Salvator diabolo præcipitatio-

Digitized by Google

nem suggerenti objecit hanc auctoritatem: A
Matth. IV, 7. Luc. IV, 12. Non tentabis Dominum. Fuit enim descensus de pinnaculo templi paratus. Insuper quum experimentum sumere de bonitate, sapientia aut potentia Dei, procedat ex dubitatione aut ignorantia tentantis, vel eorum quibus vult manifestare, quod Deus omnia sciat et possit: idcirco Deum tentare ad hoc, quod ipse qui tentat, experiatur an Deus sciat possitque omnia, est peccatum; quia de hoc certi esse debemus: et est mortale peccatum ex genere, contrarium religioni seu latriæ, cujus est Deo reve- B rentiam exhibere. De hac materia plenius scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione 97.

Quum interrogaverit te cras, id est in futuro, *filius tuus,* id est proles seu quæcumque persona tibi commissa, aut pro informatione confugiens ad te, *dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc et cærimoniæ atque judicia hæc?* id est, cur ista sunt nobis præcepta? *Dices ei: Servi eramus Pharaonis,* id est, de Ægyptia servitute nos liberavit: quo facto, præcepit C nobis ista in Sinai, ut obediendo ei in istis, possideamus terram promissam diu atque pacifice. *Fecitque prodigia et signa magna et pessima,* id est valde pœnalia seu valde mala, malitia pœnæ, non culpæ, quæ et judicio Ægyptiorum patientium plagas Dei, pessima erant. De tali malitia scriptum est: Vidit Deus quia conversi Jonæ III, 10. sunt Ninivitæ, et misertus est super malitiam quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. Et Amos ait: Si erit malum in Amos III, 6. civitate, quod Dominus non fecit? In Isaia quoque Dominus protestatur: Ego Domi- Is. XLV, 6. 7. nus faciens pacem, et creans malum. *Eritque nostri misericors, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.* Ecce quod justorum salvatio est miseratio Dei. Nam et merita nostra, sunt Dei dona; et quidquid obsequii impendimus ei, tenemur. Estque pia dignatio Dei, quod obsequia nostra tam defectuosa, quæ et panno Ibid. LXIV, 6. menstruatæ assimilantur, acceptat. Propter quod ait Salvator: Quum feceritis omnia Luc. XVII, 10. quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Ex his compellimur nos ipsos in omnibus profunde ac omnifarie humiliare, nec unquam inaniter gloriari, quasi magni aliquid operati: imo Dominum cum omni humilitate et fervore jugiter exorare debemus, ut nostram qualemcumque servitutem pie acceptare dignetur, nosque misericorditer salvet, tueatur, et indesinenter gubernet.

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : QUUM VERO INTRODUXERIT TE DOMINUS IN TERRAM.

DEUS omnipotens sponsus exstitit Sy- D nagogæ: ideo more sponsi zelotypi noluit illam in aliquo communicare adulteris gentibus, puta idololatris, quarum animæ erant dæmoniorum adulteræ; imo præcepit sponsæ suæ demoliri hujusmodi gentes, et ritum earum exstirpare, omnem quoque turpem et vitiosum eradicare affectum ex proprio corde, nec solum mala, sed et occasiones malorum seu spiritualium fornicationum, utpote pactum et amicitiam atque connubia idololatrarum abjicere. Hinc Moyses ex ore Dei præcepit: *Quum vero introduxerit te Dominus in terram* promissionis, *quam possessurus ingredieris, et deleverit,* id est, ad occiden-

Digitized by Google

dum tibi subjecerit, *gentes multas coram te* in terra Chanaan habitantes, videlicet: *Hethæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, et Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri quam tu es, et robustiores te.* Hoc dupliciter potest intelligi: Primo, quod septem gentes istæ simul sumptæ, excedebant filios Israel multum in multitudine suppositorum ac robore corporali. Secundo, quod unaquæque earum ita excessit Israelitas: et hoc secundo modo videtur intelligendum, quum infra dicatur ad filios Israel: Quum sitis omnibus populis pauciores. Præterea in Genesi legitur: Chanaan genuit Hethæum et Jebusæum et Amorrhæum, etc. Sicque per hæc nomina propria designantur nunc populi nati ex filiis Chanaan prænominatis. Glossa quoque testatur: Abrahæ promissum est quod decem gentes delerentur, tunc etenim decem erant; sed dum filii Israel transierunt Jordanem, jam tres gentes erant deletæ. Filii namque Lot deleverunt gigantes; filii Esau, Horræos; Cappadoces vero, Hevæos pro parte.

Deut. VII, 7. *Gen.* X, 15-18. *Ibid.* XV, 19-21. *Deut.* II.

Percuties eas usque ad internecionem: ne tecum manendo, alliciant te ad suos errores. Jam quoque iniquitates gentium harum erant impletæ, et divino judicio meruerunt occidi, voluitque Deus per filios Israel exsecutionem hanc sui judicii fieri. *Non inibis cum eis fœdus* amicitiæ, nisi sponte vellent ad Judaismum converti; *nec misereberis earum:* quia hoc non fuisset vera misericordia, sed prava mollities et vitiosa remissio contraria Dei præcepto, velut si quis latronem morti adjudicatum velit eripere. *Nec sociabis cum eis conjugia:* quia per hoc soboles tua ad idololatriam traheretur, quemadmodum in libro Judicum docetur postea sæpe impletum. *Aras eorum subvertite et confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite,* id est altaria, fana, et consimilia loca, in quibus idololatrias suas exercuerunt, *quia populus sanctus es Domino Deo tuo,* id est consecratus cultui veri Dei ad ipsius honorem, ideo debes cultus sacrilegos demoliri.

Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram, id est specialis et hereditarius ac devotus. *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus,* id est, Deus gratiose applicuit se vobis non ob multitudinem vestram, *et elegit vos, quum omnibus sitis populis pauciores.* Quo constat, quam innumerabiles homines tunc fuerunt in mundo, quia et in populo Israel erant tot millia virorum, præter mulieres, pueros et puellas, imo et præter senes qui non computabantur inter bellatores, qui soli ab anno vicesimo usque ad sexagesimum numerabantur, secundum Josephum. Ex qua etiam consideratione perpenditur, quam innumerabilia sint millia angelicorum spirituum, imo et angelorum infimi chori, quum quilibet homo specialem habeat angelum sui custodem: atque secundum divinum Dionysium, unusquisque ordo seu chorus angelicorum spirituum, tanto plures in se habet angelos sanctos, quanto superior est. *Sed quia dilexit vos Dominus,* id est, sua præveniens æterna ac gratuita dilectio ad vos, ratio est quod vos elegit, *et custodivit juramentum quod juravit patribus vestris,* id est, promissionem Patriarchis factam de introductione posterorum eorum in terram promissionis implevit, implereque voluit; *eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis et de manu Pharaonis.* Hoc, inquam, est causa seu ratio non æternæ electionis in Deo, sed temporalis gratiosæ separationis, qua filios Israel a ceteris gentibus segregavit, suoque cultui mancipavit.

Præterea, quamvis Deus dicatur hos filios Israel elegisse, non tamen omnes erant prædestinati: imo multi eorum postea in terra promissionis graviter peccaverunt et perierunt, sicut ex libro Judicum comprobatur, sed totum frequenter denominationes sortitur a parte. In Scripturis quoque interdum aliqui appellantur electi, quia

Digitized by Google

ad temporalia bona ac privilegia quædam erant assumpti præ ceteris, quemadmodum I *Reg.* IX, 2. Saul in libro Regum sæpe vocatur electus a Domino, vel Dei electus. Et in Psalmo *Ps.* LXXVII, 31. habetur, Electos Israel impedivit. Denique, sicut Thomas scribit in prima parte Summæ suæ, quæstione 23 : Prædestinatio est pars providentiæ, providentia vero est pars prudentiæ, prudentia autem est ratio intellectus, præceptiva ordinationis aliquorum in finem. Nullus demum ordinat aliquid in finem, nisi præexsistente voluntate finis, id est, nisi velit rem illam acquirere finem hujusmodi. Prædestinatio ergo aliquorum in vitam æternam, præsupponit et includit quod Deus velit eos adipisci salutem æternam : ad quod pertinent et concurrunt electio atque dilectio. Nam quod vult eis hoc bonum, procedit ex caritate; quod autem quibusdam hoc vult, et non omnibus, loquendo de voluntate consequente et absoluta, ad electionem est pertinens. Hinc prædestinati eliguntur. Hoc quoque pensandum, quod in nobis electio præcedit dilectionem. Eligimus enim quem diligamus; sed in Deo est econverso : quia voluntas nostra diligendo non causat bonum quod amat in alio, sed ex præexsistenti bono movetur ut diligat; sed Dei voluntas diligendo est causa bonitatis eorum quæ amat : sicque secundum ordinem rationis, electio præsupponit dilectionem in Deo.

Et scies per fidem, imo et per rationem naturalem, et per experientiam divinorum effectuum, *quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis,* id est omnipotens, *et fidelis* in promissis, et neminem in se sperantem decipiens; *custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes; et reddens odientibus se* debitam pœnam, *ita ut disperdat eos,* id est, diversimode perdat ac damnet, *et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.* Hoc quidam dicunt intelligendum de Israelitis odientibus Deum, eo quod scriptum est secundo Machabæorum libro :

A Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. II *Mach.* VI, 13-15. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter exspectat, ut eas quum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita et in nobis statuit, etc. Verum expositio ista non censetur idonea. Moyses enim hic loquitur de reprobis et æterna damnatione eorum. Præfata vero auctoritas libri Machabæorum, loquitur de electis quos Deus paternaliter in hac vita B castigat. Nec absolute in omnibus verificatur, quod filii Israel transgressores ac vitiosi, fuerunt statim a Deo puniti, ut maxime patet de rege Manasse, et aliis qui IV *Reg.* XXI. multis annis fuerunt idololatræ. Frequenter etiam contigit, quod aliqui gentiles fuerunt propter sua facinora statim plagati, ut de multis martyrum persecutoribus patuit. Attamen tempore veteris Testamenti, ut patet ex libro Judicum, aliisque Scripturis, communiter ita fuit, quod filii Israel ad idololatriam corruentes, fuerunt C cito a Deo correpti et flagellati. Itaque locus iste de odientibus Deum potest exponi, sive fuerant Hebræi, sive gentiles, ita quod aliqui tales in utroque populo fuerunt cito ac rigorose a Deo puniti ac condemnati; aliqui vero diutius tolerati, quorum aliqui tandem pœnituerunt, alii perseveraverunt in vitiis. Potest etiam dici, quod omnes odientes Deum ac reprobi protinus puniantur a Deo, quoniam respectu æternitatis omne tempus est tanquam momentum. Unde de impiis scriptum est : Subito *Ps.* LXXII, 19. D defecerunt, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Job* XX, 5. Propter quod in libro Sapientiæ fatentur : Transierunt omnia illa tanquam umbra. *Sap.* V, 9.

Custodi ergo præcepta atque judicia quæ ego mando tibi hodie, ut facias ea. Si custodieris ea, videlicet Dei præcepta, *non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis,* id est, prolis fecunditatem tribuet tibi ac tuis pecoribus. Istud tamen non fuit præmium principale, idcirco nec omnibus justis in

Digitized by Google

veteri Testamento dabatur : imo quidam sanctissimi tunc in virginitate manserunt, ut Elias et Jeremias. Quidam etiam justi conjugati, steriles permanserunt. Tamen, ut habetur in Glossa, illi tam pauci fuerunt, quod comparatione aliorum quasi nulli fuisse videntur : quod autem modicum est, pro nihilo reputatur. Omnibus autem obedientibus Deo, dabatur spiritualis fecunditatis profectus. *Auferet Dominus a te omnem languorem, et infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti.* Tunc enim communiter dabatur obedientibus Deo temporalis prosperitas et sanitas corporis, non tamen semper nec omnibus: quoniam Deus juxta secreta sapientiæ suæ judicia, diversimode in suis egit electis, quorum nonnulli tunc erant leprosi: sicut in Evangelio *Luc.* IV, 27. ait Salvator, quod multi leprosi erant in Israel sub Eliseo, et nullus eorum curatus est.

Insuper et crabrones mittet Dominus in eos, id est in adversarios tuos, *ut deleat eos atque disperdat, qui te fugerint.* Crabrones sunt vermes nocivi et aculeatæ bestiolæ : per quos quidam intelligunt punctiones angustiæ ac timoris, quas Deus inimicis populi sui inflixit, quemadmodum *Josue* II, 11. in Josue libro Rahab fatetur : Pertimuimus valde, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. *Dabitque eos Dominus in conspectu tuo, donec deleat omnes.* Verumtamen non fuerunt omnes Chananæi a filiis Israel interfecti : et hoc contigit ex defectu fidei ac virtutis Israelitarum. *Non timebis eos, quia Dominus in medio tui est, Deus magnus,* quia immensus, *et terribilis. Ipse consumet nationes has paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter.* Deus enim non dedit filiis Israel potestatem delendi omnes adversarios suos in terra promissionis simul ac subito, quia non erant tantæ multitudinis, quod poterant totam terram illam sufficienter implere populo, sicque terra pro magna parte in solitudinem fuisset redacta, et bestiæ feroces multiplicatæ fuissent ibidem. *Sculptilia eorum combures. Non concupisces argentum et aurum de quibus facta sunt,* id est, materias pretiosas idolorum non cupies, nec arripies neque convertes in usus tuos, sed in detestationem idololatriæ, eas despicies tanquam spurcitias.

Postremo, qualiter per septem gentes Chananæorum designentur septem peccata mortalia, quæ in primis expugnare jubemur, præhabitum est. Qualiter etiam ex isto capitulo doceamur prava vitare consortia et familiaritates iniquorum, scandalizationesque, et qualiter præconia ista Israeliticæ plebis queant excellenter applicari populo christiano, in præcedentium librorum expositionibus est expressum.

ARTICULUS IX

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : OMNE MANDATUM QUOD EGO PRÆCIPIO.

HORTATUR Moyses populum sibi commissum ad divinorum observantiam mandatorum ex consideratione multiplicium beneficiorum populo præstitorum. *Omne mandatum quod ego præcipio tibi hodie,* id est in tempore isto, *cave,* id est caute adverte, vel Cave, hoc est custodi, et præserva te a transgressione, *diligenter ut facias,* illud implendo, *ut possitis vivere. Et recordaberis,* id est, reminisci debes, *cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus per desertum quadraginta annis, ut affligeret te* salubri afflictione, per cibi et potus simplicitatem ac parcitatem, et

Digitized by Google

per labores viarum, *atque tentaret,* id est, per adversa illa saluberrima examinaret ac probaret, an vere fidelis et obediens esses Deo. Unde in Sapientiæ volumine scriptum est : Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos. *Et nota fierent quæ in tuo animo versabantur :* id est, ideo te afflixit et tentavit, ut interiora animæ tuæ innotescerent, non Deo, sed tibi ac aliis in exemplum vel in cautelam ; *utrum custodires mandata ejus, an non.* In adversis enim ostenditur, an homo sit vere virtuosus, constans, timoratus, patiens, et Deo subjectus, quia in prosperis facile est Deo regratiari : propter quod de iniquo, dicitur Deo : Confitebitur tibi quum benefeceris ei. Hinc legitur in Ecclesiastico : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Ideo de inconstantibus ait Salvator : Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Hinc quoque angelus dixit Tobiæ : Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Denique est quædam tentatio quæ procedit ex ignorantia, et quædam quæ ad deceptionem tentati ordinatur, et nulla harum tentationum Dominus tentat, quum dicit apostolus Jacobus : Deus neminem tentat. Tentat vero Deus homines ex caritate et pia dispensatione, ut homo per tentationes se ipsum agnoscat, humiliet, mereatur, coronetur, et aliis in exemplum proponatur, atque ad Deum confugere assuescat ; ideo quoque, ut per tentationes fiat in spirituali exercitio et conflictu expertus, probatus, et item idoneus consulere aliis. Propterea Ecclesiasticus asserit : Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa.

Sap. III, 5, 6.
Ps. XLVIII, 19.
Eccli. XXVII, 6.
Luc. VIII, 13.
Tob. XII, 13.
Jacob. I, 13.
Eccli. XXXIV, 9.

Afflixit te penuria : quod valet ad delendum peccata præterita, et ad proficiendum in gratia. Nec huic contrarium est quod dictum est supra, Portavit te Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit. *Et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui :* hoc est, ante ingressum eremi hujus nunquam visus est talis cibus, nec alicui hominum datus ; *ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivit homo,* id est, quod vita humana non solum sustentatur cibariis per homines coctis aut procuratis, *sed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei,* hoc est quacumque refectione quam Deus jusserit hominibus provenire aut dari, quoniam ipse solo verbo potest creare ac formare materiam refectionis. Vel in verbis his insinuatur, quod sicut homo ex visibili et invisibili, hoc est ex corpore et anima, constat, sic duplici refectione eget, videlicet corporali et spirituali : et spiritualis cibus est verbum Dei, sacra Scriptura, salubris doctrina, et quidquid Deus verbo suo infuderit animæ, ad ejus profectum et confortationem in Domino : imo juxta hunc sensum objecit Salvator auctoritatem hanc tentatori.

Deut. I, 31; II, 7.
Matth. IV, 4.

Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit. Hoc fuit grande miraculum, quod infra quadraginta annos vestimenta illorum non fuerunt consumpta : et hoc misericors Dominus fecit, quia in solitudine non poterant vestimenta nova convenienter acquirere. Dicunt quoque quidam Catholici et Hebræi, quod vestimenta parvulorum creverunt, juxta incrementa ipsorum. *Et pes tuus non est subtritus,* hoc est, pedes vestri non sunt subtus ex terræ duræ calcatione triti aut læsi. Alia translatio habet, Nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt : sicque pedes sotularibus manserunt muniti. Unde non videtur verum quod quidam dicit, beneficium istud non fuisse concessum, nisi bonis : imo sicut malorum vestimenta, ita et eorum calceamenta manserunt illæsa. *En quadragesimus annus est* ab exitu de Ægypto, vel a tempore reditus exploratorum in Cades, ut dictum est plenius in expositione primi capituli ; *ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit homo filium suum, sic Dominus Deus erudivit te* per prospera et adversa, et per aliorum flagella, et per legis dationem, et per tuos doctores ; *ut custodias mandata Domini Dei tui,* etc.

Digitized by Google

Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarum, et fontium: quia in terra promissionis scaturiunt fontes, ex quibus profluunt rivi; *in cujus campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi.* Scriptum est in Genesi: Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ. Itaque in visceribus terræ sunt diversi ventriculi seu receptacula, in quibus continetur aqua abundans, habens ortum primum ex Oceano per venas terræ se diffundente: et aquæ ita inclusæ, hic appellantur abyssi, ex quibus flumina manant. *Terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus et malogranata et oliveta nascuntur: terram olei ac mellis.* Per hæc ubertas terræ promissionis significatur, in qua apes mellificant, et oliveta ex quibus oleum generatur, abundant. *Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium* victui necessariarum *abundantia perfrueris,* id est uteris: nam solo Deo fruendum est. Frui autem frequenter pro Uti accipitur, ut dum ait Apostolus: Ita, frater, ego te fruar in Domino. *Cujus lapides ferrum sunt,* id est, ferro in soliditate aut valore æquiparantur; vel hoc ideo dicitur, quia in terris saxosis sunt ibi mineræ ferri; *et de montibus ejus æris metalla fodiuntur.* Super illud Job, Ferrum de terra tollitur, et lapis calore solutus, in æs vertitur, dicit Albertus: Ferrum juxta argentum proportionabiliter sumitur, et æs juxta aurum. Ferrum enim nascitur de argento fæculento et vivo, scabrosoque sulfure: a quibus si fæculentia et scabrositas auferantur, et maneat vis mineralis, frigiditate congelans humidum, valde depuratum efficitur argentum, et lapis calore solutus, in æs vertitur. Lapis, ut ait Hermes, dicitur omne quod non evaporat in igne, eo quod sola coagulatione (quæ generatio lapidis est) generatur. Estque regulariter verum, ut in libro Meteororum habetur, quod omne quod coagulatur ex humido frigido, solvitur calido sicco, sicut aurum, argentum, ferrum, æs, metallaque alia quæ in profundo terræ gignuntur. In prima enim generatione in lapide mixtum est æs, quod igne solvente liquescit ac depuratur.

Gen. VII, 11. — Philem. 20. — Job XXVIII, 2.

Cave ne postquam satiatus fueris, habuerisque cunctarum rerum copiam, elevetur cor tuum, id est, vide ne opulentia rerum tibi dandarum, et copiosa refectio fiat tibi causa elationis, *et non reminiscaris,* id est, ita ut obliviscaris, *Domini Dei tui, qui ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens,* id est igniti serpentes, quorum flatus incendit quos tetigit, *et scorpio ac dipsas.* Per scorpionem et dipsadem intelligitur multitudo et copia talium bestiarum, quæ hominibus sunt nocivæ, et tamen ab illarum læsionibus Deus populum suum miraculose protexit. Scorpio autem bestiola est vultu blandiens, et cauda pungens. Porro secundum Glossam, dipsas est semis aspis seu parvulus serpens, qui dicitur situla, quoniam perimit hominem siti quemcumque momorderit: estque tam parvus, ut dum calcatur, vix possit videri, cujus venenum occidit antequam sentiatur, nec tristitiam sentit moriturus, et dicitur situla per contrarium. Vas namque quod dicitur situla, aufert sitim; et bestiola illa mortiferam sitim infligit. *Et postquam afflixit ac probavit te, ad extremum misertus est tui, ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea et robur manus meæ, hæc omnia mihi præstiterunt,* hoc est, triumphum tuum et bona adepta nequaquam adscribas viribus tuis, sed auxilio Dei.

Sensus moralis.

Moraliter recordari debemus assidue, qualiter Deus usque in horam hanc deduxit nos *per desertum,* id est per hoc sæculum nequam, donis gratiæ destitutum, *ut affligeret* nos: quia in sæculo isto quasi in valle lacrimarum atque exsilio positi sumus; et homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Specialiter vero per desertum designatur cœnobium sive religio, quæ ea quæ mundi sunt, deserit, et ab amatoribus mundi deseritur, in qua veri religiosi sunt positi, ut affligantur per opera pœnitentiæ et exer-

Job XIV, 1.

Digitized by Google

citia disciplinæ, per exercitationes quoque
Ps. xliii, 22. monasticas, ita ut dicere queant Deo : Quoniam propter te mortificamur tota die. *At-*
Job vii, 1. *que tentaret.* Militia namque est vita hominis super terram, imo tentatio, ut alia habet translatio. Affligit nos quoque *penuria,* dum sponte castigamus corpora nostra per abstinentias atque jejunia. Dat etiam nobis manna cœleste, videlicet Eucharistiæ sacramentum. Vestimenta etiam nostra non deficiunt vetustate, dum ex temporis diuturnitate non tepescimus a spirituali fervore, nec virtutes et actus earum, quibus animæ vestiuntur, amittimus ; nec pes noster atteritur, dum spiritualium profectuum progressus non decrescit, sed convalescit in nobis. Itaque recordemur et perpendamus, qualiter Dominus hucusque pie nos conservavit, et toleravit in vitiis nostris, atque a diversis liberavit periculis, quum tamen jam multi perierint, qui peccaverunt multo minus quam nos.

Insuper introduxit nos *in terram rivorum, aquarum, et fontium,* hoc est in militantem Ecclesiam, in sanctam religionem, in tranquillitatem internam, ubi sunt rivuli salubrium doctrinarum, fontes sapientiæ, utpote libri Scripturæ, et doctores catholici, gratiarumque aquæ. *In campis* autem Ecclesiæ, hoc est simplicibus sincerisque cordibus, *et* in *montibus,* id est contemplativis, *erumpunt fluviorum abyssi,* hoc est abundantiæ illuminationum
Prov. iii, 32. cœlestium, quia cum simplicibus sermocinatio Dei. Est item Ecclesia terra *frumenti, hordei, ac vinearum :* quia Evangelicæ legis doctrina et veteris Testamenti Scriptura, ac spiritualis jucunditas in ipsa abundant; *in qua* sunt *ficus, malogranata* ac *oliveta,* hoc est refectiones virtutum, et delectationes operationum bonarum, oleum et mel, id est pietas et dulcor pacis internæ. *Cujus lapides ferrum sunt,* hoc est, fideles personæ, ex quibus constructa est Ecclesia, in soliditate fundatæ sunt, et per patientiam omnia æquanimiter sustinent.
Ezech. iii, 9. Unde ad Ezechielem Dominus ait : Ut adamantem et silicem posui te. *Et de monti-*

A *bus ejus æris metalla fodiuntur.* Qui enim sanctorum Patrum sapientiam et perfectionem considerat, exempla constantiæ, efficaciamque sermonis elicit inde. Monet demum nos istud capitulum, ne ex beneficiis Dei corporalibus aut spiritualibus extollamur, nec ita repleamur cibis aut potibus, ut a rigore interioris custodiæ relaxemur, nec obliviscamur Dei et metuendi ejus judicii.

Amplius, Deus per tentationes et adversitates, subtractionesque consolationis internæ, suos affligit electos, et ad extremum
B miseretur eisdem, relevando eos a talibus. Sicque per experientiam discant, quam fragiles, defectuosi, et infirmissimi sint ex se ipsis, et idcirco non dicant in corde suo : *Fortitudo mea et robur manus meæ præstiterunt mihi* bona quæ habeo ; sed recolant auxilia Dei eis exhibita, et fateantur nihil virium in se esse, nisi ex Deo, qui ait per Osee : Perditio tua ex te ; in Osee xiii, 9.
me tantummodo auxilium tuum.

Postremo, in sæculo isto sunt urentes serpentes, hoc est dæmones et libidinosi
C homines, qui flatu suo adurunt, quia in se ipsis sunt pleni ardore impietatis atque libidinis, et allocutionibus suis suggestionibusque lascivis alios vitiose inflammant. Sunt etiam in sæculo isto scorpiones, hoc est simulatores et callidi adulatores, et duplices corde, qui facie blandiuntur, et verbis prætendunt favorem, sed cauda pungunt, quia nocent occulte et fallunt, juxta illud Jeremiæ, Sagitta vulnerans, lin- Jer. ix, 8.
gua eorum. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.
D Dipsades vero sunt spiritus avaritiæ, et dæmon ambitionis, ac vanæ gloriæ instigator, qui occultissime mentes inficiunt siti, hoc est desiderio pessimo terrenorum, appetitu honoris, et motu gloriationis inanis, ita ut vix deprehendant quam dire ac penetrative lædantur, nec sentiant suum interitum : idcirco maxime indigemus auxilio Spiritus Sancti præservari, curari, defendi a vulneribus ac vitiis istis, jugiterque orare debemus, ut sic eripiamur ab eis.

Digitized by Google

ARTICULUS X

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI NONI : AUDI, ISRAEL : TU TRANSGREDIERIS HODIE JORDANEM.

ADHUC legislator volens populum sibi A commissum, Deo efficere gratum, devotum, et jugiter obedientem, ac contra futura tentamenta ac peccata armare, recolit beneficia Dei exhibenda atque exhibita, et maleficia seu vitia plebis. *Audi, Israel : Tu transgredieris hodie,* hoc est in brevi, seu tempore isto, *Jordanem, ut possideas,* id est, voluntati tuæ traditas habeas ad occidendum, *nationes maximas,* scilicet septem gentes præfatas, *populum magnum atque sublimem, filios Enacim,* puta gigantes, *quos ipse vidisti.* Aliqui enim ex filiis Israel, scilicet Josue et Caleb, B eos viderunt, et ab illis duobus alii Israelitæ audierunt famam illorum. *Scies ergo hodie, quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te* per angelum suum, et per potestatis suæ effectum atque subsidium. *Ne dicas in corde tuo, quum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, quum propter iniquitates * suas istæ deletæ sint nationes,* hoc est in proximo occidendæ ; *et ut compleret Dominus verbum suum,* C id est ea quæ Patriarchis promisit de danda hac terra posteritati ipsorum. Istæ sunt duæ causæ, ob quas nationes illæ vitiosissimæ fuerunt deletæ, videlicet propter eorum facinora, et propter divinæ promissionis impletionem. Cur autem promisit Deus filiis Israel dare terram illam egregiam, nisi quia de populo Israel incarnari, atque in terra illa humanæ redemptionis mysteria exercere elegit ac statuit? *Scito ergo quod non propter justitias tuas Dominus dederit,* hoc est dare decreverit, D *terram hanc optimam, quum durissimæ*

* impietates

cervicis sis populus, id est ad inobedientiam et superbiam pronus, et difficulter ad virtutes flexibilis. Propter quod ait Dominus per Isaiam : Scio quia durus es tu, et *Is.* XLVIII, 4.
nervus ferreus cervix tua, et frons tua ænea. Itaque per cervicem intelligitur mens, ad quam pertinet Deo humiliter inclinari ac subdi, et quæ instar cervicis nunc inclinat, nunc erigit se.

Memento, et ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum in solitudine. Frequenter enim peccaverunt in eremo, etiam antequam venerunt ad Sinai. Dicitur autem invariabilis et supertranquillissimus Deus ad iracundiam provocari, non per passionis commotionem, sed quantum ad effectus similitudinem, dum propter vitia hominum exercet rigorem justitiæ in tantum, quod furor ei attribuatur. Verumtamen ista et subsequentia dicuntur ad populum istum, non quod isti personaliter hæc egerunt, sed patres eorum, qui ob suos excessus ita fuerunt prostrati. Est autem consuetudo, loqui de populo aliquo, quasi de uno aggregative, cui secundum diversas partes suas diversa conveniunt. *Et ex eo die quo egressus es de Ægypto, usque ad locum istum, semper adversus Dominum contendisti.* Non est hoc intelligendum, quod indesinenter omni die et hora tot annorum, contra Deum contentiose locuti sint, imo interdum bene se habuerunt. Siquidem in Exodo respondisse leguntur : Cuncta quæ locutus est *Exod.* XIX, 8.
Dominus, faciemus. Et libro eodem habetur, quod obtulerunt munera Domino men- *Ibid.* XXXV, 21.
te devota. Itaque, quod dicuntur contendisse contra Dominum semper, intelligendum est, quod omni tempore orta occasione ali-

Digitized by Google

cujus notabilis adversitatis, contra Deum et Moysen irreverenter locuti sunt. Nam et antequam transierunt per fundum maris Rubri, visis Ægyptiis, contumaciter et ir- Exod. xiv, 11. risorie dixerunt ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine ; prout in Exodo scriptum est.

Nam et in Horeb provocasti eum, id est circa pedem montis Sinai vitulum aureum adorando; *et iratus, delere te voluit,* di- Ibid. xxxii, 10. cens : Dimitte me, ut irascatur furor meus et deleam eos; *quando ascendi in montem,* imo ante formationem vituli illius ascen- Ibid. 1-6. derat Moyses illuc, eoque exsistente in vertice montis, populus idololatravit, ut in Exodo describitur. Porro recitatio ista Ibid. xxiv, 18; xxxi, 18. hic iterata de Moysis jejunio, et tabularum inscriptione, ac consimilibus, diffusius in Exodo est conscripta atque exposita. *Deditque mihi duas tabulas. Quumque vidissem vos peccasse Domino Deo vestro, de monte descendi, et projeci tabulas de manibus meis, confregique eas. Et procidi ante Dominum quadraginta diebus et noctibus.*

In Incendio quoque et in Tentatione et in sepulcris Concupiscentiæ provocastis Dominum. Hic tanguntur tria loca, in quibus peccaverunt. Primus fuit, quando Num. xi, 1. egressi de Sinai, murmuraverunt propter laborem itineris. Propter quod ignis Domini devoravit extremam partem castrorum, ut in Numeris recitatur. Secundus locus fuit ad aquas Contradictionis, ubi tenta- Exod. xvii, 7. verunt Deum, dicentes : Estne Dominus in nobis an non ? Tertius fuit in sepulcris Num. xi, 4 et seq. Concupiscentiæ, ubi propter vitiosum affectum edendi carnes, plagati et sepulti sunt multi, sicut in libro Numerorum exprimitur. Attamen locus ille parum aut nihil differt a primo loco præfato. *Et quando misit vos de Cadesbarne :* id est, tunc quoque graviter Dominum offendistis, quando exsistentibus vobis in Cades, misit, id est ire vos jussit, ad ingrediendum terram promissionis ; *dicens* per me et Caleb ac Josue : *Ascendite et possidete terram, quam*

A *dedi vobis.* Tuncque territi ex verbis decem exploratorum, dixistis : Utinam pereamus ! Et rursus : Constituamus nobis Num. xiv, 3, 4. ducem, et revertamur in Ægyptum ; ut in Numeris scribitur. *Et contempsistis imperium Domini Dei vestri, nec credidistis ei ; sed semper fuistis rebelles,* id est ad inobedientiam proni, quando aliquid vestræ voluntati contrarium vobis præcepi.

Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac quadraginta *noctibus.* Hic non servatur historiæ ordo. Ista enim prostra-
B tio non fuit post peccata populi, quæ contigerunt in locis nunc dictis, nec post recessum a monte. Nec facta est pro impetranda remissione peccatorum istorum, quæ post recessum a Sinai contigerunt, sed fuit in monte illo ante recessum filiorum Israel ab eodem : idcirco Moyses nunc redit ad describendum plenius, quod ante explicationem peccatorum istorum post recessum a monte factorum, cœpit describere, ut patet in textu hujus capituli, quem propter facilitatem suæ intelligentiæ tran-
C silivi. Nempe jam dixit : Projeci tabulas de manibus meis, et procidi ante Dominum quadraginta diebus et quadraginta noctibus ; sed formam orationis tunc fusæ non repetivit. Idcirco hic eam repetit, dicens : Jacui coram Domino. *Et orans, dixi : Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et hereditatem tuam quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. Recordare servorum tuorum, Abraham, Isaac, et Jacob. Ne adspicias duritiam populi hujus, et*
D *impietatem atque peccatum,* etc., sicut habetur in textu qui planus est. Denique, quod ista sit illa oratio, quam obtulit Deo pro remissione idololatriæ, quam filii Israel commiserunt circa vitulum aureum, certum est intuenti diligenter omnia verba orationis istius cum circumstantiis suis, et etiam verba orationis quam pro eadem remissione legitur Deo fudisse. Quum enim in monte audisset a Domino idololatriam plebis jam factam, mox istam fudit ora- Exod. xxxii, 11-13. tionem ante descensum suum de monte.

Digitized by Google

Verumtamen advertendum, quia (ut refert Lyra) Hebræi dicunt Moysen in monte Sinai fecisse tres quadragesimas, id est, ter jejunasse quadraginta diebus, ita quod nihil refectionis sumpsit in eis. Prima
Exod. xxiv, 18. fuit, quando ascendit in montem ut acciperet primas tabulas, quas confregit. Secunda, quando post fabricationem vituli
Ibid. xxxii, 30, 31. ascendit in montem ad impetrandum remissionem illius peccati. Tertia, quando Dominus placatus orationibus Moysis, dixit
Ibid. xxxiv, 1. ei : Præcide duas tabulas lapideas instar priorum, quemadmodum in Exodo narra- B
Ibid. 28. tur. Ubi et dicitur : Fuit ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes; panem non comedit, et aquam non bibit.

Sed dictum hoc Hebræorum non videtur verum, quoniam (sicut probatum est) ista prostratio et oratio Moysis, quæ in isto capitulo ponitur ultima, quam Hebræi dicunt fuisse tertiam quadragesimam ejus, fuit pro impetratione remissionis idololatriæ populi : et illa fuit quadragesima Moysis secunda, sicut dictum est. Sicque videtur fuisse eadem quadragena dierum, C in qua Moyses deprecatus est Dominum pro remissione illius facinoris, et pro exaratione seu inscriptione secundarum tabularum : et istud tenent communiter doctores catholici, quanquam Andreas super Leviticum, sequatur prætactam Hebræorum opinionem. Denique in Exodo non fit mentio nisi de duabus Moysis quadragenis; et quamvis in Exodo legatur Moyses ascendisse in montem pro impetranda prædicti sceleris venia, non tamen legitur ibi, quod tunc mansit in monte quadraginta D diebus, sicut in Exodo fertur ibi tam diu Exod. xxiv, 18; xxxiv, 28.
mansisse, quando primas erat tabulas accepturus; et similiter in eodem quando tabulas secundas accepit.

Quamvis autem Lyra non multum approbet unam harum opinionum præ alia, nihilo minus dicit, quod motivum Catholicorum assumit falsum, quando dicunt quod a primo ascensu Moysis ad accipiendum tabulas primas, a quo incipit prima quadragena, usque ad diem expiationis, in quo descendit Moyses secundas tabulas portans, non inveniuntur tres quadragenæ. Et hoc reprobat Lyra. Quocirca sciendum, quod reprobatio sua procedit secundum opinionem suam, qua tenet quod per primum mensem, cujus quintodecimo die filii Israel exierunt Ægyptum, intelligendus sit Martius. Doctores autem catholici, eo magis authentici, per mensem illum intelligunt Aprilem : ideo illa reprobatio
non est fortis. Super Exodum quoque de- Ibid. xii, 2.
claravi, quod Magister in historiis de hac re doctius ac resolutius scribit quam Lyra, atque ex verbis Magistri et dictis Rabbi Pauli ibi inductis evidens est, quod Hebræi raro incipiunt primum mensem suum, quem nominant Nisan, computare a primo die Martii nostri, quoniam ipsi computant menses secundum lunationes : et tamen Lyra, reprobando præfatum Catholicorum motivum, sic computat primum mensem Hebræorum quasi integer fuerit ante inceptionem nostri Aprilis : quod quum raro contingat, probabilius reputatur nec sic fuisse quando egressi sunt filii Israel de Ægypto.

Digitized by Google

ARTICULUS XI

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : IN TEMPORE ILLO DIXIT DOMINUS AD ME : DOLA TIBI DUAS TABULAS LAPIDEAS.

CARITAS, misericordia, et beneficia A Dei ad populum Israel, adhuc declarantur in isto capitulo. *In tempore illo,* quum videlicet impetrassem a Domino remissionem adorationis aurei vituli, *dixit* *Exod.* xxxiv, 1. *Dominus ad me : Dola tibi duas tabulas lapideas sicut priores,* quas projiciendo fregisti, *fuerunt, et ascende ad me in montem.* Istud in Exodo expositum est. Porro, primæ duæ tabulæ fuerunt angelico obsequio præparatæ, secundas vero Moyses præparavit, vel suis, vel artificum mani- *Ibid.* xxv, 10. bus. *Faciesque arcam ligneam,* prout in B Exodo habetur, quam Moyse jubente fecit Beseleel : *et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas ante confregisti,* utpote decem præcepta. Circa hoc oritur quæstio, quia, secundum Augustinum et Glossam, Moyses dictante Domino, scripsit propriis manibus decem præcepta in tabulis istis secundis, quæ in primis tabulis scripta fuerunt a Deo per angelum. *Ibid.* xxxiv, 27, 28. Unde in Exodo habetur : Dixit Dominus ad Moysen : Scribe tibi verba hæc. Et subditur ibi : Et scripsit Moyses in tabulis C verba fœderis decem. Quomodo Dominus ait nunc, Scribam in tabulis ? Ad hoc Augustinus respondit, quod Dominus scripsit ea auctoritative, quia ea præcepit scribi, Moyses vero exsecutive. Porro, cur primæ duæ tabulæ, quas Dominus noverat confringendas, fuerunt divinitus præparatæ atque inscriptæ, secundæ autem quæ erant mansuræ, erant ab homine præparatæ et *Ibid.* xxxii, 15, 16. scriptæ, super Exodum dictum est. *Ponesque eas,* utpote tabulas Decalogum conti- *Hebr.* ix, 4. nentes, *in arca,* in qua etiam fuit manna, D et virga Aaron, quæ floruit, ut ad Hebræos *Exod.* xxv, 21. asseritur, et dictum est super Exodum.

Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan. Istud non fuit factum immediate post prædicta de arca et tabulis, imo nec immediate post recessum a Sinai, sed postea diu. Nam subditur : *in Mosera, ubi Aaron mortuus est ac sepultus. Inde venerunt in Gadgad.* Præterea difficilis quæstio nascitur : Quomodo nunc dicatur Aaron mortuus ac sepultus in Mosera, quum in Numeris legatur mortuus *Num.* xx, 25-29. ac sepultus in monte Hor. Sed ad hoc diligenter responsum est in expositione præallegati Numerorum capituli.

Eo tempore separavi tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem. Quidam expositores referunt istud ad tempus post mortem Aaron, et post egressum de mansionibus jam prætactis, ita quod factum sit quadragesimo anno post exitum de Ægypto. Propter quod quærunt, quomodo separatio ista Levitarum dicatur tunc facta, quum jam ante fuerit facta, ante recessum a Sinai. Unde Lyra hic scribit, quod expositores nostri dubitationes has parum aut nihil tangunt : ideo recitat ac sequitur responsionem Rabbi Salomonis, dicentis quod dum filii Israel in primo congressu victi fuissent a rege Arad, ut in *Ibid.* xxi, 1. Numeris describitur, territi cœperunt in Ægyptum reverti. Propter quod Levitæ insecuti sunt eos, et quibusdam illorum occisis, ceteros reduxerunt. Sicque meruerunt secundo separari ab aliis, et Domino applicari.

Sed istud videtur esse confictio quædam, nec in Scripturis auctoritatem sortitur, nec apparentiam habet, imo Scripturæ

Digitized by Google

sacræ non consonat. Cur enim fuissent Levitæ secundo separati ab aliis, et deputati cultui Dei, quum hactenus mansissent sic separati, consecratique Domino a tempore primæ separationis ac consecrationis eorum factæ in Sinai, nec aliquid novi in hac eorum separatione factum legatur ? Denique alio Numerorum loco sic legitur : Quum audisset rex Arad venisse Israel, pugnavit contra eum, et victor exsistens, duxit ex eo prædam. At Israel voto se Domino obligans, ait : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. Exaudivit Dominus preces Israel. Ecce ibi nil dicitur de reditione eorum in Ægyptum, sed evidenter innuitur, quod semel victi, statim confugerunt ad Dominum, et petierunt ejus auxilium. Refert etiam Lyra super præallegata verba Numerorum, quod præda quam duxit rex Arad ex populo Israel, non fuit nisi una ancilla : quod quamvis sit incertum aut falsum, tamen inde fit consequens, quod pro tam modica re, filii Israel non cœperunt ex timore regredi ad Ægyptum. Melius ergo dicendum, quod locus iste intelligendus sit de prima Levitarum separatione facta in Sinai, et quod Moyses in recitatione horum non servat historiæ ordinem, sicut nec in prætactæ motionis castrorum descriptione, nec præcedenti capitulo in quibusdam, ut patuit. Unde quod ait, Eo tempore separavi tribum Levi, referendum est ad id, quod ante præmisit de arca et tabulis. Quod etiam constat ex eo quod subditur, *Ego autem steti in monte sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus, exaudivitque me Dominus etiam hac vice :* quod certum est contigisse ante recessum a Sinai, quando jejunavit secundo pro remissione idololatriæ populi, et pro recuperatione Decalogi, ut videre est in Exodo.

Num. XXI, 1-3.

Exod. XXXII, 30 ; XXXIV, 28.

Et nunc, Israel, quid Dominus Deus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum filiali timore, *et ambules in viis,* hoc est præceptis *ejus,* quæ ducunt ad veram salutem, *et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, custodiasque*

A *mandata Domini ac cærimonias ejus ?* quasi dicat, Pro tantis beneficiis suis Dominus non quærit commodum suum, sed tuam salutem quæ in ejus cultu consistit. *En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli,* id est universi orbes cœlestes. Et potest per cœlum intelligi firmamentum ; per cœlum cœli, thronus majestatis æternæ, et mansio civium supernorum, videlicet cœlum empyreum, cujus cognitio sola fide habetur : et per excellentiam cœlum vocatur, quod juxta Damascenum est con-

B tinentia visibilium et invisibilium creaturarum, quoniam claudit, ambit et continet universa. Appellatur quoque empyreum, id est igneum, non ab ardore, sed a splendore. Hæc omnia Dei sunt jure creationis et gubernationis, ac summi dominii. *Terra et omnia quæ in eis sunt ; et tamen patribus tuis conglutinatus,* id est amorose ac tenaciter unitus, *est Dominus,* videlicet Patriarchis, *et amavit eos* per prædestinationem æternam, *elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gen-*

C *tibus, sicut hodie comprobatur.* Electio Dei æterna est, sed ratione sui effectus, quandoque ex tempore facta asseritur. Ex his commendatur ineffabilis dignatio ac miseratio Dei ad homines illos, ac munificentia ejus, qui quum nostrorum nequaquam bonorum indigeat, tam gratuite, amorose ac liberaliter prævenit, visitat et applicat homines sibi. Propter quod divinus Dionysius dixit, quod amor Dei non reliquit eum sine germine esse. Nam et bonum ex sua natura diffusivum est sui.

Ps. XV, 2.

D *Circumcidite igitur præputium cordis vestri,* hoc est, quidquid culpabiliter superfluum est in mentibus vestris, videlicet intellectu et voluntate, abjicite, hoc est omnes cogitationes illicitas, et affectiones iniquas, imo et negligentias et errores ; *et cervicem vestram ne induretis amplius,* hoc est, omnem elationis tumorem et rebellionem, atque incorrigibilitatem vitate ; *quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum,* id est Sanctorum et eorum qui aliis præsunt, qui aliquid divinarum pro-

Digitized by Google

prietatum ac perfectionum participant; *et Dominus dominantium, Deus magnus, potens et terribilis,* quem polus, tellus, pontusque contremunt, et ipsa numina perhorrescunt : ideo serviendum ac obediendum est ei cum omni puritate, reverentia, ac tremore; *qui personam non accipit,* quia unicuique reddit juxta merita sua, sicut et princeps Apostolorum testatur : In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi; *nec munera,* quia omnia sunt ipsius, qui in se ipso dives est, et plenus divitiis propriis et immensis, quia in ipso est omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium perfecta et infinita possessio. *Facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum et vestitum.* Quamvis enim cunctis hominibus faciat justum judicium, et injuriatorum injurias ulciscatur, specialiter tamen pronus est miserabilibus ac desolatis personis succurrere, et judicare pro eis, atque injurias eis illatas acrius vindicat. *Et vos ergo amate peregrinos,* ipsis specialiter pios et caritativos vos exhibendo, atque in hoc Patrem misericordiarum sequendo; *quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti :* ideo melius scitis, qualiter disposita sint corda peregrinorum, et quod faciliter contristentur desolataque fiant, si ab indigenis dure tractentur : et propria infirmitas ac passio debent hominem provocare ad condolendum, subveniendumque indigentibus ac infirmis. *Ipse Dominus est laus tua,* hoc est objectum laudis tuæ, quoniam Deum jugiter debes laudare. Est

Act. x, 34, 35.

A

B

C

D

etiam Deus causa laudis tuæ, quia si quid virtuositatis ac laudabilitatis in te est, ab ipso donatum est. *In animabus septuaginta descenderunt patres tui,* videlicet Jacob et filii ejus, *in Ægyptum :* quod qualiter intelligendum sit, dictum est in Genesi et Exodo.

Gen. XLVI, 27. Exod. I, 5.

Sensus moralis.

Postremo, moralia hujus capituli documenta, exhortationesque fervidas ac devotas unusquisque nostrum debet sibimet applicare, et intra se dicere : *Quid Dominus Deus petit a te, nisi ut timeas eum, et ambules in viis ejus?* Viæ etenim Domini viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. *Et diligas eum, ac servias ei in toto corde tuo,* id est cum omni diligentia intellectualis considerationis atque spontaneæ affectionis; *et in tota anima tua,* hoc est cum ceterarum virium tuarum usu, custodia, reformatione. Consideremus quoque, qualiter patribus nostris sanctis Apostolis conglutinatus est Dominus, etiam excellentius quam Prophetis ac Patriarchis, et semen eorum, videlicet populum christianum, elegit. Ideo circumcidere debemus præputia cordis nostri, imo omnes vires animæ membraque corporis, quatenus sicut ait Salvator, membra scandalizantia abscindamus, hoc est, omnem abusum et omnem actum illicitum tollamus a membris et sensibus, ceterisque potentiis, et exhibeamus ea arma justitiæ Deo. Monet demum nos passus iste, ut Deum, cui proprium est misereri ac parcere, in operibus misericordiæ spiritualibus ac corporalibus imitemur, omni quo possumus modo, præsertim circa infirmas, desolatas, afflictas miserabilesque personas.

Deut. VI, 2. Prov. III, 17. Matth. V, 29, 30. Rom. VI, 13.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI UNDECIMI : AMA ITAQUE DOMINUM DEUM TUUM.

Matth. XII, 34. *Luc.* VI, 45. SICUT ait Salvator : Ex abundantia cordis os loquitur. Ideo sanctus Moyses divini honoris zelo accensus, atque fraternæ dilectionis crediti sibi gregis affectu mirabiliter inflammatus, non cessat populum suum hortari, ac variis modis ad divinæ observantiam legis inducere. Præterea, Dei beneficia recolendo, divina promissa replicando, nunc prospera pollicendo, nunc adversa minando, jam Dei omnipotentiam, justitiam, majestatem, pietatem, amabilitatem fervide declarando, idcirco eamdem sententiam frequenter resumit, nunc sub B eisdem, nunc sub aliis verbis, ut tandem cordibus duris indelebiliter imprimatur. Unde quasi concludens ex præinductis, effatur : *Ama itaque Dominum Deum tuum* puro et irreflexo amore, ad quem omnia alia ordinantur præcepta, propter quod dicit Glossa : Omnia mandata legis in dilectione Dei consummantur. *Et observa præcepta ejus, et cærimonias, et judicia,* juxta sensum frequenter præhabitum, *atque mandata.* Quamvis præcepta et mandata communiter pro eodem sumantur, hic C tamen insinuatur distinctio aliqua inter ea. Hieronymus quoque inter ea distinguit, dicendo quod præcepta dicuntur, quæ obligant absolute ; mandata vero non ita simpliciter, sed quasi medio modo se habent inter consilia et præcepta. Nihilo minus in hoc loco possunt per præcepta intelligi, jussa legis naturalis ; per mandata, ipse Decalogus. Hæc ergo observa *omni tempore* quo vixeris in hoc mundo, perseverando in bonis usque ad finem. Porro præcepta negativa obligant semper, D et ad semper : ideo indesinenter observanda sunt omni hora, quoniam prohibent vitia quæ incessabiliter sunt vitanda. Sed A affirmativa præcepta obligant semper, sed non ad semper : obligant enim pro loco et tempore opportuno, quia præcipiunt fieri bona quæ congruo loco aptoque tempore cum ceteris circumstantiis sunt agenda ; nec possumus actualiter sine interpolatione virtuosis actibus esse intenti.

Cognoscite hodie, id est, sapienter pensate, *quæ ignorant filii vestri,* qui tempore exitus ab Ægypto nondum fuerunt nati seu adultæ ætatis, vel qui necdum usum rationis sortiti sunt, *qui non viderunt* corporalibus oculis *disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus et robustam manum, extentumque brachium,* id est rigorosas punitiones quas inflixit Ægyptiis, quas pueri isti necdum noverunt, vel non ita distincte ac perfecte, ut hi qui corporaliter ea viderunt. Quamvis etenim auditus sit sensus disciplinæ seu eruditionis, cognitio tamen visus est certior cognitione auditus, ac plurium rerum proprietates ac differentias nobis ostendit. Viderunt item oculi vestri, *quæ Pharaoni regi et universæ terræ ejus, vobisque quæ fecerit,* id est ea quæ Dominus fecit vobis, *in solitudine,* in qua multa beneficia contulit vobis, et patres vestros propter peccata eorum prostravit, *donec veniretis ad hunc locum, et* quæ fecit *Dathan atque Abiron filiis Eliab, quos terra absorbuit cum domibus et tabernaculis,* id est tentoriis et papilionibus, prout in Numeris expositum est. *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit.* Non simpliciter omnia, sed omnia illa magnifica, quæ vobis et inter vos fecit, quæ tamen intellectualibus oculis non satis intuebantur, ut infra habetur : Vos vidistis universa magnalia quæ coram vobis Dominus fecit, et

Num. XVI, 31-33.

Deut. XXIX, 2, 4.

Digitized by Google

non dedit vobis Dominus cor intelligens A et oculos videntes usque in præsentem diem.

Terra enim ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti de qua existi. Istud secundum quosdam inducitur, ad insinuandum quod terra Chanaan non fuit tam bona et fructifera ac abundans ut terra Ægypti. Unde quod subditur, *ubi jacto semine in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ,* sic exponunt, quod terra Ægypti facili labore fecundatur atque fructificat, quoniam ex diversis me- B atibus ac fluviis Nili rigatur. Leviter quoque paratur ad seminandum, quemadmodum fit in hortis. *Sed montuosa est,* id est montibus plena, *et campestris,* videlicet arabilibus vallibus, *de cœlo* aereo *exspectans pluvias,* quia ex imbrium irrigatione fit fertilis : sicque ex pluviarum defectu aut importunitate potest ejus fructificatio impediri ; *quam Dominus Deus tuus semper invisit,* id est, per pluviarum irrigua visitat, *et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus,* id est, omni C tempore opportuno Deus inspicit eam ad fecundandam congruis pluviis, nisi propter crimina inhabitantium eam aliter accidat.

Hanc expositionem reprobat Lyra hic, dicens quod expositio ista non videtur consonare Scripturæ in multis locis, quæ describit terram promissionis fluentem lacte et melle, bonisque omnibus abundantem. Ideo aliter exponunt Hebræi, sic : Non est sicut terra Ægypti : quasi dicerent, Multo melior est quam illa ; et subditur ratio, Ubi, videlicet in terra Ægypti, jacto D semine in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ : quia ad fecundandum eam non sufficit pluvia et ros, sed requiritur ut aquæ cum magno labore deducantur de fluvio Nili per alveos, ut fieri solet in hortis, in quorum cultura major labor requiritur quam in terra campestri. Hæc Lyra. Porro Rabbi Paulus contra hæc scribit, affirmans quod terra Ægypti sit fertilior ac melior quam terra promissionis : quod probat ex hoc, quod tempore Abrahæ fuit in terra promissa fames, similiter tempore Isaac, propter quod Abraham intravit Ægyptum, et Isaac Palæstinam. (Gen. XII, 10; XXVI, 1.) Dicit quoque quod expositio quam Lyra adscribit Hebræis, sit Rabbi Salomonis solius ; addit etiam, quod terra Ægypti comparatur paradiso in Scripturis.

Quid horum verius sit, certum non habeo : imo recordor, quod Lyra alibi scribit, Ægyptum esse et fuisse fertiliorem terra promissionis ; asserit quoque se hoc audisse ab eis qui utramque viderunt. Argumentum autem Rabbi Pauli parum concludit. Nam quamvis certis temporibus fuerit caristia in terra promissionis, ex hoc tamen non sequitur, quin terra illa communiter et ex sua natura exstat fertilis valde. Verumtamen Scripturis consonum magis esse apparet, quod terra promissa fuit fertilior. Nam et in Ezechiele vocatur omnium terrarum præcipua, et inter omnes terras egregia. (Ezech. XX, 6.) De qua jam supra dictum est : Dominus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarum et fontium, in cujus campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi ; terram frumenti, hordei, et vinearum, in qua ficus et malogranata et oliveta nascuntur ; terram olei ac mellis, in qua absque penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris. (Deut. VIII, 7-9.) Amplius, Moyses (ut apparet) ad hoc introducit hæc verba de terra promissionis, ut populum saltem timore inopiæ inducat ad obedientiam Dei, eo quod ubertas terræ illius dependeat ex pluviarum descensu, quem propter peccata hominum Dominus retrahit terræ illi. Unde subjungitur :

Si ergo obedieritis mandatis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, dabit pluviam terræ vestræ temporaneam, puta in vere, ad nutriendum semina jacta, *et serotinam,* in æstate, ut grana ingrossentur ; *ut colligatis frumentum et vinum et oleum, ut ipsi comedatis et saturemini,* id est, sufficienter, non gulose reficiamini. *Cavete, ne forte decipiatur cor vestrum, recedatisque a Do-*

Digitized by Google

mino, ac serviatis diis alienis, iratusque A *Dominus claudat cœlum,* id est, influxum cœli ac aeris suspendat a vobis, ex quo influxu imbres descendunt. *Ponite hæc verba mea in cordibus vestris,* etc. Sensus istius passus patet ex dictis in expositio-
Deut. VI, 6-9. ne superiorum, ubi et quodam loco verba ista habentur. *Ut multiplicentur dies tui in terra, quam juravit Dominus patribus tuis ut daret eis,* id est eorum posteritati, *quamdiu cœlum imminet terræ,* id est, usque ad finem mundi, in quo cœlum cessabit terræ imminere per influentiam B virtutis ac luminis, sicut nunc imminet ei. Itaque istud non est intelligendum, quasi nunquam cessatura sit habitatio aut generatio hominum in orbe terrarum,quum utriusque Testamenti Scripturæ evidenter dicant contrarium. Vel quod ait, Quamdiu cœlum imminet terræ, est per hyperbolen dictum. Estque intelligendum sub conditione, videlicet nisi filii Israel peccando ponerent obicem.Nam Deus quantum in se erat, ad hoc contulit Israelitis hanc terram, ut eam jugiter possiderent : et si C Christum suscepissent ac debite coluissent, eam non perdidissent.

Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, quod est inter Ægyptum et Chanaan : estque desertum illud terminus terræ promissionis versus meridiem ; *et a Libano,* id est monte sic dicto, qui terminat terram promissam versus aquilonem ; *et a flumine magno Euphrate,* quod est ejusdem terræ terminus ad orientem, *usque ad mare Occidentale,* quod Tyrrhenum ac Mediterraneum nuncupatur, D et est terminus terræ hujus ad occidentem. Verumtamen universam hanc terram non
II Reg. VIII. III Reg. IV, 21 ; IX, 18, 20, 21. obtinuerunt, nisi tempore David ac Salomonis. *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem :* id est, benedictionem promittendo, allicere volo vos ad bene vivendum, et maledictionem comminando ac prænuntiando, cupio vos terrere, ne male agatis. Isti namque sunt duo modi trahendi homines ad virtutes, et retrahendi a vitiis, utpote bona ac prospera promittendo obedientibus, adversa vero et afflictiones rebellibus. *Quum vero introduxerit te Dominus in terram* promissam, *ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim :* id est, sex tribus stabunt super montem illum ad imprecandum bona obedientibus Deo ; *maledictionem super montem Hebal :* id est, super montem sic dictum, aliæ sex tribus stabunt ad imprecandum mala transgressoribus legis. Sacer- Deut. XXVII, 12 et seq.
dotes vero et Levitæ juncti erant utrique senario tribuum. Qualiter autem factum sit istud, infra plene describitur.

Juxta spiritualitatem, patres et seniores Sensus spiritualis.
plura cognoscere debent quam filii eorum ac subditi, qualiter scilicet Deus omnipotens per gloriosos Apostolos gentilitatem expugnavit, et persecutores Ecclesiæ fecit deficere, per magnalia et manum robustam,brachiumque extentum.Denique *terra* quam sumus ingressi, videlicet Ecclesia, *non est sicut terra Ægypti,* id est, ecclesiæ malignantium, conventiculis hæreticorum, huicque sæculo nequam non assimilatur : quia non jacet in infimis, nec mundi hujus voluptatibus irrigatur, nec temporalibus inhiat congregandis ; *sed montuosa est,* per contemplationem divinorum et sublimitatem virtutum, per ecclesiasticas potestates et religiosorum sacra cœnobia ; *et campestris,* per vitam activam et veram sinceritatem ; *de cœlo exspectans* pluviam, quæ a Fonte totius gratiæ ac virtutum jugiter petit fecundari, atque supernis charismatibus inundari ; quam Deus nunquam relinquit, sed semper misericorditer intuetur. Obedientibus quoque sibi dat *temporaneam pluviam,* id est subventionem et illuminationem gratiosam in tempore tentationis, et in exordio conversionis ; atque *serotinam,* id est proficiendi efficaciam ac finem salubrem seu gloriam in futuro. Hinc ad Hebræos monet Apostolus : Adea- Hebr. IV, 16.
mus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. De hujus pluviæ concessione ait Psalmista : Plu- Ps. LXVII, 10

Digitized by Google

viam voluntariam segregabis, Deus, heredi- A tati tuæ. Osee quoque : Veniet, inquit, quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ. *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* Pes animæ, est ejus affectio, quæ si fuerit spiritualis et solida, omne terrenum et proprium corpus habebit sibi subjecta.

Osee vi, 3.

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI DUODECIMI : HÆC SUNT PRÆCEPTA ATQUE JUDICIA QUÆ FACERE DEBETIS.

MOYSES eadem repetendo, inserit aliqua nondum præhabita, sicut et in isto patebit capitulo. *Hæc sunt præcepta atque judicia quæ facere debetis. Subvertite omnia loca,* id est fana et aras Chananæorum. *Non facietis ita Domino Deo vestro,* id est, non immolabitis ei sacrificia vestra in locis diversis atque excelsis, sicut idololatræ immolant diis suis ; *sed ad locum quem elegerit Dominus,* id est ad urbem in qua Deus voluerit tabernaculum suum locari, aut templum ædificari, *venietis ; et offeretis* ibi in domo seu atrio Dei per manus sacerdotum, *holocausta :* quæ ad divinæ majestatis honorem totaliter comburebantur, sic tamen, quod pellis fuerat sacerdotis : quam non habebat, sed comburebatur quando pro tota communitate holocaustum offerebatur ; *et victimas vestras,* scilicet hostias pro peccato seu pacificas victimas, *decimas et primitias manuum vestrarum,* quæ erant præcipua quædam pecorum aut fructuum Deo offerenda, *et vota,* hoc est ea quæ ex promissione offerre tenemini, *atque donaria,* quæ sponte et ex supererogatione devota offeretis, *primogenita boum et ovium. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri,* id est in urbe hujusmodi vel juxta atrium templi. Aliquorum enim sacrificiorum quædam partes cesserunt in offerentium esum, quas in tali oppido comederunt cum gratiarum actione, pensantes Deum judicem omnia intueri ; *et lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum.*

B *Non facietis ibi,* videlicet in terra promissionis, *quæ nos hic,* scilicet in campestribus Moab vel eremo, *facimus, singuli quod sibi rectum videtur.* Hoc non est intelligendum, quod pro libito suo ibi vivebant ut exleges, sed quod non erant adhuc ita adstricti ad observantiam legis in omnibus, sicut post in terra promissionis, quia nec circumcidebantur ibi, nec Pascha celebrabant quolibet anno. In diversis quoque locis (ut fertur) poterant ibi sacrificia sua offerre. *Neque enim usque in præsens* C *tempus venistis ad requiem et possessionem,* id est stabilem et hereditariam commorationem in terra promissionis : ideo ex divina dispensatione non erant adhuc ita obligati ad singula quæque legalia, ut postea quiete adepta. *Transibitis Jordanem, et habitabitis in terra quam Dominus daturus est vobis. Illuc omnia quæ præcipio conferetis,* id est, ad locum cultus divini comportabitis sacrificia vestra, decimas atque primitias, puta ad urbem in qua fuerit tabernaculum Dei in terra D promissionis ; quod primo fuit situatum in Silo a tempore Josue usque ad Heli, deinde in Cariathiarim. Constructo autem templo a Salomone, tenebantur venire Jerusalem ad offerendum. De ista materia, et cur Dominus jussit sibi sacrificari solum in uno loco seu tabernaculo aut templo, dictum est diffuse super Exodum atque Leviticum.

Josue xviii, 1. I *Reg.* i, 3; iv, 4; vii, 1. III *Reg.* viii, 1-6. *Exod.* xx, 24. *Lev.* xxvii.

Sin autem comedere volueris, id est, si optas carnibus vesci, *et te esus carnium*

Digitized by Google

delectaverit delectatione ordinata, quæ ad A debitum finem refertur, et per temperantiam regulatur; *occide,* per te aut per manum carnificis, animal esui aptum, *et comede juxta benedictionem Domini Dei tui,* id est secundum quod Deus contulit tibi necessaria victui, *quam dedit tibi in urbibus tuis,* id est in quacumque urbe fueris commoratus: quia non solum potes carnibus vesci in urbe ubi tabernaculum Domini est aut templum, sed ubicumque habitaveris; *sive immundum fuerit* animal, *hoc est maculatum ac debile,* ita quod B non sit aptum offerri Deo, quamvis comedi possit. Aliqua namque animalia erant immunda quantum ad sacrificandum, non tamen quantum ad manducandum. Denique quoad sacrificandum seu immolandum, aliquid fuit immundum dupliciter : Primo, ex sua specie, ut equus, leo, canis, quæ nullo modo erant immolaticia. Nam immolaticia non erant de animalibus gressibilibus, nisi tres species, utpote bos, ovis et capra : intelligendo tamen per bovem, etiam vaccam et vitulum; et per ovem, C etiam agnum atque arietem; per capram vero, etiam hircum. Secundo, aliquid fuit immundum quoad sacrificandum, non ex sua specie, sed ex accidentali defectu, qui macula nuncupatur, non macula velleris, sed macula deformitatis aut monstruositatis vel infirmitatis. Talia tamen poterant manducari, imo et alia quædam pecora nullo modo immolaticia. *Sive mundum* fuerit animal, *hoc est integrum,* id est non defectuosum in membro aliquo, *et sine macula* monstruositatis aut deformitatis, D *quod offerri licet, sicut capram * et cervum, comedes,* id est, animalia etiam immolaticia potes licite manducare absque hoc quod immolentur : secundum quod capra quæ est animal immolaticium, et cervus qui non est immolaticius, licite mactantur, coquuntur, eduntur, ita quod nihil de eis offertur; *absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi* Lev. VII, 26. *aquam effundes.* Cur esum sanguinis, id est cibum ex sanguine confectum, Dominus prohibuerit Israelitis, super Leviticum dictum est.

* capream

Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti et vini et olei tui: non quod vinum proprie manducetur, nisi forte cibo admisceatur; sed Comedere sumitur, prout includit potare; *primogenita armentorum,* id est boum, *et pecorum* tuorum, *et omnia quæ voveris et sponte offerre volueris, et primitias manuum tuarum,* id est laborum seu fructuum; *sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco quem elegerit Dominus,* id est in urbe cultus divini et tabernaculi Dei; *et lætaberis et reficieris,* non dissolute et petulanter, sed spiritualiter coram Deo.

Circa hæc Glossa movet quæstionem, quam non solvit : Quærendum, inquiens, quomodo jubeat decimationes omnium fructuum, et primogenita omnium pecorum non manducari, nisi in civitate ubi templum esset, quum eas Levitis dari præcepit. Hæc Glossa. Itaque quæstio est, qualiter istud intelligi debeat. Si enim solventes poterant cum sua sobole atque familia manducare decimas et primitiva, quæ Levitis ac sacerdotibus debebantur, hoc in damnum sacerdotum ac Levitarum vergebat. Ad hæc aliqui responderunt, textum hunc loqui de primogenitis animalium, quæ propter maculam non fuerunt apta offerri : propter quod redimebantur, atque in urbibus edebantur, et de eorum pretio emebantur animalia immolaticia in urbe tabernaculi seu templi, ex quibus tales comestiones fiebant ibidem. Sed huic solutioni objicitur, quod istud quoque fuisset sacerdotibus et Levitis derogativum et nocivum, eo quod pretium talis redemptionis pertineret ad eos de jure. Aliqui vero dicunt, textum hunc loqui de hostiis pacificis quæ spontanea devotione offerebantur, quarum carnes cesserunt in offerentium usus, præter armum dextrum atque pectusculum, quæ sacerdoti offerenti deputabantur. Sed huic responsioni obsistit, quod textus iste evidenter loquitur de decimis et primitivis, et de his quæ ex

Digitized by Google

voto solvuntur, etc. De quibus omnibus A generaliter ait, *Comedes ea tu, et filius tuus et filia,* etc. Hinc alii dicunt, quod filii Israel singulis annis de omnibus bonis suis separabant decimas ad opus Levitarum, primitias vero et primogenita ad opus sacerdotum. Postea iterum decimabant novem partes residuas, et hæc erat secunda decima, de qua hic agitur. Conveniebant enim de singulis civitatibus in Jerusalem ter in anno, videlicet in Pascha, Pentecoste et Scenopegia, secum portantes secundas decimas et secunda primogenita, B et secundas primitias, et inde epulabantur in urbe divini cultus. Hanc expositionem Magister in historiis approbat, dicens eam esse Hebræorum traditionem. Verumtamen Lyra reprobare eam videtur, quia ut ait, ex Scriptura non habetur. Ad quod dicendum, quod multa vere dicuntur quæ in Scriptura canonica non habentur.

Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo versaris in terra, id est, ad præfatas epulationes invitabis Levitam, qui concivis est tuus, et qui tecum ascen- C dit ad locum prædictum. Hoc in terra promissionis fuerat observandum. Levitæ equidem non habebant hereditatem : tamen ut fertur, non tenebantur ad hoc in terra aliena, in qua bona hereditaria non habebant. *Quando dilataverit Dominus terminos tuos,* ita quod longe ac late possederis terram tibi promissam, *et volueris vesci carnibus quas desiderat anima tua; locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit,* id est, si urbs divini cultus fuerit multum D distans a tua habitatione, *occides de armentis et pecoribus quæ habueris,* id est, occidere potes animalia esui apta secundum legem, et edere ea in urbibus tuis, etiam quamvis sint primitiva et sacerdotibus deputata, quia laboriosum fuisset a loco ita remoto ea perducere usque ad locum cultus divini. Sed in tali casu tenebantur in urbe divini cultus animalia ejusdem valoris emere, sacerdotibusque offerre. *Mundus et immundus in commune vescentur,* hoc est, tam mundi quam immundi secundum legem, qui ex tactu rei immundæ aut mortui erant immundi, licite vescebantur carnibus illis ; immundi tamen, ab ingressu sacri loci prohibebantur. *Hoc solum cave, ne sanguinem comedas. Sanguis enim eorum,* scilicet animalium, *pro anima est,* id est, simile aliquid habet cum anima : quoniam sicut vita animalis dependet ex præsentia animæ, ita et ex inexsistentia sanguinis; *et idcirco non debes animam,* id est rem prætacto modo similem animæ, *comedere cum carnibus; sed super terram fundes quasi aquam.*

Quæ autem sanctificaveris et voveris Domino, id est animalia quæ promiseris Deo offerri, *tolles,* id est, tecum adduces, *et venies ad locum quem elegerit Dominus.* Talia namque animalia Deo sic deputata et obligata, nec in melius, nec in deterius poterant commutari, sicut in Levitico expositum est. *Et offeres oblationes tuas,* id est animalia Deo sic consecrata, *carnem et sanguinem super altare Domini Dei tui,* id est, carnes animalium talium occisorum, et aliquid de sanguine eorumdem, facies per manus sacerdotis super altare offerri, et de sanguine certas partes altaris liniri, prout super Leviticum frequenter et determinate expressum est. *Sanguinem hostiarum fundes in altari; carnibus autem ipse vesceris.* Non quod offerens poterat totas carnes sic immolatas in suum redigere usum, quia sic nihil videretur obtulisse Domino, sed aliquam carnium partem, prout super Leviticum dictum est, et reliquæ partes fuerant sacerdotis obsequium exhibentis.

Lev. XXVII, 9, 10.

Consequenter in textu prohibetur Israelitis idololatria gentium, quarum terra fuit eis promissa, et specialiter ne instar idololatrarum illorum offerrent filios suos aut filias diis aut idolis, ad comburendum per ignem in idolorum honorem. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino,* id est ad gloriam Dei. Per hoc non prohibetur aliquid fieri ad cultum ac reverentiam Dei ultra debitum seu præceptum, sed

Digitized by Google

ut nihil fiat contrarium divinis præceptis, A juxta quem modum subjungitur : *nec addas quidquam nec minuas :* quia nihil corruptivum est sacræ Scripturæ addendum, nec divinis mandatis vere et sapienter intellectis quidquam addendum est aut subtrahendum quod eis contrarietur ; attamen addi possunt rationabilia instituta atque consilia, et declarationes catholicæ, exhortationesque caritativæ.

ARTICULUS XIV

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI TERTIIDECIMI : SI SURREXERIT IN MEDIO TUI PROPHETES.

QUANTUM præponenda sit vita gratiæ B ac honorificentia veri Dei, vitæ naturæ et omni societati ac cognationi humanæ, atque prosperitati terrenæ, nunc declaratur. *Si surrexerit,* id est, in publicum prodierit, vel in actum processerit, *in medio tui,* hoc est in populo tuo, o Israel, *prophetes :* sive sit vere propheta per revelationem futurorum pure contingentium, sibi factam a Spiritu Sancto ; sive sit pseudo, et aliqua futura hominibus incognita prædicens ex revelationibus dæmonum, qui multa ventura hominibus C ignota prænoscunt, et vatibus suis revelant ; *aut qui somnium vidisse se dicat,* id est oraculum aut visionem habuisse in somno, *et prædixerit signum atque portentum,* hoc est aliquod magnum vel mirabile esse futurum de proximo, vel in longinquo, *et evenerit quod locutus est.* Aliquando enim vera prædicunt, imo iniquissimi ac falsissimi spiritus interdum hominibus dicunt aliqua bona et honesta atque salubria, quatenus homines assuescant ad sibi credendum, sicque deinceps gravius D eos fallant, insinuando aut persuadendo eis prava ac falsa. *Et dixerit tibi, Eamus et sequamur deos alienos quos ignoras.* Circa hoc scribit quidam : Ex hoc patet, quod revelatio sibi facta fuit per dæmones. Sed advertendum, quod etiam falsis prophetis atque idololatris, quandoque aliqua vera et vere futura revelantur a Deo per angelos propter commune bonum, ut constat de Balaam, ut in Numeris probatum *Num.* XXIII, XXIV. est. Prophetia namque inter dona gratiæ gratis datæ computatur, quæ communia sunt bonis ac malis. Ideo si talis propheta persuadeat veris Dei cultoribus idololatriam, ex hoc non sequitur quod quæcumque revelatio sibi facta, sit ei per dæmonem ministrata : imo Balaam consuluit Madianitis, ut filios Israel per mulieres ad idololatriam concitarent, et tamen paulo ante habuit multas revelationes a Deo.

Non audies per consensum *verba prophetæ illius aut somniatoris,* quibus idololatriam consulit ; si autem diceret aliqua vere salubria, sicut et Balaam, in illis esset audiendus. *Quia tentat vos Dominus,* id est, ad probationem et examinationem vestram sinit vobis talem pestiferam fieri suggestionem, *ut palam sciat* * *utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra.* Certum omnino est, invariabilem Deum omnia præcognoscentem, nil de novo agnoscere, nec ex humano eventu quidquam addiscere : idcirco quod ait, Ut palam sciat, exponendum est, ut ab aliis evidenter faciat sciri ad ipsorum ædificationem aut cautelam. His verbis simile est quod ad Galatas scribit Apostolus : Licet *Galat.* I, 8. nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Nempe quidquid divinæ infallibili veritati contrariatur, respuendum est prorsus ac protinus. *Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete ; mandata ejus custodite. Ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. Propheta autem ille aut fi-*

* *fiat*

Digitized by Google

ctor somniorum interficietur: quia ut infra habetur, fuerat lapidandus, et hoc lata contra eum sententia secundum juris processum.

Si tibi voluerit persuadere frater tuus, dicens: Eamus et serviamus diis alienis quos ignoras tu, id est, aliquis quantumcumque propinquus, familiaris aut carus attentaverit te ad idololatriam inclinare; *non acquiescas ei, sed statim interficies.* Primo tamen fuerat accusandus judicibus, et dijudicatus ab illis erat necandus. Oportebat quoque crimen probare, nisi reus id fateretur, aut evidentia facti esset pro testimonio : quibus completis, agendum erat quod subditur : *Sit primum manus tua super eum,* id est, primo incipias illum lapidare, *et post te omnis populus mittat manum,* id est, universi adstantes quibus hoc congruit, cooperentur tibi ad interfectionem illius. *Lapidibus obrutus necabitur. Non parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum:* quia bonum commune præferendum est bono personæ, præsertim vitæ iniquæ. Deus quoque incomparabiliter plus amandus est, quam quicumque propinquus. Ideo spiritualis dilectio, omni carnali ac naturali debet prævalere dilectioni : atque ut ait S. Chrysostomus, quamvis pium sit propriam dissimulare ac tolerare injuriam, impium tamen est Dei injuriam dissimulare, quam neque usque ad auditum sufferre debemus. Talis quoque rigor justitiæ expediebat aliorum saluti. Propter quod subditur: *ut omnis Israel audiens* talem impii lapidationem, *timeat, et nequaquam ultra faciat quidpiam hujus rei simile.*

Consequenter idem præcipitur de politia seu communitate cujuscumque oppidi. *Si audieris in una urbium tuarum aliquos dicentes : Egressi sunt filii Belial de medio tui, et averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt, Eamus et serviamus diis alienis, quos ignoratis : quære sollicite, et diligenter rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam, statim* A *percuties habitatores illius in ore gladii, et delebis eam, et omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora.* Littera est prolixa ac plana. Siquidem sensus est, quod si communitas alicujus urbis ad idololatriam fuerit lapsa, mox alii Israelitæ urbem illam invadant, et habitatores ejus idololatras perimant usque ad pecora inclusive, ad majorem idololatriæ detestationem, quemadmodum pecus jubetur occidi cum suo concubitore (*Lev.* XX, 15, 16) : imo et tota supellex atque substantia talis oppidi comburantur, nec B quisquam aliquid sibi de anathemate tali usurpet; ipsaque urbs funditus destruatur, nec postea reædificetur.

Ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, id est, rigorem suæ justitiæ non exerceat in populo Israel : quem rigorem exerceret in populo, si negligens esset, non implendo istud præceptum. Unde et filii Israel in pugna contra tribum Benjamin, bis sunt victi ista ex causa (*Judic.* XX, 21, 25), quia videlicet non expugnaverunt urbem Lais, in qua filii Dan idolum Michæ colebant (*Ibid.* XVIII, 29, 31), ut in Ju-C dicum libro habetur. Vel, Ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, id est ab inflictione pœnæ quam interdum consuevit infligere toti communitati pro crimine alicujus urbis seu partis communitatis, in quantum omnes sunt unum corpus civile, prout alibi jam sæpe expositum est. Sic Phinees cessare fecit iram Dei a populo, quum coeuntes perfodisset (*Num.* XXV, 8. *Ps.* CV, 30). Per temporalem etiam hominum occisionem, eis propter ipsorum peccata inflictam, Deus est eis in posterum magis misericors. *Et mi-*D *sereatur tui, multiplicetque te* numero ac virtute : quasi dicat, Noli timere quod ex interfectione idololatrantium Israelitarum minuetur ac debilitabitur populus tuus, quia Dominus merito obedientiæ tuæ in illa occisione, augebit te numero personarum, donisque gratiarum ; *sicut juravit patribus tuis, quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.*

Digitized by Google

ARTICULUS XV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUARTIDECIMI :
FILII ESTOTE DOMINI DEI VESTRI. ET DE MULTITUDINE PRÆCEPTORUM VETERIS LEGIS.
ATQUE DE CAUSA MULTITUDINIS HUJUS.

De numero ac multitudine præceptorum Mosaicæ legis, S. Thomas allegat Rabbi Moysen, protestantem quod tot erant præcepta in lege, quot sunt dies in anno, vel quot sunt ossa in homine. Verumtamen Guillelmus Parisiensis libro de Fide et legibus videtur sentire, quod erant multo plura. Sic etenim ait : Si quæratur ad quid tanta numerositas mandatorum data sit populo Hebræorum, videlicet sexcenta et tredecim, quum constet numerum virtutum longe minorem esse (certum est enim declaratione verissima numerum virtutum quadragenarium non posse excedere) : ad quod respondemus, tres causas fuisse multitudinis mandatorum. Prima fuit ruditas et imperitia populi, qui generalibus præceptis satis erudiri non potuit. Ideo sicut parvulum filium nutrit pater fractionibus et minutiis panum, sic Dominus populum illum multis particularibus erudivit præceptis. Secunda causa fuit, ut per tam multa præcepta Deus faceret populum suum ab idololatris omnino differre. Lex etenim pro magna parte intendit ad eliminandum omnem idololatriæ ritum ac speciem, præsertim in universis mandatis, quæ prima facie videntur inutilia et absurda. Tertia, ut Judæi haberent sufficientem materiam se occupandi in lege sua, et non haberent occasionem occupandi se in libris gentium aliarum, ne in errores et superstitiones legi contrariantes dilaberentur : quod multa diligentia ac discretione observatum est apud Hebræos multis temporibus, ita quod sapientia legis contenti, libros aliarum gentium declinarent. Unde nec philosophiæ operam dare illis temporibus ausi sunt, donec commixti sunt inter gentes, videlicet inter Babylonios seu Chaldæos et Arabes : quæ duæ gentes philosophiæ disciplinas ac studia maxime provexerunt, et adhuc ampliare atque provehere non desistunt, quanquam ea Ægyptii inceperint, et Græci studiosissime ac magnifice prosecuti sint. Postquam vero Judæi Babyloniis gentique Arabum sunt admixti, immiscuerunt se philosophiæ studiisque illorum, et inciderunt errores ipsorum, nescientes ea quæ in lege sua scripta sunt defendere contra disputationes illorum, maxime postquam regnum Sarracenorum diffusum est super ipsorum Hebræorum habitationes. Exinde enim æternitatem mundi et aliorum philosophorum errores secuti sunt, ita quod pauci manserunt veri Judæi, videlicet qui non in aliqua parte Sarracenorum et philosophorum erroribus consenserunt. Hæc Guillelmus.

Quocirca quæri potest, qualiter computatio mandatorum secundum Guillelmum, computationi eorum secundum Rabbi Moysen valcat concordari. Ad quod responsionem certam in promptu non video, nisi forte diversimode accipiantur nomina mandati atque præcepti. Sicut enim prætactum est, quidam inter mandata et præcepta distinguunt, ita quod mandata non obligant nec obligabant Judæos tam absolute sicut præcepta ; sed inter præcepta et consilia seu documenta, medio modo habebant se. Potuit ergo esse, quod Guillelmus hæc duo pro eodem accipiat, sicque multa plura dicat esse præcepta seu mandata legis, quam Rabbi Moyses. Quum ergo sint tot et tanta legis præcepta, merito dixit glorio-

Digitized by Google

Act. xv, 10. sissimus princeps Apostolorum : Cur tentatis imponere onus super cervicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus ? Hæc præmisi, quia ex hoc loco incipit Moyses præcepta legis cærimonialia et judicialia magis particulariter prosequi.

Filii estote Domini Dei vestri, id est, non solum servi, sed etiam filii adoptivi esse satagite veri Dei, per filialem ad ipsum caritatem sinceram, et per divinæ perfectionis imitationem, quemadmodum in *Luc.* vi, 35. Evangelio ait Salvator : Diligite inimicos vestros, et mutuum date nihil inde sperantes, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. *Non vos incidetis,* hoc est, non vulnerabitis vosmetipsos, ut per hoc exaudiamini a me, prout tertio Regum de sacerdotibus Baal III *Reg.* xviii, 28. habetur : Clamabant voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis donec perfunderentur sanguine. Vel quod ait, Non vos incidetis, refertur ad sequentia, *nec facietis calvitium super mortuo,* hoc est, ex immoderato mœrore de morte carorum, non lædetis vos aliqua vulneratione, nec extrahetis capillos : quia cultores veri Dei, qui fidem habent et spem vitæ melioris, beatæ ac æternalis, non decet sic flere propter temporalem suorum obitum propinquorum. Propter quod ait I *Thess.* iv, 12. Apostolus : Nolumus vos contristari de dormientibus, sicut et ceteri qui spem non habent. Taliter autem lugere, eorum est qui de resurrectione vitaque meliore desperant. Hinc ait Glossa : Usque hodie multæ gentes incidunt se in funeribus mortuorum. Hæretici quoque capillos tondent, et mortuis consecrant. Istud ergo Dominus jussit, ne populus suus assimila- *Lev.* xix, 28. retur idololatris. De isto dictum est plenius super Leviticum.

Sequitur de distinctione et munditia ciborum secundum legem : quibus videlicet animalibus gressibilibus, quibus etiam avibus, et quibus piscibus vesci licuerit ip- *Ibid.* xi, 2 *et seq.* sis Judæis, et quibus non. De qua materia et rationibus horum litteralibus ac spiritualibus, diffuse tractatum est in Levitico, ubi de his ex scriptis Alexandri de Hales, S. Thomæ, et Guillelmi Parisiensis, ac aliorum, multa sunt introducta : ideo non sunt repetenda, sed nomina quædam sunt hic exponenda, quæ non sunt expressa ibidem. *Hoc est animal quod comedere debetis.* Hic ponitur singulare pro plurali, ut sit sensus : Hæc sunt animalia, quorum carnibus vesci vobis est licitum. *Bovem et ovem et capram, et cervum.* De proprietatibus bovis et ovis et capræ, super Leviticum dictum est. Cervus est animal velox, cornibus armatum, lutum et spineta transiliens saltu, et a læsione cornibus se defendit. Quum senuerit, vi narium serpentem extrahit de caverna, quem vivum deglutit, cujus veneno æstuans, ad fontem accelerat : quo hausto, venenum ejicit, et pilis vetustatis abjectis, rejuvenescit. Per quem bene homo spiritualis et contemplativus signatur, qui fervore affectuum festinat ad patriam, cornibusque armatur, quibus læsionibus tentatoris resistit, de quibus cantatur : Exaltabuntur cornua justi : quæ sunt vir- *Ps.* lxxiv, 11. tutes ejus. Præsertim discretio * atque constantia transcendit quæque terrena. Quumque senuerit corpore, renovatur in anima, extrahitque aspidem de caverna, dum peccatorem ad confitendum inducit, cujus quum peccata audierit, ad fontem misericordiæ properat, et veniam impetrat pœnitenti.

* discretione

Et capream, bubalum. Bubalus est animal ferox et valde robustum, quod domari non potest, nisi ferreo aculeo naribus ejus infixo, quo circumfertur ; habetque frontem validissimis cornibus circumseptam. Nigri aut fulvi coloris est, et paucos ac raros habet pilos. Per quem spiritualis pugnator accipitur, qui animatus in Domino, protestatur : Persequar inimicos meos et *Ps.* xvii, 38. comprehendam illos, et non convertar donec deficiant. *Tragelaphum.* Tragelaphus alio nomine dicitur hircocervus, quia partim est similis hirco, partimque cervo. Per quem homo proficiens designatur, qui adhuc passionibus impugnatur, et tamen

Digitized by Google

ut cervus ad altiora virtutum ac sapientiæ A fluenta accelerat. *Pygargum.* Pygargus secundum quosdam est avis quædam, a *pyge,* quod interpretatur depressum, et *argos,* quod est onus, quia fortassis parvæ est quantitatis; vel a *pyge,* id est nates, [et *argos*, quod est album]. Videtur tamen nunc potius sumi pro animali gressibili, quoniam infra fit de avibus mentio, et animalia gressibilia, non volatilia, pariter exprimuntur. *Orygem.* Oryx sumitur nunc pro animali quodam, quod etsi immundum sit ad sacrificandum, non tamen ad come- B dendum. Per quod possunt intelligi boni fideles, qui licet ad vitam religiosam inepti sint, attamen in via mandatorum salubriter ambulant. *Camelopardalim* *. Camelopardalis, quamvis sit pardus maculis albis adspersus, collo tamen similis est equo, pedibus autem bubalis, capite vero camelo, et in Æthiopia nascitur. Per quam designantur quidam electi, qui ex gratia speciali diversorum statuum perfectiones sortiti sunt, quum tamen unius sint status atque vocationis. Deinde inter aves im- C mundas ponitur ipon vel icon *, et est avis de genere vulturis, parva, et albi coloris.

* *camelopardalum, vel camelopardum*

* ixion

Peregrino qui intra portas tuas est, da ut comedat, et * *vende ei.* Per peregrinum intelligitur quæcumque persona gentilis, non conversa ad Judaismum, cui licebat comedere aves secundum legem immundas, quia ad cærimonialia legis non tenebatur. *Quia tu populus sanctus Domini Dei tui es,* hoc est, divino cultui specialiter mancipatus: propter quod obligaris ad multa, ad quæ alii non tenentur. *Non co-* D *ques hœdum in lacte matris suæ.* De expositione hujus præcepti, multa sunt introducta in Exodo, secundum Augustinum et Thomam ac alios. Quibus nunc addo, quod libro de Fide et legibus scribit Guillelmus Parisiensis: Ad distinguendum populum suum a consuetudine idololatrarum, Dominus ei præcepit: Non coques hœdum in lacte matris suæ. In natura enim sua nihil habet immunditiæ hœdus, nec lac caprinum; nec contrariatur corporis sanitati. Cur ergo utriusque comestio prohibetur? Hœdus namque et lac, sunt cibi mundi ac liciti juxta legem. Præterea hujusmodi cibus non est adeo delicatus, ut igitur prohiberetur. Amplius, cur magis prohibuit hoc de hœdo, quam de agno aut vitulo? Ideo constat ex omnibus his, Deum voluisse aliquam consuetudinem idololatriæ per hæc a suo populo removere: cujus validum signum est, quod prohibitio ista tam frequenter exprimitur, quia habetur vulgo in Exodo atque in Deuteronomio. Hæc Guillelmus Parisiensis. Circa cujus verba sciendum, quod quamvis Scriptura non exprimat istud, nisi de hœdo, tamen secundum aliquos magnos intelligitur etiam de carnibus aliorum animalium quæ lacte aluntur, non autem de avibus, quia non lacte, sed de ovi materia nutriuntur. Istud, sicut supra Exodum scripsi, dicunt Magister in historiis et Andreas.

* aut

Exod. XXIII, 19.

Exod. XXXIV, 26.

Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis. Istud totum usque ibi, Anno tertio separabis aliam decimam, etc., scriptum atque expositum est supra. *Anno tertio separabis aliam decimam,* id est, a ceteris tuis bonis abstrahes decimam distinctam ab illa quæ debetur Levitis, atque ab illa, de qua fiebat epulatio in oppido cultus divini. Et ideo ait, Tertio anno, quoniam unus annus interpositus fuit, in quo non fiebat decimatio ista. *Et repones* eam *intra januas tuas,* hoc est in aliqua domo tua. *Venietque Levites, qui aliam partem non habet* nisi decimam istam, et etiam aliam quæ omni anno fiebat, *nec possessionem tecum* hereditariam, nisi ad habitandum atque ad pecora nutrienda, *et peregrinus,* præsertim ad Judaismum conversus, *atque pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt,* id est quæcumque pauperes miserabilesque personæ; *et comedent* in domo tua, vel secum portabunt aliquam partem, quam eis contuleris; *et saturabuntur,* id est, ad sufficientiam, non ad gulam, reficientur. Hæc vocabatur decima pauperum, quam Deus sic jussit reponi et communicari, ne inopes Hebræi aut Levitæ

Deut. XII, 5 *et seq.*

Digitized by Google

Deut. xv, 4. compellerentur mendicare, quod infra vetatur; aut ministrare gentilibus sive idololatris, sicque cum illis comedere, et idolothyta sumere, atque ex consequenti in idololatriam labi, quemadmodum in Judi- *Judic.* xvii, 7 *et seq.*; xviii, 30. cum volumine legitur contigisse Levitæ, utpote Jonathæ filio Gersam filii Moysis. Hanc igitur pietatis legem adimple, *ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum,* hoc est virium operativarum, id est, in spiritualibus ac temporalibus rebus det tibi gratiosam multiplicationem. Siquidem opera miseri- B cordiæ non solum in futuro, sed etiam in A præsenti remunerantur a Domino remuneratione multiplici; et qui operibus pietatis liberaliter sunt intenti, tam in spiritualibus quam in temporalibus benedicuntur a Domino : quibus fiet a Deo, sicut faciunt proximis suis, sicut ait Salvator : Beati *Matth.* v, 7. misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Itemque : Mensuram bonam *Luc.* vi, 38. et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Postremo, secundum Glossam, Historiamque scholasticam, non licuit Judæis de hac pauperum decima aliquid in proprios convertere usus.

ARTICULUS XVI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTIDECIMI : SEPTIMO ANNO FACIES REMISSIONEM.

NUNC specialiter inducuntur judicialia quædam præcepta, inter proximos ob- C servanda, ad convivendum caritative atque pacifice. Ut autem asserit Glossa, in hoc capitulo dilectio et pietas commendantur, ut proximis misereamur, et præ- *Galat.* vi, 9, 10. mium præstolemur a Domino : tempore enim suo metemus non deficientes, si dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. *Septimo anno facies remissionem,* juxta sensum qui subditur : *quæ* remissio *hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo,* hoc D est propinquo aut alio natione Judæo, *repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini :* quia in hoc septimo anno Dominus jussit creditoribus, debita Hebræis remittere. *A peregrino et advena exiges,* id est, ab extraneis qui non sunt natu Judæi, potes in illo anno, sicut et ante, exigere debita. *Civem et propinquum repetendi non habes potestatem.* Per quod quidam dicunt insinuari, quod a conversis ad Judaismum, non licuit debita exigi. Hujus præcepti causa assignatur, ne Judæi pauperes, ex impotentia persolvendi et exactione atque coarctatione ad persolvendum, de terra sua, in qua sola cultus Dei generaliter viguit, ad terras gentilium idololatrarum confugerent, et tali occasione ad idololatriam laberentur, secundum illud : Cum perverso perverteris. Propter *Ps.* xvii, 27. quod David primo Regum clamavit ad Saul: Si Dominus incitat te adversum me, odo- I *Reg.* xxvi, 19. retur sacrificium ; si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini, qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hereditate Domini, dicentes : Vade, servi diis alienis.

Denique Thomas in prima secundæ, quæstione 105, circa præceptum hoc scribit : Intentio legis erat assuefacere homines suis præceptis ad hoc, quod sibi invicem de facili in necessitatibus subvenirent, quia hoc maximum est amicitiæ fomentum : et hanc subveniendi facilitatem non solum statuit in his, quæ gratis et absolute donantur, sed in his quoque quæ mutuo conceduntur, quoniam talis subventio frequen-

Digitized by Google

tior est, et pluribus necessaria. Hujusmodi A autem subventionis facilitatem multipliciter instituit, quatenus faciles se præberent ad mutuum concedendum, ne ab hoc retraherentur anno remissionis appropinquante. Deinde instituit, quod anno septimo debita penitus remitterentur. Probabile etenim erat, quod hi qui commode reddere possent, ante annum septimum solverent, nec gratis mutuantem fraudarent. Si autem omnino impotentes essent ad reddendum, eadem ratione erat eis debitum remittendum ea dilectione, qua etiam erat eis de B novo dandum, propter ipsorum indigentiam. Hæc Thomas.

Verumtamen quidam, quos Magister in historiis sequitur, dicunt, quod anno septimo non fiebat debitorum remissio, sed repetitionis dilatio, et in jubilæo ipsa remissio. Cui dicto consonare videtur quod scribit hic Rabbi Paulus, dicens : Licet Hebræi communiter dicant, quod anno septimo debita totaliter remittebantur, ita quod nec postea exigi poterant, hoc tamen non videtur consonum rationi. Sic enim si C mutuasset aliquis alteri anno sexto, vel in termino ejus, non potuisset illud postea exigere: quod videtur contra justitiæ æquitatem. Nec dici potest, quod remissio ista intelligatur quantum ad impotentes solvere, ut postillator (videlicet Lyra) videtur dicere, tum quia Scriptura hæc loquitur indifferenter, tum quia ab impotente solvere non solum anno septimo, sed etiam aliis annis non fuit repetendum. Ideo aliter videtur esse dicendum, videlicet quod anno septimo non licebat repetere debi- D ta, quoniam septimus annus, fuit annus remissionis terræ, in quo non licuit seminare, vindemiare, nec fructus terræ colligere, sed omnia quæ sponte nascebantur, erant communia, ut habetur in Levitico. *Lev.* xxv. Idcirco tunc debuit cessare exactio debitorum, cessante collectione fructuum atque reddituum ; sed sabbato terræ, id est septimo anno transacto, quum jam poterant terras colere, et fructus suos unusquisque colligere, licuit repetere debita, et debitor reddere tenebatur, quum restitutio pertineat ad veram justitiam. Hæc Rabbi Paulus. Et quamvis hoc dictum videatur satis consonum rationi, non tamen textui neque doctoribus allegatis. Nec objectio Pauli tenet, quoniam Dominus promittit mutuanti, et septimo anno debitum remittenti, benedictionem ac præmium. Postremo, quod locus iste intelligendus est quantum ad pauperes, prout Lyra insinuat, satis (ut apparet) in textu innuitur, quia sic continet : Si unus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, dabis ei mutuum, quo eum indigere perspexeris. Deinde subjungitur : Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas, Appropinquat annus remissionis, et avertas oculos a paupere fratre tuo, nolens ei mutuum commodare. Quamvis autem ab impotente ad solvendum, non erat importune repetendum, non tamen oportuit ei remitti omnino ante septimum annum, sed poterat interim exspectari an fieret potens solvere : quo facto, debitum exigi poterat.

Sequitur : *Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos :* id est, hoc jubeo, ut ita invicem succurratis, et vestra communicetis his, qui propria bona non habent, ut nemo de semine vestro opprimatur inopia, aut mendicare cogatur, ne scilicet tali occasione ad gentiles declinet vel idololatris obsequatur, aut furtum seu simile vitium incidat. Istud quoque tunc congrue jubebatur, quando cultoribus Dei temporalium abundantia promittebatur. Hinc etiam innotescit, quod temporalis prosperitas non fuit principale præmium observantiæ legis: alioqui Deus per se ipsum cunctis observatoribus legis, temporalem contulisset prosperitatem, quum ipse sit justus judex et liberalissimus præmiator. Hinc in Proverbiis Sapiens orat : Mendicitatem et divitias ne dederis mihi, ne forte *Prov.* xxx, 8, 9. satiatus illiciar ad negandum, aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei.

*Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo fœnus * accipies,* id est, si legem plene servaveris, cunctis gentibus opulentior

* mutuum

Digitized by Google

eris. Sic Glossa exposuit. Vel tantis eris divitiis decoratus, quod poteris mutuando succurrere, non solum natione Hebræis, sed item gentilibus. Porro fœnerare seu fœnerari, est idem quod mutuare vel mutuari, aut ad usuram concedere sive accipere. Dicuntque aliqui probabiliter satis, quod fœnerare non sumitur hic pro concessione ad usuram, quæ licet erat Judæis permissa circa extraneos, non tamen licita fuit in se, sicut nec libellus repudii, ut infra magis dicetur : idcirco non poterat eis promitti pro mercede virtutis seu observantiæ legis : ideo fœnerare nunc sumitur pro accommodare. Unde secundum Lyram in Hebræo habetur, Vadiabis gentes multas, id est, vadia ab eis accipies, quia non tenebantur absque vadio accommodare. Verumtamen sicut jam tactum est, dici potest, quod non usura, sed opulentia eis promittitur. Qualiter autem permissum sit eis ad usuram accommodare extraneis, infra exponetur. (Deut. XXIII, 20.) Et quia non solum promittebatur eis excellentia divitiarum seu copia rerum, sed etiam principatus dominii, quod ad temporalem pertinet prosperitatem, subjungitur : *Dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur,* hoc est nullus gentilis infidelisque princeps aut populus : quod tempore David et Salomonis præsertim impletum est.

Si unus de fratribus tuis, id est quæcumque persona natione Hebræa, aut etiam secundum quosdam, ad Judaismum conversa, *ad paupertatem devenerit ; non obdurabis cor tuum* per crudelitatem et immisericordiam, *nec contrahes manum* per avaritiam, *sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum quo eum indigere perspexeris :* nec hoc dimittes propter anni septimi appropinquationem, sicut in textu qui est planus, subjungitur. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Paulo ante jam dixit, Omnino indigens et mendicus non erit inter vos : quomodo ergo nunc ait, Non deerunt ? Sed illud dictum est, ut in sua paupertate non relinquantur ; istud vero, quod ex se inopes erunt et subsidiis indigentes, quorum unum alteri non contrariatur. *Quum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus.* Locus iste usque ad id, De primogenitis tuis, in Exodo litteraliter spiritualiterque expositus est. (Exod. XXI, 2-6.)

De primogenitis tuis quæ nascuntur in armentis et ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Istud frequenter præhabitum est. Primogenita namque animalium immolaticiorum erant Domino offerenda, qui ea sibi sanctificavit, hoc est, immolanda dictavit, ab eo tempore, quo percussit omne primogenitum in Ægypto. (Ibid. XIII, 2, 12 ; XXXIV, 19.) Primogenita autem animalium non immolaticiorum redimebantur aut occidebantur, quia pro primogenito asini, ovis dabatur; primogenita canum interficiebantur. (Ibid. XIII, 13 ; XXXIV, 20.) *Non operaberis in primogenito bovis,* id est, primogenita boum non applicabis usibus aut utilitatibus tuis ad tempus, antequam immolentur, *et non tondebis primogenita ovium,* sed cum lana sua offeres ea Deo. Similiter oves quæ pro primogenitis asinorum offerebantur, erant offerendæ cum lana : quia in Dei obsequio et in sacrificiis ejus nequaquam tenacia est monstranda, sed liberalitas exhibenda; ipsique sacerdotes, ad quos oblationes Dei pertinuerunt, sic indigebant lana pro vestitu, ut carne pro victu. *In conspectu Domini Dei tui comedes ea,* juxta expositionem superius introductam. (Deut. XII, 12.) *Sin autem habuerit maculam,* etc. Istud totum supra continetur, et ibi expositum est. (Lev. XXII, 20-22.)

Mystice, septimus annus remissionis, est omne tempus evangelicæ legis, in quo septem donis Spiritus Sancti replemur. (Sensus mysticus.) Unde in Isaia loquitur Christus : Spiritus Domini super me, ut prædicarem annum placabilem Domino. (Is. LXI, 1, 2.) In omni igitur tempore vitæ præsentis debemus remittere, quidquid injuriæ nobis fuerit irrogatum, non solum usque septies, sed usque septuagies septies, sumendo numerum finitum et determinatum pro indeterminato : (Matth. XVIII, 22.) et hoc maxime amicis, proximis, et fratribus nostris, videlicet Christifidelibus, qui de suo dolent excessu, et veniam deprecantur, atque ad

Digitized by Google

emendandum et satisfaciendum exponunt A
Matth. v, 23, 24. se juxta Christi doctrinam, dicentis : Si offers munus tuum ad altare, vade prius reconciliari fratri tuo, etc. Quibus dimittere debemus, quantum in nobis est, non solum culpam, sed et satisfactionem, seu pœnam excessus eorum in nos, *quia annus remissionis est Domini*, hoc est tempus legis evangelicæ, quam docuit Christus, qui jussit inimicos amari, talionisque legem
Ibid. vi, 15. evacuavit, et dixit : Si non remiseritis fratribus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. *A peregrino* B *et advena exiges :* id est, ab his qui ab observantia præceptorum Christi extranei sunt, qui nec veniam petunt, nec emendationi exponunt se, debitam satisfactionem pro injuria tibi illata secundum ordinem juris exigere potes, imo et debes, dum caritas et bonum commune requirunt hoc : quod ex dilectione et zelo justitiæ, non ex rancore, passione, aut vitio est agendum, quatenus impius in sæculo hoc purgetur et reprimatur a vitiis, et decor servetur justitiæ, nec pax communis tur- C betur.

Omnino indigens et mendicus non erit inter vos : hoc est, si evangelicæ legi perfecte obedientes fueritis, spirituali opulentia vestræ animæ replebuntur, ita ut
I *Cor.* i, 7. nihil vobis desit in ulla gratia. Sicque fœnerabit qui talis est, *gentibus multis :* quoniam charismata gratiæ ac doctrinæ sibi collata, aliis communicabit, a quibus tali communicatione juvari non indigebit. Hinc præstantissimus Archiapostolus ex-
I *Petr.* iv, 10. hortatur : Unusquisque sicut accepit gra- D tiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Insuper, tam virtuosus dominabitur *nationibus plurimis,* hoc est vitiis mortalibus, eorumque filiabus atque effectibus, et omni carnali homine dignior erit, atque idoneus plurimos gubernare, juxta quod
Prov. i, 5. Salomon testatur : Intelligens gubernacula possidebit. Denique, si Ecclesia Christo digne serviret, perfidis utique nationibus prævaleret.

Amplius, ex isto capitulo edocemur, quam proni et caritativi debeant esse Christiani ad mutuam subventionem in dando ac mutuando, quum lex Christi sit multo perfectior lege Moysis. Propter quod ait sanctus evangelista Joannes : Si quis viderit fra- I *Joann.* iii, 17. trem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo ? Hinc ait Salvator : Omni *Luc.* vi, 30, 35. petenti te tribue, et mutuum date, nil inde sperantes. Quod nihilo minus cum discretione agendum est, opportunoque loco et tempore, dum rationabilis dictat causa, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Multi *Eccli.* xxix, 10. non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed quia fraudari gratis timuerunt. Salomon quoque fatetur : Homo stultus plaudit ma- *Prov.* xvii, 18. nibus, quum spoponderit pro amico. Et rursus : Si spoponderis pro amico, curre, *Ibid* vi, 1, 3. festina, suscita amicum tuum.

Postremo, omne primogenitum consecrandum est Domino, id est, quidquid in omni conversatione nostra virtuosius laudabiliusque consistit, adscribendum est pietati divinæ. *In primogenito* quoque *bovis* non est operandum, nec *primogenita ovium* sunt tondenda. Per boves quippe prælati, necnon prædicatores intelliguntur, qui verbo Dei et auctoritate concessa, audientium corda aperiunt gratiæ Dei, et ea fecundant : quorum primogenita sunt, qui statim seu primo ab ipsis conversi sunt, quibus non est statim utendum ad informationem aut præsidentiam aliorum, sed præstolandum quousque fuerint rite in omni virtute exercitati, ac desuper illustrati, ut vita, scientia, ac ætate idonei sint. Propter quod de eligendo in præsulem ait Apostolus : Non neophytum, ne in super- I *Tim.* iii, 6. biam elatus, in judicium incidat diaboli. Primogenita ovium sunt, qui inter subditos præfulgent virtutibus, vel qui exemplis, verbis, aut precibus subditorum bonorum conversi sunt : qui non sunt tondendi, hoc est fructu suæ laudabilis vitæ privandi, vel per scandala aut per incauta præconia, vel per debitæ correptionis ac correctionis subtractionem. Tales namque novellæ plan-

Digitized by Google

tæ faciliter scandalizantur, incautisque laudibus extolluntur ; et nisi diligenter atque assidue informentur, castigentur ac dirigantur, cito exorbitant atque deficiunt. Ceterorum spiritualitates præallegatis capitulis sunt conscriptæ.

ARTICULUS XVII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTIDECIMI : OBSERVA MENSEM NOVARUM FRUGUM.

CÆRIMONIALIA quædam præcepta nunc repetuntur, puta de observandis festis legalibus, aliisque nonnullis : et primo fit mentio de solennitate paschali. *Observa mensem novarum frugum,* id est, adventum primi mensis anni considera : qui apud Hebræos dicitur Nisan, et apud Latinos Martius seu Aprilis, secundum modum et sensum frequenter præhabitum. Ab illo etenim mense inchoant annum Judæi : in quo mense secundum præinductas allegationes in terra promissionis fuit tunc inceptio messis, quamvis aliqui dicant, quod tunc nondum fuit ibi messium tempus, sed appropinquatio ad maturitatem, ita quod in quadam parte terræ illius aliquæ spicæ erant maturæ : quod nec textui, nec Glossæ, nec auctoritati Hieronymi, nec Magistri in historiis consonat, quia non solum hic, sed et alibi sæpe Scriptura vocat mensem illum, mensem novarum frugum seu messium. Siquidem in Levitico scriptum
Lev. xxiii, 10. est : Quum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem. Certumque est, quod illa oblatio fiebat in crastino Paschæ, secundum expositores concorditer. *Et verni primum temporis,* id est mensem præfatum, qui est primus mensis in vere, quod ver est prima pars anni juxta Hebræos ; *ut facias Phase Domino,* id est, ad Dei honorem celebres Pascha.

Immolabisque Phase Domino Deo tuo. Per immolationem Phase, intelligitur hic non ipsa paschalis agni oblatio, sed sacrificium quod ex alio Dei præcepto offerebatur azymorum diebus per totam Paschæ hebdomadam. Attamen quidam hic scribit, quod istud intelligatur de aliis sacrificiis, quæ offerebantur a personis singularibus ex devotione, quæ non cadebant sub determinato numero, quia in talibus cuilibet permittebatur suam facere voluntatem. Verumtamen istud non videtur idonee dictum, quum Dominus præceptive hic dicat : Immolabisque Phase. Atque in codice Numerorum istud sacrificium paschale jubetur, et quantum ad numerum rerum immolandarum determinatur, quum dicitur : Offeretis incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem, et hircum pro peccato, etc. ; et subditur ibi : Ita facietis per singulos dies septem dierum. *Num.* xxviii, 19, 22, 24. Sic itaque immolabis *de ovibus et de bobus, in loco quem elegerit Dominus,* id est in urbe cultus divini et in atrio templi.

Non comedes panem fermentatum. Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, id est azymos panes : qui vocantur panes afflictionis, quia commemorabant et repræsentabant afflictionem filiorum Israel in Ægypto. Propter quod subditur : *quoniam in pavore egressus es de Ægypto :* quia et ipsi filii Israel nondum perfecti in fide, cum timore exierunt Ægyptum, cogentibus eos Ægyptiis ad exeundum velociter. *Exod.* xii, 33. Ægyptii quoque timebant plagari a Deo, dicentes : Omnes moriemur. Porro secundum Lyram, in Hebræo habetur, Quod subito vel festinanter egres-

Digitized by Google

sus es. Sed potius puto, verbum istud Hebraicum ad pavorem et festinationem esse æquivocum; et beatum Hieronymum aptius transtulisse, In pavore, quam si transtulisset, In festinatione : quia quod ait, In pavore, magis exprimit causam dicti præmissi quo dixit, Comedes afflictionis panem.

Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum. Hic per immolationem Phase designatur oblatio agni paschalis, qui offerebatur in urbe divini cultus, ubi tabernaculum Dei fuit, aut templum in quo nomen Domini, id est ipse Dominus, habitabat, non per circumscriptionem localem, sed per gratiosum ac specialem effectum, et qui colebatur ibidem per sacrificia et orationes ; et poterat in qualibet domo urbis illius offerri, in qua erant personæ ad esum agni sufficientes. Expositioni hujus textus non immoror, quoniam super Exodum, Leviticum, Numerorumque librum, in diversis capitulis scripta sunt multa de ista materia et festivitatibus istis. *Immolabisque Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Non quod de vespere exierunt Ægyptum : idcirco quod ait, Quando, intelligendum est, quo tempore, utpote mane sequente. *Maneque consurgens, vades in tabernacula tua.* Hoc dicitur de his, qui ex aliis urbibus venerunt ad civitatem divini cultus, in qua remanere tenebantur tota quintadecima die mensis primi, quæ dies fuit prima et celeberrima dies festi paschalis ; et die sequente poterant redire ad propria. Qui tamen volebant, poterant ex devotione per totam hebdomadam festi manere ibidem : idcirco quod ait, Mane consurgens, etc., permissio et licentia est, non præceptum.

Sex diebus comedes azyma. In Exodo
Exod. XII, 15. legitur : Septem diebus azyma comedetis. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque septimum : quo constat quod septem diebus azymos panes edere tenebantur. Cur ergo nunc dicitur, Sex diebus comedes azyma ? Respondetur, quod numerus minor

A majorem non excludit, imo in majori includitur ; et quia de septimo die Paschæ subjungitur, *et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus servile.* Septima namque dies, sicut et prima, celeberrima fuit, propter quod et in azymis panibus expendenda. Dicebaturque collecta Domini, vel quia in ea pariter reponebantur in receptaculis templi, ea quæ erant per dies illos festivos oblata in sacro loco, puta pecuniæ ; vel quia tunc colligebantur eleemosynæ aliquæ in pauperum

B usus, aut simili ratione.

Sequitur de solennitate Pentecostes : *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris,* id est a tempore quo communiter cœperat messis in terra promissionis, quæ calida est et terræ nascentia cito maturat ; non tamen in ipso die Paschæ opus metendi cœperunt. *Et celebrabis diem festum Hebdomadarum,* scilicet Pentecosten, qui septem hebdomadibus post primum Paschæ diem evolutis celebratur : de qua solennitate et Lev. XXIII, 15, 16.

C hebdomadarum istarum numeratione dictum est plenius in Levitico et in Numeris, ubi et de sacrificiis ejusdem solennitatis tractatum est ; Num. XXVIII, 26. *oblationem spontaneam manus tuæ quam offeres,* id est, tale voluntarium et supererogationis sacrificium celebriter observabis, quod tunc fieri consuevit : vel, quoniam nullum sacrificium complacet Deo, nisi voluntarium et devotionale consistat, unumquodque sacrificium spontanea potest oblatio nuncupari ; *et epulaberis coram Domino Deo tuo,* id est, cum

D spirituali jucunditate reficieris cum sobole atque familia tua, aliisque personis quæ exprimuntur in littera, in civitate cultus divini, in qua hac solennitate omnes conveniebant, nisi dispensative supportarentur, ut infra habetur.

Præterea, si quod dictum est, Septem hebdomadas numerabis a die qua falcem in segetem miseris, intelligatur de certa determinataque die, observari non potuisset ad litteram. Non enim universi in Israel cœperunt eodem die hoc agere. De spiri-

Digitized by Google

tuali autem intellectu non curant Hebræi. Ideo ait Hieronymus, quod neque ad litteram, neque secundum spiritum Judæi custodiunt hoc præceptum. Tunc enim, videlicet si ad litteram id servarent, non eodem tempore fieret Pentecoste, quoniam alii citius, alii tardius metunt, secundum situm regionum suarum. Hinc, ut in Scholastica fertur historia, quidam dixerunt, unumquemque agricolam a prima die messionis suæ quinquaginta dies computasse, atque in ea sibi ac suis epulum exhibuisse, ac diem egisse festivum, non Pentecosten legalem, sed celebritatem pro omnibus suis jam congregatis. Hæc quoque tangit Augustinus: Si ab universo, inquiens, populo hæc Pentecoste jussa est observari, numquid credendum est, Dominum præcepisse ut omnes una die mitterent falcem in messem? Si autem sibi quisque observat quinquagesimam istam, non est una populo universo festivitas ista. Illa vero est una, quæ computatur ab immolatione Paschæ usque ad diem datæ legis in Sina. Hæc Augustinus. *Solennitatem quoque Tabernaculorum celebrabis per septem dies.* Locus iste in Levitico expositus est.

Lev. xxiii, 24 *et seq.* *Num.* xxix.

Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum coram Domino : hoc est, tu ipse cum sobole tua sexus masculini ter quolibet anno venies ad urbem, in qua tabernaculum Dei est, utpote in tribus solennitatibus memoratis. Verumtamen cum habitantibus multum remote ab urbe illa, dispensabatur, ita quod non nisi in Pascha, ibi apparere obligabantur : imo aliqui dicunt, quod indulgebatur eis, ut non nisi semel in triennio venirent in Pascha. *Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei sui quam dederit ei :* hoc est, in præfatis tribus festivitatibus unusquisque juxta suam facultatem aliquid offerat Deo in loco sacro, etiam ultra præcepta in lege, ex speciali devotione ad reverentiam festi, imo Dei in festo.

Sequitur de quibusdam præceptis judi-

A cialibus, quæ secundum Alexandrum et alios, sunt determinationes præceptorum moralium secundæ tabulæ, exprimentes modum servandi justitiam inter proximos in convictu civili. *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis :* id est, tu popule Israel, provide, ut in porta cujuslibet urbis tuæ sedeant quotidie judices et magistri, ita ut ipsi judices sint etiam magistri, id est periti in lege, sciantque jura patriæ instituta, atque idonei sint instruere accedentes. Qui sedebant in por-

B ta, ut omnibus pateret ad eos liber accessus, et cito expedirentur: quod est contra judices, qui faciliter se absentant, nimiumque protrahunt juris sententiam, sicque labore, sumptu ac tædio proximos gravant: quod est contra jus naturæ atque divinum. *Ut judicent populum justo judicio,* tanquam ministri ac vicarii æternæ et increatæ Justitiæ, *nec in alteram partem declinent,* hoc est, nullo modo a rectitudine æquitatis ac veritatis recedant, nec unam partem præ alia palpent, nec nimis rigorosi, nec nimis

C remissi exsistant, sed per discretionem contemperent misericordiam atque justitiam.

Non accipies personam, ut privato amore aut odio movearis ad aliquem, sed causam sinceriter inspice. *Nec munera.* Hoc judicibus jubetur, ne imminente judicio, a partibus accipiant dona seorsum: per quod inter cetera mala inde sequentia, præstatur mala audacia ei qui contulit munus; et res illa speciem habet mali, mentemque judicis inficit, corrumpit, et inordinato flectit

D amore ad dantem. Cupiditas quoque per munera generatur aut fovetur, quæ facit rationem a medio virtutis recedere. Ideo subditur : *quia munera excæcant oculos sapientum,* qui scilicet ante munerum acceptionem fuerant sapientes, sed per munera seducuntur, et fiunt insipientes ; *et mutant verba justorum,* ita quod qui ante proferebant verba justitiæ, incipiunt loqui injuste, et falsa proferre judicia. Lingua enim est instrumentum intellectus speculativi, sicut manus practici ; et qualis vir,

Digitized by Google

talis et sermo; atque ut Christus disseruit,
Matth. xii, 34. Ex abundantia cordis os loquitur. De hac
Lev. xix, 15. materia dictum est plenius in libris Levi-
Exod. xxiii, 8. tici et Exodi, et supra capitulo primo. Un-
Eccli. xx, 31. de Ecclesiasticus loquitur : Xenia et dona
excæcant oculos judicum, et quasi mutus
in ore avertit correptiones eorum.

Juste quod justum est, persequeris : id
est, modus et medium prosequendi ac ex-
sequendi justum negotium, bonum actum,
justamque causam, debent esse ordinata
atque legitima, ut secundum juris ordinem
procedatur, et causa primo ponatur, ac
utraque pars audiatur, examinenturque te-
stes, ac veritas debite inquiratur, sicque
tam judices quam partes juste se habeant
in faciendo quod ad eorum pertinet unum-
quemque. Ex qua auctoritate Thomas su-
per quartum Sententiarum declarat, quod
in sacris Ordinibus constituti, peccent mor-
taliter exsequendo officia sua indigne, hoc
est, exsistendo in mortali peccato. Grego-
rius quoque : Injuste, inquit, quod justum
est exsequitur, qui ad defensionem justitiæ
non virtutis amore, sed affectu temporalis
præmii excitatur, et justitiam quam præ-
tendit, vendere non veretur. Denique qui-
cumque propria auctoritate injuriam suam
aut suorum ulciscitur, aut passionate et
impetuose procedit, aut rectam intentionem
non habet, etiam si justam habeat causam,
tamen quod justum est injuste exsequitur.
Juste ergo, caritative, prudenter, quod ju-
stum est prosequeris, *ut vivas* per gratiam
in tempore, et per gloriam in æternitate :
Prov. xiv, 12. quia ut Salomon loquitur, Est via quæ vi-
detur homini bona, sed novissima ejus du-
cunt ad mortem.

*Non plantabis lucum et omnem arborem
juxta altare Domini Dei tui.* Idololatræ
quippe, qui idola sua in locis coluerunt
A amœnis et in locis excelsis, ubi et vene-
rea exercebant, consueverunt in talibus
locis lucos arboresque plantare, quatenus
in superstitionibus atque spurcitiis suis
amplius delectarentur. Ideo jussit Dominus
talia a locis sibi consecratis et a suis cul-
toribus removeri. Quæ enim participatio II Cor. vi, 14-16.
luci ad tenebras? aut quæ conventio fideli
cum infideli? aut quis consensus templo
Dei cum idolis est? *Nec facies tibi atque
constitues statuam : quæ odit Dominus
Deus tuus :* id est, imaginem seu idolum
B tibi non formes nec erigas ad colendum,
imo nec habeas, quia ab omni specie mali I Thess. v, 22.
est abstinendum. Per hoc tamen imagines
Ecclesiæ ac Sanctorum non reprobantur.

Præterea circa præhabita advertendum
quod Josephus ait : Septem judices elige-
bantur in civitatibus singulis, virtute ac
studiis justitiæ exercitati, et unicuique eo-
rum dabantur duo ministri de genere Le-
vitarum. Testimonium mulierum non ad-
mittebant propter levitatem earum, neque
servorum propter animi ignobilitatem, ex
C qua faciliter quibant corrumpi timore aut
lucro.

De spirituali hujus capituli intelligentia
tot dicta sunt super tres libros præceden-
tes, ut nil videatur addendum. Sed cavea-
mus ne in conspectu Domini Dei nostri va-
cui appareamus, id est, ne unquam otio
locum demus, aut negligentiæ vel torpori,
sed fructuose omne tempus expendere eni-
tamur, nec distracta vanaque mente coram
Deo aliquando stemus : imo unusquisque
juxta dona sibi concessa, et juxta quod
D Deus paratus est eum juvare, studeat Deo
offerre obsequium vitæ devotæ, sacrifi-
cium laudis, orationes, meditationesque
sanctas, et omnium observantiam præce-
ptorum.

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMIDECIMI :
NON IMMOLABIS DOMINO DEO TUO BOVEM ET OVEM IN QUO EST MACULA.
ET DE DIVISIONE JUDICIALIUM PRÆCEPTORUM.

Ad intelligendum perfectius dicta atque dicenda, pensandum, quia in prima secundæ, quæstione 104, asserit S. Thomas : Quum lex sit quædam ars vitæ humanæ instituendæ ac ordinandæ, sicut in unaquaque arte est certa distinctio regularum artis, ita oportet in unaquaque lege esse certam præceptorum distinctionem : aliter enim ipsa confusio utilitatem legis auferret. Hinc præcepta judicialia veteris legis, per quæ homines ad invicem ordinabantur, distinctionem habent, secundum distinctionem ordinationis humanæ. Quadruplex autem ordo inveniri potest in populo. Unus superiorum ad subditos ; alius subditorum ad invicem ; tertius populi ad extraneos ; quartus ad domesticos, sicut patris ad filium, mariti ad conjugem, et domini ad ministros. Et secundum hos quatuor ordines distinguuntur judicialia veteris legis præcepta. Dantur enim quædam præcepta de institutione principum ac judicum et officio eorumdem, et de reverentia eis exhibenda : et hæc est una pars judicialium præceptorum. Dantur etiam ibi quædam præcepta pertinentia ad concives ad invicem, videlicet circa emptiones, venditiones, pœnas atque judicia : et hæc est secunda pars judicialium præceptorum. Dantur quoque ibi præcepta pertinentia ad extraneos, puta de bellis et de susceptione peregrinorum ac advenarum : et hæc est tertia pars præceptorum illorum. Dantur item ibi præcepta ad domesticam conversationem spectantia, sicut de servis et filiis atque uxoribus : et ista est quarta pars judicialium præceptorum. Hæc Thomas.

Itaque in principio hujus capituli ponitur cærimoniale præceptum frequenter præ- A habitum, quod aliqui dicunt ad præcedens pertinere capitulum. *Non immolabis Domino bovem et ovem, in quo est macula aut quidpiam vitii,* id est nullum animal monstruosum, deforme ac languidum ; *quia abominatio est Domino Deo tuo.* Animal tale secundum se non est abominabile Deo, qui nihil odit eorum quæ fecit, nec aliquid in suis creaturis proprie detestatur, nisi peccatum ; sed abominabile est Deo, quod talia viliora sibi offerantur contra ejus præceptum, quum ei tanquam superdignissimo B Creatori, ac munificentissimo Domino, meliora sint immolanda, in signum et protestationem ac reverentiam excellentiæ ac munificentiæ suæ. Propter quod mystice reprehenduntur aliqui Christiani, qui si habuerint aliquam prolem monstruosam, deformem, atque ad mundum prorsus inutilem, hanc offerunt vel potius exponunt Deo in claustro, non tamen ex vera devotione, sed magis ex cupiditate vel elatione. Sobolem vero sæculo aptam, non solum non offerunt Deo, imo potius a religionis C ingressu impediunt, aut ingressam pro viribus retrahunt : idcirco ingrati sunt Deo ac impii. *Sap.* XI, 25.

Quumque reperti fuerint vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini, ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam et omnem militiam cœli, etc. Textus planus est et prolixus, sententialiterque præhabitus : quoniam sensus est, quod quæcumque persona ex Israel idololatriam fecerit aut alteri suggesserit, post inquisitionem seu D cognitionem de hoc, ducenda sit ad portam civitatis in qua moratur, vel ad cujus forum ac fines pertinet, ut ibi per judices

Digitized by Google

condemnetur. *In ore,* id est per attestationem, *duorum aut trium testium peribit,* id est, judicabitur morti, *qui interficietur :* quia ut dictum est, in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. De cujus rei Num. xxxv, 30. intellectu ac ratione, dictum est plenius in Numerorum libro. Nempe non quicumque sunt ad perhibendum testimonium admittendi. Testes quoque sunt diligenter examinandi. Circa hæc ait Glossa : Lex idololatriam maxime detestatur. Maximum enim scelus est, honorem Creatoris impendere creaturis : quod faciunt idololatræ et mali Christiani, qui licet per fidem in Ecclesia maneant, magis tamen inveniuntur per diversa vitia servire diabolo, quam per opera bona militare Deo.

Præterea advertendum quod in textu hoc dictum est, Ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cœli. Circa quod quæri potest, quid per militiam cœli intelligatur. De hoc Guillelmus Parisiensis scribit libro de Fide et legibus : Necesse habemus declarare quæ sit militia cœli, quam decepta coluit quondam antiquitas, et adhuc multæ nationes aquilonaris Barbariæ colunt. Quia igitur nomen militiæ, de cœlis vel stellis aut luminaribus valde improprie atque extranee acciperetur, consequens est ut accipiatur de substantiis spiritualibus. Non enim verisimile est, quod divinum cultum impenderint substantiis, quas pura ac mortua corpora crediderunt, et in quibus nil spiritualis virtutis esse opinarentur. Hæc ergo militia secundum illorum opinionem est, quemadmodum ex libris magicis ac maleficis evidenter apparet, multitudo spirituum. Posuerunt namque unicuique cœlorum spiritus proprios præsidentes, aut servientes, et inibi habitantes. Eodem modo posuerunt spiritus præsidentes circulis planetarum. De hac materia prosequitur ibi Guillelmus prolixe, et reprobat omnem idololatriam talem.

Verumtamen advertendum, quod per militiam cœli, multi idololatræ atque philosophi intellexerunt planetas et orbes ac stel-
A las, duodecim quoque signa zodiaci. Nam et corpora cœlestia posuerunt animata, et intellectualis esse naturæ magis perfectæ quam homines : cujus opinionis fuerunt Plato et Aristoteles cum suis sequacibus. Unde et tertio de Anima, Aristoteles solem vocat patrem deorum ac virorum. Plato quoque in primo Timæi inducit summum Deum ad orbes, planetas ac stellas loquentem : O dii deorum, quorum pater et opifex ego ! Nam omnia illa dixerunt militare ac deservire primæ causæ, summoque enti, a
B quo dixerunt universum esse ac vivere derivari, ipsumque esse primum motorem in genere causæ finalis, ita quod omnes inferiores causæ cœlestes moverent et agerent propter ipsum finaliter, et moverentur ab eo, sicut amans et appetens movetur ab appetibili et amato. Porro Thomas in Summa contra gentiles affirmat, ad catholicæ fidei veritatem non attinere, sive corpora cœlestia dicantur animata, sive non. Nam et Augustinus hoc ipsum super Genesim ad litteram et in suo Enchiridio relinquit
C sub dubio. Rabbi Moyses quoque, et auctor libri de Causis, qui secundum Albertum fuit Judæus, et Judæi communiter, dicunt corpora cœlestia esse animata. Quidquid autem sentiatur de his, tamen sacræ repugnat Scripturæ, quod colantur et adorentur ut dii, quum et suo motu pandant se esse summi Dei ministros.

Deinceps docetur, quando et qualiter appellandum seu recurrendum fuit ad principem sacerdotum, seu supremum populi judicem. *Si difficile et ambiguum apud te*
D *judicium esse perspexeris,* id est, si videris quod judices causæ tuæ inter se non concordent, vel de veritate et æquitate dandi judicii exsistant ambigui, *inter sanguinem et sanguinem,* id est in judicando an effusio sanguinis, de qua habent judicare, sit punienda per mortem ejus qui sanguinem fudit, an non, eo quod una pars judicum sentit, quod effusio illa fuit homicidium voluntarium, alia, quod exstitit casuale, vel quoniam dubitant inde, eo quod ex propositis et probatis non queant sufficienter

Digitized by Google

discernere quid sit verum; vel *inter causam et causam,* id est inter causam actoris et inter causam rei, ita quod una pars judicum justificat causam actoris, alia causam rei, ambigunt inde; *lepram et non lepram,* ita quod una pars judicum judicat infirmum esse leprosum, alia sentit oppositum. Hinc subditur : *et judicum intra portas tuas videris verba variari,* id est, ipsos judices qui sunt in porta urbis in qua habitas, vel ad cujus pertines tribunal, videris discorditer aut dubie loqui. Judices enim urbium judicabant tam intraneos quam extraneos pertinentes ad suos fines.

Surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus, id est ad urbem in qua templum est Domini. *Veniesque ad sacerdotes Levitici generis,* scilicet ad veros et legitimos sacerdotes, *et ad judicem qui fuerit in illo tempore.* Per judicem quidam intelligunt pontificem, alii judicem Israelitici populi sæcularem, sicut post Josue leguntur judices præfuisse præter pontifices. *Quæresque ab eis* definitivam de tua causa sententiam, adversario tuo contra te apparente, *qui indicabunt tibi* sententialiter *judicii veritatem; et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus,* id est, eorum sententiæ acquiesces, *et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum.* Circa quod ait Glossa : Non dicitur tibi ut obedias, nisi docuerint te juxta legem. Sequerisque eorum sententiam, quia non potes ab illis appellare, quum nemo in populo tuo sit illis superior. *Nec declinabis ad dexteram vel sinistram,* id est ad nullum extremorum contrariantium veræ sententiæ judicum. Circa quod (ut refert Lyra) dicit glossa Hebraica : Etiam si dixerint tibi, quod dextera tua sit sinistra, vel econverso, talis sententia est tenenda : quod reprobat Lyra, quia sententia nullius hominis, cujuscumque sit auctoritatis, si contineat manifeste falsitatem sive errorem, servanda est. Quæ reprobatio vera est, si glossa illa Hebraica dicere velit, quod talis sententia sit tenenda ita ut ei mente consentiatur tanquam veræ et justæ.

A Si autem vult dicere, quod est tenenda ita quod pœna aut damnum sententiæ debeat patienter tolerari ab innocente, qui non potest ad altiorem judicem in hoc mundo habere recursum, potest salvari. Nam et Gregorius ait, quod sive juste sive injuste liget pastor, sententia ejus timenda est gregi. *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio,* id est pontificis judicio definitivo aut jussioni, *ex decreto judicis morietur homo ille :* nam propria inobedientia seu rebellione se ipsum spiri- B tualiter perimit, et morte infernalis miseriæ perire meretur, atque secundum legem fuerat occidendus; *et auferes malum de Israel,* id est, talia peccata non dimittas inulta, et tantum transgressorem tolles ab aliis, ne vivendo diutius, inficiat alios; *cunctusque populus* Israel *audiens* talem iniqui punitionem, *timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.*

Circa hæc considerandum, quod in veteri Testamento ante tempora regum, et item post tempora regum, quandoque idem C vir fuit judex seu princeps et pontifex, sicut Heli et postea Machabæi; sed tempore regum erant distinctæ personæ, et etiam tempore Judicum usque ad Heli. (I Reg. I, 9, IV, 18. I Mach. X, 20.) Dum itaque idem fuit summus sacerdos et judex, fiebat ad eumdem appellatio seu recursus in quacumque ardua causa in casibus præinductis. Quum autem officia illa erant per personas distincta, erat refugium ad pontificem in spiritualibus causis, ad judicem in temporalibus; in aliquibus vero pariter ad utrosque, quando D videlicet causa determinari non quivit sine amborum consensu, ut in ædificatione reparationeque templi. Istud jus in Ecclesia est servandum, secundum Glossam. Hincque consuetudo exorta est, quod ab ecclesiastico judice ac prælato appellant ad dominum Papam, a quo secundum jura non appellatur, imo nec secundum sanctum Bernardum libro de Consideratione, ubi etiam ait, quod quam necessaria est hominibus illustratio solis, tam opportuna est Christianis appellatio talis. Hoc tamen

Digitized by Google

A vehementer redarguit, quod in curia magis foventur appellantes, quam pars adversa. Denique in Ecclesia licita est appellatio, non solum dum judices inter se discordant aut dubitant, sed etiam si concordent. An vero sic fuit in veteri Testamento, non videtur ex textu evidenter elici posse. Josephus quoque ait : In appellationibus non licebat pontifici judicare sine propheta et senioribus loci quem elegerat Dominus. Glossa etiam loquitur : Sacerdotes Ecclesiæ instruuntur, ut ecclesiastica judicia secundum potestatem sibi a Deo B datam reverenter agant, et juste discernant, non ad libitum suum, sed secundum legis decretum, et ne suscipiendo personam mutent sententiam.

Consequenter Deus universa prænoscens, ac sciens filios Israel regem postulaturos, circa hoc instruit eos : *Quum ingressus fueris,* tu popule Israel, *terram* promissionis, *et possederis eam, et dixeris, Constituam super me regem,* per electionem seu alio modo, *sicut habent omnes per circuitum nationes ; eum constitues quem* C *Dominus Deus tuus elegerit,* id est, regem esse voluerit, sive ostendat hoc per revelationem, aut per signum sensibile sive miraculum, *de medio* fratrum tuorum,* id est, qui sit de semine Israel et natione Judæus. *Non poteris* licite, id est non debes, *alterius gentis hominem regem facere* super te, *qui non sit frater tuus* cognatione ac religione. Non enim debebant aliquem infidelem atque idololatram, quamvis natione Hebræum, in regem eligere.

* numero

Circa hæc quærit Augustinus : Cur D populus Israel Deo displicuit regem petendo, quum hic inveniatur esse permissum? Sed intelligendum est, non fuisse secundum voluntatem Dei, qui hoc fieri non præcepit, sed desiderantibus permisit. Verumtamen præcepit ut non fieret alienus. Lyra etiam scribit hic : Quod dicitur, Eum constitues in regem, non est præceptum, nec simplex concessio : quia sic populus Israel non peccasset regem petendo, cujus contrarium habetur primo Regum ; sed est permissio, quæ est de malo minori. Bonum enim Israelitici populi consistebat in hoc, quod solus Deus regnaret super eos, quoniam erant peculiaris populus Dei. Verumtamen si importune regem habere vellent, permittebatur eis sub conditionibus : quarum prima est, quod esset de filiis Israel ; secunda, quod non fieret simpliciter secundum voluntatem populi, sed per electionem Dei, quemadmodum factum est de Saule primo rege, deinde de David. Glossa etiam super illud, Constitues, ait : Permittit, non committit. Sed contra hæc argui potest, quoniam eum constituere super se regem, quem ad hoc Deus elegit, est simpliciter bonum ; imo illud omittere, esset malum : ergo hoc fuit præceptum vel saltem concessio, et non malum. Insuper Deus præordinavit, quod de tribu Juda promoverentur in reges : quod et per Jacob patriarcham prædixit, Non auferetur sceptrum de Juda, etc. Ad hæc dicendum videtur, quod regem petere non fuit eis præceptum neque concessum, sed permissum ; sed illum constituere regem, quem noverant ad hoc a Deo electum, fuit concessum eis, imo et jussum, quia hoc fuit divinæ voluntati ac præordinationi se conformare ac subjici. Itaque peccaverunt, dicendo ad Samuelem : Da nobis regem ; sed bene fecerunt, suscipiendo Saulem in regem, postquam Samuel locutus est eis : Certe videtis quem elegit Dominus. Unde et primo Regum conscriptum est, quod filii Belial despexerunt eum, puta Saulem, et viri quorum Deus tetigerat corda, iverunt cum eo. Ad secundum dicendum, quod omnia cadunt sub providentia Dei, qui de malis hominum elicit multa bona. Unde quoniam noverat eos regem petituros, voluit potius de tribu Juda natos regnare, honorificans tribum illam regia dignitate, quia ex ea Christus fuerat nasciturus : sicque Deus præordinavit redimere genus humanum per Christi passionem, quoniam noverat primum hominem peccaturum.

I Reg. xii, 17. — I Reg. x, 21, 24; xvi, 1, 12. — Gen. xlix, 10. — I Reg. viii, 5. — Ibid. x, 24. — Ibid. 26, 27.

Qualiter autem habere se debeat rex institutus, ad se et ad alios atque ad Deum,

Digitized by Google

subjungitur. *Quumque fuerit constitutus.* Constituebatur vero per unctionem. Nam Samuel unxit Saulem et David; Sadoc et Nathan, Salomonem; discipulus Elisei, Jehu filium Namsi. *Non multiplicabit sibi equos* ultra necessitatem, condecentiam, occurrentemve casum : quia si ingruebat necessitas ob patriæ defensionem, poterat sibi de auxiliis providere; *nec reducet populum* Israel *in Ægyptum,* ad habitandum ibidem, vel ad impugnandum et acquirendum territorium illud, quod ad terram promissionis non pertinebat, *equitatus numero sublevatus,* id est, extollens se, et confidens de multitudine equitum suorum, *præsertim quum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini,* per quam scilicet egressi estis Ægyptum, id est, ut non redeatis in Ægyptum modis præfatis : non tamen prohibitum fuit posteris ex rationabili aut necessaria causa ingredi terram illam. Loquitur autem Moyses filiis Israel, non solum his quos in præsentia habuit, sed sub eorum persona etiam posteritati ipsorum. *Non habebit* licite *uxores plurimas,* id est nimium multas, ut habuit Salomon, *quæ alliciant animam ejus,* id est appetitum ejus ad carnalitatem immoderatum et ad femineas illas blanditias, quæ cor virile animumque constantem (quæ maxime requiruntur ad regem) enervant. Et quia hic additur, Quæ alliciant, præsertim prohibetur pluralitas alienigenarum uxorum, quæ animam regis fidelis poterant ad idololatriam trahere : secundum quod cor Salomonis in senio suo depravatum est multitudine talium mulierum, in tantum, quod coluit deos earum. Non autem prohibebatur regibus Israel quæcumque uxorum pluralitas, dummodo amore prolis, non desiderio voluptatis, acciperentur. *Neque argenti et auri immensa,* id est superflua, *pondera,* ne cupiditate et elatione infectus, relinquat justitiam. Poterant tamen reges Israel habere divitias multas, dummodo eas referrent ad debitum finem, et bene uterentur eisdem, nec eas tenaciter reservarent. Nam de Josaphat rege virtuoso habetur secundo Paralipomenon, quod factæ sunt ei divitiæ infinitæ. David quoque et Ezechias erant divites valde.

I *Reg.* x, 1; xvi, 13. III *Reg.* I, 39. IV *Reg.* IX, 6. — III *Reg.* XI, 1-4. — II *Par.* XVII, 5. — *Ibid.* XXXII, 27-29.

Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus. Δευτερονόμιον interpretatur secunda lex, sicut præhabitum est, id est repetitio legis semel descriptæ seu datæ. Quid ergo est Deuteronomium hujus legis, nisi liber iste, qui Deuteronomium nuncupatur, in quo tota lex summatim et breviter quodammodo continetur? Mox ergo ut fuerit in regem promotus, faciet sibi describi Deuteronomium istud *in volumine, accipiens exemplar,* id est librum et textum correctum, ex quo faciat sibi librum suum describi, *a sacerdotibus Leviticæ stirpis**, ad quorum officium spectat, scripturam legis divinæ ab omni inficiatione* et corruptione inviolabiliter custodire; *et habebit secum.* Ut fertur, Hebræi dicunt, quod debuit habere Deuteronomium in duobus libris conscriptum, quorum unum semper haberet secum, et alium in repositorio thesaurorum suorum tanquam pretiosissimum clenodium conservaret. *Legetque illud omnibus diebus vitæ suæ,* id est quotidie aliquam partem libri, dum congrue potest vacare, et quantum discretio dictat; *ut discat timere Dominum Deum suum* casto et sancto timore, vel si timet Deum, studeat in ejus timore, omnique virtute proficere. In Deuteronomio quippe fiunt ferventissimæ ac frequentissimæ exhortationes ad timorem Dei, reliquasque virtutes. Timor etiam Dei est specialiter necessarius regibus atque potentibus, quoniam magnam habent libertatem, facultatem et opportunitatem peccandi, a quarum abusione indigent per timorem Dei compesci ac refrenari, quoniam timor retrahit a peccato. Indigent etiam valde esse diligentes ac solliciti coram Deo, quia gravissimum judicium imminet eis, et pro multis daturi sunt rationem. Timor autem diligentiam ac sollicitudinem parit, juxta quod scri-

* tribus — * infectione — *Eccli.* I, 27. — *Sap.* VI, 6.

Digitized by Google

Eccle. VII, 19. ptum est : Qui timet Dominum, nihil negligit. *Et custodire verba et cærimonias ejus,* id est, divina præcepta, moralia, judicialia, ac cærimonialia adimplere, et gubernare se ipsum ac subditos secundum divina mandata.

Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, id est, de accepta potestate et præsidentia non infletur, neque inaniter glorietur, nec subditos aspernetur, sed tanquam confratres eos adspiciat, sic tamen, ut auctoritate sua, dum ratio exigit, strenue utatur, et jura exerceat B disciplinæ; ut tanto timoratior, humiliorque consistat, quo gravius onus sibi impositum est, et quo in majori versatur periculo, ampliorique gratia eget, atque ad tantorum hominum gubernationem condignam, se deprehendit magis insufficientem, nisi gratiosissime et indesinenter adjuvetur ac dirigatur a Deo : propter quod debet se Deo cum omni timore et humilitate subjicere. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Rectorem te posuerunt? noli Eccli. XXXII, 1, 2. extolli ; esto in illis quasi unus ex ipsis. C Curam illorum habe, et ita considera. Denique dignitates et officia præsidentium sunt servitutes, quia ad subditorum ordinantur commoda ac profectum. Sunt etiam dona gratiæ gratis datæ, bonis et malis communia, quæ incomparabiliter minoris sunt bonitatis, quam dona gratiæ gratum facientis. *Neque declinet in partem dexteram vel sinistram,* id est, nec amore, nec odio, nec aliquo modo a rectitudine æquitatis aut medio rationis recedat, sed tanquam lex viva et animata justitia, immobili D firmitate sapientiæ atque virtutibus, præsertim justitiæ, pietati atque prudentiæ, semper inhæreat. Rex namque est imago Dei in terra, et sicut sol stellis præfulget, sic rex præ subditis debet in omni virtute ac sapientia emicare, et verbo, incessu, fama, et opere cunctos ædificare. Propterea debet esse vir prorsus heroicus ac perfectus, prout de hoc in libro de Regimine principum plenius scribit Ægidius. *Ut longo tempore regnet ipse et filius ejus super* A *Israel,* id est, quatenus diu salubriter præsit populo Dei, et proprium filium ita in omni virtute instituat, quod et ipse filius postea præsideat fructuose ad Dei honorem, atque communem subditorum salutem. Sic præesse, est benedictio donumque Creatoris, et merces quædam virtuosæ conversationis : imo ob magnam regis perfectionem, sæpe conceditur posteris ejus per multas generationes in principatu succedere, sicut de David in libro Regum frequenter habetur, quod Dominus conservavit regnum filiis ejus, ut daret ei lucernam in Jerusalem. Hinc in libro Proverbiorum scriptum est : Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. Et in Ecclesiastico : Principatus sensati stabilis erit. III Reg. XI, 36; XV, 4. Prov. XXIX, 14. Eccli. X, 1.

Ecce sanctus Moyses sapientissime et compendiosissime hic describit, qualis debeat esse rex et quicumque princeps aut præsidens, ut scilicet pompam equitaturæ et aliarum vanitatum devitet, nec alienas invadat provincias, nec quærat divitiis ac ministris corroborari ad sæviendum in subditos, nec reducat populum in Ægyptum, id est, nec verbo, nec exemplo, nec compulsione aut potestate retrahat subditos suos ad sæculi vanitatem, ad caliginem vitiorum, ad bella injusta ; carnalitatem et omnem torum illegitimum vitet, avaritiam detestetur, nec amplius thesaurizet quam expedit pro defensionerei publicæ, pro ampliatione divini cultus, pro nuptiis suæ prolis, pro subsidio pauperum, pro sustentatione decenti suorum. Sit insuper studiosus, et omnem otiositatem abominetur ac ludos superfluos. Contra hæc Salomon graviter peccasse censetur, qui femora mulieribus inclinavit, quas ardentissimo ac vitiosissimo dilexit amore, gloriatusque est, quod in Jerusalem reliquit tantum de argento et auro, quantum reperit ibi de ære et ferro. Eccli. XLVII, 21. III Reg. XI, 1-3.

Præterea, ut inducta clarius pateant, advertendum, quid in prima secundæ, quæstione 105, Thomas disseruit : Populus, inquiens, ille sub speciali Dei cura regeba-

Digitized by Google

tur. Ideo institutionem summi principis sibi Dominus reservavit : propter quod
Num. xxvii, 16 *et seq.* Moyses exoravit, Provideat Dominus hominem qui sit super hanc multitudinem ; sicque ex Dei ordinatione institutus est Josue post Moysen. De [singulis] judicibus quoque post Josue legitur, quod Dominus suscitavit populo salvatorem. Ideo electionem regis populo non commisit. Denique quamvis monarchia seu regia præsidentia sit optimum regimen populi, si non corrumpatur, tamen propter magnam potestatem quæ regi conceditur, faciliter degenerat in tyrannidem, nisi perfecta virtus insit ei, cui talis potestas conceditur : quia non nisi virtuosi est, bene ferre bonas fortunas, ut dicitur decimo Ethicorum. Perfecta autem virtus invenitur in paucis. Judæi quoque crudeles erant et ad avaritiam proni, per quæ vitia homines maxime in tyrannidem ruunt : ideo Dominus non instituit eis a principio regem cum plena potestate, sed judicem et gubernatorem ad ipsorum custodiam ; postea vero ad populi petitionem, quasi indignatus, eis regem
I *Reg.* viii, 7. concessit. Unde dixit ad Samuelem : Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Instituit tamen a principio circa regem instituendum, primo eligendi modum, in quo duo determinavit. Primum est, ut in ejus electione exspectarent judicium Dei. Secundum, ut non facerent regem virum alterius gentis, quoniam reges tales parum affici solent ad populum cui præficiuntur : propter quod parum curant de populo. Secundo instituit circa reges institutos, qualiter se habere deberent quantum ad se ipsos, videlicet ut non multiplicarent sibi currus et equos, neque uxores, nec immensas divitias, quia ex horum cupiditate principes ad tyrannidem declinant, justitiamque relinquunt. Ordinavit etiam qualiter se haberent ad Deum, ut scilicet semper legerent et cogitarent de lege divina, atque ut semper essent in Dei timore ac obedientia. Instituit quoque qualiter se haberent ad subditos, ut scilicet ad illos humiliter se haberent, nec ipsos superbe contemnerent, neque opprimerent, nec a justitia declinarent. Hæc Thomas.

Postremo circa id quod dictum est, Eum constitues regem, scribit Rabbi Paulus : Præceptum istud de institutione regis, non est permissive intelligendum, sed est simplex concessio cum conditionibus in littera scriptis : nec sequitur, si sit concessio, ergo filii Israel non peccassent regem petendo. Nam petierunt regem aliter quam fuit concessum. Nec ex hoc quod ille populus fuit peculiaris Dei, sequitur quod non deberet super se regem habere. Hæc Paulus. Sed ut patet ex dictis, prima pars hujus dicti est contra Augustinum et Glossam, et contra expositores communiter. Porro quod ait, non sequi, populum Israel non debuisse super se regem habere, quia erat Dei populus peculiaris, non solum est contra Lyram, sed etiam contra Thomam, sicut jam patuit, imo contra doctores catholicos generaliter, et contra ea quæ in libro Judicum recitantur : alias a principio Dominus eis regem dedisset. Advertendum tamen, quod Regum primo Rabbi Paulus affirmat, quod filii Israel peccaverunt, non regem petendo, sed quia petierunt regem qui eis præesset cum plenaria potestate, in tantum quod esset absolutus a legibus. Hoc autem nullam apparentiam habet, quod filii Israel talem sibi regem præfici postularint, imo nulla gens tam fatua est quæ talem regem cupiat, quum hoc non sit nisi velle habere tyrannum. Nam dato quod a legibus pure positivis, imperator aut rex dicatur aliquo modo absolutus, non tamen a legibus naturalibus ac divinis, a quibus filii Israel non voluerunt suum regem esse absolutum. De hac re, Domino concedente, in Regum volumine plenius dicam.

Digitized by Google

ARTICULUS XIX

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVIDECIMI : NON HABEBUNT SACERDOTES ET LEVITÆ, ETC.

IN exordio hujus capituli quædam cærimonialia ad religionem spectantia recoluntur, deinde diversæ superstitiones prohibentur; et omnia ista præhabita sunt, idcirco pertranseundum. *Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt,* id est de stirpe Levitica, *partem et hereditatem,* id est hereditariam portionem, *cum reliquo populo Israel. Dominus enim ipse est hereditas eorum,* id est, ea quæ Deo immolantur, ipsis sunt deputata pro sustentatione et hereditaria parte. *Hoc erit judicium sacerdotum,* id est præceptum sacerdotes concernens, *a populo, et ab his qui offerunt victimas,* etc. *Dabunt sacerdoti armum et ventriculum :* id est, si offerentur animalia, sacerdotes qui immolant ea, habebunt has partes animalis oblati, videlicet armum, id est humerum seu scapulam, ac ventriculum, id est pectusculum, ut quidam exponunt. Vel si per ventriculum intelligendum est aliud, sic hic additur aliquid sacerdotibus dandum, antea non expressum. Verumtamen istud non est accipiendum de quocumque animali oblato, quia de holocaustis non habuit sacerdos nisi pellem; de animali vero quod pro peccato communitatis comburebatur, nihil cessit in usum sacerdotis. Intellectus hujus loci, in Exodo et super Leviticum in pluribus patet locis. Glossa autem hic ait : In veteri ac novo Testamento ministris altaris præceptum est de oblationibus vivere, nec terrenis possessionibus acquirendis concessum est eis inhiare. Non enim oportet ut qui semper adstare debet divino officio, inhiet lucro terreno, cui Deus hereditas est. Quid ergo illi deesse potest, qui cuncta habentem habet?

Lev. VII, 8. — *Ibid.* IV, 11, 12, 21; VI, 30. *Exod.* XXIX, 26-28. *Lev.* VII, 31 *et seq.*

A *Primitias frumenti, vini et olei; et lanarum partem ex ovium tonsione,* dabunt filii Israel sacerdoti. Non quod omnes dederunt eidem sacerdoti, sed sacerdotibus in Jerusalem habitantibus apportabatur, et dabatur pars eis deputata. Sacerdotibus vero per tribus Israel hinc inde dispersis dabant ipsæ tribus, et unaquæque tribus sacerdotibus in sua sorte manentibus. Nec solum de rebus his expressis, sed et de aliis rebus, cibis, fructibus et animalibus dabantur primitiæ, prout in diversis locis expositum est. B *Ipsum enim elegit Dominus de cunctis tribubus tuis, ut ministret nomini Domini ipse et filii ejus in sempiternum.* Istud non ponitur hic specialiter de summo sacerdote, sed ponitur hic singulare pro plurali : ut sit sensus, quod Deus elegit sacerdotes, eorumque posteros ex stirpe Levi præ ceteris tribubus, ut sibi in templo ministrarent per omne tempus veteris Testamenti.

Num. XVIII, 8 *et seq.*

Si exierit Levites ex una urbium tuarum, etc. Levitis assignatæ erant urbes C diversæ ad habitandum per totum Israeliticum populum, sicut supra inductum est, et in Numerorum libro, in Josue quoque habetur : tamen ut dicitur hic, dum aliquis Levitarum extra urbem divini cultus commorantium, ex devotione optavit manere in urbe illa, fuerat admittendus ad habitandum ac ministrandum ibidem. Unde subjungitur, *desiderans videre locum quem elegerit Dominus, ministrabit in nomine Domini Dei sui,* id est, officium Leviticale exercebit ibi, *sicut omnes fratres ejus Le-* D *vitæ,* id est sicut ceteri Levitæ in eadem urbe manentes. *Partem ciborum eamdem accipiet quam et ceteri,* id est, pro suo ministerio habebit similem portionem de

Ibid. XXXV, 2-8. *Josue* XXI.

Digitized by Google

oblationibus ac decimis cum ceteris Levitis ministrantibus ibi, *excepto eo,* id est ultra et præter hoc, *quod in urbe sua,* in qua antea mansit, *ex paterna ei successione debetur.* Sacerdotes etenim ac Levitæ in propriis urbibus et circa habebant domos et pecora ac pascua pro eisdem : quæ relinquebant posteris suis. Talia autem consueverunt Levitæ vendere, qui sic in Jerusalem habitare optabant. Unde (ut fertur) in Hebræo habetur, Exceptis venditionibus suis.

Deinde diversæ superstitiones prohibentur B cultoribus veri Dei Israelitis, quæ et nunc cunctis Christianis vetantur districte. *Quando ingressus fueris terram promissionis, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium ; nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem.* Aliqui idololatræ prolem suam trahebant per ignem, putantes eam per hoc purgari, piari et consecrari diis quos coluerunt : quod et Achaz fecisse
IV *Reg.* XVI, 3. legitur suo filio, quarto Regum : et hoc prohibetur hic populo Israel. *Aut qui ari-* C *olos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. Nec sit maleficus, neque incantator, nec qui pythones consulat, neque divinos, et quærat a mortuis veritatem.*
Lev. XIX, 26, 28, 31 ; XX, 6. De vitiis et superstitionibus istis dictum est diffuse super Leviticum et alibi. Maleficus autem intelligi potest, qui sobolem offert dæmonibus, aut per invocationes facit dæmones in aliqua visibili apparere effigie. Incantator vero, qui præstigiosis apparitionibus decipit homines, faciens apparere quod non est. Pythones aut py- D thonissæ dicuntur, per quorum os dæmones in eorum ventribus seu cordibus habitantes, loquuntur, propter quod ventriloqui nuncupantur ; vel qui mortuum faciunt
I *Reg.* XXVIII, 7 *et seq.* apparere, ut legitur primo Regum de pythonissa, quæ Samuelem dicitur suscitasse : et ita vocati sunt a Pythone, id est Apolline, quem deum divinationis esse credebant. Divini quoque dicuntur, qui sibi usurpant quod Dei est, videlicet futurorum contingentium præcognitionem ac de-

A nuntiationem, aut talia se præscire asserunt ex revelatione divina, quum tamen ex dæmonum revelatione loquantur. Porro a mortuis quærere veritatem, est carminibus aut sacrificiis mortuum evocare ad inquirendum incognita, quum tamen in talibus non mortuus, sed potius dæmon in specie mortui videatur atque respondeat. Qualiter ista superstitiosa possint contingere, et qualiter observanda vel non observanda sint somnia, jam ante in diversis tractatum est locis, videlicet super
B Genesim, ubi tractatur de somniis Pharaonis, eunuchorumque ejus, et super Exodum, ubi de maleficis agitur Pharaonis et signis ipsorum, et super Leviticum. *Gen.* XL, XL. *Exod.* VII, VIII. *Lev.* ubi supra.

Deinde Dominus ostendit, cur non fuerit populo suo necessarium præfatis superstitionibus uti, ad cognoscendum futura seu abdita aut supernaturalia, de quibus fideles indigent informari, qui ad supernaturalem beatitudinem sunt creati, et contra invisibiles hostes confligunt. *Omnia hæc abominatur Dominus, et propter istius-*
C *modi scelera delebit eos. Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo. Prophetam de gente tua,* id est de Israelitica stirpe, *et de fratribus tuis, sicut me,* id est similem mei in natura, imo et in gratia prophetali, ita quod vere erit inspiratus a Deo, quamvis non in tanta excellentia, *suscitabit tibi Dominus : quem audies,* id est, ab ipso inquires atque percipies, quid agere, scire, aut credere debeas, *ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb :* quia dum Deus dedit filiis Israel decem præcepta,
D loquendo per angelum, et apparendo per ignem, filii Israel territi dixerunt ad Moysen : Non loquatur nobis Dominus, ne *Exod.* XX, 19. moriamur ; sed loquere tu nobis, et audiemus. Per hunc Prophetam quidam intelligunt Josue, qui Moyse defuncto, prophetico spiritu floruit, angelum vidit, et per se atque per Eleazarum sacerdotem a Domino supernaturaliter est instructus, populumque direxit. Alii per Prophetam istum indeterminate intelligunt quemcumque Prophetam sanctum, quem Deus post

Digitized by Google

Moysen opportuno tempore suscitavit ad populum instruendum : sicque ponitur singulare pro plurali, quoniam successive vel etiam quandoque simul suscitavit Dominus post Moysen multos Prophetas, ut partim patet in libro Judicum, deinde magis in libro Regum. Hinc loquitur Isaias : Nonne a Deo suo populus veritatem inquiret? quasi dicat, Imo : ideo addit, Ad legem magis et ad Prophetas, supple, est recurrendum.

Judic. VI, 8. I Reg. III, 20; II Reg. VII, 4. Is. VIII, 19, 20.

Et ait Dominus mihi : Bene omnia nunc prætacta, *sunt locuti,* in Horeb. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui.* Istud multi exponunt de eodem Propheta, seu eisdem, de quibus nunc facta est mentio. Unde et Glossa ait: Licet historialiter de Prophetis accipi possit, qui post Moysen in populo Israel repleti sunt Spiritu Dei; melius tamen de Domino Prophetarum accipitur, de quo turbæ : Hic est, inquiunt, vere Propheta qui venturus est in mundum. Glossa quoque interlinearis exponit sic : Prophetam, videlicet Christum, suscitabo eis de medio fratrum suorum, id est de semine David, similem tui, qui non venit legem solvere, sed adimplere. *Ponamque verba mea in ore ejus.* Ideo Christus professus est : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Itemque : A me ipso facio nihil; sed sicut me docuit Pater, sic loquor. *Loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus audire noluerit, ego ultor exsistam.* Nam ideo usque in præsens pervenit in illos ira Dei, quoniam Christum suscipere contempserunt. Unde prædixit Psalmista : Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Hæc autem dicunt de Christo secundum naturam ejus humanam servilem assumptam, secundum quam minor est Patre, secundum quam dixit : Pater major me est, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Itaque ex isto tam singulari adjuncto satis insinuatur, quod de Christo prædicta sunt hæc : et hoc fateri oportet, quoniam sacratissimus princeps

Joann. VI, 14. Matth. V, 17. Joann. VII, 16. Ibid. VIII, 28. I Thess. II, 16. Ps. LXVIII, 25. Joann. XIV, 28, 31.

A Apostolorum hanc auctoritatem allegat de Christo prædictam, in Actis loquens : Moyses dixit : Prophetam suscitabit vobis Dominus, etc. Similiter alio Actuum capite S. Stephanus ait : Hic est Moyses qui dixit filiis Israel : Prophetam vobis Deus suscitabit. Christus quoque in Evangelio incredulis loquens Judæis : Si crederetis, inquit, Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.

Act. III, 22. Ibid. VII, 37. Joann. V, 46.

Denique circa hæc scribit Rabbi Paulus satis catholice, dicens : Aliter intelligen- B dum est, quod primo hic dicitur, Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus; et quod secundo dicitur, Prophetam suscitabo eis, etc. Primum enim intelligitur de Josue, aliisque Prophetis sequentibus; secundum vero, tantum de Christo. Cujus diversitatis ratio sumitur ex continuatione utriusque verbi prædicti, ad ea quæ statim ante dicuntur. Intelligentia namque dictorum, ex causis dicendi sumenda est, secundum Augustinum. In primo enim loco intendit C Moyses inducere populum, ut futura contingentia et consimilia non quærerent ab ariolis et divinis, promittens quod a Deo possent cognoscere talia per Prophetam seu revelationem divinam; et consequenter addit aliud quodammodo simile, dicens : Ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, id est, non solum providebit tibi Dominus de Propheta revelante tibi futura contingentia et occulta, sed et quod amplius est, providebit tibi de Propheta, qui absque terrore conturbante docebit te le- D gem divinam; quod de solo Christo verificatur, qui aliam dedit legem quam Moyses. De isto Rabbi Paulus scribit prolixe, atque (ut tactum est) satis catholice. Tamen si bene pensetur, verbis his Moysis primo loco prolatis beatissimus Petrus adjungit in Actis verba, quæ hic annectuntur verbis istis secundo loco pronuntiatis : quo argui potest, quod utrumque ad eumdem pertineat.

Act. III, 22, 23.

Consequenter reprobantur pseudoprophetæ. *Propheta autem qui arrogantia de-*

Digitized by Google

pravatus : quod potest intelligi, tam de eo qui aliquando fuit verus propheta et bonus, sed tempore procedente subversus est, et priori gratia spoliatus, fingit sibi adhuc adesse gratiam prophetalem desiderio vanæ gloriæ aut honoris : ideo subditur, *voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret,* id est, præsumpserit loqui quasi inspiratus et jussus a me. Potest quoque intelligi de alio propheta, qui nunquam fuit verus propheta, et tamen arroganter sibi assumit nomen *Jer.* XXVIII. officiumque prophetæ, qualis fuit Ananias propheta de Gabaon, de quo legitur in *Ibid.* XXIX, 21 *et seq.* Jeremia ; Achab quoque et Sedecias, de quibus in eodem dicitur. *Aut ex nomine alienorum deorum :* hoc est, si quis attentaverit vaticinari in nomine idolorum aut falsorum deorum, tanquam cultor et pro- III *Reg.* XVIII, 19. pheta illorum, sicut tertio Regum leguntur fuisse prophetæ Baal ; *interficiatur* tanquam idololatra ac seductor. A solo etenim vero Deo est gratia prophetalis simpliciter dicta. *Quod si tacita cogitatione responderis : Quomodo possum intelligere,* id est vere cognoscere, et a falsis vaticiniis discernere, *verbum quod locutus est* Dominus* per verum Prophetam, seu Propheta ex Dei inspiratione ? *Hoc habebis signum* discretivum, id est argumentum : *Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit,* id est, nomine Dei finxerit se prædixisse, *et non evenerit : hoc Dominus non est locutus.*

* non est

IV *Reg.* XX, 1. Contra hoc objici potest, quoniam Ezechiam mox prædixit Isaias moriturum, et *Jonæ* III. 4. Jonas Niniven subvertendam, et tamen nullum illorum evenit. Supra dictum est, quod interdum falsi prophetæ aliqua vera prædicunt. Rursus per Jeremiam Dominus *Jer.* XVIII, 7, 8. contestatur : Repente loquar adversus regnum et gentem, ut destruam illam ; si pœnitentiam egerit gens illa, agam et ego pœnitentiam super malo quod locutus sum, ut facerem ei. Ad hæc respondetur, quod duplex est prophetia : Una prædestinationis, qua scilicet Propheta verus aliquid præcognoscit atque prænuntiat, secundum quod infallibiliter cadit in providentia ac præscientia Dei, et tanquam præsentialiter a Deo conspicitur : et ista prophetia semper impletur. Alia est prophetia comminationis, qua aliquid revelatur Prophetæ secundum ordinem suum ad causas creatas, voluntarias, ac proximas : secundum quarum dispositionem ac ordinem tale quid est futurum ; tamen quoniam causæ illæ mutabiles sunt, potest non evenire. Unde et talis prophetia intelligi datur cum conditione implicita, utpote nisi homines se emendent, seu causæ effectus prænuntiati mutentur. Verumtamen veri Prophetæ in prophetiis suis comminatoriis quandoque non exprimunt talem conditionem. Postea tamen, vel etiam ante, ex divina revelatione, conditionem talem cognoscunt, et eam aliquando postea manifestant, secundum quod Deus revelavit sanctis Isaiæ et IV *Reg.* XX, 5. Jonæ, cur, quod prædixerant, non imple- *Jonæ* IV, 11. batur. Vel causa talis panditur generaliter ac aperte per imitationem causarum prophetati effectus, quemadmodum pœnitentia Ninivitarum innotuit universis, per quam patuit, cur prophetatio Jonæ non implebatur. Rursus falsorum prophetarum error atque præsumptio deprehenditur tam ex doctrina, quam ex vita ipsorum, ut si quid sanæ fidei aut determinationi Ecclesiæ contrarium doceant, aut prophetent, vel impie conversentur. Raro etenim pravis hominibus conceditur gratia prophetiæ, quanquam interdum sit factum. Hinc ait Salvator : Attendite vobis a falsis prophe- *Matth.* VII, 15, 16. tis, a fructibus eorum cognoscetis eos.

Insuper inter hæc verorum et pseudoprophetarum vaticinia subtilius potest discerni. Moyses autem rudi populo loquens, superficialiter pertransivit, et quoddam probabile signum discernendi edocuit. Itaque prophetiæ pseudoprophetarum non sunt nisi de his quæ aliquo modo naturaliter queant prænosci, sive ex longa experientia, vel ex causarum cognitione, vel ex his quæ realiter jam sunt ; et si futura pure contingentia, et omnem naturalem cognitionem transcendentia, dæmones aut

Digitized by Google

pseudoprophetæ prædicere usurpent, mentiuntur, aut conjecturaliter ac cum formidine de opposito inde loquuntur, ita quod vérba eorum in omnem eventum trahi possunt ac flecti; vel ex revelatione angelorum sanctorum, qui ex certis causis juxta æternæ Sapientiæ constitutum, interdum aliqua talia malignis revelant spiritibus et eorum ministris : et tunc non sunt proprie dæmonum prophetiæ aut vaticinia pseudo; sed de his solus Deus veritates prænuntiat et revelat, et ejus Prophetæ inde cum certitudine vaticinantur.

Itaque a præfatis superstitionibus et vanitatibus quæ ipsarum reliquiæ sunt, prorsus abstineamus, curiositatem vitemus, nec in supervacuis occupemur; potiusque conemur proprios defectus et excessus debite intueri, deplangere ac vitare, quam futura et abdita ad salutem non requisita dignoscere.

A Postremo, quod in isto capitulo scriptum est, Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo, satagamus implere, quum et Salvator hortetur : Estote perfecti, sicut *Matth.* v, 48. et Pater vester cœlestis perfectus est. Ad minus enim oportet ab omni macula culpæ mortalis esse purgatum, et in via mandatorum sincerum : sicque de perfectione sufficientiæ, non supererogationis aut eminentiæ, istud exponitur, quantum ad omnes. Religiosi vero ad consiliorum perfectionem, et caritatis specialem profectum B tendere obligantur. Episcopi autem debent in omni virtute esse perfecti. Porro, omnium nostrum est coram Deo sollicite am- *Mich.* vi, 8. bulare, atque in virtutibus crescere, quum non proficere, sit deficere; nec possit diu vitare mortalia, qui coram Deo custoditus ac timoratus non fuerit, quum tam variis modis tentemur, tamque fragilissimi simus.

ARTICULUS XX

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI NONIDECIMI : QUUM DISPERDIDERIT DOMINUS DEUS TUUS GENTES.

NUNC repetuntur, quæ de civitatibus refugii et homicidio involuntario seu *Exod.* xxi, 13. *Num.* xxxv, 6, 11. casuali dicta sunt in Exodo et in Numeris. *Quum disperdiderit Dominus gentes, quarum tibi traditurus est terram, habitaverisque* in ea, *tres civitates separabis tibi,* id est, seorsum ab aliis urbibus deputabis, ut sint urbes refugii, *sternens diligenter viam,* id est, complanabis itinera ad pergendum, ut fiat quod subditur : *et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam,* scilicet terram promissionis, *divides* non materiali, sed intellectuali di- D visione, sicut zodiacus dividitur in duodecim signa, et orbis seu cœlum in duo hemisphæria; et in qualibet harum trium partium terræ ita divisæ, eliges unam ur- C bem, quæ sit civitas fugitivorum; *ut habeat e vicino,* hoc est de propinquo, *qui propter homicidium* casuale et excusabile, *profugus est* de loco suæ nativitatis aut mansionis, præsertim de homicidii loco, *quo possit evadere.* Qualiter autem Moyses constituit tres civitates refugii in terra duarum ac mediæ tribuum, dictum est supra. *Deut.* iv, 41, 43. Porro, qualiter sunt tres civitates ad hoc assignatæ in terra promissionis, et quæ fuerint illæ, Josue scripsit. Deinde in lit- *Josue* xx, 2, 8. tera exemplificatur de homicidio casuali, ut si quis cum proximo suo pergat ad silvam ut ligna abscindat, etc. *Quum autem dilataverit Dominus terminos tuos.* Hic additur quod in præcedentibus libris non habetur, videlicet ut præter tres civitates

Digitized by Google

refugii nunc prætactas, in terra promissa adderentur simili modo adhuc aliæ tres refugii urbes, quando obtinuissent filii Israel universam terram eis promissam : quod qualiter sit impletum, nec in libro Josue, nec alibi in Scriptura canonica invenitur; creditur tamen factum tempore David aut Salomonis, etc. Sicque in toto erant novem civitates refugii, tres in terra duarum semisque tribuum, et sex in terra promissionis. *Si quis autem odio habens proximum suum.* Hic jubetur quod voluntarius homicida nullibi tutum habeat locum, et si ad aliquam refugii urbem confugerit, non salvetur ibidem, sed tradatur cognatis occisi ad occidendum, dum juridice fuerit comprobatum quod malitiose illum occidit. De his, quia præhabita sunt, textusque planus est, pertranseo.

Non assumes et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, hoc est, agros seu terras aliorum non usurpabis, nec addes agris tuis extendendo metas agrorum aut pratorum tuorum, sed infra limites a patribus tuis positos permane. Solent autem in agris poni saxa aut consimilia pro indicio finis agri, et tale saxum aut signum nullus debet sibi attrahere, aut alibi ponere, sed in suo relinquere loco, nisi forte per emptionem justam quis agros suos dilatet. Hinc in Proverbiis habetur : Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Prov.* xxii, 28.

Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit, hoc est, propter unius testimonium nullus adjudicabitur morti aut damno; *sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* *Deut.* xvii, 6. Hoc supra expositum est. *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo quorum causa est,* hoc est, tam testis ille quam is quem accusat; vel ambo, id est, accusatus a teste illo, et pars adversa accusati, pro qua parte testis ille fert testimonium : stabunt, inquam, *ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum. Quum-* A *que sacerdotes et judices diligentissime perscrutantes,* hoc est, examinantes testem illum, an sit infamis, et de loco ac tempore aliisque negotiis ac circumstantiis negotii, de quo testatur, *invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium,* hoc est mendosum testimonium; *reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit,* id est, ad talem pœnam eum obligabunt et adjudicabunt, qualem incurrisset is contra quem testabatur, si fuisset per sufficientes testes convictus, quoniam pœ- B nam talionis incurrit hujusmodi testis. Ideo subditur : *Non misereberis ejus* miseratione seu compassione inordinata, et nimium molli, contraria æquitati. Compatiendum equidem ei est, quoad malum culpæ, et est orandum pro ipso; sed malum pœnæ, videlicet debita castigatio infligenda est ei. Unde subjungitur : *sed animam pro anima,* id est, animalem corporalemque vitam pro animali vita exiges, ut tali vita privetur, qui voluit falso testimonio perimere alium. Similiter *oculum pro oculo,* C *dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges :* de qua pœna et talione dictum est plenius in Exodo. *Exod.* xxi, 23-25.

Sensus spiritualis. Præterea, sicut litteralis, ita et spiritualis hujus capituli sensus in prællegatis capitulis est inductus. Aliqua tamen adduntur hic, quæ breviter moralizantur. In omnibus namque prætactis ternarius commendatur, ut superbeatissimæ Trinitatis mysterium insinuetur. Novem vero civitates refugii designant novem ordines angelorum, ad quorum societatem universi D fideles, vel [si] in sæculo isto se peccasse fatentur, pœnitendo adspirant, et bene vivendo pertingere cupiunt, quatenus invisibilium hostium acies, et cuncta evadant pericula.

Qui percusserit proximum nesciens, hoc est, qui sine proposito scandalizaverit alium; vel qui putans alium verbo correptionis et exhortationis curare a culpa, læserit illum, acrius quam oportet loquendo, vel quia ille tam imperfectus est, quod exhortationes et increpationes non susci-

Digitized by Google

pit, quum tamen iste ex caritate loquatur, A bono ex auctoritate sui officii ita loquatur, et probetur exisse cum illo *in silvam ad ligna cædenda*. Silva est hoc sæculum nequam, in quo bestiæ, hoc est homines bestiales, passionumque strepitus commorantur. Ligna autem sunt homines, et arida ligna sunt impii; ligna autem viridia, justi. Porro ligna præcidere, est homines a conversatione mundana abstrahere, atque ad religionis ingressum, seu pœnitentiæ viam inducere. Securis vero, est sermo prædicationis. Ferrum securis, est reprehensio rigorosa, quæ tunc manum corripientis B effugit et alium perimit, dum quis per inconsiderationem aut iram, seu alterius passionis immoderantiam aliqualem, tam acute et aspere alium reprehendit, quod ex hoc magis tentatur, indignatur, murmurat, dijudicat, aut in rancorem dilabitur, vel desperat. Tunc correptor, quamvis incaute habuerit se, a mortali tamen est excusandus, imo si exigente rei publicæ bono ex auctoritate sui officii ita loquatur, totaliter excusatur.

Denique per hoc quod Dominus jussit adhuc addi tres urbes refugii, dilatatis terminis Israelis, est figuratum quod quanto in Ecclesia amplius multiplicantur qui credunt, tanto plus necesse est multiplicari culparum remedia, ecclesias, cœnobia, sacramenta, suffragia. Ex odio demum occidit proximum, qui illo vidente aut sciente, facit mortale peccatum, aut qui provocat ipsum ad vitia; sed absque culpa alium, qui juste et irreprehensibiliter habet se, et tamen alii instar Scribarum ac Pharisæorum ex sua malitia scandalizantur de illo. *Non assumes et transferes terminos proximi tui*, id est, leges et regulas tibi præfixas non violes, nec aliquid statui tuo contrarium aggrediaris, neque in his quæ tibi commissa non sunt, te intromittas, nec in alienam messem extendas falcem; sed quæ præcepit tibi [Deus] cogita ac perfice semper. *Eccli.* III, 22.

ARTICULUS XXI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI : SI EXIERIS AD BELLUM CONTRA HOSTES TUOS.

HIC declaratur, qualiter et a quibus sit C procedendum ad bellum, et qualiter pugnatores se circa pugnandos habere debuerint. *Si* tu, popule Israel, *exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatum et currus, et majorem, quam tu habes, adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos*, hoc est, timere non debes carnali et mundano timore, *quia Dominus Deus tuus tecum est*, cui nullus potest resistere. *Appropinquante autem jam prœlio*, id est, conflictu jam imminente, *stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur ad populum* Israel conflicturum : *Nolite cedere* fugiendo, *nec formidetis eos, quia Dominus pro vobis contra inimicos dimicabit*, hoc est, virtutem prævalendi vobis præstabit, et illorum prosternet virtutem, dummodo confidatis in Domino, nec vestra peccata demereantur, et inducant oppositum. *Duces quoque* exercitus, videlicet millenarii ac tribuni et centuriones, seu illi qui singulis præerant tribubus, *per singulas turmas* particulares, quibus præerant singulatim, *audiente exercitu* totali, cujus turmæ illæ fuerant partes integrales, *proclamabunt : Quis est homo qui ædificavit domum novam*, hoc est habitationem seu ædem novam, quæ sit principale domicilium ejus, D *et non dedicavit eam?* id est, sua inhabitatione nondum eam applicavit usui ob quem est constructa, hoc est, nondum in ea est commoratus. Unde alia habet translatio, Nondum initiavit eam : et forte,

Digitized by Google

sicut templum consecrabatur cultui divino per adspersionem et alia, sic per aliquam solennitatem conviviorum aut rituum dedicabant novam domum jam factam ad commorandum in ipsa. *Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet illam :* quod miserabile esset, quod scilicet tanti laboris frustraretur effectu.

Quis est homo qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat, ita quod ipse et alii possent vesci fructibus ejus ? *Vadat, ne forte moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio,* vineam illam faciendo communem : quod secundum quosdam fiebat quinto anno a plantatione, quoniam fructus quos protulit vinea in tribus primis annis, judicabantur immundi, ita quod nec edi poterant nec offerri, utpote nati ante consuetum tempus, quo solent vineæ fructificare. Idololatræ quoque talibus fructibus in suis (ut fertur) sacrificiis utebantur, tanquam insolitis novisque rebus. Porro fructus quarti anni Deo offerebantur totaliter, et quinto anno poterat de fructu vineæ oblatio atque comestio fieri. Alii, quos Magister in historiis sequitur, dicunt, quod publicatio vineæ sexto fiebat anno, ita quod quarto anno vindemiabatur Domino, quoniam totum hujus anni fructum detulit homo ad urbem cultus divini cum decima aliarum frugum secunda, ut ibi epularetur ex eis coram Domino. Quinto anno fiebat homo dominus vineæ, et eam sibi vindemiavit. Sexto anno et deinceps erat omnibus quasi communis, ita quod itinerantibus licuit pomaria vineasque intrare, et sufficienter refici inde, non autem aliquid extra ferre. Vindemiantes quoque non prohibebant occurrentibus, gustare de his quæ ad torcular portabant. Alia littera habet sic : Quis est homo qui plantavit vineam, et de novella ejus non bibit ? *Quis est homo qui desponsavit uxorem, et non accepit eam* per cohabitationem et maritalem amplexum ? *Revertatur, ne moriatur in bello, et alius homo accipiat eam :* imo ut alibi legitur, debuit uno anno cum conjuge sua lætari, antequam cogeretur ire ad bellum. Deut. xxiv, 5.

Itaque hoc triplex genus virorum jussit lex reverti : Primo, quoniam specialiter erat miserabile, quod post tantos conatus, tamque ferventes affectus ad elaborata et concupita, non consequerentur optatum effectum. Secundo, quoniam tales viri solent tanto plus formidare de imminente sibi periculo, quanto intensius afficiuntur ad sua objecta et concupita. Præterea quæritur, cur isti reverti jubentur propter vitandum mortis periculum, quum eis jam ante sit dictum : Nolite metuere, quia Dominus dimicabit pro vobis. Respondetur, quod ex parte Dei non erat defectus victoriæ, nec erat timendum, sed ex hominum imperfectione, culpa et metu.

His dictis, duces *addent reliqua, et loquentur ad populum : Quis est homo formidolosus* ex naturali dispositione, *et corde pavido* ex eventu aut superaddito vitio, ut qui ante congressum est audax, sed imminente periculo, dissolvitur corde ? *Vadat et revertatur, ne pavere faciat corda fratrum suorum* et commilitonum. Ex talium enim adspectu, verbis, factis, fuga, prostratione, consocii eorumdem solent terreri. Affectiones quippe unius, per oculorum adspectum faciliter derivantur ad alium. *Quumque siluerint duces exercitus,* particularium scilicet turmarum (dicitur tamen fuisse unus principalis dux totius exercitus), hoc est, quum præmemorata verba protulerint, *et finem loquendi fecerint ; unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit,* id est, quilibet ducum turmam sibi subjectam exhortabitur ad pugnandum, et eam ordinate disponet, quantum ad situm et ordinem : quia inordinata pluralitas, non est nisi hostium victima. Cuneus vero secundum quosdam, est proprie societas triangulariter situata, hoc est ordinata instar trianguli, ut facilius exercitum adversariorum possit intrare, atque ab invicem separare.

Digitized by Google

Consequenter in littera prolixe et plane A describitur, qualiter filii Israel habere se debuerunt circa urbes expugnandas. Nam urbibus extra terram promissionis situatis debebant primo pacem offerre, non autem civitatibus in terra promissa locatis, quarum habitatores erant prorsus delendi, juxta frequenter præhabita : et clara est littera. Quid autem agendum erat circa urbes difficulter expugnabiles aut prorsus inexpugnabiles, subjungitur : *Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides* B *arbores de quibus vesci potest,* hoc est fructiferas arbores, *nec securibus per circuitum debes vastare regionem,* talia excidendo arbusta aut vineas, oliveta, ficeta, et consimilia, quæ omnia nomine arborum designantur ; *quoniam lignum est, et non homo,* id est, arbores tales sunt ligna fructuosa, quæ tibi possunt prodesse tempore diuturnæ obsidionis, et item post urbis captionem, nec fugere queunt, neque resistere tibi, imo ex eis territorium opulentius est atque utilius tibi, sive ad in- C habitandum, sive ad obtinendum ex eo tributum. *Si qua autem ligna non sunt pomifera,* id est fructifera : quoniam in Scripturis pomum pro quocumque arboreo sumitur fructu ; *sed agrestia et in ceteros usus apta,* puta ad mechanica opera inde formanda, armaque bellica ; *succide et exstrue machinam, donec capias civitatem quæ contra te dimicat,* hoc est, talia ligna potes abscindere, et inde parare instrumenta ad urbis captionem proficua.

Circa hoc quæri potest, qualiter stare D excusarique valeat, quod Eliseus propheta prænuntiavit regibus tribus, quorum unus exstitit Josaphat virtuosus, Universum lignum fructiferum succidetis. (IV *Reg.* III, 19.) Ad quod quidam respondent, quod dum civitates expugnandæ, erant tam firmæ, quod populus Israel eas expugnare nequibat, poterant ligna talia eradicare, ne remanentia adversariis deservirent : sicque rex Josaphat et rex Joram recesserunt ab obsidione civitatis regis Moabitarum, succisis arboribus (*Ibid.* 25.) fructuosis terræ illius. Sed huic responsioni obviare videtur, quod loco præallegato Eliseus præmisit, loquens his regibus : Dominus tradet Moab in manus vestras, et percutietis omnem civitatem munitam, et omnem urbem munitam. (IV *Reg.* III, 18, 19.) Et subditur ibi de urbe metropoli : Circumdata est civitas a fundibulariis, et magna ex parte percussa. (*Ibid.* 25.) Idcirco dicendum videtur, quod ex dispensatione divina factum est illud in majorem Moabitarum punitionem, quoniam noluerunt regi Israel tributum solvere consuetum ; vel littera hæc loquitur de arboribus regionum, quas filii Israel poterant acquirere ad inhabitandum : erant autem divinitus prohibiti a tali acquisitione terrarum Moab et Ammon, ut patuit supra. (*Deut.* II, 9, 19.)

Sensus spiritualis.

Spiritualiter, dum populo christiano imminet bellum contra invisibiles sive visibiles hostes, tyrannos, hæreticos, infideles, et viderint adversariorum numerum esse acie christiana majorem, non debent diffidere, nec immoderate metuere, sed Dominum invocare, et se ipsos exhibere dignos subsidiis Dei, per vitam idoneam, per contritionem, confessionem et satisfactionem, per cordialem in Deo fiduciam. Sacerdos quoque, id est prædicator sive prælatus, stabit ante aciem, hoc est, gregem sibi commissum verbo et opere ædificabit et admonebit, ut cum omni fiducia prælientur, nec vereantur timore dejiciente. Per hoc autem quod ædificatores domus, plantatoresque vineæ, et sponsi jubebantur redire, insinuatur, quod nec ad corporalia, neque ad spiritualia bella sint apti, qui inordinato et intenso ligantur affectu ad opes aut delicias suas, quas amittere nimis verentur. Similiter qui domum ædificavit, id est, se ipsum virtutibus reparare incepit, et nondum dedicavit eamdem, hoc est, ad profectum notabilem necdum devenit, non est adhuc bene dispositus ad magnarum certamina tentationum. Similiter nec is qui vineam plantavit, id est, mentem suam, aut gregem sibi creditum cœpit excolere, et ad caritatis profectum, quæ omnia facit esse communia, nondum

Digitized by Google

perductus est. Non ergo se ingerant pugnis tentationum quousque profecerint, ne invisibiles hostes devorent fructus laborum suorum. Porro, qui desponderunt sibi uxores, id est voluptatum amatores, aut negotiis occupati mundanis, et formidolosi formidine sæculari atque carnali, sunt ad sacra bella prorsus inepti.

Præterea adversariis non impugnantibus Ecclesiam Dei, primo offerenda est pax, ut scilicet sponte convertantur ad fidem : quod si renuerint, sunt vastandi. Mulieribus vero et parvulis, hoc est, simplicibus et idiotis, de quorum conversione spes est, congruit parcere. Hæreticis vero ac perfidis infestantibus commune bonum Ecclesiæ, non est parcendum. Postremo, arbores fructuosæ non sunt excidendæ, quia si quid scientiæ et aptitudinis ad virtutes ac utile invenitur in philosophis ac consimilibus, redigendum est in obsequium fidei christianæ. Infructuosa vero et arida ligna, hoc est indurati et obstinati, delenda sunt.

ARTICULUS XXII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI PRIMI : QUANDO INVENTUM FUERIT IN TERRA, QUAM DOMINUS DEUS TUUS DATURUS EST TIBI, HOMINIS CADAVER OCCISI.

QUID agendum sit in homicidio, cujus auctor nescitur, et circa uxores earumque proles, et circa reos, nunc declaratur. *Quando inventum fuerit in terra* promissa, *quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, et ignorabitur cædis reus,* utpote homicida : si autem certa signa in cadavere illo paterent, quod homo occisus esset a bestia, non oporteret forsitan fieri quæ sequuntur ; *egredientur majores natu et judices tui,* id est principes populi seu tribus, in cujus sorte invenitur defunctus, *et metientur a loco cadaveris spatia singularum per circuitum civitatum :* de quibus incertum est, quæ earum plus distet a loco illo, non aliarum de quibus constat quod amplius distent; *et quam viciniorem* loco cadaveris *ceteris esse perspexerint,* id est, mensurando cognoverint, *tollent seniores civitatis illius vitulam de armento.* Hæc autem mensuratio non erat necessaria, quando ad oculum certissime patuit, quæ urbs esset vicinior. *Quæ* vitula *non traxit jugum, nec terram scidit vomere.* De cujus autem armento aut sumptu sumebatur hæc vitula, textus non exprimit, et forsitan accipiebatur de sumptu communi, aut de armento supremæ urbis vicinioris. *Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit, et cædent in ea cervices vitulæ, accedentque sacerdotes* ejusdem urbis, aut in tribu illa morantes : accedent, inquam, *ad* ipsum *interfectum,* id est occisum, ut videant, an omnia ibi rite agantur, et an aliquid de causa et genere homicidii valeat conjici.

Et venient majores natu civitatis illius, lavabuntque majores natu urbis propinquioris, *manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est,* hoc est mactata, *et dicent : Manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem, nec oculi viderunt* directe nec indirecte : quia (ut aliqui dicunt) jurabant quod homicidium illud non accidisset per eorum negligentiam aut consensum, quia (ut infra tangetur) juraverunt quod non erant negligentes circa viarum custodiam. *Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel,* id est, effusionem sanguinis

Digitized by Google

hujus occisi non imputes populo tuo, aut alicui personæ ex eo qui innocens est ab effusione sanguinis hujus. Interdum enim pro scelere commisso ab uno, plures puniebantur a Deo, prout sæpe expositum est. Potuit autem esse, quod ille occisus fuerit nequam et impius, vel occisus ab aliquo quem volebat occidere, cui licuit vim vi repellere, cum appositione inculpatæ tutelæ. Dicitur tamen innocens sanguis, quia ab ejus effusione fuerant innocentes, qui manus suas laverunt, ut dictum est. Vel scriptura hæc loquitur de occiso absque suo demerito, utpote vitiose. *Et auferetur ab eis reatus sanguinis,* id est, populus non punietur a Deo propter homicidium illud.

Circa hæc scribit Thomas in prima secundæ, quæstione 105 : Ratio litteralis hujus mandati fuit, ut Rabbi Moyses dicit, quia frequenter interfector est de civitate propinquiori. Unde occisio vitulæ fiebat ad explorandum homicidium occultum. Quod fiebat per tria : Primo, per hoc quod seniores civitatis jurabant se nihil prætermisisse in viarum custodia. Secundum est, quoniam ille cujus erat vitula, damnificabatur in animalis occisione : ut si prius manifestaretur homicidium, vitula non occideretur. Tertium, quod locus, in quo vitula occidebatur, mansit incultus. Hinc ad vitandum utrumque damnum, homines civitatis de facili manifestarent homicidam, si scirent. Et raro poterat esse, quin aliqua verba aut signa super hoc præcesserint. Vel hoc fiebat ad terrorem, in homicidii detestationem. Per occisionem namque vitulæ, quæ est animal utile ac robustum, præcipue antequam laboret sub jugo, significabatur quod quicumque homicidium perpetrasset, quamvis utilis esset ac fortis, occideretur etiam morte crudeli : quod per concisionem cervicis vitulæ notabatur ; et quod tanquam vilis ac impius a consortio hominum esset abjiciendus : quod figurabatur per hoc, quod vitula occidebatur in valle aspera atque inculta, et quod carnes ejus relinquebantur ibi in putredinem convertendæ.

Si circa prædicta quæratur, quid vitula meruit, ut propter incertum homicidium occideretur : respondendum, quod occidebatur non ob suum demeritum, sed in detestationem commissi facinoris, et ad significandum prætacta. Nempe quum facta sint irrationabilia propter hominem, utendum est eis ad hominum utilitatem.

Sequitur lex alia. *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, introduces eam in domum tuam. Quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues, et deponet vestem, in qua capta est ; sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem suam,* qui occisi sunt morte corporali aut civili, *uno mense :* per quod pietas edocetur, ne qua persona post suorum mortem parentum statim ad voluptatem se donet ; *et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua.* Istud intelligendum est de muliere volente ad Judaismum converti, et post ejus conversionem : fuitque magis permissio, quam præceptio aut concessio. Nec est intelligendum de mulieribus aut puellis alienigenis, pertinentibus ad terram promissionis, a quarum connubio prohibebantur Judæi, ut supra patuit. (*Deut.* VII, 3.) Per abjectionem demum propriarum vestium, in quibus fuerat capta, et capillorum capitis abrasionem, abscissionemque unguium, designabatur perpetua idololatriæ ac infidelitatis abjectio. Dicit etiam Magister in historiis, quod per mulierem intelligitur virgo, sive jam nupta : quod non videtur intelligendum de nupta, adhuc maritum habente, sed potius vidua, nisi forte maritus recusaverit converti ad Dei cultum. *Sin autem postea non sederit in animo tuo,* id est, displicuerit tibi, *dimittes eam liberam.* Hoc quoque permissio est, prout infra plenius referetur, qualiter licuit uxorem dimittere. Fuit autem sine pretio dimittenda. *Nec vendere poteris,* quia facta est tecum una caro, et quodammodo compar : ideo non est tractanda tanquam ancilla ; *nec opprimere per potentiam,* duram

Digitized by Google

ei imponendo servitutem, *quia humiliasti eam,* ea utendo ut conjuge: in quo usu uxor instar patientis et subjecti se habet.

Si habuerit homo duas uxores: quod in veteri lege concessum fuit ex dispensatione divina, quia tunc paucitas erat populi Deum verum colentis, et cultus Dei per carnalem propagationem conservabatur in plebe illa ; *unam dilectam, et alteram odiosam,* etc. Littera plana est, quia in tali casu non potest filium dilectæ præferre filio odiosæ, si filius odiosæ sit primogenitus viri illius qui primogenito suo debuit cuncta dare duplicia. Circa quod ait Glossa: Hoc ad litteram servandum est, ne sequatur quis animi sui motum, vel amorem, aut odium, sed naturam. Verumtamen istud judiciale præceptum non est necessario in evangelica lege servandum, quamvis possit ab aliquo auctoritatem habente institui ac servari. Quemadmodum autem filius non primogenitus non debet ex amore patris sui ad se, vel ad matrem suam, primogenito præponi nec primogenitus ex odio sui aut matris suæ, suo jure privari ; sic nullus filiorum est ex carnali et inordinato amore fovendus in vitiis. Ideo subditur : *Si genuerit homo filium contumacem et protervum,* id est, qui ad adultam ætatem perductus, fiat talis, *qui non audiat patris et matris* suæ *imperium* in his, in quibus ei possunt præcipere, *et coercitus,* id est correptus frequenter, et per blanda ac aspera seu per comminationes admonitus, *obedire contempserit ; apprehendent eum,* quum viderint eum incorrigibilem factum, *et ducent ad majores et ad portam judicii, dicentes : Filius noster protervus et contumax est,* etc. *Lapidibus obruet eum populus civitatis, et morietur :* sicut in textu qui planus est, describitur ac jubetur. Expedit enim tam impio filio sic puniri, quam tam scelerate diutius vivere. Quamvis enim parentes quamdam habeant potestatem et auctoritatem super filios suos, præsertim non emancipatos, et quamdiu sub eorum permanent virga, non tamen tam magnam, ut peccantibus possint mortem aut mutilationem infligere propria auctoritate, nisi forte aliunde sint judices eorumdem.

Quando peccaverit, id est, peccando commiserit, *homo* crimen, *quod morte plectendum est, et adjudicatus morti* per judices legitime, *appensus fuerit in patibulo ; non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est,* id est dire punitus, et opprobrio confusionique datus a Deo volente aut permittente, omnis *qui pendet in ligno :* quia mors talis opprobriosa et dura est valde. Sumitur autem in lege maledictio interdum pro opprobrio aut tormento, secundum illud : Maledictus qui non reliquerit semen in Israel. Itaque suspensus, eodem est die a patibulo deponendus : cujus subjungitur ratio, quia maledictus a Deo est, id est sufficienter punitus a Deo per judices ejus vicarios, per hoc quod ita suspensus est, nec oportet eum in hac vita magis puniri per longiorem in patibulo pensionem. Itaque ista auctoritas non derogat Christo, qui (ut ait Apostolus) propter nos factus est maledictum, ut nos a maledicto legis redimeret. Sumitur enim hic maledictum pro pœna peccati ex peccato secuta, sicut et mors quandoque vocatur peccatum : hoc modo manus vocatur scriptura manu formata, et loquela dicitur lingua. Christus quippe ignominiosissimam pro nobis pertulit mortem. *Galat.* III, 13.

Præterea mystice quando prælati viderint quempiam ex credito eis grege spiritualiter interfectum, scandalizatum, deceptum, causam inquirere debent, atque ad expiandum ad Christi passionem recurrere, ac Dominum pro venia exorare, deceptum quoque pro posse reducere. *Si egressus fueris ad pugnam,* id est, si in conflictu contra adversarios fidei vel ecclesiasticæ unitatis seu individuæ caritatis, converteris aliquem ad fidem catholicam, conversationemve virtuosam, *et videris mulierem pulchram,* id est animam summæ Trinitatis imagine insignitam, et volueris eam tuo spiritui quasi sponsam unire per sanctam Sensus mysticus.

Digitized by Google

A dilectionem ; *introduces eam in domum tuam,* id est ad incorporationem Ecclesiæ : quæ sedebit suorum deplorans peccata, et pristina vestimenta, videlicet opera mala, habitus vitiosos, consuetudines pravas abjiciet,capillos quoque,id est cogitationes superfluas, prorsus deponet, circumcidetque ungues, id est operationum superfluitates ; et sic fecundabis eamdem ac declarabis sponsam, inducendo eam ad devotionem virtuososque actus. Quæ si postea displicuerit tibi, propter ipsius transgressionem, non mox violentanda est, aut penitus B opprimenda, seu vendenda diabolo, sed suæ libertati relinquenda ad tempus, ut resipiscat. *Si habuerit homo duas uxores.* Per hominem istum intelligitur Dei Unigenitus incarnatus, qui duas habuit conjuges, quarum una facta est ei odiosa, videlicet Synagoga ; altera, puta Ecclesia ex gentilitate conversa, facta est ei cara. Attamen primogenitum Synagogæ, hoc est sanctos Apostolos, nequaquam postposuit filiis Ecclesiæ, imo dedit illis primitias (*Rom.* VIII, 23.) Spiritus, et super omnem terram princi- C pes eos constituit, nec aliud decuit ejus (*Ps.* XLIV, 17.) justitiam atque clementiam.

Ex isto item capitulo edocemur, quam gravissime peccent filii contumaces, rebelles, luxuriosi, gulosi, qui suos contemnunt parentes, aut convitia inferunt ipsis. Similiter qui matri suæ sanctæ Ecclesiæ et prælatis non parent, sed rebelles consistunt, non pensantes quod quasi peccatum (I *Reg.* XV, 23.) ariolandi sit repugnare, et tanquam scelus idololatriæ acquiescere nolle. Idcirco sunt lapidandi,id est,durissimis increpationibus et acerrimis disciplinis plectendi. *Quando peccaverit homo,* et pro suo excessu fuerit excommunicatus, suspensus, seclusus, eodem die est deponendus de hujusmodi cruce, quia per superiores suos et bonos viros ad emendationem, satisfactionem, obedientiamque hortandus est ac reducendus ad ecclesiasticam communionem pro posse.

Postremo super illud, Maledictus a Deo est qui pendet in ligno, asserit Lyra in Hebræo haberi, Vilificatio Dei est suspensio. Circa quod Rabbi Salomon ait : Quum homo sit ad Dei imaginem factus, in Dei dehonorationem quodammodo redundaret, si diu maneret suspensus. Sed Rabbi Paulus affirmat in Hebræo haberi, Maledictio Dei est suspensio : ad quod assignatur duplex ratio ab Hebræis : una, quæ tacta est ; alia, quoniam nullus suspendebatur in ligno, nisi idololatra aut blasphemus : ideo si maneret diu suspensus, daretur hominibus occasio loquendi de idololatria aut blasphemia illa, quæ peccata tam abominabilia erant, quod Deus noluit ea nominari, sicut de quibusdam vitiis ait Apostolus : Nec nominentur in vobis. (*Ephes.* V, 3.)

ARTICULUS XXIII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SECUNDI : NON VIDEBIS BOVEM FRATRIS TUI.

QUAM enormis, rudis ac evidens fuerit D error et hæresis dicentium veterem legem datam a principe tenebrarum essentialiter malo, constat luce clarius ex isto capitulo, in quo tot pietatis præcepta ponuntur. Volens itaque Dominus populum suum mutuo esse benevolum atque beneficum, ait : *Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem, et præteribis,* id est, si videris quodcumque jumentum proximi tui esse in mala periculosaque via, non pertransibis tanquam non curans, *sed reduces* illud *fratri tuo ; et si * non est propinquus frater tuus,* id est, si is ad quem

* etiam si

Digitized by Google

pertinet tale jumentum, non est consanguineus tuus, *duces in domum tuam jumenta illius errantia, et erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus,* id est natione et religione Judæus. Quod si non quæsierit ea, inventor tamen debet quod factum est publicare, et cujus sint jumenta inquirere. Quod si nec sic poterit scire cujus sint, potest ea in pios convertere usus, reservareque sibi quantum apud se consumpserunt. *Similiter facies de asino, vestimento, et de omni re fratris tui quæ perierit,* id est, perdita fuerit, *si inveneris eam :* ideo subditur, Si inveneris eam, *ne negligas,* id est, jacere aut errare non sinas, *quasi alienam,* id est quasi nil ad te pertinentem. Circa hæc dicit Thomas in prima secundæ, quæstione 105 : Lex instituit ut usus rerum, quantum ad aliqua, esset communis patriæ, et quantum ad curam, ut patet ex his verbis, et quantum ad fructum quodammodo, ut quod quis ingressus alterius vineam, comederet ad sufficientiam uvas, et quod pauperibus relinquerentur obliti in agro manipuli, etc.

Denique, hic per fratrem non solum intelligitur Judæus seu proximus amicus, sed etiam inimicus. Scriptum est enim in Exodo : Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum. Itemque : Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Hinc subditur : *Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies* subvenire ; *sed sublevabis cum eo,* id est, proximum tuum juvabis ad levandum jumentum lapsum. Vel si dominus jumenti desit, solus pro posse leva pecus cum onere suo. Si autem pecoribus et possessionibus inimici, ista erant pietatis et dilectionis opera impendenda, imo et ipsi inimico, cujus damna sic vitabantur : constat non fuisse legis intentionem ut inimici odirentur, quantum ad id quod sunt, sed quoad malum culpæ ipsorum. Porro, secundum Glossam, hæc præcepta etiam nunc ex benignitate naturæ servanda sunt.

Exod. XXIII, 4. *Ibid.* 5.

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea. Abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. Hujus præcepti varias causas ponit Guillelmus Parisiensis libro de Fide et legibus. Prima est congruentia ipsius naturæ, ut quos natura sexu discreverat, discerneret et vestitus. Secunda, ut auferretur opportunitas latibulis turpitudinum. Posset enim vir intrare ad mulierem sub habitu muliebri, et econtra. Tertia est exterminatio sacrorum Martis ac Veneris, quia in sacris Martis, feminæ non solum vestiebantur vestitu virorum, sed etiam armabantur, ad ostendendum quod Mars sit deus belli et dator victoriæ. Porro in sacris Veneris viri effeminabantur, exercentes sacra Veneris in vestitu femineo. Quarta, quoniam usus muliebrium vestium parit viris memoriam imaginationemque mulierum, et ita inflammat libidinem, et econtra ; aliasque varias causas assignat. Verum, ut tangit Augustinus, alia habet translatio, Non erunt vasa viri super mulierem, et per vasa intelligit arma : sicque usus armorum prohibetur hic feminis, quoniam non sunt communiter aptæ ad prælium, et propter causas prætactas. Unde et Glossa : Contra naturam, inquit, est, virum muliebria facere, comam crispare, torquere capillos. Nam et Apostolus ait : Vir si comam nutriat, ignominia est illi. *I Cor.* XI, 14.

Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, non tenebis matrem cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore. Circa hoc scribit Thomas in prima secundæ, quæstione 102 : Ut Dominus Judaicum populum ad crudelitatem pronum, ad misericordiam revocaret, voluit eos ad misericordiam exercere etiam circa bruta, prohibens aliqua fieri circa illa quæ ad crudelitatem quamdam pertinere videntur : ideo prohibuit ne coqueretur hœdus in lacte matris, et quod non alligaretur os bovi trituranti, et quod non detineretur avis cum pullis seu filiis suis. Istud quoque Rabbi Moyses dicit, et multi expositores.

Deut. XIV, 21. *Ibid.* XXV, 4.

Digitized by Google

Verumtamen Guillelmus libro præallegato istud reprobat, dicens : Quidam ridiculose et pueriliter dixit, præceptum hoc esse causa pietatis, ne mater avicula filios perdens, et simul occisa nimis affligeretur, in quo credidit Deum insinuare filiis Israel quam misericordes circa homines esse deberent. Dicimus ergo, quod illud bonum non est tantum, nec Deo tam placitum, ut tanta mercede remuneretur ab eo, quanta observantia legis tenetur. Quis enim audiens pro dimissione unius aviculæ tantum promittere præmium Deum, quantum pro totius observantia legis, risum contineat? Amplius, magis parcendum erat filiis, si pietas ibi locum haberet, quum filii nec sibi nec aliis possint consulere, et adhuc matre indigerent, ipsa vero non indigeret illis : sicque majori crudelitate tenentur et occiduntur filii in isto casu, quam mater. Non dubites igitur sapientissimum Deum per hoc mandatum voluisse damnare aliquam idololatriam, aut aliquid simile ei. Quemadmodum enim malefici observabant et explorabant coitus animalium aliquorum, ut eadem hora interficerent ea, et de eorum pulvere seu corporibus darent his, quos volebant suæ ardore libidinis inflammare, credentes eorum corpora vel pulverem hanc inflammandi virtutem habere, si eadem hora coitus interficerentur ; sic credebant de ave pullis incubante, si ea incubandi hora caperetur, quod scilicet posset præstare fecunditatem et fortunam in filiis nutriendis. Et hoc scimus ex multis similitudinibus, quas legimus in libris maleficorum. Voluit ergo Deus hoc removere a cordibus populi ipsum colentis, quatenus ab ipso solo sperarent multiplicationem, fecunditatemque sobolis. Præterea observatores auguriorum, faustam et fortunatam reputabant inventionem nidorum cum matre et ovis seu filiis, et ideo ea non esse ab invicem separanda. Quod si ea dissiparent aut separarent ab invicem, bonam fortunam amitterent, et domos suas esse dissipandas cognoscerent ; seque esse passuros in se ipsis aut filiis suis, quod facerent illis, videlicet avi aut ovis seu pullis ipsius. Ideo voluit Deus hoc reprobare, et bonum quod augures speraverunt ex conservatione matris et pullorum, posuit in divisione illorum ab invicem. Hæc Guillelmus.

Verum has duas causas tangit etiam Thomas, cujus prima ratio non est reputanda ridiculosa aut puerilis, sed vera et magistralis. Quamvis enim dimissio aviculæ non sit in se res magna, tamen in quantum ex obedientia Dei procedit, et pietatis exercitatio quædam est, complacet Deo, et meritoria fuit boni prætacti, imo et vitæ æternæ, sicut in evangelica lege omnis actio ex caritate procedens, quantumlibet modica. Præterea pulli sine matre diu vivere non valebant sicut econtra : idcirco fuit decentius dimittere matrem, quam pullos, præsertim quum mater amore pullorum incubaret eisdem.

Quum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum. In Palæstina namque, cujus pars est Judæa, fiebant domus superius planæ, ita quod super tecta sedebant ad conferendum et solatiandum, et poterant cadere deambulando superius, nisi per circuitum tecti fuisset elevatio quædam structuræ a ruina præservans : quæ elevatio hic murus vocatur. *Ne effundatur sanguis in domo tua,* id est, ne aliquis cadens de tecto, se lædat, et exspiret, *et labente alio, sis reus* mortis illius, non observando præceptum hoc, nec præcavendo periculum modo prætacto. Quemadmodum enim in culpa est qui perpetrat malum, ita qui non impedit, nec præcavet illud pro posse et sicut tenetur.

Non seres vineam tuam altero semine. In Levitico legitur, Agrum tuum non seres diverso semine : quod ibi expositum est. *Lev.* XIX, 19.
Hic vero specialiter jubetur, ne ager vineæ seminetur granis tritici, hordei, aut alio semine : cujus subjungitur ratio, *ne et sementis quam sevisti,* id est, ne fructus seminis in terram projecti, *et quæ nascuntur ex vinea,* videlicet racemi seu uvæ, *pariter sanctificentur,* id est, putentur Domi-

Digitized by Google

no eodem tempore offerendi, utpote decimæ atque primitiæ horum : quod tamen convenienter fieri nequit, quoniam blada quæ nascuntur ex seminibus, citius sunt matura quam uvæ ; et si in messe bladorum solverentur eorum decimæ ac primitiæ, posset putari quod de fructu vineæ agri ejusdem, non essent decimæ ac primitiæ dandæ : quod esset contra legis præceptum, et Levitis sacerdotibusque nocivum. Porro in Hebræo fertur haberi, Non seres mixtim, ne polluatur plenitudo seminis quod seminasti, et proventus vineæ : cujus sensus est, quoniam fructus vineæ de novo plantatæ, tribus primis annis secundum legem fuit immundus, ut supra [*Lev.* xix, 23, 24.] inductum est, et in Levitico legitur : propter quod ante quartum annum non poterat de fructu vineæ talis oblatio fieri, de bladis vero poterat fieri oblatio primo anno. Sed blada illa in vinea orta, fructum vitis tangendo, efficerentur immunda, tangendo immundum : sic utrumque reputaretur immundum atque ineptum ad immolandum. Ratio demum, quod Hebræi legunt, Pollutionem, ubi habemus, Sanctificationem, est, quoniam dictio Hebraica ad utrumque æquivoca est, et diversimode punctuatur ; attamen puncta non sunt de substantia litteræ, sed variant modum pronuntiandi et significandi, quemadmodum diversus accentus apud Latinos variat pronuntiationem et significationem.

Amplius, circa hæc scribit Guillelmus libro de Fide et legibus : Eisdem de causis, ob quas scilicet prohibuit usum vestis ex lino et lana contextæ, prohibuit Deus ne vinea sereretur alio semine. Verumtamen unam in Deuteronomio addit causam, videlicet ne sementis et fructus vineæ simul Domino sanctificentur, hoc est, ne decimæ et primitiva eorum pariter offerantur, quæ Deus voluit diversis temporibus reddi, sicut diversis temporibus colliguntur. Utilitas præcepti juxta litteram manifesta est, quia collectio sementis fieri non valeret absque detrimento aut periculo vineæ. Ridiculum vero est, putare Dominum voluisse consu-

A lere populo suo, in quo nullo indigebat consilio, quoniam tale detrimentum omnibus constat. Causa ergo in hoc fuit exstirpatio idololatriæ Bacchi et Cereris : quorum cultores sicut ritus et culturas illorum miscebant et conjungebant, sic et fructus quos beneficio deorum illorum se obtinere credebant, in eodem agro conjungere soliti erant, volentes Cererem et Bacchum cultu atque operibus sociare. Hæc Guillelmus. Alia littera habet, Non seres vineam tuam altero semine, ne pariter suffocen-

B tur : quod comprobat Josephus, conjunctionem hanc esse prohibitam asserens, quia natura non lætatur dissimilium commixtione.

Non arabis in bove simul et asino, id est, bovem et asinum non conjunges in aratro ad arandum : quod aliqui dicunt jussum a Domino, quatenus Judæi exercerentur ad pietatem circa jumenta terræ, quemadmodum circa volucres, utpote circa aves et pullos, ut dictum est. Quum enim bos sit fortior asino, habeatque passum

C majorem, asinus valde molestaretur arando cum bove. Guillelmus autem dicit istud esse præceptum in detestationem idololatriæ. Has namque (ut ait) conjunctiones animalium diversarum specierum in eodem opere faciebant idololatræ, juxta conjunctiones planetarum et alias quasdam constellationes, ex hoc prosperari credentes. Voluitque Deus vanitatem hujus credulitatis removere a cordibus Judæorum tanquam radicem idololatriæ, ne per eam ad stellarum servitia traherentur, Creatore

D relicto. Porro secundum Thomam in prima secundæ, quæstione 102, istud est parabolicum verbum, ut sit sensus : Non arabis in bove et asino, id est, in prædicationis officio non conjunges sapientem ac fatuum, quoniam unus impedit alium. Sapiens quippe per bovem, stultus per asinum designatur. Porro Josephus sic exposuit : Non arabis in bove et asino, id est, bobus tantum terra aranda est, ut nomine asini cetera omnia animalia intelligantur exclusa. Judæi autem dicunt hoc ideo jussum,

Digitized by Google

quoniam Dominus noluit regi jumentorum, A scilicet bovi, servile jumentum, videlicet asinum, copulari. Quatuor quippe quasi animalia regia ostendit Dominus Ezechieli, (*Ezech.* I, 3-10.) utpote hominem, qui est rex animalium universorum ; leonem, qui sub homine est rex ferarum ; aquilam, qui est rex avium ; bovem, qui est rex jumentorum. Nonnulli Hebræi puerilius dicunt hoc jussum. Nam quum bos ruminet, putaret asinus quod bos manducaret, sicque asinus afficeretur ad cibum, et fame affligeretur atque deficeret.

Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est. Huic simile est illud Levitici (*Lev.* XIX, 19.) : Vestem quæ ex duobus texta est, non indueris; ubi de hac materia dicta sunt multa. Porro Parisiensis libro præallegato : Usus, inquit, vestis ex lino lanaque contextæ prohibitus fuit, ad litteram, quoniam sacerdotes idolorum in Ægypto hujusmodi vestibus maxime utebantur, a quibus voluit Dominus populum suum distingui. Alia causa exstitit generalis, quatenus scilicet idololatria, quæ talibus commixtionibus exercebatur, hac prohibitione percuteretur. Tertio, ut ordo naturæ quem idololatræ multipliciter pervertebant, servaretur in vestibus, vestiumque materiis, ita ut linum esset sub lana, et ex lino fieret vera camisia, atque ex lana, tunica vera : quæ omnia confundebant et pervertebant idololatræ, in venerationem præsertim elementorum, ex quorum commixtionibus hæc gignuntur. Volebant quoque per talem vestium commixtionem insinuare, agricolas ac pastores esse obligatos ad famulatum stellarum, quarum favore ac beneficentia putabant fecunditatem et lanæ copiam in animalibus, atque fertilitatem in agris provenire. Propter quod lanam et linum in vestitu jungebant, ut ipso habitu hanc superstitionem profiterentur. Hujusmodi quoque conjunctiones lini ac lanæ in vestibus, faciebant cum observatione conjunctionis stellarum. Hæc Guillelmus. Porro Josephus ait, talem vestitum fuisse prohibitum propter sacerdotii dignitatem, quia in vestimentis pontificis fuit commixtio talis texturæ : ideo plebi fuit illicita.

Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui. Hoc est quod in Numerorum libro scriptum est : Dixit Dominus ad Moysen (*Num.* XV, 37, 38.) : Loquere filiis Israel, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, etc., quod ibi expositum est. Glossa quoque hic ait : Superstitiosi magistri, videlicet Scribæ et Pharisæi, captantes auram populi et lucra ex mulierculis, dilatabant fimbrias, et alligabant eis spinas, ut vel am- B bulantes vel sedentes, pungerentur, sicque ad serviendum Domino monerentur. Propter quod dixit Salvator : Dilatant phylacteria, et magnificant fimbrias. (*Matth.* XXIII, 5.)

Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam : quod erat mortale peccatum, si oderat eam, quoad ipsius personam ; si vero oderat eam, quantum ad culpam, non fuit illicitum ; *quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum,* utpote nomen adulteræ seu fornicatricis ; *et dixerit, Uxorem hanc accepi,* C *et ingressus ad eam, non inveni virginem ; tollent,* id est, secum accipient, *eam pater et mater ejus :* si ambo supersint, aut alter eorum ; vel si ambo obierint, hi qui loco parentum adsistere habebant puellæ ; *et ferent secum signa virginitatis ejus,* quam habebat quousque cognita fuit a suo marito, eam jam taliter diffamante, *ad seniores urbis qui in porta sunt,* id est ad judices, ad quorum jurisdictionem forumque pertinent, qui tunc sedebant in aliqua porta urbis ad judicandum, ut facilior cunctis D pateret accessus ad ipsos ; *et dicet pater,* qui est principalior parens : *Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, et dicit, Non inveni filiam tuam virginem : et ecce, hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis.* Circa hoc scribit Lyra : Dicunt expositores catholici, quod pater et mater sponsæ reservabant linteum, in quo eorum filia a suo viro fuerat deflorata, sub sigillo authentico, ut per hoc ostenderetur signum

Digitized by Google

virginitatis suæ, si vir eam postea modo præfato accusaret. Sed hoc videtur valde turpe, quod pannus talis extenderetur coram judicibus. Præterea non est verisimile, quod maritus auderet conjugem taliter accusare, quum sciret parentes uxoris testimonium tale habere virginitatis filiæ suæ: quoniam consuetudo erat communis, sic servare hujusmodi pannum seu linteum secundum istam opinionem. Ideo aliter exponunt Hebræi, dicentes quod hæc sit locutio parabolica, ut sit sensus : Expandent vestimentum, etc., id est, per verba testium declarabunt et explicabunt virginitatem filiæ suæ, sicut explicatur pannus. Hæc Lyra.

Circa hæc dico, non sic præferri debuisse hoc loco expositionem Hebræorum expositioni Catholicorum : et quamvis aliqui Catholici dicant illud, non tamen tam magni aut multi, quod absolute dicendum sit, Expositores catholici dicunt hoc, etc. Insuper expositioni huic quorumdam Catholicorum littera evidenter consonare videtur. Primo in eo quod ait, Ferent secum signa virginitatis suæ : ex quo apparet, quod sensibilia aliqua super hoc signa secum ferebant parentes puellæ. Secundo, in eo quod dicitur, Expandent vestimentum, etc. Amplius, quia Judæi tam proni erant ad odium, suspiciones, accusationes, atque repudium suarum uxorum, verisimile potest videri, quod ad obviandum periculis talibus parentes puellæ reservaverint sibi tale sensibile signum virginitatis filiæ suæ. Objecta quoque faciliter possunt solvi. Quamvis enim sine rationabili et urgente causa inhonestum foret, talem judicibus ostendere pannum, tamen ad proferendum rectum judicium, ad liberandum innocentem, ad tollendum malum de Israel, poterat talis ostensio irreprehensibiliter fieri, sicut et medicis magnis ostenduntur aliquando loca fœda ob corporis sanitatem. Poterat quoque ostensio illa curialiter fieri et ad partem. Signa autem virginitatis determinantur a medicis. Estque in puellis virginibus signaculum ipsum virginitatis, pellicula quæ in defloratione corrumpitur: cujus læsionis signum et testis est cruor effluens, cujus in linteo manent indicia.

Apprehendentque seniores urbis illius virum, et verberabunt illum, id est, percuti facient in judicio convictum, sic quod percussio ultra quadraginta ictus non extendatur, ut infra patebit; *condemnantes insuper* virum illum mendaciter accusantem conjugem, *centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ,* quem confundebat tali accusatione : idcirco in recompensationem tantæ dehonorationis, dedit ei summam illam pecuniæ. *Quod si verum est quod objicit, et non est inventa in puella virginitas,* id est, si puella fuerit inventa rea, *ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent, et morietur :* quia jam fuerat viro affidata ante suam violationem nefariam, sicque matrimonium fuerat inchoatum. Si autem tempore suæ violationis nondum fuisset viro affidata, non fuisset lapidanda, ut infra habetur, nisi fuisset filia sacerdotis. Præterea objici potest contra id quod dictum est, virum suam conjugem mendaciter accusantem, esse flagellandum, pecuniamque daturum ; uxorem autem convictam, lapidandam : quoniam juxta præhabita, pœna talionis est infligenda falso accusatori in probatione deficienti, ergo et vir debuit lapidari. Ad hoc Augustinus respondet, quod lex voluit feminas maritis esse subjectas, ita quod non judicantur semper ad paria, etiam in tori violatione. Vir quoque poterat plures ducere conjuges, et uxorem repudiare : quorum nullum permissum est conjugi.

Si dormierit, id est coierit, *vir cum uxore alterius, uterque morietur* per lapidationem, quum fuerint rite dijudicati. Adulterium namque gravissimum crimen est, et post homicidium est unum de enormioribus quæ committi possunt in proximum : in quo crimine fractio est voti fidei conjugalis, transgressio præcepti fornicationem vetantis, furtum seu rapina, dum alicui sua subtrahitur contoralis palam aut clam : ex quo etiam crimine incertitudo

Digitized by Google

sequitur prolis, atque hereditatio prorsus A injusta. *Si puellam virginem desponsaverit vir, et invenerit eam* solam *aliquis* alter *in civitate,* aut certe in villa satis populosa, *et concubuerit cum illa, duces utrumque ad portam civitatis,* puta ad judices, *et lapidibus obruentur* data sententia ; *puella, quia non clamavit, quum esset in civitate,* id est, in loco ubi clamanti poterat ab audientibus subveniri : quo constat, quod si clamans fuisset oppressa omnino invita, aut a clamore sufficienti fuisset per virum penitus impedita, mori non B meruisset ; *vir,* sive esset alteri sociatus conjugio, sive non, *quia humiliavit,* id est, libidinose viliterque tractavit, ac vilipendendam fecit, *uxorem proximi sui,* cum qua tamen vir cui erat affidata, necdum matrimonium consummavit. *Sin autem in agro,* id est, si vir taliter violasset virginem alicui desponsatam in loco, ubi nemo poterat subvenire puellæ, quamvis clamaret, tunc solus vir ille fuerat lapidandus : quia de puella præsumitur, quod clamavit ac restitit quantum valebat. Jura namque sunt pia, et dubia interpretantur in melius. *Si invenerit vir puellam, quæ non habet sponsum,* etc. Textus est planus, et in Exodo præhabitus atque expositus. Itaque in isto casu quo vir opprimit sic puellam non desponsatam, compellitur eam legitime ducere, nec potest circa eam uti licentiatione repudii, ne videatur eam ad ludibrium accepisse, potiusque finxisse quod duxerit eam. Hoc quoque de illa jubetur, cui vir fuit calumniatus de virginalibus non inventis. *Non accipiet homo,* etc. Istud in Levitico expositum est.

Exod. XXII, 16.

Lev. XVIII, 8

ARTICULUS XXIV

EXPLANATIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI VICESIMI SECUNDI.

NON videbis bovem fratris tui aut ovem C *errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo.* Si pietas ista brutis fuerat impendenda amore proximi possessoris : quanto magis unusquisque Christifidelis, præsertim prædicator sive prælatus, si viderit alterius prælati aut patrisfamilias, vel cognati aut proximi sui subditos sive discipulos aut ministros a via justitiæ deviantes, debet pro illorum reductione laborare orando, hortando, corripiendo, docendo, et omni quo prævalet modo, quousque per caritatem rursus incorporentur D Ecclesiæ? Quod et asino, id est cuicumque obtuso ac vili, est faciendum, ne alicujus conversio, salus et anima parvipendantur, præsertim in quantum est rationalis creatura ad Dei similitudinem facta, sanguine Christi redempta, atque ad beatificam Deitatis fruitionem desuper ordinata. *Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis :* id est, si noveris simplicem et idiotam, qui designatur per asinum ; aut fortem et doctum, qui nomine bovis exprimitur, in peregrinatione hujus vitæ exsiliique peccasse, non parvipendes lapsum ipsius, sed modis prætactis coneris eum erigere, sicut ait Apostolus : Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Itemque : Qui stat, videat ne cadat. Et Salomon contestatur : Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Denique ita peccare censetur, qui lapsum pro posse non erigit, quemadmodum qui stantem præcipitat.

Galat. VI, 1.

I *Cor.* X, 12.

Prov. XVII, 5.

Non induetur mulier veste virili. Per vestem operatio designatur. Mulier ergo non intromittat se de officio, actu, negotio

Digitized by Google

ad viros spectantibus; sed suis terminis sit contenta, nec dominari quærat marito, nec publice prædicare aut sacris Ordinibus ingerere se præsumat, et quæ in domo agenda sunt, prudenter exerceat, non discurrens nec garriens. *Nec vir utetur veste feminea,* id est, femineæ levitati, inconstantiæ, imperfectioni, carnalitati non subjiciatur. *Si nidum avis inveneris.* Nidus avis, est mansio animæ fructuosæ, quæ per contemplationem nidificat in arbore, hoc est, in cruce Christi, considerando immensam profunditatem sapientiæ superdignissimæ Trinitatis, circa mysterium humanæ redemptionis; insistendo autem operibus vitæ activæ, in terra nidificat: quæ incubat ovis et pullis suis, dum vel propriam considerationem * examinat, deflet, expurgat, vel sibi commissis aut spiritualibus filiis est intenta, arguendo, obsecrando, instruendo. Talis anima non est tenenda, id est, a suis exercitiis impedienda; sed præfati pulli ipsius jugo obedientiæ sunt arctandi, ut assuescant regi ac parere in omnibus, nec ante tempus quærant volare, quousque pennis virtutum ac sapientiæ decorentur. *Quum ædificaveris domum novam,* id est, structuram et profectum virtutum in te ipso aut in aliis feceris, *facies murum tecti per circuitum,* id est, undique munies eam discretione, circumspectione, custodia, *ne effundatur sanguis in domo tua,* id est, ne aliquem scandalizes, aut a tuis scandalizari permittas. *Non seres vineam tuam altero semine,* id est, neque in agro et vinea cordis tui, neque in familia tua aut populo tibi commisso, spargas aut diffundi permittas hæreticas pravitates, vitiorum admixtiones, ignorantias aut errores. *Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est,* id

* conversationem

A est, conversationem vitio duplicitatis, simulationis aut calliditatis nequaquam admittas.

Si duxerit vir uxorem, id est, animam alicujus regendam acceperit, vel congregationi alicui præferatur, et postea ex motu aversionis ac displicentiæ quærat eam relinquere, imponens illi quemcumque gravem excessum, aut errorem in fide, et Deus pater ac mater Ecclesia oppositum hujus monstraverint, ipse debitis subjacebit suppliciis. Quod si anima aut congregatio sibi
B commissa, in culpa exstiterit, lapidibus obruetur, id est, acriter corripietur ac disciplinabitur. Contra hæc agunt, qui ecclesias aut parochias sibi commissas faciliter deserunt et aliis committunt; peccantque gravissime, qui insufficientes instituunt sive substituunt, aut commutant cum talibus. *Si dormierit vir cum uxore alterius,* id est, si quis sponsam Christi corporaliter, spiritualiterve polluerit: ambo peribunt, et maxime ipse, nisi condigne pœniteant. *Si puellam virginem despon-*
C *saverit vir,* id est, Christus aut ejus vicarius sibi caritative univerit animam virtuosam aut congregationem devotam, et alius cum illa coierit, id est, deceperit atque subverterit illam in civitate, utpote in militanti Ecclesia, et ipsa sic desponsata, non clamaverit Dominum invocando, resistendo, dissentiendo, atque ad suum superiorem confugiendo; ambo pariter damnabuntur. Porro, si in agro hoc fecerit aliquis, id est seorsum nullo sciente, et importune omnino, ipse peribit, quia ex habitu vitioso et
D deliberatione pertinaci peccavit. Illa vero miseratione digna videtur, et gratiose reducetur a Spiritu Sancto. Omnis itaque spiritualis fornicatio et aliorum infectio, prohibentur his verbis.

Digitized by Google

ARTICULUS XXV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI TERTII : NON INTRABIT EUNUCHUS, ETC.

QUALITER alienigenæ fuerint ad Judæorum civilitatem, societatem, aut religionem admittendi, vel non admittendi, nunc edocetur. *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis, et abscisso veretro,* id est membro virili, *ecclesiam Domini.* Per ecclesiam Domini, quidam intelligunt atrium templi aut tabernaculi, in quod intrabant mundi, et orabant ac offerebant in eo. Alii, præsertim Hebræi, per ecclesiam Domini, intelligunt communionem connubii, seu societatem matrimonialem cum filiis filiabusque Israel, sicque in se et in sobole sua fieri de populo Dei ; sed hoc non videtur oportuisse prohiberi eunuchis, qui cum nulla possunt persona contrahere. Quidam per ecclesiam Domini, intelligunt civilitatem Israelitici populi Deum colentis : quæ civilitas quibusdam perpetue negabatur, quibusdam ad tempus. Porro bonum rei publicæ, tempore tranquillitatis in tribus consistit ac custoditur. Primo, per honesta connubia, ex quibus melior soboles communiter generatur : et juxta hoc procedit secunda expositio jam prætacta. Secundo, per hoc quod personæ indignæ a divinis excluduntur : et juxta hoc procedit expositio prima. Tertio, per hoc quod viri alieni ac perfidi non admittuntur ad regimen plebis, plenamque participationem civilitatis: juxta quod expositio tertia est procedens. *Non ingredietur manzer, hoc est de scorto,* id est meretrice, *natus, in ecclesiam Domini,* secundum triplicem expositionem inductam, *usque ad decimam generationem* exclusive. Circa hoc Magister in historiis ait : Forte, quia solum manzerem nominavit, non excludebatur ab ecclesia Dei spurius, id est natus de concubina, qui

A pro spurcitia incontinentiæ dicitur spurius, vel nothus, id est de adultera natus, quum tamen putetur esse legitimus. Manzer non copulabatur filiabus, nec legitimus filius ejus, nec nepos usque ad decimum successorem, qui poterat intrare ecclesiam Dei, quoniam penitus erat exstincta opprobrii antiqui memoria. Nunc autem in Ecclesia Christi, non solum manzeres, sed et spurii a sacris excluduntur Ordinibus.

Ammonites et Moabites, id est nati ex Ammon et Moab filiis Lot, *non intrabunt*
B *in ecclesiam Domini in æternum,* nisi aliquo speciali virtutis privilegio mereantur oppositum, *quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via,* id est in solitudine juxta terram ipsorum. Contra hoc objici potest, quia ut jamdudum tactum est, Moabitæ portaverunt populo Israel alimenta venalia in confinio terræ suæ. (*Deut.* II, 28, 29.) Ad hoc secundum Lyram respondent Hebræi, quod viri ex Moab non fecerunt hoc, sed in urbibus suis manserunt armati ad custodiam sui regni. Mulieres vero ex Moab
C portabant cibaria illa : propter quod viri Moabitæ repulsi sunt a matrimonio Israelis, non mulieres : unde Ruth nupta est Booz (*Ruth* IV, 13.) Hebræo. In Scholastica vero historia dicitur, quod occurrerunt filiis Israel cum pane tantum, et non cum aqua, quum tamen scirent filios Israel siti in eremo laborare. Cui concordat Glossa : Tradunt, inquiens, Hebræi, quod hæ gentes invicem propinquæ, exeuntibus sibi de Ægypto occurrebant cum pane tantum, etc. Hæc concordando, dici potest, quod quidam Hebræi
D dicunt illud, alii istud. *Et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor,* ut Numerorum liber habet, *ut malediceret* (*Num.* XXII, 5, 6.) *tibi,* dando consilium contra te, et impre-

Digitized by Google

cando tibi mala, exsecrandoque te; *et noluit Dominus audire Balaam,* id est, pravam ipsius voluntatem compescuit, et ejus propositum impedivit, *vertitque maledictionem ejus,* quam mente concepit, *in benedictionem tuam, eo quod diligeret te:* quoniam subito immutavit Dominus Deus cor Balaam, ita quod mutato proposito, in verba benedictionis prorupit; tandem tamen dedit iniquum consilium ad deceptionem atque interitum plurimorum. Sic Moabitæ et Ammonitæ videntur gravius peccasse in filios Israel, quam Idumæi sive Ægyptii, quoniam nequius contra ipsos egerunt, et spiritualiter persecuti sunt ipsos, inducendo eos ex consilio Balaam ad fornicationes, adulteria, esumque idolothytorum et adorationem idolorum suorum. Ægyptii vero corporaliter tantum persecuti sunt filios Israel; quibus et Idumæi manu occurrerunt armata.

Num. xxiii, 8. *Ibid.* xxxi, 16.

Non facies cum eis pacem, id est civilitatis concordiam aut conjugalem quietem; *nec quæres eis bona,* id est prosperitatem tecum in eadem republica, *cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Non tamen erant simpliciter odiendi: nam et David sanctus parentes suos commisit regi Ammon*, ut primo Regum habetur; nec a cultu veri Dei abjiciendi, nec affectu pacis pectoris spoliandi. Quamvis enim justo Dei hominumque judicio, interdum posteri propter suorum excessus parentum in bonis corporalibus puniantur, quia secundum corpus a parentibus descenderunt, nunquam tamen in spiritualibus bonis.

* Moab. I *Reg.* xxii, 3, 4.

Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, id est, Idumæos natos ex Esau fratre Jacob, non ita aspernaberis sicut Moabitas ac Ammonitas, quia de duobus fratribus uterinis geniti estis. Non autem est aliquis abominandus, quantum ad bona quæ habet a Deo, sed quantum ad mala quæ habet ex se ipso, vel ex propagatione carnalis originis inficiatæ*. *Nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus,* in te, vel in lumbis patrum tuorum, qui habitaverunt in terra ejus, puta Ægyptiorum, et ita consecuti estis aliqua bona ex ipsis Ægyptiis. *Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini,* puta in atrium templi, connubium Israelis et civilitatem ipsius, quando petierint hoc. De ceteris gentibus non exprimitur hic regula specialis, sed juxta probitatem eorum, postquam conversi fuerint ad Judaismum, fieri potuit post certam inde experimentalem probationem.

* infectæ

Circa hæc scribit Thomas in prima secundæ, quæstione 105: Triplex offerebatur Judæis occasio, ut cum extraneis pacifice communicarent. Primo, quando extranei per terram eorum transitum faciebant ut peregrini; secundo, quando in terram eorum veniebant ad habitandum ut advenæ: et quantum ad utrumque horum, lex dedit pia præcepta. Nam in Exodo dicitur: Advenam non contristabis; et, Peregrino molestus non eris. Tertio, quando aliqui extranei in eorum ritum atque consortium omnino admitti volebant: et in his ordo attendebatur. Non enim statim recipiebantur quasi cives, sicut et apud quosdam gentilium fuit statutum, ut non reputarentur cives, nisi qui ex avo vel atavo cives exsisterent, ut ait Philosophus in Politicis: quoniam si extranei advenientes, statim reciperentur ad tractandum ea quæ sunt populi, possent pericula multa contingere, dum extranei nondum habentes firmatum amorem ad bonum commune, attentarent aliqua contra populum. Idcirco lex statuit, ut de quibusdam gentibus habentibus aliquam affinitatem ad Judæos, scilicet de Ægyptiis, inter quos fuerant nati et educati, et de Idumæis filiis Esau fratris Jacob, in tertia generatione reciperentur in consortium populi; quidam vero, quia hostiliter se habuerunt ad eos, ut Ammonitæ et Moabitæ, nunquam in consortium populi admitterentur; Amalecitæ vero, qui magis eis fuerant adversati, quasi hostes perpetui haberentur. — Itaque lex nullam gentem exclusit a cultu Dei, et ab his quæ pertinent ad salutem. Dicitur enim in Exodo: Si quis extraneorum in vestram

Exod. xxii, 21; xxiii, 9. *Gen.* xlvii, 27. *Exod.* i, 7. *Gen.* xxxvi, 8, 9. *Num.* xxi, 23; xxii, 6. *Exod.* xvii, 8, 16. *Ibid.* xii, 48.

Digitized by Google

voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur primo omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Sed in temporalibus, quantum ad ea quæ pertinebant ad communitatem populi, non statim quilibet admittebatur ratione prætacta, sed quidam in tertia generatione, alii nunquam, in detestationem præteritæ culpæ. Sicut enim punitur unus homo propter peccatum quod commisit, ut alii videntes timeant et peccare desistant, sic propter aliquod peccatum gens vel civitas potest puniri, ut alii a simili peccato abstineant. Poterat tamen dispensative aliquis in collegium populi Dei admitti propter aliquem actum virtutis, quemadmodum in libro Judith dicitur *Judith* XIV, 6. quod Achior dux filiorum Ammon, appositus est ad populum Israel, et omnis suc- *Ruth* I, 16. cessio ejus. Similiter Ruth Moabitis, quæ mulier erat virtutis. Licet posset dici, quod prohibitio illa extendebatur ad viros, non ad mulieres, quibus non competit simpliciter esse cives. — Præterea, secundum Philosophum in libro Politicorum, dupliciter dicitur aliquis esse civis : uno modo simpliciter, alio modo secundum quid. Simpliciter civis est, qui potest agere quæ civium sunt, utpote dare consilium, vel exercere in plebe judicium. Secundum quid autem dicitur civis, quicumque civitatem inhabitans, etiam viles personæ et pueri, ac senes decrepiti, qui non sunt idonei habere potestatem in his quæ pertinent ad bonum commune. Ideo spurii propter vilitatem originis excludebantur ab ecclesia Dei, id est a collegio fidelis populi usque ad decimam generationem ; similiter eunuchi, quibus non potest competere honor qui patribus debebatur, et præcipue in populo Judæorum, in quo Dei cultus conservabatur per carnis generationem. Nam et apud gentiles hi qui multos filios genuerunt, aliquo insigni donabantur honore, ut in secundo Politicorum habetur. Tamen quantum ad ea quæ ad Dei gratiam pertinent, eunuchi ab aliis non separabantur, sicut nec advenæ. Dicitur namque per

A Isaiam : Non dicat filius advenæ qui adhæ- *Is.* LVI, 3. ret Domino, Separatione me dividet Dominus a populo suo ; et non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum. Hæc Thomas.

Quando egressus fueris, o popule Israel, *adversus hostes tuos in pugnam,* id est bello imminente, *custodies te ab omni re mala,* id est ab omni culpa : quia tunc tanto diligentius est vitanda Dei offensio, quanto tunc magis necessaria est ejus subventio, quoniam ipse victoriam donat, et juxta merita atque demerita hominum dispensat B eventus bellorum, sicut et Salomon loquitur : Equus paratur ad diem belli, Dominus *Prov.* XXI, 31. autem salutem tribuit. Et alibi ait Scriptu- I *Mach.* III, 19. ra : De cœlo est victoria.

Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, hoc est pollutionem seu fragilitatem passus in somno : quod variis modis potest contingere, utpote ex crapula præcedenti, ex turpi imaginatione, contactu, osculo, amplexu, aut simili vitio in vigilia habitis, ex superfluitate naturæ, et dæmonum illusione, ex debilitate et exi- C nanitione naturæ ipsius, aut naturali somniatione. Verumtamen in somno, quando jam ligatum est rationis judicium, et impeditus usus ipsius, non peccat homo, nec pollutione spirituali, sed corporali pollui potest ; attamen sæpe contingit illa somnialis pollutio præcedentis culpæ demerito, sicque detestabilis redditur, in quantum causa ejus voluntarie ac culpabiliter est admissa. Rursus, si post evigilationem complaceat talis illusio in somno præhabita, propter delectationem quæ fuit in som- D no pollutioni admixta, valde culpabile est. *Egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam lavetur aqua, et post solis occasum regredietur in castra.* In præcedentium expositione librorum inductum est, qualiter triplicia erant castra in populo Dei, videlicet castra Deitatis, quæ erant tabernaculum et atrium ; castra sacerdotum, quæ erant ædes et mansiones, in quibus per circuitum tabernaculi morabantur Levitæ. Pollutus autem in somno, nec atrium tabernaculi, nec tabernacula

Digitized by Google

Levitarum poterat ingredi, sed propria castra, sicut de hoc dictum est plenius in
Num. v, 2. Lev. xv, 2. Numerorum et Levitici libris ac aliis locis. Augustinus quoque hic ait : Multa ponit lex in sacramentis et umbris futurorum. Sicque post effusionem seminis factam in somno, lex jubet purgationem fieri per aquæ lotionem, videlicet aquæ lustrationis adspersionem, non quod in somnis peccatum sit, sed propter significationem quæ alibi sæpe expressa est.

Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum balteo. Quumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies quo relevatus es. Hic præcipitur ut ad secessum ituri, exirent etiam castra populi, et egesta humo operirent in loco effosso, ne aliis nauseam facerent, et aer inficeretur fœtore, quia tunc in solitudine commanebant. Nempe, ut loquitur Glossa, etiam corporalem munditiam diligit Deus, ideo jussit nihil fœdum remanere in castris. De hujus præcepti causis multa scribit Parisiensis libro de Fide et legibus, quæ tamen virtualiter tactæ sunt, et infra in textu tangitur inde. Tunc enim frequenter manebant diu in loco eodem : quod facere non potuisset tanta multitudo, nisi eis ab egestorum caveretur fœtore. Fuit et alia causa, videlicet reverentia præsentiæ majestatis divinæ. Unde subjungitur : *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos,* id est, gratiose adest, graditurque vobiscum : non quod ipse localis mobilisve consistat, sed ratione sui effectus, et per similitudinem operis sibi talia adscribuntur, quia progredientibus ubilibet adfuit, atque in bonorum cordibus morabatur. Specialiter quoque dicitur istud, quoniam tabernaculum Dei fuit in medio populi, et in tabernaculo illo Dominus specialiter habitavit, operando, apparendo, et exaudiendo ibidem apertius. Hinc secundo
II Reg. vii, 6. Regum Dominus ait : Ambulavi in tabernaculo et in tentorio, per cuncta loca quæ transivi cum omnibus filiis Israel. *Ut sint*
A *castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.*

Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit. Hoc, secundum Thomam et alios multos, intelligitur de servo quem dominus suus quærit ad occidendum, mutilandum, vel ad perpetrandum flagitium aliquod, et præsertim dum servus est innocens. *Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet,* ut in loco munito securus sit, quousque dominus ejus mitescat, et clementer
B ipsum recipere velit; tuncque reddendus est domino, quum sit ejus possessio. *Ne contristes eum,* quia afflicto non est addenda afflictio. Porro circa hoc loquitur Augustinus : Quomodo istud poterit verificari, nisi intelligamus hæc juberi non uni personæ, sed plebi, ita quod Deus prohibuit confugientem servum ex aliena gente ad populum Israel, reddi domino suo alienigenæ ab Israelitico rege ? Et ista expositio aptior esse videtur, si littera debite inspiciatur.

C *Non erit meretrix de filiabus Israel,* id est, nulla filiarum Israel corpus suum habebit venale, et publicæ libidini expositum, imo nec alicui illegitimæ copulæ carnis ; *neque scortator de filiis Israel :* quia tam fœda atque enormia vitia, singulariter indecentia et illicita sunt populo verum Deum colenti. Itaque secundum Augustinum, per verba hæc omnis illegitimus coitus, etiam simplex fornicatio, prohibetur. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Dei tui, quidquid illud*
D *est quod voveris,* id est, nullum votum persolves de mercede prostibuli, aut pretio canis. Quamvis enim meretrix peccet, se pro mercede prostituendo, non tamen peccat illam accipiendo, nec ad restitutionem tenetur. Ecclesia vero despicit tale pretium sibi offerri, ne videatur turpitudini consentire, et propter vilitatem ac fœditatem hujusmodi lucri. Nam et ab omni specie mali præcavet sibi. Porro, quod dictum est, ut pretium canis non offeratur, Augustinus et eum sequentes exponunt de pri-

Digitized by Google

mogenitis canum, quæ non poterant redimi A neque offerri : ideo pretium pro ipsorum redemptione non offerebatur. Josephus vero exponit de venaticiis canibus, vel qui custodiunt oves, quos quidam Judæi locabant ad imprægnationem canicularum : et tale pretium, tamque vile et turpe lucrum prohibuit Dominus sibi offerri.

Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni B *opere tuo, in terra ad quam ingredieris possidendam.* Hic permittitur usura Judæis circa extraneos, et prohibetur eis circa propriam plebem. Unde in prima secundæ, quæstione 105, loquitur Thomas : Accipere usuras ab extraneis, non erat secundum intentionem legis, sed ex quadam permissione, propter pronitatem Judæorum ad avaritiam, utpote ad vitandum gravius malum, ne homines suæ cognationis ac legis per usuras gravarent, atque ut magis pacifice ad extraneos se haberent, a quibus C lucrabantur. Fuit ergo permissio mali minoris, propter vitationem mali majoris. De hoc sic scribit Guillelmus libro de Fide et legibus : Sunt quædam in lege permissa, nullo modo præcepta : permissa, inquam, hoc est lege non punita, sicut exactio usurarum ab alienis ; quæ permissa sunt, ut majora mala declinarentur. Sciebat namque legislator, hanc esse Judæorum cupiditatem et avaritiam, ut nec fratribus suis, id est Hebræis, parcerent ab usuris, nisi alienis ad usuram dare permitterentur. Usu- D ra namque in se mala est, evidensque rapina. Fecit ergo legislator per hujusmodi permissionem, quod in tali populo fieri potuit, ut scilicet per minoris mali permissionem, a majoribus malis averterentur. Hæc Guillelmus. Istud ergo fuit permissio, sicut libellus repudii : quorum nullum sine peccato fiebat. Denique de ista materia scribit prolixe Henricus de Hassia libro suo de Contractibus, inter cetera dicens, quod Judæi modo plus peccent, concedendo Christianis ad usuram, quam olim peccassent concedendo ad usuram fratribus suis, quoniam Christiani sunt veri Israelitæ. Leges demum civiles permittunt usuram, non tanquam licitam, sed propter communem hominum utilitatem. Est autem usura (secundum Philosophum) maxime contra naturam et rationem.

Quum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore locutus es. Itaque tempore opportuno votum solves citius quo potueris, nisi in vovendo tempus certum exprimatur, quo quod promittitur, impleatur. Istud præhabitum est atque expositum. *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum. Si intraveris segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres, falce autem non metes.* Istud quoque frequenter expositum est.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI VICESIMI TERTII INTELLIGENTIA.

NON *intrabit eunuchus.* Per eunuchum hoc loco intelligitur homo infructuosus, vitiis inveteratus, ita quod quasi vim bene agendi amisisse videtur, de illorum exsistens catalogo, quibus dicitur per Je-
Jer. XIII, 23. remiam : Si potest Æthiops mutare pellem suam, et pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere quum didiceritis ma-
Matth. XII, 34. lum. Qualibus loquitur et Salvator : Hypocritæ, quomodo poteritis bona loqui quum sitis mali ? Qui talis est, militantem non intrat Ecclesiam per Dei gratiam gratum facientem et caritatem, nec Ecclesiam triumphantem per gloriæ adeptionem, nec
Ephes. II, 19. est civis Sanctorum et domesticus Dei, sed minister ac putridum membrum diaboli. *Non ingredietur manzer,* hoc est, qui de scorto natus est, id est degener moribus, qui a sanctorum patrum virtuosa nobilitate degenerat, et educatus est vitiis, perfidisque doctrinis, ex hæresiarcha aut seductore et malignorum ecclesia ad tale esse deductus, *in ecclesiam* prædestinatorum, in Ecclesiam Dei, *usque ad decimam generationem,* id est, quousque per decem præceptorum custodiam Deo reconcilietur.

Ammonites et Moabites non intrabunt ecclesiam Domini in æternum. Per Ammonitas et Moabitas intelliguntur schisma-
Joann. VIII, 44. tici atque hæretici, ex patre diabolo nati, invicemque concordes in malis ad persequendum justos vere catholicos : quos per se ipsos et per versutos persuasores ad errores et vitia, imo et ad temporales adversitates et clades trahere moliuntur, et pœnitentibus, qui de Ægypto, id est de tenebris mundi, egrediuntur, non volunt
Eccli. XV, 3. occurrere cum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris, quia non quærunt eos spiritualiter reficere, sed magis infi-
A cere, suis eos erroribus involvendo. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est,* id est hominem carnalem carnalibus vitiis irretitum : quæ vitia (loquendo in genere) sunt spiritualibus vitiis leviora, propter quod tales quandoque convertuntur facilius. Porro qui spiritualis est, recolat quoque se quandoque carnalem fuisse: sicque non solum communi natura, sed et similitudine culpæ dici posse fratrem viri carnalis. Docemur quoque hoc verbo, ut ceteris paribus, simus magis caritativi, spi-
B ritualiterque benefici circa cognatos ; nec eos, quamvis adhuc mundanos, abominemur : imo corde, ore et opere ipsorum conversionem conemur. *Nec Ægyptium,* id est homines huic sæculo adhuc intentos, inter quos et tu aliquando es conversatus, et socius fuisti eorum in malis. Non ergo prorsus abhorreas eos indiscreto amaritudinis zelo, sed communis infirmitatis te tangat memoria, ut labores eos habere in virtutibus socios. *Qui nati fuerint ex eis tertia generatione,* id est, per contri-
C tionem, confessionem et satisfactionem, atque in fide superbenedictæ Trinitatis, incorporabuntur Christo, et sanctæ Ecclesiæ.

Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. Sic religiosi et omnes vere conversi ad Dominum, qui exierunt de lacu miseriæ, *Ps.* XXXIX, 3.
lutoque fæcis, et pristina conversatione iniqua, quibus juge bellum est contra hostes suæ salutis, indesinenter custodire se debent ab omni culpa, ut mereantur juvari a
D Deo, nec expugnentur. *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio,* id est, vanis somniis credidit, et imaginationibus stultis consensit, aut de oblectatione

Digitized by Google

in somno habita, postea vigilans est gavisus, *egredietur extra castra,* id est, bonorum sapientiumque consortio reputet se indignum, nec revertatur mente ad annumerandum se inter ipsos, nisi per pœnitentiam et lacrimas emundatus, *post solis occasum,* id est, postquam lumen rationis a sua incauta credulitate et gloriatione dejecerit se, considerando humiliter propriam defectuositatem. *Habebis locum extra castra.* Venter spiritualis est cor, qui quotidie repletur atque gravatur cogitationibus superfluis et immundis, affectionibus vanis, tanquam stercoribus et urinis, quæ assidue ejicienda sunt, transeundo ad locum secretum extra aliorum adspectum, ubi homo se ipsum consideret, discutiat, et sua coram Deo peccata confiteatur ac defleat : sicque operiat ea humo, id est propriæ fragilitatis humili confessione, in sanctæ humilitatis profundo, intra se fodere debet, pensando universa et singula, ex quibus inducitur homo ad præcordialem ac plenam sui ipsius humiliationem. *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum,* id est inter vere catholicos, ut inimicos humanæ salutis subjiciat illis. Idcirco castra nostra, id est corda atque ecclesiæ, sancta sint, ita ut in præsentia et adspectu Omnipotentis jugiter simus sinceri, custoditi, virtuoseque occupati.

Non trades servum domino suo, qui servus *ad te confugerit :* id est, si aliquis dominatione diaboli pressus, jugum impietatis evadere cupiens, te pro consilio auxilioque accesserit, condole ei, et salubriter eum informa, ac detine in virtutum structura, nec aliquo modo augeas tentationem ipsius, nec eum facias pusillanimem, vel ad pristina vitia redeuntem, nec per immoderatam increpationem ipsum contristes, sed consolare ac refove. *Non erit meretrix de filiabus Israel, neque scortator de filiis Israel.* Quemadmodum litteraliter hoc jussum est filiis filiabusque Israel, ut scilicet dignitatem et vocationem suam pensantes, nequaquam tam vilibus se fœdent inquinamentis, multo plus universis Christianis committitur istud, quoniam ipsi sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : quibus ait Apostolus, Templum Dei sanctum est, quod estis vos ; ne ipsis juste dicatur, Homo quum in honore esset, non intellexit. Et, Computruerunt jumenta in stercore suo. Fornicatores etenim et adulteros judicabit Deus. Et, Neque immundi, neque molles, neque fornicatores regnum Dei possidebunt. Specialiter vero per filios et filias Israel, intelliguntur spirituales ac religiosæ utriusque sexus personæ, quas ab omni incontinentiæ vitio oportet summe cavere. Universi quoque fideles ab omni fornicatione corporali ac spirituali seu aversione mentis a Deo, et consensu illicito debent penitus abstinere, quia ad hoc incarnatus est Filius Dei, ut in sanctitate et justitia coram Altissimo deifice conversemur. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Dei tui :* id est, ab omni specie mala in ecclesia abstine, motusque impatientiæ et iræ caninos repelle. Merces domum prostibuli, est favor ab aliquo consecutus de aliorum seductione, constuprationeque animarum : quo favore Deus non honoratur, sed dire offenditur. Porro quæ sequuntur de accommodatione ad usuram, de voti impletione, de refectione in alterius vinea aut segete, jam supra spiritualiter exstant exposita.

I Petr. II, 9. I Cor. III, 17. Ps. XLVIII, 13. Joel I, 17. Hebr. XIII, 4. I Cor. VI, 9, 10. Luc. I, 75. I Thess. V, 22.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI QUARTI : SI ACCEPERIT HOMO UXOREM.

Capitulum præsens docet, qualiter vir habere se debeat ad conjugem suam, aliasque personas. *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam* ad usum conjugii, *et non invenerit* mulier *gratiam ante oculos ejus,* videlicet viri, ita quod displicuerit viro displicentia tanta, quæ odium pariat, ac mutuam impediat conversationem pacificam, *propter aliquam fœditatem* exsistentem in muliere. Per fœditatem quidam intelligunt deformitatem, monstruositatem aut infirmitatem, quæ sunt corporales fœditates, vel etiam fœditatem in anima, utpote tortuositatem in moribus, melancholiamve capitis. *Scribet libellum repudii.* Mirum si pro quacumque fœditate prætacta permiserit Moyses, imo Deus per Moysen, fieri divortium. Hinc quidam per fœditatem intelligunt de fœditate multum notabili supervenienti ipsi conjugio, et quæ bonum prolis tollat sive impediat, sicut sterilitas, lepra, morbus caducus in corpore, vel scandalosa immorigeratio animæ, ita quod ex ea filii assuescerent malis.

Porro, in Hebræo pro Fœditate habetur, Rem turpem, seu turpitudinem, et satis redit in idem. Attamen Rabbi Paulus dicit hoc loco haberi, Turpitudinem, sub eadem significatione, qua et in Levitico, ubi de incestuosis et adulterinis coitibus agitur : [Lev. xviii, 6-18.] ex quo patet, quod nullo modo licebat repudiare uxorem, nisi propter hujusmodi turpitudinem, quæ fornicationem includit. Talmudici vero, id est Judæi qui librum Talmud suscipiunt ac sequuntur, qui pharisaicam doctrinam sectantes, frequenter irritabant mandata Dei, propter traditiones [Matth. xv, 3.] suas, ut ait Christus per Matthæum, in tantum deviaverunt a veritate hoc loco, quod dixerunt virum pro suo libito posse repudiare uxorem : et talis usus, vel potius perniciosus abusus, usque in præsens inter eos inolevit. Hæc Rabbi Paulus. Huic autem dicto Rabbi Pauli obviare videtur, quod asserit Augustinus et habetur in Glossa : In lege multæ erant causæ dimittendi uxorem. Christus solam fornicationem excepit, id est, propter solam fornicationem repudium licere perhibuit ; ceteras causas jussit pro fide et castitate conjugii sustineri. Insuper scriptum est in Malachia, Quum odio habueris, dimitte eam. [Malach. ii, 16.] Aliqui quoque expositores hic dicunt, quod in veteri lege plures erant causæ dimittendi uxorem. Denique Thomas super quartum Sententiarum testatur : Proxima causa repudii fuit evitatio uxoricidii ; sed remota causa fuit odium, ex quo uxoricidium solet causari. Tale autem odium poterat non nasci solum ex fœditate seu turpitudine fornicationis. Verumtamen Dominus et Salvator edocuit, quod nulla causarum illarum erat justa et rationabilis ad dimittendum uxorem, nisi fornicatio, id est adulterium conjugis ; aliæ autem permittebantur. Amplius, propter adulterium fuerat mulier secundum legem lapidanda, sed propter fœditatem aut turpitudinem, de qua nunc loquitur textus iste, non lapidabatur ; imo permittebatur abire, et alium virum accipere : idcirco de illa turpitudine non est hic mentio, sed de alia, quæ etiam non reddidit mulierem inhabilem ad aliud matrimonium contrahendum.

Itaque vir scribet libellum repudii, hoc est, in membrana descripsit, aut describi fecit quod eam dimitteret, *et dabit* libellum illum *in manu illius,* utpote mulieris, *et dimittet eam de domo sua.* Verumtamen coram sacerdote hæc agebantur. Unde de

Digitized by Google

ordine quo hæc fiebant, Magister in historiis recitat : Vir apud quem uxor sua non inveniebat gratiam, propter aliquam fœditatem quæ multimode proveniebat, scripsit quod nunquam conveniret cum ea, et causam ob quam displicuit ei mulier, ne conveniret ; tradiditque libellum, in quo scripta erant hæc, mulieri, ut coram sacerdotibus legerentur. Quumque jurasset vir verum esse quod scripserat, licuit utrisque alii copulari. Hæc ibi, quæ ex Josepho sumpta censentur. Nempe secundum Josephum ista erat forma libelli repudii : Promitto tibi quod nunquam tecum conveniam. Verumtamen aliqui dicunt, quod in libello non scribebatur causa repudii. Nam causa illa fuit quandoque occulta, et soli marito nota, videlicet fornicatio latens, quæ non videtur publicanda fuisse, quia nec probari valebat. In textu quoque habetur, quod libellus iste dandus erat in manu mulieris repudiatæ : ideo non apparet, quod in eo aliquid diffamativum mulieris continebatur, imo in favorem mulieris videtur hoc jussum, ut possit alteri nubere, et ne vir posset eam revocare invitam : quia si viri hoc possent, essent a principio conjugii valde proni ad repudiandum uxores. Sed his obstat, quia communiter dicitur quod libellus repudii est scriptura continens causam divortii. Pro horum concordia dici potest, quod Thomas super quartum Sententiarum affirmat : Causæ, inquiens, repudii scribebantur in libello in generali, non in speciali, quia non scribebantur ut ostenderent repudium esse licitum, sed ut liceret mulieri alium ducere virum, propter quod ei libellus tradebatur, secundum Josephum. Tamen secundum Augustinum libellus repudii scribebatur, quatenus intervenientibus mora scribendi, consilioque scribarum aut sacerdotum, maritus a proposito repudiandi desisteret.

Quumque egressa mulier repudiata, *alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii* juxta formam præhabitam, *et dimiserit* eam *de domo sua, vel certe mortuus fuerit,*
A illa repudiata, *non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.* Quum enim sit bis repudiata, et a duobus maritis, verisimile est eam esse odibilem atque repudio dignam : ideo potuisset prior ille maritus facili occasione contra eam accendi et ipsam perimere. Vel fuit polluta, quia alterum virum duxit, non sine peccato, quamvis erat permissum. Unde, ut dicunt expositores, circa libellum repudii duo erant permissa, videlicet uxo-
B rem dimittere, et dimissam accipere alium virum ; et duo præcepta, videlicet ipsum libellum scribere, et repudiantem virum non posse accipere quam semel repudiavit modo prætacto. Hæc itaque imple, *ne peccare facias terram, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam,* id est, ne tu ipse in terra habitans, pecces contra ista agendo, vel alios ad peccandum inducas.

Circa hæc quæritur, an et qualiter repudiatio uxoris licita fuit in lege. Hæc
C quæstio super quartum Sententiarum tractatur, et pro utraque parte multipliciter argumentatur, et nimis prolixum esset hic talia introducere, ac movere. Unde ad intelligendum plenarie hujus veritatem quæsiti, oporteret scire qualiter inseparabilitas matrimonii sit de lege naturæ, videlicet an pertineat ad prima naturalis legis præcepta, an ad secunda. Breviter autem tangendo, secundum quod refert S. Thomas super quartum : Quidam dicunt quod qui in lege Moysis dederunt libellum repudii,
D excusabantur a pœna secundum legem infligenda, non autem a culpa, ita quod Moyses permisit libellum repudii, sicut usuram circa extraneos, ad vitandum gravius malum, videlicet uxoricidium. Alii dicunt, quod libellus repudii, et aliam ducere conjugem, repudiatam quoque maritum alium accipere, licita erant, et sine culpa ex dispensatione divina : alias viderentur Judæi a Deo relicti, et a salute exclusi, utpote non sufficienter instructi de necessariis ad salutem, quia nec Moyses, nec aliquis Pro-

Digitized by Google

phetarum ista prohibuit, aut illicita esse A edocuit. Et quamvis hoc probabiliter dicitur, primum tamen communius tenetur. Hæc Thomas.

Porro Lyra hoc loco et super Matthæum primam tenet opinionem, præsertim quum dicat Salvator, quod Moyses permisit dare
Matth. XIX, 8. libellum repudii ad duritiam cordis Judæorum : quæ autem sic permittuntur ex permissione, non fiunt licita, sed ad vitandum mala pejora fieri permittuntur, quemadmodum in præcedentis capituli expositione
Deut. XXIII, 19, 20. dictum est de usura, quæ nunquam licita B fuit, quum sit naturali rationi et legi naturæ contraria. Propter quod Propheta virum
Ps. XIV, 5. justum describens, inter cetera dicit : Qui pecuniam suam non dedit ad usuram : quod absolute atque simpliciter dicit, nullum excipiendo. Unde in libro Machtoc apud Judæos authentico, glossa dicit super verbum præallegatum : Pecuniam suam non dedit ad usuram, *etiam gentili*. Quamvis autem libellus repudii non ostenditur esse illicitus per aliquod verbum legis aut Prophetarum, tamen per communem justo- C rum observantiam ostensum est hoc, quia consuetudo est optima legis interpres, et dicitur consuetudo bonus usus, non autem abusus. Nullus vero eorum qui commendantur in Scriptura, legitur repudiasse uxorem, nisi de mandato Dei aut instinctu divino, sicut Abraham de mandato Dei dimisit Agar, quoniam Dominus potest matrimonia conjungere atque dissolvere, prout sibi placet. Porro in casu fornicationis licita fuit repudiatio conjugis, saltem quantum ad torum, ut omnes concorditer dicunt, quan- D quam aliqui dicant, quod etiam in aliis casibus licita fuit ex dispensatione divina, quemadmodum ex dispensatione Dei licuit plures habere uxores, quum tamen unitas uxoris sit de dictamine naturæ, sicut inseparabilitas. Sed non est simile de utroque, quia unitas uxoris fuit intermissa in lege propter majus bonum, videlicet ob prolis multiplicationem ad Dei obsequium ; sed malum permittere propter majus malum vitandum, non facit illud licitum. Hæc Lyra.

Verum contra hæc scribit Rabbi Paulus, et secundam opinionem, quæ scilicet ponit libellum repudii licitum fuisse, et sine culpa ex dispensatione divina, dicit magis consonam rationi ac litteræ : ad quod rationes quasdam adducit jam tactas, videlicet quod nunquam per legem aut Prophetas ostensum est, Judæis libellum illum esse illicitum : si autem aliqua ad salutem necessaria nunquam eis nuntiata fuissent, excusabiles exstitissent. Deinde dicit et probat, quod inseparabilitas matrimonii non sit de lege naturæ. Nam ea quæ sunt de lege naturæ, traduntur plene in lege ac Evangelio ; sed repudiationem uxoris fuisse illicitam, nec in lege, neque in Evangelio traditur, sed magis oppositum. Christus namque in Evangelio ait : Quicumque di- *Matth.* V, 32.
miserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : ex quo plane intelligitur a contrario sensu, quod qui dimiserit uxorem suam ex causa fornicationis, et aliam duxerit, non mœchatur. Item quod Deus in lege sua, non solum expresse mandat fieri, sed etiam dat modum et formam qualiter fieri debeat, non est intelligendum concessum fuisse per modum permissionis alicujus illiciti, sed Deus dat formam repudiandi uxorem, dicens : Scribe libellum repudii. Præterea si repudium erat illicitum, adhuc mansit vinculum conjugale inter repudiatorem et repudiatam : inconvenienter ergo Deus permitteret, quod repudiata posset alteri nubere, quum primus maneret etiam post repudium verus ejus maritus. Chrysostomus quoque dicit : Legislator a peccato abstulit culpam, quando permisit repudium. Amplius, propter ineptitudinem Judæorum ad capiendum sublimia ac perfecta mandata, multa ad perfectionem pertinentia non præcipiebantur eis in lege, quæ tamen in Evangelio præcipiuntur. Unde in Matthæo ait Salvator : Audistis quia dictum *Ibid.* 21, 22.
est antiquis : Non occides. Ego autem dico vobis, quod omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Constat autem quod qui irascitur fratri suo, non est trans-

Digitized by Google

gressor hujus seu alicujus præcepti veteris Testamenti, sed novi. Hæc, multaque alia scribit Rabbi Paulus de ista materia.

Quocirca dico cum S. Thoma, quod utraque pars quæstionis istius satis probabiliter potest teneri ; et rursus, quod prima positio tenetur communius, quamvis secunda sit multum probabilis. Sed quidquid horum quis eligat, multa in his verbis Rabbi Pauli contenta sunt, quæ stare non possunt. Et primo valde incaute prolatum est, quod ait, ex his verbis Salvatoris, Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur, plane a contrario sensu intelligi, quod qui dimiserit uxorem suam ex causa fornicationis, et aliam duxerit, non mœchatur. Istud, inquam, nullatenus est tenendum, quum sit contra determinationem et doctrinam Ecclesiæ non errantis. Vinculum namque matrimoniale, præsertim in evangelica lege, est indissolubile durante conjugalium vita, quum et Apostolus dicat :
1 Cor. VII, 39. Mulier alligata est legi, hoc est vinculo connubii, ut omnes exponunt, quamdiu vivit vir ejus. Denique, secundum doctores concorditer super quartum Sententiarum, et idem dicunt juristæ, vir et mulier in causa divortii judicantur ad paria, ita quod sicut mulieri separatæ aut repudiatæ non licet alium ducere virum priore vivente, ita nec viro aliam sumere conjugem vivente priore. Hinc super quartum asserit Thomas : Nil superveniens matrimonio, potest ipsum dissolvere : idcirco propter adulterium non rumpitur vinculum conjugale, sed matrimonium verum manet. Unde secundum Augustinum, Inter viventes manet conjugale vinculum, quod nec separatio, neque cum alio junctio potest auferre : idcirco non licet uni, alio vivente, ad aliam transire copulam. Hinc super Matthæum scribit Hieronymus : Quia accidere poterat, ut aliquis vir calumniam faceret innocenti uxori, et ob secundam copulam nuptiarum, veteri, hoc est priori uxori, crimen impingeret, sic vir priorem jubetur dimittere uxorem, ut secundam prima vivente non habeat. Verumtamen quamvis venerabilis vir Rabbi Paulus, ita hoc loco errasse probetur, non tamen ex malitia aut pertinacia, neque intentione contradicendi Ecclesiæ arbitror eum sic deviasse ; sed quoniam præallegata Christi verba secundum superficialem eorum tenorem pensavit, nihil subintelligendo, nec præcedentia, nec subsequentia ea satis pensando. Nempe Paulus ille ex Judaismo conversus ad Christum, fuit vir fide et conversatione catholicus, ac venerandus antistes.

Porro verba Salvatoris inducta, subintellectum requirunt, ut sit sensus : Quicumque dimiserit uxorem, nisi propter fornicationem : supplendum est, peccat ; et aliam duxerit priore vivente, mœchatur. *Luc. XVI, 18.*
Et quod iste sit sensus, pandunt verba quæ Christus subjunxit : Et qui dimissam duxerit, priore scilicet viro superstite, mœchatur. *Ibidem.*
De utroque enim est eadem ratio, quia in hoc judicantur ad paria, et quoniam vinculum conjugii non potest viventibus conjugatis dissolvi, quod etiam constat ex verbis Domini quæ præmisit, Quos Deus conjunxit, homo non separet : quasi dicat, *Matth. XIX, 6.*
Conjugati tam inseparabiliter sunt connexi, quod humana nequeunt auctoritate disjungi.

Deinde, quod Rabbi Paulus affirmat, eum qui irascitur fratri suo non esse transgressorem alicujus præcepti veteris Testamenti, sed novi, non est idonee dictum : quoniam ira quæ in novo Testamento prohibetur, est unum de septem peccatis mortalibus, et semper fuit illicita, atque in lege et Prophetis frequenter prohibita, quum in Levitico scriptum sit : Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Lev. XIX, 18.*
Per quæ verba, ira evidenter vetatur, quum ipsa sit appetitus vindictæ, pariatque memoriam illatæ injuriæ. Hinc Joseph dixit fratribus suis : Ne irascamini in via. *Gen. XLV, 24.*
Salomon quoque : Ne sis, inquit, velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccle. VII, 10.*
Hinc in Job Eliphaz, legem naturæ sequens, disseruit : Virum stultum interficit iracundia. *Job V, 2.*

Digitized by Google

Insuper, quod Rabbi Paulus affirmat, inseparabilitatem matrimonii non esse de lege naturæ, est contra doctores communiter. Nam et super quartum Thomas sic ait: Matrimonium ad educationem prolis ordinatur, non solum ad certum tempus, sed per totam conjugalium vitam : idcirco de lege naturæ est, ut parentes filiis thesaurizent, et filii parentibus in hereditate succedant. Hinc societatem viri et conjugis indivisibilem esse oportet : sicque inseparabilitas ad matrimonium spectat de jure naturæ et naturalis rationis dictamine. Tamen separatio matrimonii non prohibetur evidenter, nisi in lege Christi, quoniam sola lex Christi ad perfectionem adducit, et ad naturæ integræ statum reducit. Hæc Thomas.

Postremo, quod Rabbi Paulus ait, nec in lege, nec in Prophetis repudiationem uxoris esse ostensam fore illicitam, nec alicubi in veteri Testamento esse ostensum, quod libellus repudii exsistat illicitus, diligentius est scrutandum; quia id et Thomas et Lyra, multique alii hoc loco videntur sentire : quorum omnium reverentia salva, dicendum quod in lege et Prophetis repudiatio ista docetur esse illicita, quoniam Malachias dicit populo Judæorum de Babylonica captivitate reverso : Operiebatis lacrimis altare Domini, fletu et gemitu. (*Malach.* II, 13-16.) Quod S. Hieronymus, Glossa, Beda, aliique eum sequentes ita exponunt, quod reversi de Babylone, induxerunt priores suas uxores ad lamentandum atque gemendum coram Deo, eo quod propter suam senectutem aut deformitatem abjicerentur a viris suis, et aliæ, imo et alienigenæ, acciperentur a viris illis. Quibus verbis Dominus addit ibidem, Ita ut ultra non respiciam ad sacrificium ; et dixistis : Quam ob causam ? Ad quod illico respondetur, Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ quam tu despexisti : id est, Deus in Genesi dixit, quod tu et uxor tua legitima pariter maneretis, ac invicem diligeretis, Relinquet, inquiens, homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; (*Gen.* II, 24.) quam tu sprevisti, abjiciendo, aliamque ducendo; et hæc particeps tua, id est uxor tua, debet esse socia tua et consors, non famula ; et uxor fœderis tui, cum qua fœdus amicitiæ, animique consensum debes tenere. Nonne unus fecit? id est, idem Creator, unusque Deus plasmavit Adam et Evam; et residuum spiritus ejus est? id est, quod conjugati sibi cohæreant per amorem et cohabitationem, hoc divinæ est voluntatis, non quod ab invicem separentur. Et quid unus quærit, id est, quid Deus unus intendit et requirit per hoc, quod vult priores uxores non deseri, nisi semen Dei, id est filios qui divino obsequio debite educentur a suis parentibus, ad quod exigitur ut non separentur? Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ, id est, quam in adolescentia accepisti, noli despicere, ut quæ tibi primum conjuncta est matrimonio virginali, tecum perseveret in finem. Quum odio habueris, dimitte. Istud videtur prædictis contrarium, sed quo sensu istud dicatur, constat ex eo quod subditur : Operiet autem iniquitas vestimentum ejus. Quasi dicat: Quamvis dixerim permissive ad vitandum gravius malum, Dimitte uxorem quum oderis eam, attamen iniquitas viri uxorem suam repudiantis operiet corpus ipsius viri, quia peccat repudiando, nec in futuro evadet tormenta. Ista secundum expositionem Hieronymi, Bedæ, et aliorum catholicorum Patrum sunt dicta. Quod si quis dixerit ista dici contra Judæos, qui alienigenas duxerunt uxores, respondendum, quod rationes istæ a Malachia propheta contra repudiationem inductæ, generaliter valent ad reprobationem cujuscumque repudiationis.

Præterea in lege reprobatur repudium istud, per legem, quæ Pentateuchus Moysis designatur, et scriptum est in Genesi : Relinquet homo patrem suum et matrem, (*Gen.* II, 24.) et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Quorum verborum verum intellectum Christus expressit, concludendo ex eis : Itaque jam non sunt duo, sed una caro. (*Matth.* XIX, 6.) Quos ergo Deus conjunxit, homo non

separet. Ex qua legis interpretatione ac A jussione seu Christi conclusione convincitur, quod conjugati non sint aliqua humana auctoritate separandi, quantum ad vinculum, et quod Deus non jussit neque concessit repudium fieri, nec a tempore Adæ usque ad Moysen licitum fuit. Hinc quum huic responsioni Christi objecissent Matth. XIX, 7-9. Pharisæi, dicentes, Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii et dimittere? ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic. Ex B quibus conclusit, non licere repudiare uxorem, nisi ob fornicationem, et quod Deus per Moysen non licentiavit, nec jussit, neque concessit hoc, sed solum permissum sit propter Judæorum duritiam sive malitiam. Non itaque licet viro suam a se separare uxorem et ducere aliam. Hinc super Matthæum scribit Hieronymus : Christus Scripturam sanctam adducens in testimonium, et naturalem legem, primamque Dei sententiam secundæ opponens, quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate C concessa est, id est data seu permissa, re- Ibid. 4. spondens ait : Non legistis quia qui fecit [hominem] ab initio, masculum et feminam fecit eos? Dicendo autem, Masculum et feminam, docet secunda vitanda conjugia. Non enim ait, Masculum et feminas, quod ex priorum repudio quærebatur, sed, Masculum et feminam, ut unius conjugis consortio necterentur. Numquid potest Deus sibi esse contrarius, ut aliud ante jusserit, et sententiam suam novo frangat imperio? Non ita sentiendum est, sed Mo- D yses quum videret propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam ducere vitam, maluit indulgere dissidium, quam odium et homicidia perseverare. Similiterque considera quod non dixit, Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses, ut juxta Apostolum, consilium sit hominis, non imperium Dei. Hæc Hieronymus.

Itaque juxta doctrinas expositionesque istas, secunda opinio stare non posset, aut tanquam probabilis defensari, videlicet libellum repudii ex divina dispensatione licuisse in veteri lege.

Sequitur : *Quum acceperit homo nuper uxorem,* videlicet infra annum, *non procedet ad bellum, nec ei quidpiam necessitatis injungetur,* id est nullum onerosum aut periculosum negotium necessario faciendum, et aliorum seu communem utilitatem concernens. Aliqui tamen exponunt istam necessitatem de obsequiis ad bella spectantibus, ita quod sicut non debuit præliari, sic nec victualia exercitui comportare, aut viam exercitibus præparare, aut consimilia agere : quæ tamen injungi poterant his qui vineas plantaverunt, aut domum novam ædificaverunt, qui tamen ad bella non processerunt ante præfixum tempus ; *sed vacabit absque culpa domui suæ,* id est rebus domesticis et commodis propriis, *ut uno anno lætetur cum uxore sua,* id est, primum annum connubii cum ea jucunde expendat, referendo tamen lætitiam illam ad spiritualem ac debitum finem, eamque per caritatem et gratiam Dei rationabiliter moderando, sicut habetur in Tobia, quod cum timore Dei nuptiarum Tob. IX, 12. convivium exercebant. Causa istius præcepti est, quia magna et multa sunt matrimonii onera, et inter conjugatos frequenter oriuntur tempore procedente contentiones, displicentiæ et rancores : ideo est statutum, ut in nuptiarum celebratione fiant jucunditates, et toto anno primo delectabiliter simul vivant, quatenus mutuus amor firmetur in eis, et postea recolant quam amicabiliter atque hilariter convenerunt. Circa hoc in Scholastica fertur historia : Potest annus iste intelligi nuptialis, non usualis, decem scilicet mensium tantum, juxta quem numerum dicitur annus luctus : quoniam mortuo viro, non licet mulieri alium ducere ante decem menses; nam forte concepit de primo, possetque dubitari, cui virorum partus esset adscribendus. Circa quod alii dicunt : Secundum leges mulier quæ viro defuncto cum alio

Digitized by Google

contrahit ante annum, infamis efficitur, [A] non autem secundum canones neque secundum Apostolum, sed cui vult nubit, tantum in Domino. [1 Cor. vii, 39.] Verumtamen justum et rationabile est, ut non nubat alteri quousque certum reddatur, an de primo conceperit.

Non accipies loco pignoris a proximo *inferiorem et superiorem molam,* id est nullam earum, quum utraque necessaria sit ad blada comminuenda : et idem datur intelligi de aliis utensilibus assidue necessariis ; *quia animam suam apposuit tibi,* id est, proximus tuus seu debitor in tua [B] pietate confisus est, vel ea quibus salva vita potest carere, præbuit tibi pro pignore, ideo non est amplius coarctandus. Voluit quippe lex, ut Judæi essent mutuo caritativi, benevoli et communicativi, non graves et asperi.

Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, id est proximum suum Hebræum importune aut callide circumveniens, aut abducens, ita quod illo invito tradat ipsum alieno alicui pro pecunia, secundum quod aliqui pro pecu- [C] nia solent vendi in servos, *et vendito eo, acceperit pretium,* puta pecuniam pro proximo suo, *interficietur,* quum judicialiter fuerit convictus et dijudicatus. Quamvis enim furtum aliarum rerum non puniebatur morte, tamen furtum hominis sic puniebatur propter hominis dignitatem, et quia enormius est rationalem creaturam ita tractare quam irrationalem. Nam et peccatum tanto est gravius, quanto dignior est is in quem peccatur. Porro si fur deprehendebatur antequam furatum vendiderat homi- [D] nem, non morte, sed pœna puniebatur minori. De isto dictum est super illud Exodi, Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. [Exod. xxi, 16.] *Et auferes malum de medio tui,* id est, tam impium furem de politia tua tolles per occisionem ipsius, vel auferes malum culpæ, illud juste vindicando, ut sic alii timeant consimilia agere: per decorem quoque justitiæ, recuperandum est dedecus culpæ.

Observa diligenter, id est, te ipsum a peccatis custodi, *ne incurras plagam lepræ* per inobedientiam tuam : quo constat, lepram frequenter infligi hominibus propter eorum excessus ; *sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis,* dum tamen nihil contra legem edoceant, nec ultra quam eorum auctoritas se extendit : ideo subditur, *juxta quod præcepi eis,* videlicet juxta legis tenorem ; *et imple sollicite.* Hoc specialiter modo exprimitur cum commemoratione lepræ, quia ut scriptum est in Levitico, ad sacerdotes pertinuit judicare quis esset vere leprosus, et [Lev. xiii, 2 et seq.] suspectos de lepra recludere : in quibus grave fuit obedire, et tamen obedire oportuit, quia etsi quis non fuisset leprosus, tamen inobediendo meruisset incurrere lepram. Et quia exempla plus movent, subjungitur : *Mementote quæ fecerit Dominus Mariæ in via quum egrederemini de Ægypto,* id est, qualiter eam perfudit lepra, dum [Num. xii, 10.] contra Moysen murmuravit ac superbivit, quum tamen aliunde esset mulier sancta ac prophetissa. Istud contigit in deserto, in mansione quæ dicta est Haseroth, post [Ibid. xi, 34; x, 11.] recessum a monte Sinai, anno secundo egressionis ex Ægypto, ut ex Numerorum duodecimo et ex præcedentibus ibi capitulis innotescit. Idcirco quod ait, Quum egrederemini de Ægypto, intelligendum est, Quum essetis in itinere quod inchoastis, exeundo Ægyptum. Sic et Ozias rex [II Par. xxvi, 19.] Juda percussus est lepra, quia non acquievit pontifici sibi prohibenti thurificare, ut secundo Paralipomenon legitur.

Quum repetes a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, et quam ibi statim solvere nequit, propter quod vis pignus ab eo exigere ; *non ingredieris domum ejus ut pignus auferas,* ne proximus tuus inde turbetur, et de sua paupertate conspecta verecundetur ; *sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit,* id est pignus quo melius potest carere : sicque debitori competebat electio, ut daret pro pignore quod volebat, dummodo esset sufficiens juxta vires debentis ; nec concedebatur credito-

Digitized by Google

ri, ut quod vellet pro pignore tolleret: A ideo non intravit domum, præsertim quum domus uniuscujusque sit tutissimum receptaculum ejus, propter quod molestius ei est ut in ea gravetur. *Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum.* Cur ergo accipiebatur, si eodem die erat reddendum? Respondet Augustinus, forte ut debitor sic admoneretur de persolvendo. Exod. xxii, 26, 27. Istud tamen Exodi liber plenius dilucidat.

Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, id est, operariis et B mercenariis tuis statim quum petierint, da dignum præmium suorum laborum. Hoc Lev. xix, 13. est quod in Levitici libro scriptum est, Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane. *Ne clamet contra te ad Dominum.* Est enim unum de quatuor peccatis clamantibus ante Deum, detinere, differre, fraudare mercedem operariorum. Hinc dicit Jacob. v, 4. Jacobus: Ecce merces operariorum vestrorum, quæ fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini introiit. Quod quam enorme sit, patet ex eo C quod per Eccli. xxxiv, 27. Ecclesiasticum dictum est: Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Quemadmodum autem debitor solutionem differens ultra voluntatem creditoris, tenetur illi satisfacere pro damno quod ex dilatione solutionis incurrit; sic qui mercenario seu operario pauperi solvere differt sui laboris mercedem, ultra ipsius petitionem obligatur satisfacere illi pro afflictione et damno, quæ ex irrationabili illa dilatione incurrit.

Non occidentur patres pro filiis, id est, D judices non adjudicabunt ipsos patres ad mortis supplicium pro filiorum suorum excessu, in quo suis filiis non communicaverunt consilio, auxilio, jussu, aut alio modo, *nec filii occidentur pro patribus suis,* secundum eumdem sensum; *sed unusquisque pro peccato suo morietur,* id est, quicumque egerit aliquid morte plectendum juxta legis censuram, pro proprio occidendus est scelere; et nisi in præsenti pœnituerit vita, occidetur morte æternalis ac infernalis miseriæ, quæ est mors secunda, juxta illud Apocalypsis: Execratis Apoc. xxi, 8. et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda. De intelligentia hujus præcepti, dicta sunt multa super illud Exodi: Insontem et justum non occides. Unde et Exod. xxiii, 7. supra jam scriptum est: Justum et innocentem non interficies. Consonat quoque huic verbo illud Ezechielis: Filius non Ezech. xviii, 20. portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. Unde rursus ad Ezechielem Dominus dixit: Quid est quod Ibid. 2. in terra Israel vertitis parabolam istam, dicentes, Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt? Quod et in Jeremia habetur. Jer. xxxi, 29, 30.

Sed obviare videtur quod in Threnis loquitur Jeremias: Patres nostri peccave- Thren. v, 7. runt, et non sunt; et nos iniquitates eorum portavimus. Denique, pro crimine Achan, non ipse dumtaxat, sed et filii ejus Josue vii, 24. ac filiæ occisi leguntur, Josue sancto viro jubente, ut Josue insinuare videtur. Similiter Judicum ultimo recitatur, quod pro peccato quorumdam ex Gabaa, filii Israel interfecerunt non solum viros et feminas, Judic. xx, 48. sed cunctam quoque sobolem tribus Benjamin. Præterea, divina justitia est lex, causa et regula omnis justitiæ, ita quod unumquodque tanto justius exstat, quanto plus conformatur divinæ justitiæ: imo et perfectio rationalis creaturæ, est divinæ justitiæ assimilari. Deus autem legitur frequenter occidisse sobolem innocentem propter iniquitatem parentum, ut in diluvio et in subversione Pentapolis, in percussione etiam primogenitorum Ægypti, quorum multi erant infantuli. Sic et infantes Cha- Deut. xx, 16, 17. nanæorum a filiis Israel Deo præcipiente occisi sunt. Insuper, juxta præhabita Deus frequenter testatus est in Scripturis, quod visitet iniquitatem patrum in filios in ter- Exod. xx, 5. tiam et quartam generationem. Iterum, pro Num. xiv, 18. peccato David occidit primum filium quem II Reg. xii, 14. ex Bethsabee genuerat; pro alio quoque ejus excessu, percussit septuaginta millia Ibid. xxiv, 15. subditorum. Postremo, secundum leges hu-

Digitized by Google

manas licite puniuntur, exsulantur aut etiam occiduntur filii pro excessu parentum, et subditi pro crimine principum.

Verum ad hæc in præcedentium expositione librorum responsio data est, saltem pro parte majori : et breviter dici potest, quod judices in populo non debent innocentem occidere, nec patrem innocentem pro filio scelerato, neque econtra, regulariter, generaliter quoque loquendo ; tamen ex divino imperio et instinctu aliter fieri potest, quia quod Deus gratis ac libere dedit hominibus, utpote esse ac vivere, potest eis irreprehensibiliter ad libitum suum auferre. Omnes quoque pro originali peccato nascuntur filii iræ, et debitores sunt mortis : imo ex debito naturæ, naturalique dispositione adstricti sunt morti ; et quidquid pœnæ infligit Deus quibusdam hominibus demerito vel occasione hominum aliorum, convertit illis in melius, magisque habet rationem remedii ac medelæ, quam pœnæ. Idcirco, quod filii Israel quosdam infantulos propter parentum facinora occiderunt, ex divina jussione aut inspiratione creditur factum ; et si quidam eorum aliter id egerunt, non excusarentur. At vero leges humanæ sunt multipliciter imperfectæ, et quædam instituunt, permittunt ac jubent, quæ divino corriguntur judicio ; et forsan imperatores ac reges in propriis causis ultra medium * favorabiliter sunt locuti atque jusserunt. Vel si prætactæ eorum leges justæ censendæ sunt, dici potest juxta Apostolum, quod ministri sunt Dei et omnipotentis Regis vicarii, et participantes aliquid auctoritatis ac potestatis divinæ, propter quod in Scripturis dii vocantur. Sicque hujusmodi leges eorum ex divina quodammodo auctoritate institutæ putantur, ita quod in casibus certis innocentes pro parentum aut principum sceleribus puniuntur, secundum quod pœna habet rationem medicinæ, et ordinatur ad bonum commune, atque ad animarum salutem et Dei honorem.

* modum

I *Cor.* IV, 1. II *Cor.* VI, 4.

Postremo, circa hoc scribit Augustinus, et habetur in Glossa : Lex dicit, unumquemque pro sua culpa interimendum : quid ergo est, quod alibi dicitur Deus reddere peccata parentum in filios in tertiam et quartam generationem ? An de filiis nondum natis intelligendum est hoc propter originale peccatum, hic vero de filiis jam natis jubetur, ut unusquisque pro suo moriatur peccato ? Nihil enim trahit ex patre peccante qui jam natus est. Sed quoniam alibi additur, His qui oderunt me : manifestum est illam sanctionem posse mutari, si filii peccata parentum non imitentur. Sed merito quæritur, si redduntur peccata parentum in filios his qui oderunt Deum, cur hoc fieri dicitur in tertiam et quartam generationem, non expressa prima et secunda, et non etiam in ceteras, permanente impietate filiorum, et imitatione suorum parentum malorum. An per septenarium, universitatem intelligi voluit, nec posuit ipsum septenarium, dicendo, In septimam generationem, sed causam perfectionis ejus ? Ideo enim septenarius perfectus asseritur, quoniam constat ex ternario, utpote primo impari toto, et quaternario primo pari toto.

Non pervertes judicium advenæ et pupilli. De nemine est judicandum perverse, sed miserabilium personarum injuriatio et injusta dijudicatio, tanto amplius sunt vitandæ, quanto minus resistere queunt, et quanto plus hoc contrariaretur omni pietati ac misericordiæ, naturalique legi. De hoc dictum est plenius in Exodo. *Nec auferes loco pignoris viduæ vestimentum.* Hoc intelligendum est de pauperibus viduis, quæ vere sunt viduæ, ac humano solatio destitutæ : quibus nequaquam auferendum est pro pignore indumentum quo indigent, imo nec aliud quo commode non possunt carere ; sed spiritualis pietas impendenda est eis. Quæ autem sequuntur in textu, sunt plana, et in Levitico aliasque frequenter exposita.

Exod. XXII, 21-24.

Lev. XIX, 9, 10.

Sensus spiritualis.

Præterea mysticus hujus capituli intellectus, pro majori parte præhabitus est. Etenim Filius Dei propter nos incarnatus, primo accepit conjugem Synagogam, quam

Digitized by Google

postea propter ipsius fœditatem, incredulitatem, ingratitudinemque reliquit, et scripsit ei libellum repudii, quia per suos discipulos conscripsit Evangelium, in quo causam repudiationis illius expressit. Moraliter, si quis pro sponsa sibi accipiat sapientiam philosophorum, aut hominum mundanorum, et propter vanitates ac falsitates admixtas voluerit eam deserere, habet in promptu tradere causam, et debet aliam sibi assumere sponsam, videlicet evangelicam theoriam.

Non accipies loco pignoris inferiorem et B *superiorem molam.* Debemus in vita præsenti semper esse solliciti, et inter spem atque timorem spiritualiter moli, ita ut omnis duritia, impietas, culpa prorsus conterantur ac destruantur in nobis. Debemus namque assidue ex consideratione divinæ pietatis confidere, et hæc spes est mola superior ; atque ex propriæ fragilitatis ac culpæ intuitu formidare, qui timor est mola inferior. Nullum itaque sic molestemus, neque ab aliquo ita quid extorqueamus, ut auferamus ei has molas, impediendo eum C a saluberrimis considerationibus, confidentiis ac formidinibus istis, aut pertrahendo eum ad vitia, præsertim ad desperationem, quæ superiori molæ opponitur, vel ad periculosam securitatem seu præsumptionem, quæ molæ inferiori contrariatur. *Si deprehensus fuerit homo,* etc., id est, qui inventus fuerit proximum suum esse furatus, eum occulte scandalizando, inficiendo, fallendo, sicque abstrahendo eum Domino suo Jesu Christo et matri suæ sanctæ Ecclesiæ, atque vendiderit eum, id D est, pro temporali commodo, aut propria oblectatione subjecerit illum servituti peccati ac jugo diaboli, morietur morte damnationis perpetuæ. Talis quippe est pessimus hostis Dei, et fructificationi mortis ac sanguinis Christi renititur, percussitque
Is. xxviii, 15. fœdus cum morte, et cum inferno pepigit pactum, estque satelles principis tenebra- A rum, et ei cooperatur ac servit ad aliorum perditionem.

Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ. Jubemur his verbis, superiorum nostrorum doctrinis ac jussionibus diligenter obtemperare, ne falsæ doctrinæ aut inobedientiæ lepram aliquando incidamus ; nec aliquis, quantumlibet virtuosus, incaute aut negligenter se habeat, seu periculosa resolvatur securitate, sed recordetur Mariæ prophetissæ sororis Moysis, quæ post tanta gratiarum charismata, in spiritualem ac corporalem dilapsa est lepram. *Quum repetes a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi :* id est, dum a tuo discipulo aut subdito, vel ab eo cui fuisti beneficus, exegeris spiritualem profectum aut vicem pro informatione et communicatione gratiæ quas ei exhibuisti, non facias hoc cum indiscreta importunitate, aut rigore superfluo, nec ultra vires et capacitatem illius, ne ipsum perturbes aut perdas. *Non negabis mercedem indigentis.* Ad litteram instruimur in isto capitulo ad magnam circa proximos caritatem ac pietatem, potissimum circa egenos, ne debitores inopes molestemus, pignora immisericorditer exigendo aut detinendo, aut operarios ac mercenarios defraudando, tardeve remunerando : imo unicuique nobis quodcumque obsequium aut beneficium impendenti conemur mox esse grati, vicemque rependere suo tempore postulanti.

Non occidentur patres pro filiis, nec econtra. Contra hoc enormiter et prorsus gravissime peccant, qui pro injuria sibi aut suis irrogata, per se et suos non solum quærunt ad occidendum aut vulnerandum principalem actorem injuriæ, sed et cognatos ipsius etiam usque ad tertiam et quartam generationem. Sic etiam peccant, qui offensi ab aliquo, non solum stomachantur aut aversive se habent contra illum, sed item contra amicos, propinquos aut socios ejus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI QUINTI : SI FUERIT CAUSA INTER ALIQUOS.

QUEMADMODUM in libro de Civitate A Dei loquitur Augustinus, Nullum animal est natura tam sociale, et voluntate tam concors, ut homo : ideo ad restringendum discordias litesque hominum, diversa tradita sunt præcepta, quorum unum in hujus capituli collocatur exordio. *Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices :* ad judicem namque, tanquam ad animatam justitiam, confugiunt partes ; *quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam,* id est triumphum aut etiam sensibile signum victoriæ, *dabunt :* secun- B dum quod antiquitus exstitit moris, quod victoriosi in bellis, in signum triumphi decorabantur ramis palmæ in capite et manibus ; *quem impium,* id est, injustam habere causam censuerint : sicque impietas sumitur hic pro quacumque iniquitate, non solum in Deum, sed item in proximum, quum tamen proprie nominetur culpa in Deum ; *condemnabunt impietatis :* non solum contra eum sententiando, quod causa sua injusta sit, sed etiam quod consuetis ac debitis pœnis subdatur, ut pecuniariæ aut simili pœnæ seu persolutioni aut sa- C tisfactioni.

Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, ita quod non solum meruit pecuniariam pœnam, sed etiam confusibilem verberationem ; *prosternent et coram se facient verberari,* ne in eorum absentia correctio illa fiat excessive aut defective : sicque jacendo flagellabatur, juxta quem modum aliqui putaverunt et Dominum Jesum Christum fuisse flagellatum, quem magis credendum est alligatum columnæ cæsum fuisse. *Pro mensura pec-* D *cati erit et plagarum modus,* id est numerus ictuum, ut culpæ proportionata sit pœna, ita quod quis quanto gravius commisit flagitium, tanto majorem recipiat numerum verberum ; *ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedat* inflictio ictuum. Hæc namque flagellatio fuit quasi pœnitentialis quædam castigatio rei. Numerus autem quadragenarius pœnitentiæ congruit ; et item, ne in tali punitione videretur crudelitas exerceri, quum tamen actui justitiæ admiscenda sit actio pietatis. Ideo subditur : *ne fœde,* id est turpiter, *laceratus jaceat* * *ante oculos tuos* * *abeat vel obeat*
frater, id est proximus *tuus.* Circa hoc Magister in historiis : Sic, inquit, pœnitentes excommunicatos plagis cædimus, secundum numerum versuum alicujus psalmi, quem cædendo cantamus. Porro Josephus scribit reum fuisse percutiendum quadraginta plagis, una minus, habena publica. Unde et Apostolus protestatur : A Judæis *II Cor.* XI, 24.
quinquies quadragenas una minus accepi. Judæi quippe ne viderentur crudeles, unum ictum subtraxerunt ex traditione communi majorum. Tamen, ut textus prætendit, si culpa erat minor, erat et minor ictuum numerus infligendus. Atque ut Josephus scribit, turpissimum erat hominem liberum sustinere hanc pœnam.

Circa hæc intuendum, quod in prima secundæ, quæstione 105, scribit Thomas : Secundum Augustinum vicesimo primo de Civitate Dei, Tullius fuisse refert octo genera pœnarum in legibus, utpote damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, mortem et servitutem. Ex quibus aliqua, imo pene omnia ista, fuerunt in lege statuta : videlicet damnum, dum fur condemnabatur ad quadruplum *Exod.* XXII, 1.
vel quintuplum ; vincula, sicuti in Numeris *Num.* XV, 34
legitur blasphemus fuisse reclusus in car- *Lev.* XXIV, 12.

Digitized by Google

cere; verbera, in isto capitulo; ignominiam, sicut in isto habetur capitulo, de nolente suscitare semen fratri suo defuncto, in cujus faciem spuebatur; mortem, *Lev.* xx, 9. ut patet in Levitico, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur; talionem, juxta *Ibid.* xxiv, 20. illud, Oculum pro oculo, dentem pro dente; servitutem quoque in duobus casibus: primo, dum servus septimo anno noluit liber egredi, et legis beneficio uti, *Exod.* xxi, 6; xxii, 3. propter quod deinceps perpetuæ servituti fuit addictus; secundo, dum fur non habuit quod pro furto restitueret. Exsilium vero non instituit lex universaliter, quia in solo populo illo viguit cultus Dei, propter quod expulsio extra patriam illam, fuit idololatrandi occasio. Hinc primo Regum locutus *I Reg.* xxvi, 19. est David: Maledicti sunt qui ejecerunt me, ut non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis. Fuit tamen in lege particulare quoddam exsilium, quo homicida excusabilis mansit in aliqua *Num.* xxxv, 25. urbe refugii usque ad pontificis obitum. Itaque in gravioribus criminibus contra Deum aut proximum factis, puta in blasphemia, idololatria, homicidio, furtoque hominum, in irreverentia, maledictione et contumacia circa parentes, in adulterio atque incestibus, lex mortem inflixit; in furto aliarum rerum, adhibuit pœnam damni; in percussuris et mutilationibus, pœnam talionis, similiter in falso testimonio; in minoribus autem culpis, pœnam flagellationis aut ignominiæ. Hæc Thomas.

Præterea contra id quod dictum est, Pro mensura peccati erit et plagarum modus, objici potest, quoniam quibusdam æqualibus culpis [lex] inæquales pœnas inflixit, *Exod.* xxii, 1. quia pro uno bove furato jussit quinque boves restitui, et pro una ove furata quatuor oves. Eum quoque qui sabbato ligna *Num.* xv, 35. collegerat, lapidari præcepit, quum tamen graviora minus punierit. Ad hæc introducta est responsio Thomæ super Exodum. Denique secundum eumdem sanctum Doctorem, circa quantitatem peccati, quadruplex gradus est attendendus, etiam circa unum et idem factum. Primus est, dum

A involuntarie committitur: tunc enim si omnino involuntarie agitur, homo totaliter excusatur a pœna, ut supra dictum est de puella, quæ in agro clamans opprimitur. *Deut.* xxii, 26, 27. Si autem homo fuit in facto tali aliquo modo voluntarius, tamen ex infirmitate peccavit, ut dum quis peccat ex vehementia passionis: tunc enim peccatum minuitur, et pœna est minuenda secundum veritatem judicii, nisi forte propter communem utilitatem gravetur ad abstrahendum homines a peccato hujusmodi, ad quod mul-
B tum sunt inclinati. Secundus gradus est, quando per ignorantiam quis peccavit, et tamen aliquo modo reus reputatur propter negligentiam addiscendi: et tunc secundum legem non puniebatur per judices, sed peccatum suum per sacrificia expiavit, juxta illud Levitici, Anima quum per *Lev.* iv, 2. ignorantiam peccaverit: quod intelligendum est de ignorantia facti, non divini præcepti, quod omnes scire tenebantur. Tertius gradus est, quando per superbiam quis excessit, id est ex certa electione at-
C que malitia: et tunc puniebatur secundum gravitatem delicti. Quartus gradus, quando per proterviam pertinaciamque peccavit: et tunc tanquam rebellis et destructor legis fuerat occidendus. Hæc Thomas.

De his eleganter scribit Alexander de Hales super tertium Sententiarum. Sed et Parisiensis libro de Fide et legibus scribit: Quod autem quædam mala, quamvis minora, quibusdam majoribus malis lex jussit puniri, illa proculdubio causa fuit, quia frequentius contingebant in populo illo:
D propter quod plus nocuerunt paci communi sua frequentia, quam majora magnitudine sua. Propter hoc etiam, quoniam multitudinem involvebant, difficilior erat eorum curatio. Amplius, facilior erat eorum commissio propter opportunitates, quemadmodum est facilior furatio ferri, quam auri æquivalentis: quia æs facilius invenitur, et aurum arctius custoditur.

Non ligabis os bovis triturantis in area, id est in horreo, *fruges tuas,* id est, de bladis quæ triturat refici eum permittas.

Digitized by Google

Hoc Dominus jussit ad litteram, ut Judæi circa bruta pietatem quamdam addiscerent, et suam crudelitatem avaritiamque compescerent, quatenus circa homines benigniores assuescerent esse. Porro quod de bove triturante nunc dicitur, de omni jumento in simili constituto labore accipitur. Circa hoc scribit Guillelmus : Licet videri possit, quod istud sit dictum contra avaritiam Judæorum, qui eo usque frugibus suis parcebant, ut nec boves triturantes inde manducare permitterent, et ne avaritiam hanc in vindemiatores et calcatores uvarum extenderent, non permittendo eos de uvis frugaliter edere, neque de musto potare, quod erat Judæis innatæ avaritiæ intoleranda crudelitas ; tamen per istud mandatum percussa est et reprobata consuetudo eorum, qui boves in tantum abominabantur, quod de frugibus suis eos comedere non sinebant, et ostensa est æquitas, qua justissimum est, ut qui participat in labore, participet in comestione. Hæc Guillelmus. Verumtamen Paulus apostolus Spiritu Sancto repletus, testimonium istud allegans, adjecit : Numquid de bobus cura est Deo ? Propter quod satis insinuavit, Deum istud per mysticum sensum jussisse, puta ad innuendum, quod prædicatoribus et prælatis qui designantur per boves, non sint vitæ stipendia subtrahenda, quoniam ipsi in area, id est in Ecclesia, triturant fruges nostras, id est, spiritualia alimenta præparant nobis, et Scripturarum sensus emolliunt ac masticant auditoribus suis.

I Cor. IX, 9.

Sequitur lex de suscitando semine, proximo absque liberis mortuo : quæ lex etiam in lege naturæ diu ante Moysis tempora servabatur, ut in Genesi patet de filiis Judæ. *Quando habitaverint fratres simul,* id est in eadem provincia, urbe, villa, aut domo, et nomine fratris intelliguntur cognati ; *et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit.* Ex quo elicitur, quod præceptum istud loquatur de conjugatis, non de his qui nondum connubium inierunt. Nam et subditur : *uxor defuncti non nubet alteri,* id est extraneo seu non cognato, *sed accipiet eam frater ejus,* id est propinquus defuncti, *et suscitabit semen fratris sui,* id est, ex femina illa procreabit, Deo præstante, prolem seu filium ; *et primogenitum ex ea filium, nomine illius appellabit,* id est, fratri defuncto adscribet, quasi illius sit filius. *Quod si * noluerit accipere conjugem fratris sui* defuncti, *quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque : Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui, nec me in conjugem sumere. Statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit, Nolo eam uxorem accipere ; accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, atque in faciem ejus spuet,* vel coram eo in terram, ipso cernente, et hoc in confusionem ipsius, quia secundum legem noluit facere, nec fratri suo defuncto caritatem pietatemque exhibere, procreando ei prolem in ipsius memoriam. Sicque mulier *dicet* illi : *Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui,* id est, progeniem fratris sui non auget nec suscitat neque conservat. *Et vocabitur nomen illius* legi inobedientis, *Domus discalceati,* id est, ipse et soboles ejus hoc vili agnomine exprimentur, ita quod pravitas ejus redundabit in posteros suos per diffamiam istam.

Gen. XXXVIII, 8.

* *Sin autem*

Si autem quis instet, quod lex ista videtur contraria ei, quod in Levitico Dominus ait : Uxorem fratris sui nullus accipiat ; itemque, Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis : dicendum, quod lex illa intelligitur, quando frater reliquit semen. Causam quoque hujus præcepti Chrysostomus super Matthæum tangit, dicendo : Quia immitigabile malum mors erat apud Judæos, qui omnia pro præsenti vita agebant, statutum est ut defuncto filius nasceretur ex fratre, ad quem propter propinquitatem hoc magis pertinuit. Sed quæri potest, cur propinquus non cogebatur huic legi parere per pœnam majorem. Et respondendum, quod propter vitandum pericu-

Lev. XX, 21; XVIII, 16.

Digitized by Google

lum, ne scilicet eam quam coactus acciperet, ex odio postea trucidaret. Nam et coacta conjugia malum exitum solent habere. Aliqui autem dicunt, quod quando alius propinquus coram judicibus aderat, qui relictam illam volebat accipere, tunc alius ille tulit calceamentum de pede propinquioris illam recusantis. Quod si muliere non interpellante, propinquior coram judicibus fatebatur se nolle ducere ipsam, tunc ipsemet discalceavit se ipsum. Et istud in Scholastica fertur historia, estque probabile, quia in Ruth legitur Booz dixisse ei qui noluit ipsam Ruth ducere, quum
Ruth IV, 8. esset marito ejus propinquior: Tolle calceamentum, etc.

Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum et apprehenderit verenda ejus, abscides manum illius. Hic Dominus jubet, ut si mulier volens suum juvare maritum, apprehenderit verenda viri suum virum impugnantis, manu sua per abscisionem privetur. In quo patet, quanta debeat esse pudicitia mulierum, præsertim quum in isto casu videatur mulier magnum incitamentum sic agendi habere: ideo si in casu alio hoc fecisset, in quo non habuisset tantam ad hoc occasionem, magis meruisset ita puni-
Lev. XX, 17. ri. Hinc in Levitico jussum est, ut si frater et soror sibi invicem revelaverint genitalia sua ad intuendum, interficiantur. Unde apparet, quod personæ illæ Israeliticæ stirpis pronæ fuerunt ad ista. Et addidit Dominus, *nec flecteris super eam ulla misericordia,* id est, zelo justitiæ istud implebis quod præcipitur judici, ne scilicet immoderate condoleat, ita ut per hoc exsecutionem justitiæ postergaret. Unde et apparet, quod non licuit pretium pro mutilatione illa recipere.

Non habebis in sacculo diversa pondera, scilicet *majus et minus, nec erit in domo tua modius major et minor. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi, ut multo vivas tempore super terram. Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam.* De isto dictum est plenius in *Lev.* XIX, 35, 36.
Levitico, ubi totum istud expositum est.

Memento quæ fecerit tibi Amalec, id est populus Amalecitarum, *in via, quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi,* id est, hostiliter te accessit a parte posteriori. Nam subditur, *et extremos agminis tui ceciderit,* id est percusserit, prout in Exodo scriptum est, *qui lassi reside-* *Exod.* XVII, 8.
bant. Per Extremos quidam intelligunt tribum Dan, quæ in motione et profectione *Num.* II, 31.
castrorum ultima fuit, ut in Numerorum libro habetur. Alii per Extremos intelligunt lassos et leprosos atque superfluos, quibus non licuit ingredi castra. Hinc ait Glossa: Tradunt Hebræi, quod leprosos et seminifluentes, et alios extra castra positos, interfecerit Amalec. *Quum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, delebis nomen ejus de sub cœlo,* id est, posteritatem Amalecitarum illorum totam pro posse occides, etiam mulieres atque infantes, prout primo Regum Samuel dixit *I Reg.* XV, 3.
ad Saul; sicque nomen et memoria Amalec deleantur, quantum ad hoc quod nihil laude dignum de ipsis remaneat, quemadmodum Salomon: Memoria, inquit, justi cum *Prov.* X, 7.
laudibus, nomen autem impiorum putrescet. Sed nonne istud præceptum contrariatur ei quod in præcedenti habetur ca- *Deut.* XXIV, 16.
pitulo, Non occidentur filii pro patribus; et quod alibi legitur, Innocentem non inter- *Exod.* XXIII, 7. *Dan.* XIII, 53.
ficies? Ad quod ex præcedentis capituli expositione patet responsio. Denique humana justitia non potest divinæ justitiæ in omnibus assimilari, aut eam imitari in cunctis, sed secundum legem sibi præfixam. Estque perfectio hominis, Deo assimilari, non ut velit aut agat quidquid vult aut efficit Deus, sed ut velit et operetur, quod Deus vult eum velle ac agere. Deus autem in actibus suis ad multa respicit ac diversa, ad quæ homo non potest volendo aut agendo respicere. Postremo, si aliqui Amalecitæ fuissent ad Judaismum conversi, in ipsis non fuisset hæc ultio exercenda.

Digitized by Google

Sensus spiritualis. Spiritualiter, frater, id est bonus prælatus, debet fratri suo defuncto, id est Christo propter nos crucifixo, suscitare semen de ipsius uxore, id est de Ecclesia, quia per ecclesiastica sacramenta, et per prædicationes, orationes, sanctaque opera debet jugiter aliquos spiritualiter regenerare in Deo : quod si facere neglexerit, dignus est ut Ecclesia conspuat eum. Potest quoque per fratrem defunctum, quicumque pastor, præsul, seu præsidens, viam universæ carnis ingressus, intelligi : quo mortuo, debet ei alter in prælatura succedere, atque ex grege illius Christo fructificare : quod si facere nolit, apud superiores accusari meretur. *Si habuerint inter se jurgium viri :* hoc est, si Catholicus ac perfidus inter se disceptaverint, et ecclesia malignantium hæresiarchæ conjuncta, apprehenderit verenda Catholici, id est, doctrinam suam A qua alios in Christo regenerat, convertit, salvificat, corrumpere et reprobare studuerit, amputanda est impudica præsumptio ejus. *Memento quæ fecerit tibi Amalec :* id est, nocumenta ab invisibilibus hostibus tibi illata perpende, ab eo tempore quo de tenebris sæculi exire cœpisti. Quumque in virtutibus et donis Spiritus Sancti profeceris, de illa injuria ac damnificatione te vindica, resistendo omni tentationi ac vitio, tanto virilius et tanto ardentius indesinenter proficiendo, quanto B hostilius et acrius ab illo es impugnatus, qui extremos agminis seu dominici gregis, puta pusillos et incipientes, specialius faciliusque expugnat ac fallit, donec omnino superes illum. Istud prælatis præcipue dicitur, qui læsionem uniuscujusque sibi commissi, quasi propriam debent dolere.

ARTICULUS XXIX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEXTI : QUUMQUE INTRAVERIS TERRAM.

Moyses omni industria sibi possibili, Israeliticam plebem ab idololatria retrahere nisus est : idcirco nunc jubet, ut loco et tempore opportuno beneficia sibi desuper impertita, solenniter recognoscant, quatenus in illius dumtaxat remaneant cultu, a quo tot bona se consecutos agnoscunt. *Quumque intraveris terram* tibi promissam, *et obtinueris eam, atque habitaveris in ea ; tolles de cunctis frugibus tuis primitias,* id est primitivos atque præcipuos fructus, quoniam elegantiora offerenda sunt Domino, *et pones in cartallo,* hoc est, vase vimineo secundum Glossam, seu in canistro de caricibus facto ; *pergesque ad locum,* in quo tabernaculum Dei est vel templum, *quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus ; accedesque ad sacerdotem* ibi tunc officiantem, *qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum :* C *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo:* ista professio seu recognitio fiebat in atrio e diverso altaris holocaustorum ; *quod ingressus sim in terram, pro qua juravit* Dominus *patribus nostris, ut daret eam nobis.* Porro Deum universorum specialiter nominat offerens iste Deum sacerdotis, quia a sacerdotibus præcipue est colendus.

Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, in quo primitiæ positæ sunt, quod offerens secum portavit, *ponet ante altare* holocausti in atrio ; *et loqueris in conspectu Domini Dei tui :* D qui quamvis ubique sit, specialiter tamen in loco suo cultui consecrato. *Syrus persequebatur patrem meum,* id est, Laban cum suis cognatis insecutus est Jacob patriarcham fugientem ex urbe Laban Syri, qui de Mesopotamia Syriæ natus est. Hinc scriptum est in volumine Geneseos : Assumptis Laban fra- Gen. XXXI, 23.

Digitized by Google

tribus suis, persecutus est Jacob septem diebus, et comprehendit eum in monte Galaad. *Qui descendit in Ægyptum* cum domo seu sobole sua, *et ibi peregrinatus est*
Gen. XLVI, 27. *in paucissimo numero :* quia in animabus septuaginta: qui numerus fuit permodicus comparatione infidelium Chananæorum atque Ægyptiorum. Habitavit autem
Ibid. XLVII, 28. Jacob in Ægypto decem et septem annis ; sed quoniam advena fuit, et aliam regionem, cœlestem videlicet patriam, adspiravit, dicitur ibi peregrinatus, sicut et ante in aliis terris. Propter quod dixit ad Pharao-
Ibid. 9. nem : Dies peregrinationis meæ super terram, etc. *Crevitque in gentem magnam ac robustam,* id est, posteritas ejus sic crevit. *Afflixeruntque nos,* id est patres nostros, *Ægyptii :* sicque offerens iste loquebatur ex persona totius populi sui, et diversis diversa attribuenda fuerunt ; *et clamavimus ad Dominum Deum nostrum, et respexit humilitatem nostram, et eduxit nos de Ægypto, et introduxit in locum istum,* etc. *Idcirco nunc offero primitias frugum terræ* Deo in recognitionem, quod omnia ab ipso accepi, et quod dona ipsius sint quæ offero ei. *Et dimittes ea in conspectu Domini Dei* ad usum ministrorum ipsius. *Et adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis quæ Dominus Deus tuus dederit tibi et domui tuæ, tu et Levites et advena qui tecum est.*

Quando compleveris, hoc est, perfecte collegeris, *decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio dabis Levitæ et advenæ et pupillo et viduæ, ut comedant intra portas tuas.* Sensus istius passus patet ex eo quod scriptum atque
Deut. XIV, 28. expositum est supra : Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur eo tempore. *Loquerisque in conspectu Domini Dei tui : Attuli quod sanctificatum est de domo mea,* id est, præfatam decimam Levitis, advenis, pupillis ac viduis dandam, eis jam apportavi et dedi : ideo subditur, *et dedi illud Levitæ et advenæ, pupillo et viduæ, sicut jussisti mihi.* Quæ decimæ dicuntur, Sanctificatum de

A domo, quia de rebus ac frugibus a patrefamilias deputabantur ad usum hunc pium, ad Dei honorem. Hinc quod Lyra ait, textum istum vitio scriptorum videri corruptum, ita quod hic haberetur, Abstuli, non Attuli, non oportet sic dicere, nec ratio ejus valet : quia non dicitur hic, quod sanctificatum hoc afferebatur in Jerusalem. *Non præterivi mandata tua, nec oblitus sum imperii tui,* quæ de decimis primitiisque jussisti. Hoc dicitur non inaniter gloriando, sed Deo potius regratiando, qui gra-
B tiam contulit obediendi, vel excitando se ipsum ad confidentiam piam in Domino, sive ad aliorum ædificationem, quia in his modis Sancti quandoque suas recitaverunt ac descripserunt justitias. *Non comedi ex eis in luctu meo,* id est, decimas illas præfatis personis deputatas, non redegi in proprium usum aut esum tempore meæ afflictionis, ita quod nullus mœror aut fletus ad præcepti hujus inadvertentiam me induxit; *nec separavi ea in qualibet immunditia,* hoc est, non divisi has decimas ab aliis rebus
C ac partibus, ad utendum eis in aliqua re vel actione illicita aut superstitiosa, aut in idolorum cultura, quæ antonomastice nuncupatur immunditia ; *nec expendi ex his quidquam in re funebri,* id est in parentalibus quæ observabant gentiles, secundum Glossam. Vel, In re funebri, hoc est, in causis lugubribus seu exsequiis mortuorum, faciendo ex decimis his refectionem his qui sepulturæ propinquorum meorum interfuerunt. Hoc additur, quia Judæi in suorum parentum exsequiis fa-
D cere consueverunt expensas permaximas.

Circa hunc locum recitat Lyra, qualiter quidam dixerunt, quod tertio anno erant tres decimæ : una ad usum Levitarum ; secunda de novem partibus residuis, quæ portabatur in Jerusalem, et inde epulabantur ibidem offerentes cum suis familiis ac Levitis, et fiebat singulis annis, sicut et in prima ; tertia fiebat tantum tertio anno, eratque pauperum. Sed secunda decima quæ ab istis ponitur, videtur conficta, quia non habetur ex textu, neque ex Glossa, sed

Digitized by Google

solum aliæ duæ : idcirco quum dicitur, A Anno decimarum tertio, intelliguntur duæ tantum primitiæ, scilicet prima quæ erat Levitarum, et secunda quæ erat pauperum ; duobus autem præcedentibus annis fiebat tantummodo prima. Hæc Lyra.

Sed sicut supra dictum est, positio illa de tribus decimis, est Magistri in historiis, qui etiam perhibet eam ab Hebræis acceptam. Et dato quod non habeatur directe ex textu, tamen sequitur ex eodem. Siquidem aliter non videtur posse verificari
Deut. XII, 17, 18. quod supra scriptum est : Non poteris co- B medere in oppidis tuis decimam frumenti, vini et olei, primogenita armentorum et pecorum et primitias manuum tuarum ; sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco quem elegerit Dominus, tu et filius tuus et filia, servus et famula, atque Levites. Nam sicut ibidem probatum est, hoc exponi non potest de prima decima, quæ tota pertinuit ad Levitas ; neque de tertia quæ pauperum erat, nec in usus proprios redigenda, sicut jam patuit : ideo recte de secunda exponitur, et expositio Lyræ ibi C non videtur idonea, quoniam dicit hoc esse intelligendum de hostiis pacificis, quas tunc offerebant Judæi, quarum pectusculum et armus dexter erant sacerdotis de jure, ceteræ carnes erant offerentis. Nam hostiæ illæ pacificæ non erant decima, nec carnes illius hostiæ erant decima frumenti, vini et olei, nec erant primogenita pecorum quæ sacerdotibus debebantur : et tamen textus ille apertissime loquitur de decima et decimis frumenti, vini et olei, ac primogenitis pecorum. Præterea in se- D cunda secundæ, quæstione 87, ait Thomas : In veteri lege tres decimæ erant, quarum quasdam solvebant Levitis. Unde in Nu-
Num. XVIII, 24. meris habetur : Levitæ decimarum oblatione erunt contenti. Erant quoque aliæ decimæ, de quibus in Deuteronomio legi-
Deut. XIV, 22, 23. tur : Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, et comedes in conspectu Domini, etc. Erant etiam aliæ tertiæ deci-
Ibid. 28. mæ, de quibus ibi subjungitur : Anno tertio separabis aliam decimam, etc. Ecce quod in Scriptura ostendit hic Doctor tres decimas fuisse in lege modo præfato. Atque de tertia decima scriptum est in Tobia, quod in tertio anno proselytis et advenis *Tob.* I, 7. ministravit omnem decimationem.

Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia quæ præcepisti mihi. Respice de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo. Istud potest esse oratio Moysis, vel offerentis præfati. Itaque, Domine, oculo pietatis respice de sanctuario tuo, hoc est de tabernaculo seu templo : nam in tabernaculo Moysis Deus tunc specialiter habitare asserebatur, quemadmodum nunc in ecclesia consecrata ; et de excelso cœlorum habitaculo, puta de cœlo empyreo, de quo in Psalmo : A summo cœlo egressio *Ps.* XVIII, 7. ejus. Et in Isaia : Cœlum mihi sedes est. *Et* *Is.* LXVI, 1. *benedic populo tuo Israel,* dando et multiplicando in eis temporalia ac spiritualia bona, *et terræ quam dedisti nobis,* eam fecundando. Ex hoc apparet, quod ista fuit præfati offerentis oratio. *Sicut jurasti patribus nostris.*

Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, id est moralia, *et judicia,* hoc est judicialia præcepta. Et ideo ait, Hodie, ut magis attendant quasi recens præceptum, quemadmodum Christus in Cœna discipulis : Mandatum, in- *Joann.* XIII, 34. quit, novum do vobis, ut diligatis invicem. *Ut custodias et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua. Dominum elegisti hodie,* ita tamen quod prior elegit te, quum dicat Salvator, Non vos me elegistis, *Ibid.* XV, 16. sed ego elegi vos ; *ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus. En Dominus elegit te hodie,* id est, æternam electionem suam qua te elegit, nunc tibi monstrat, *ut sis ei populus peculiaris,* hoc est, specialis, hereditarius ac proprius, eum præ ceteris gentibus veraciter amans et colens ; *et faciat te excelsiorem cunctis gentibus,* id est in spiritualibus donis et gratiis eminentiorem ac famosiorem, imo et quodammodo potentiorem : quod tempore David et Salomonis fuit impletum. Hinc dictum est supra, Non est alia natio tam grandis, etc., *Deut.* IV, 7, 8.

Digitized by Google

et, Quæ est alia gens sic inclyta? quod pro tempore veteris Testamenti verificatur. Excellentius vero impletum est istud in Christo atque Apostolis, quos constituit Dominus principes super omnem terram. (Ps. XLIV, 17.) *Quas creavit in laudem et nomen,* id est famam, *et gloriam suam.* Omnia quippe propter se ipsum operatus est Dominus, et omnia fecit Deus ut timeatur : imo quidquid creavit, ad sui ipsius refert gloriam et honorem, quum ipse sit omnium ultimus finis. (Prov. XVI, 4. Eccli. XVII, 8; XLII, 17.) *Ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.* Hoc non est intelligendum, quod Deus creavit omnes gentes in laudem et gloriam suam, quatenus populus Israel sit populus sanctus ipsius, sed refertur ad illud, Et faciat te excelsiorem : quod totum ordinatur finaliter ad Deum et ejus præconium.

Postremo, quod in principio hujus capituli dictum est de primitiis in cartallo ponendis, etc., aliqui dicunt factum semel dumtaxat post ingressum in terram promissionis, ut littera sonare videtur, in qua non exprimitur tempus determinatum, quo fieri debuit, nisi quod post ingressum præfatum, nec additur ut sæpius fieret. Josephus vero ait has professiones et gratiarum actiones fieri debuisse singulis annis in Scenopegia, imo bis in die.

Sensus mysticus.

Mystice et nos militantem ingressi Ecclesiam, omne bonum præcipuum Deo habemus adscribere, atque assidue beneficia Dei cum gratiarum actione fateri ac dicere : *Syrus persequebatur patrem meum,* quia diabolus in paradiso primum nostrum decepit parentem : qui inde expulsus *in paucissimo numero,* quia cum sola uxore, descendit in vallem hanc lacrimarum, in qua crevit in multitudinem infinitam, ubi et ejus posteritas multipliciter est afflicta, ac variis vitiis, imo et idololatriis involuta. Quidam vero ex posteris ejus Domino adhæserunt, et clamaverunt ad ipsum : quibus tempore præordinato misit Salvatorem unigenitum Filium suum, per quem *tradidit* eis *terram lacte et melle manantem,* id est militantis Ecclesiæ gratiosissimam communionem, deinde Ecclesiæ triumphantis gloriosissimam societatem. Hinc ecclesiasticis sacramentis charismatibusque supernis copiose refecti, quidquid bonorum sortiti sunt, proximis indigentibus liberaliter communicaverunt. Porro, quod populum christianum Deus sibi præ cunctis elegerit populis in peculiarissimam plebem, cunctisque gentibus fecerit præclariorem, ineffabiliter magis quam Israeliticam plebem, cunctis vere fidelibus prorsus certissimum est.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : PRÆCEPIT AUTEM MOYSES ET SENIORES POPULO.

POST particularium multiplicium præceptorum descriptionem, nunc legislator variis modis hortatur populum ad observantiam eorumdem. *Præcepit autem Moyses et seniores,* videlicet septuaginta seniores, qui sub Moyse præfuerunt, de quibus dictum est in Numeris, (Num. XI, 16, 24.) *populo Israel, dicentes : Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie.* Quare non dicitur, Quod præcipimus? Forte quoniam Moyses fuit principalis actor jussionis istius. *Quumque transieritis Jordanem, eriges* tu, popule Israel. Fit itaque hic mutatio numeri de plurali in singularem, ut sæpius fit in Scripturis. Eriges, inquam, *ingentes,* id est valde magnos, *lapides, et calce læ-*

Digitized by Google

vigabis eos; ut possis in eis scribere per sculpturam *omnia verba legis hujus :* quod quidam exponunt de decem præceptis Decalogi. Nam cetera omnia ibi non poterant scribi : et quamvis cetera ibi scribi nequibant, tamen secundum Josephum et alios multos, erant in eis scripta multo plura quam decem præcepta, videlicet benedictiones et maledictiones. Quum enim essent tam grandia saxa, poterant inibi scribi plura quam decem mandata. Sicque quod ait, Scribes in eis omnia verba legis hujus, potest intelligi per modum distributionis accommodæ, seu pro generibus singulorum, ita quod ibi scribebantur etiam quædam judicialia, et quædam cærimonialia præcepta.

Quando ergo transieris Jordanem, erige lapides quos ego præcipio tibi hodie, id est, nunc jubeo ut eos tempore congruo erigas, *in monte Hebal, et lævigabis eos calce* trans Jordanem ; *et ædificabis ibi altare Domino de lapidibus quos ferrum non tetigit, et,* pro id est, *de saxis informibus,* hoc est non ornatis, *et impolitis.* Istud consonat verbo quod Dominus jussit in Exodo : Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. (*Exod.* xx, 25.) Eadem quoque in Exodo Dominus jubet : Altare de terra facietis. (*Ibid.* 24.) Horum ratio fuit ad litteram, quoniam Dominus voluit sacra sua differre a sacris idololatrarum, qui de pretiosis et politis ac sculptis materiis construxerunt deorum suorum altaria. Verumtamen Exodi alio loco Dominus ait : Facies et altare de lignis setim. (*Ibid.* xxvii, 1.) Siquidem altare holocausti fuit de lignis setim ære opertis, altare vero thymiamatis de lignis setim auro tectis. Dicuntque aliqui, quod etiam altare holocausti fuit de terra, quia ad minus habuit terram pro fundo, nec aliud pavimentum. Alii dicunt, illud de altari terreo, intelligendum de altari quod ante constructionem tabernaculi exstitit factum: quod et Thomas in prima secundæ, quæstione 102, sentire videtur, dicendo : Facto tabernaculo ad honorem Dei, non erant timendæ hujusmodi occasiones idololatriæ. A Ideo mandavit Dominus quod fieret altare holocaustorum de ære, quod esset toti conspicuum populo, et altare thymiamatis, quod soli sacerdotes videbant ; nec erat tanta pretiositas æris, ut per hoc populus ad idololatriam provocaretur. Hæc Thomas. *Et offeres super eo,* hoc est super altare de impolitis lapidibus factum in monte Hebal, *holocausta Domino Deo tuo, et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo.* Hoc videtur fuisse contra id, quod alibi B Dominus jussit, non nisi in tabernaculo sibi sacrificari. Et respondendum, quod ipsemet Dominus in lege sua potuit dispensare, ex cujus dispensatione Elias sacrificavit in monte Carmeli. Nec immolatio ista in monte Hebal, facta est sæpius : regulariter autem non fiebat licite, nisi in tabernaculo. *Et scribes super lapides* hujus altaris *omnia verba,* hoc est præcepta, *legis hujus* juxta expositionem inductam, *plane et lucide.*

Dixeruntque Moyses et sacerdotes : Attende et audi, C *Israel : Hodie factus es populus Domini Dei tui. Audies vocem ejus.* Qualiter istud impletum sit, recitat Josue quum ait : Tunc ædificavit Josue altare Domino in monte Hebal. (*Josue* viii, 30.) *Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens : Hi stabunt ad benedicendum Domino**, id est ad imprecandum bona obedientibus Deo : quod fuit æquivalenter Deum laudare, utpote eum insinuare esse tam sanctum et dignum, quod benedictione essent condigni, qui ei debite deservirent, et maledictio- D ne, qui ei non obedirent ; *super montem Garizim,* qui parum distabat a monte Hebal : *Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph et Benjamin,* id est nati ex his sex Patriarchis. *Et e regione isti stabunt ad maledicendum* inobedientibus *in monte Hebal : Ruben, Gad, et Aser, Zabulon, Dan, et Nephthali.* Id est, posteri horum (secundum Glossam) nobiliores, stabunt ad benedicendum ; ignobiliores, ad maledicendum : quia inter maledicentes erant quatuor filii ancillarum, et Ruben primogenitus Liæ, (*Gen.* xxxv, 25, 26.)

* populo

Digitized by Google

Gen. xxxv, 22. qui suo incestu, privatus fuit jure primogenituræ, et vilis effectus, Zabulon quoque ultimus filius Liæ. Sed quæri potest, cur altare jussum est fieri in monte, in quo maledicentes jussi sunt stare. Forte ad designandum, quod exsistentes sub lege, *Galat.* iii, 10. erant sub maledicto, ut ait Apostolus; et quod lex illa fuit lex timoris, inducens ad serviendum Deo, magis comminatione atque formidine suppliciorum, quam amore cœlestis retributionis ac zelo virtutum.

Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel. Si Levitæ steterunt cum quinque tribubus præfatis, in monte Hebal ad benedicendum, quomodo nunc dicitur, quod pronuntiabunt et dicent ad omnes viros Israel *excelsa voce, Maledictus homo qui facit sculptile,* quod fuit maledicere? Ad hæc videtur haberi responsio *Josue* viii, 33. ex his quæ in Josue habentur : Omnis populus et majores natu, ducesque et judices, stabant ex utraque parte arcæ in conspectu sacerdotum, qui portabant arcam : media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal. Unde elicitur, quod sacerdotes stabant cum arca in medio campi siti inter præfatos montes; et stando ibidem, proferebant tam verba benedictionis super obedientes, quam verba maledictionis super rebelles. Sacerdotes autem quandoque vocantur Levitæ, sumendo nomen Levitæ communiter, quoniam erant de tribu Levi : sicque tribus Levi pro majori parte stetit in monte Hebal, ut in textu habetur. Itaque dicent: Maledictus homo qui facit sculptile *et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum,* id est, per se, aut per alium format idola sculpta, sive conflata Deo abominabilia. Aliquæ autem imagines primo per conflationem formabantur, deinde per sculpturam decorabantur; aliquæ sola conflatione, et quædam sola sculptione fiebant. *Ponitque illud in abscondito,* id est in loco secreto ad colendum, et non minus si poneret illud in manifesto, in quantum hoc esset magis scandalizativum : ideo tamen ait, In abscondito, quoniam Moyses scivit quod filii Israel ad tempus non auderent idololatriam publice exercere, propter quod ab occulta quoque idololatria revocantur. *Et respondebit omnis populus, et dicet : Amen,* id est, verum est, vel sic fiat.

Quæri potest, cur dictum sit de sex præfatis tribubus, quod starent in monte Garizim ad benedicendum, quum ipsæ non proferrent verba benedictionis, nec ipsæ solæ responderent ad verba benedictionis, sed omnis populus; imo quum de benedictionibus non fiat hic mentio aliqua. Hic tria quæruntur, ad quorum ultimum primo respondendum, quod benedictiones subintelliguntur per maledictiones contrarias, et forsitan exprimebantur, vel implicite dabantur intelligi. Deinde respondendum ad primum, quod sacerdotes proferebant maledictiones ac benedictiones, et tribus aliæ dicuntur benedixisse aut maledixisse, in quantum sua responsione eas confirmaverunt: arbitranturque aliqui, quod solæ sex tribus præfatæ responderunt, Amen, ad benedictiones, propter quod benedixisse scribuntur; et aliæ sex responderunt, Amen, ad maledictiones : sicque per omnem populum intelligeretur totus exercitus, qui stabat simul in uno monte. Vel si solæ maledictiones explicabantur, sex tribus dicuntur benedixisse, in quantum sub maledictionibus oppositas benedictiones intelligebant. Aliqui vero dicunt, quod sacerdotes proferebant benedictiones vultu verso ad sex tribus in monte Garizim stantes : ideo dicuntur benedixisse, quamvis universæ tribus responderint, Amen, ad maledictiones ac benedictiones; et quod sacerdotes protulerint maledictiones facie versa ad sex alias tribus. Porro nonnulli dixerunt, quod sacerdotes primo ascenderunt cum arca in montem Garizim ad benedicendum, ad quorum benedictiones responderunt, Amen, sex tribus ibi adstantes; deinde cum arca profecti sunt in montem Hebal ad maledicendum, et sex tribus ibi situatæ, responderunt

Digitized by Google

ad maledicta eorum, Amen. Verumtamen istud non videtur consonare præallegatis verbis ex Josue.

Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem : tempore opportuno ipsis obediendo, seu indigentibus pro posse subveniendo, et maxime qui non solum non honorat, sed eis maledicit aut conviciatur. *Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi sui*. Quod qualiter sit intelligendum, ex-
Deut. XIX, 14. positum est supra. *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere :* ipsum scienter male ducendo, aut errantem non dirigendo, aut etiam illum qui viam ignorat et quærit, vel publice deviat, non informando de recto itinere sibi noto. *Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli et viduæ. Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui. Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum omni jumento. Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum sua sorore, filia patris sui vel matris suæ. Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua. Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui clam percusserit proximum suum :* lædendo, mutilando, aut occidendo callide
II Reg. XX, 8-10. ac latenter, sicut versutus Joab fortiorem se ac strenuum Amasam. Istud enim vitiosius est quam aperte invadere, quamvis et aperte hæc faciens, maledictionem incurrat. *Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum uxore proximi sui. Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui accipit munera ut percutiat animam sanguinis innocentis,* id est vitam animalem et corporalem hominis justi, aut ejus qui non meruit percuti; sive sit judex, qui hoc fieri dictet aut sinat, quum possit ac debeat impedire, sive alter conductus ad facinus tam ineffabiliter exsecrandum. *Et dicet omnis populus, Amen.* Et quoniam longum erat universa in lege prohibita specialiter prosequi, de reliquis summatim subjungitur : *Maledictus qui* A *non permanet in sermonibus legis hujus,* per fidem et obedientiam, *nec eos opere perficit,* per finalem perseverantiam. *Et dicet omnis populus, Amen.*

Postremo, ad litteram edocemur, quod specialiter gravia sunt peccata præfata, quibus Deus per Moysen jussit maledictiones has imprecari. Cetera, quantum ad litteram, patent.

Spiritualis quoque horum intelligentia hinc inde est introducta. Nempe spiritualiter patrem aut matrem non honorat, qui B non obedit Ecclesiæ, aut contra superiores suos impie indignatur, murmurat, sive obloquitur, præsertim dum ab ipsis pro sua culpa corripitur, ac debite castigatur. Sculptile et conflatile facit, qui phantasiis fatuis immoratur, aut fœda revolvit in cordis sui absconso, phantastica vel falsa confingit, et aliquid catholicæ veritati machinatur. Terminos proximi transfert, qui legem sibi præfixam transgreditur, et ea ad quæ tenetur, omittens, in supervacuis occupatur ; et item qui verbo aut opere scan- C daloso alium ad spiritualium amissionem charismatum pertrahit. Cæcum errare facit in via, non solum qui alium male informat, scandalizat, seducit, sed etiam qui simplicem, imperitum, ambiguum, non illuminat loco et tempore opportuno, per sana consilia, salubria documenta, exemplaria opera : et præsertim prælati, qui sibi commissos, ab ignorantiis, erroribus et peccatis non revocant, nec eis in via salutis præbent ducatum. Cum uxore patris sui dormit, qui virginem et feminam D Altissimo consecratam contaminat, vel animam Sponso cœlesti conjunctam avertit et inficit, ac libidinose inflammat. Cum omni dormit jumento, qui carnalibus consentit hominibus. Clam percutit proximum, qui de industria quempiam fallit, et sub specie boni, poculum præbet mortiferum. Munera accipit ut percutiat animam innocentis, qui intuitu proprii commodi, aut carnali favore alterius, allicit aliquem ad peccandum, aut justum persequitur. In sermonibus legis divinæ non permanet,

Sensus spiritualis

Digitized by Google

qui non perseverat usque ad finem; aut A totam legem observans, delinquit in uno. (Jacob. II, 10.) Hi omnes maledictionem merentur : quibus, nisi vere et condigne pœniteant, dicturus est Judex : Ite, maledicti, in ignem æternum. (Matth. XXV, 41.)

ARTICULUS XXXI

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI OCTAVI : SI AUTEM AUDIERIS VOCEM DOMINI DEI TUI.

PROSPERA pollicendo atque adversa B minando, imo et certitudinaliter ac prophetaliter prænuntiando, legislator nunc excitat populum suum ad observationem suæ legis. *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut custodias omnia mandata ejus,* id est, verbis Dei in lege ejus contentis obtemperaveris, *faciet te Dominus excelsiorem,* id est in donis gratiæ ac prosperitate terrena præclariorem, *cunctis gentibus,* prout supra expositum est. *Veniéntque super te benedictiones istæ, si tamen ejus audieris præcepta. Benedictus tu* eris C *in civitate, et benedictus in agro,* hoc est in omni tui territorii loco. *Benedictus fructus ventris tui,* id est, fecundus eris in prolificando, *et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum,* quia lex evidenter proposuit, et observatoribus suis promisit bona præsentia ac terrena : idcirco benedictiones istæ concernunt illa, sub quibus tamen spiritualia bona subintelliguntur, quæ sola sunt condigna virtuosorum actuum præmia. *Benedicta horrea* D *tua,* hoc est, fructibus terræ replebuntur, nec vermibus corrumpentur, *et benedictæ reliquiæ tuæ,* id est, copiosa erunt quæ tibi superfluent. *Benedictus eris ingrediens et egrediens,* hoc est, quocumque te verteris, et quidquid peregeris. *Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgent adversum te, corruentes in conspectu tuo. Per unam viam venient contra te* hostes tui, id est pariter conglobati, *et per septem fugient a facie tua,* hoc est per loca quamplura, quia ponitur numerus determinatus pro indeterminato.

Emittet Dominus benedictionem, id est copiam bladorum ac consimilium opum, *super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum; benedicetque tibi in terra quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi, si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus. Videbuntque omnes populi terrarum, quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te,* hoc est, tanta erit prosperitas tua et fama, quod omnibus innotescet, quod non frustra colas ac invoces Deum. *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ. Aperiet tibi Dominus thesaurum suum optimum, cœlum,* hoc est, cœlestia corpora ac aerem faciet tibi influere prospere, motu, lumine, pluvia, rore, et consimilibus. Porro cœlum dicitur optimus Dei thesaurus, quoniam virtualiter continet inferiora, et quia cœlum est continentia visibilium et invisibilium. In cœlo quoque, præsertim empyreo, est mansio Beatorum, et status omnium bonorum aggregatione perfectus; suntque ibidem simplicissima entia, optimam vitam ducentia, atque de suis sufficientia; et sicut ait Apostolus, Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, (I Cor. II, 9.) nec mens comprehendere potest, ibi abundant. (Is. LXIV, 4.) Cœlum tamen empyreum dicitur in hæc inferiora influentiam non habere; sed

motus mobilium orbium, præcipue mobilis primi, secundum Philosophum, est quasi vita quædam et conservativa inferiorum.

Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo fœnus accipies, juxta expositionem supra introductam. *Constituet te Dominus in caput, et non in caudam,* id est, faciet te aliis eminentiorem, non posteriorem; *et eris semper supra, et non subter,* id est, præeris, et alii tibi erunt tributarii ac subjecti; *si non declinaveris* a mandatis, *nec ad dextram, nec ad sinistram,* id est ad nullum vitiosum extremum : vel, Nec ad dextram, id est, ad ea quæ speciem habent virtutum, vel neque ad prospera sæculi; Nec ad sinistram, id est, ad ea quæ manifesta sunt mala, nec propter terrores, comminationes et aspera.

Deut. xv, 6.

Hucusque obedientibus promissa sunt prospera, quæ communiter evenerunt populo Judæorum dum justi fuerunt, non tamen singulis talibus, quia et tunc multæ fuerunt tribulationes justorum, et sancti Prophetæ adversa ac mortes amaras perpessi sunt. Elias quoque et Eliseus et Jeremias prolis fecunditatem consecuti non sunt. Unde de Sanctis veteris Testamenti scribit Apostolus : Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, etc. Hinc constat, quod terrena illa prosperitas non fuit principalis ultimataque merces observantiæ legis.

Ps. xxxiii, 20. Matth. xxiii, 34. Hebr. xi, 37.

Consequenter inobedientibus prænuntiantur maledicta, prætactis benedictionibus prosperitatibusque opposita. Nam populus ille rudissimus, per exteriora et sensibilia ista, ad interiora ac spiritualia paulatim fuerat inducendus. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui,* peccando ex animo indurato, et firmato proposito; *venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro; maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ; maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum; maledictus eris ingrediens et egrediens. Mittet Dominus super te famem et esuriem,* hoc est grave desiderium cibi ac potus, et eorum carentiam pœnasque viscerum inde sequentes. *Sit cœlum quod supra te est, æneum :* id est, nullam consolationem aut fertilitatem ex cœlestium corporum influentia sortiaris; *et terra quam calcas, ferrea,* id est tibi penitus infecunda, et sole adusta, non compluta. *Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem,* hoc est, pro pluvia terra tua ex nimia siccitate abundet pulveribus; *et de cœlo descendat super te cinis :* id est, sic habitacula tua comburantur ab hostibus, quod cinis ex vento per aerem volans super te ruat; *donec conteraris,* etc., *et dispergaris per omnia regna terræ :* quod tempore præsentis captivitatis Judæorum eis a Romanis inflictæ, maxime est impletum. *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti,* hoc est ulceribus et vesicis turgentibus, quibus plagavit Ægyptios, ut in Exodo habetur; *et parte corporis, per quam stercora egeruntur,* id est læsione umbilici seu natium, quæ sunt partes inferiores posteriorum : sicut percussit Philistæos, juxta illud primi Regum libri : Percussit Dominus in secretiori parte natium Azotum et fines ejus, et computrescebant prominentes extales eorum; *scabie quoque et prurigine,* hoc est ardore exustioneque carnis et aurium incitante ad scalpendum; *ita ut curari nequeas. Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea.* Hoc dicitur permissive; non enim adulterium placet Deo, sed justo judicio propter præcedentia demerita permittit illud accidere. *Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus et in suris,* id est extremis tibiæ partibus.

Exod. ix, 10. I Reg. v, 6, 9.

Ducet te Dominus et regem tuum, etc., *in gentem* alienam : sicut Salmanasar rex Assyriorum transtulit Israel in Assyrios, et regem Israel Osee misit in carcerem, ut legitur quarto libro Regum; et Nechao rex Ægypti, regem Juda Joachaz, transtulit in Ægyptum. Nabuchodonosor quoque Joachim et Sedeciam reges cum populo Juda transtulit in Chaldæam. *Filios generabis et filias, et non frueris eis,* id est, non

IV Reg. xvii, 4, 6; xviii, 11. Ibid. xxiii, 34; xxiv, 15; xxv, 7.

Digitized by Google

uteris ad consolationem et gaudium tibi. *Et erunt in te signa et prodigia,* hoc est miræ apparitiones et stupenda adversa. Unde ut recitat Josephus, imminente ultima Judæorum captivitate, multa mirabilia acciderunt Judæis præsagia futurorum, et apparuerunt cohortes armatæ in aere atque congressus ; et usque in præsens miseriis et cladibus miserandis subjecti sunt. Ideo subditur : *usque in sempiternum,* id est usque ad tempora proxima fini sæculi hu-
Dan. IX, 26, 27. jus : quia ut Daniel prophetavit, Finis ejus est vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio; *eo quod non servieris Domino in gaudio* spirituali *cordisque lætitia,* id est exsultatione quæ ex mentis jucunditate redundat in corpus. Ex hoc elicitur, quod tenemur Deo prompto jucundoque animo deservire, quemadmodum scriptum est :
Ps. XCIX, 2. Servite Domino in lætitia. Nam et signum virtutis est delectatio operationi annexa. Et
Prov. XXI, 15. gaudium est justo justa agere. Tenemur equidem Deo servire ex caritate, quæ mox parit delectationem in Dei obsequio. In exordio tamen conversionis, propter reliquias pristinæ iniquitatis, et in fervore tentationum aliquando non sentitur delectatio in actu virtutum ; sed fortiter perseverans, viriliterque resistens, cito consolatur a Domino, et gustum sentit in bono.

Adducet Dominus super te gentem de longinquo, in similitudinem aquilæ volantis, hoc est celerrime. Unde et Jere-
Thren. IV, 19. mias : Velociores, inquit, fuerunt hostes nostri aquilis cœli. *Gentem procacissimam,* id est inverecundissimam, *quæ non*
Ibid. 16. *deferat* honorem *seni :* quod in Threnis legitur de Chaldæis. *Et comedes fructum*
Ibid. 10. *uteri tui.* De hoc Jeremias testatur : Manus mulierum misericordium coxerunt fi-
IV Reg. VI, 28, 29. lios suos : quod et quarto Regum sub Joram legitur contigisse. In obsidione quo-
De bello Jud. VI, 21. que Jerusalem a Romanis id accidit, ut Josephus narrat. *Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem et teneritudinem nimiam :* non quod absolute nequeant ambulare, stare et progredi hujusmodi feminæ, saltem dum sanæ sunt ; sed ita se habent et sustentari se faciunt, velut in signum teneritudinis suæ et complexionis tenerrimæ, ut elegantiores appareant, reverentialiusque tractentur. Cui consuetudini sancta Esther morem gessit, sed pia intentione, de qua in Esther libro legitur : Assumpsit duas famulas, et Esther XV, 5, 6.
super unam innitebatur, quasi præ deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens. *Invidebit viro suo super filii et filiæ carnibus,* id est, corpora sobolis suæ cocta optabit sola comedere, *et illuvie secundarum,* id est super immunditia pellicularum, quibus in utero involvuntur infantuli, seu super immundis secundis, *quæ egrediuntur de medio feminum ejus,* id est inguinum seu coxarum hujusmodi mulieris, ita quod ipsa cupiet illa comedere sola. Vel, ut alii textus habent, Illuvie secundinarum, quæ egrediuntur de medio seminum ejus, id est super secundinis immundis egredientibus de utero mulieris cum ipsius seminibus. Dicitur autem secundina, folliculus seu pellicula qua proles tegitur atque involvitur in utero matris, et simul cum fetu egreditur, quam Isidorus vocat secundam : hancque pelliculam mater sola edere concupiscet. *Comedent enim eos,* id est pueros suos, *clam ;* et quamvis ista non legantur descripta, tamen contigisse Judæis creduntur. Talia autem sic occulte facta in tanta calamitate, ab aliis ignorantur ; et qui faciunt ea, mox moriuntur.

Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, id est similes ac pejores afflictionibus Ægyptiorum. *Et sicut ante lætatus est bene vobis faciens,* ex sua pietate : Deus enim in omni actu suo invariabiliter gloriatur ; *sic lætabitur disperdens vos,* quia in actu suæ justitiæ gratulatur. Unde et alibi :
Ego, inquit, in interitu vestro ridebo. *Di-* Prov. I, 26.
sperdet te in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus, id est a sublimitate territorii tui per omnes regiones seu provincias mundi, sicut nunc factum videmus ; *et servies ibi diis alienis.*

Forsitan enim inter idololatras commorando, idolis servierunt quidam eorum, etiam durante hac ultima eorum captivitate. *Dabit tibi Dominus cor pavidum,* carnali, mundano, et vili timore prædominante, *et deficientes oculos,* id est male dispositos, quoniam interiores cordis afflictiones et passiones præsertim apparent in oculis; *et erit vita tua quasi pendens ante te,* id est in ambiguo posita, ita quod eris tam incertus de subsistentia vitæ tuæ, quasi jam esset tibi subtracta. *Reducet te Dominus classibus,* id est multitudine navium, *in Ægyptum. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas.* Nempe ut in libro de Judaico bello recitat Josephus, vastata Jerusalem per Romanos, tot millia venditioni exposita sunt, quod pro levissimo pretio emebantur. Unde qui emerant eos, deduxerunt ipsos classibus in Alexandriam Ægypti metropolim, ut ibidem carius venderent eos, atque tot millia Judæorum exposuerunt ibi venalia, quod vix inveniebantur emptores. Ideo subditur : *et non erit qui emat.* Cetera patent in textu.

De bello Jud. VI, 45.

Denique, circa hunc locum Rabbi Paulus scribit satis catholice. Itaque ait, quod maledictiones in Levitico inductæ contra inobedientes, assimilantur maledictionibus istis in multis, et tamen aliæ sunt ab istis, et illæ ad Babylonicam pertinent captivitatem, istæ ad hodiernam, quam vocant Romanam, quia per Romanos fuit incepta, et etiam consummata, et istud patet ex octo. Primo, quoniam causa captivitatis hujus Romanæ, non assignatur in littera aliquod idololatriæ vitium, sicut Leviticus dicit. Quia durante templo secundo, non incurrerunt idololatriæ crimen ; sed ratio captivitatis istius exprimitur, quod noluerunt vocem Dei audire et ejus observare præcepta. Secundo patet idem ex processu utriusque destructionis. Nam prima fuit paulatim inflicta, ut patet ex quarto Regum ; ista autem simul. Tertio, quia in maledictionibus in Levitico scriptis, Dominus ait, Dispergam vos in gentes : quod in prima destructione eorum impletum est.

Lev. XXVI, 14 et seq.

Ibid. 1, 30.

IV Reg. XVII, XXIII, XXV.

Lev. XXVI, 33.

A Sed in hoc capitulo Moyses loquitur, Disperdet te Dominus in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus : quod in hac captivitate dumtaxat impletum est, quia in ea dispersi sunt per omnia climata mundi. Quarto hoc patet, quoniam prima captivitas duravit solum annis septuaginta ; ista usque in finem. Quinto, quoniam maledictiones Levitici terminantur in consolationem. Nam dicitur ibi : Recordabor fœderis mei ; terræ quoque memor ero. Et rursus : Recordabor fœderis mei B pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti. Per quod manifeste ostenditur, quod illa captivitas fuerat per consolationem terminanda. Talis autem consolatio aut terminatio non promittitur maledictionibus hujus capituli. Alia verba Rabbi Pauli dimitto ex causa, quia etsi pie accipi possint, nihilominus calumniabilia esse videntur.

Lev. XXVI, 42.

Ibid. 45.

Præterea, sicut de promissionibus prosperitatum obedientibus promissarum prædictum est, quod intelligendæ sint ut com- C muniter, quantum ad totam plebem, non quantum ad supposita singula, ita de maledictionibus istis est sentiendum. Constat enim, multos sceleratos fuisse in veteri Testamento, quibus adversitates istæ non contigerunt.

Sensus spiritualis.

Nunc spiritualitas hujus capituli breviter est tangenda. *Si audieris vocem Dei, faciet te excelsiorem cunctis gentibus.* Hoc in populo christiano frequenter impletum est. Tanta enim supernorum charismatum excellentia data est populo christiano, quod D tempus evangelicæ legis, antonomastice appellatur tempus gratiæ. Quumque ab exordio Ecclesiæ eam impugnarent ac persequerentur infideles Judæi, principes perfidi ac tyranni, imperatores, reges ac populi, hæretici atque philosophi, nec tamen Ecclesia corporali conflictu illis restitit ; tamen omnipotens Deus taliter pugnavit pro ea per sapientiæ infusionem, per virtutum collationem, per innumerabilia signa, præclarissimaque miracula, quod ipsa gloriosissima Ecclesia universis adversariis suis

Digitized by Google

prævaluit, et toto orbe terrarum diffusa fuit, atque quotidie crevit credentium numero, quamdiu evangelicæ legi irreprehensibiliter obedivit.

Sicque populo dicitur christiano : Si obedieris Deo, *benedictus* eris *in civitate*,
Ps. LXXXVI, 3. de qua cantamus : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, id est in ecclesiastica unitate. Civitates quoque Ecclesiæ sunt claustra, collegia, congregationes, in quibus sæpissime fuit ineffabilis exuberantia munerum divinorum et summa devotio. *Et benedictus in agro*, id est in exercitio exteriori. *Benedictus fructus ventris tui*, id est mentis tuæ, quæ est venter spiritualis, concipiens bonas cogitationes, virtuosasque affectiones, et pariens verba salubria et exemplaria opera. *Fructusque jumentorum tuorum*, id est, conversatio subditorum erit fructuosa ; *greges armentorum*, qui sunt particulares quique parochiani ; *et caulæ ovium*, id est ecclesiæ eorumdem. *Benedicta horrea tua*, id est virtutum tuarum ac gratiæ receptacula, quæ sunt intellectus atque voluntas, et secundum quosdam etiam appetitus sensitivus, in quo sunt passiones et virtutes morales passionum reformatrices. *Benedictus eris ingrediens* ad fidem et contemplationem, *et egrediens* ad operationem, seu de via et corpore mortis hujus ad patriam. *Dabit Dominus inimicos tuos corruentes in conspectu tuo*, id est, hostibus tuæ salutis Deo agente prævalebis. *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua*, id est, in apice intellectivæ ac vertice affectivæ multiplicabit contemplationum excessus ac raptus, sanctæque caritatis ardores, transformationes et gustus ; *et super omnia opera* tua, ita quod erunt meritoria, non solum vitæ æternæ in patria, sed et incrementorum gratiæ ac virtutum in via. Nam sicut unum peccatum disponit ac trahit ad aliud, sic unus virtutum actus ad alium aptat ac introducit : sicque merita oriuntur ex meritis, et
Matth. XIII, 12. Luc. XIX, 26. profectus ex profectibus, habentique datur ut abundet.

Videbunt omnes populi terrarum, quod nomen Domini invocatum sit super te. Tanta namque est evangelicæ legis perfectio atque sinceritas, quod quicumque secundum eam plenarie vixerit, adeo exemplaris irreprehensibilisque consistit, ut nemo intuentium rationabiliter possit ambigere de legis ac fidei christianæ veritate. Propter quod beatissimus Petrus hortatur fideles :
Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. I Petr. II, 12.
Insuper, tanta virtus et eminentia miraculorum, aliorumque munerum gratiæ gratis datæ, Christifidelibus sunt collatæ, quod innumerabilia undique millia infidelium ad Christum conversa sunt. *Aperiet tibi Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut pluviam tribuat terræ tuæ in tempore suo*, id est, Spiritum Sanctum mittet tibi a cœlo altissimo, in quo ejus infinita opulentia residet, et salutarem doctrinam, gratiæ rorem, sapientiæ flumina præstabit Ecclesiæ tempore desuper præstituto. Sæpe etenim renovavit omnipotens Dominator hæc omnia in militante Ecclesia, mittendo ad eam viros sanctos, prædicatores idoneos, pastores condignos.

Quod si audire nolueris vocem Domini, maledictus eris in civitate, id est, claustra et collegia ad deformationem ac ruinam devenient ; et *in agro*, quia et sæculares conjugati activi a via salutis deficient. *Maledictum horreum tuum*, id est, potentiæ animæ tuæ, quæ fuerunt subjecta divinorum charismatum, erunt domicilia vitiorum ac dæmonum. *Maledictus fructus ventris tui*, id est, a Deo juste relictus, proferes cogitationes inanes et vitiosos affectus. Maledictus *fructus terræ tuæ*, id est, opera carnis tuæ erunt fœda et detestanda, rationi contraria et odibilia Deo ; *armenta boum tuorum*, id est, subditi tui tuo corrumpentur exemplo. *Maledictus eris ingrediens et egrediens*, id est, juxta fidem tuam non vivens, et de corpore exiens, damnationem incurres. *Mittet Dominus super te famem et esuriem*, id est defectum et carentiam

Digitized by Google

refectionis internæ, sterilitatemque animæ. *Adjungat tibi pestilentiam,* id est infectionem interiorem et scandala activa atque passiva. *Percutiat te egestate,* id est spirituali inopia, quæ est virtutum privatio; *febri,* id est cupiditate terrena; *frigore* acediæ, *ardore* concupiscentiæ, *æstu* iracundiæ; *aere corrupto,* id est respiratione ad mundana solatia, quæ mentem intoxicat, sicut aer corruptus corpus; *et rubigine* invidentiæ ac rancoris : ita quod Deus justo judicio tot et tanta facinora te permittat incidere.

Sit cœlum quod supra te est, æneum, et terra quam calcas, ferrea, id est, tanto premaris mœrore, ut nec spiritualem ac cœlestem, nec carnalem et terrenam consolationem recipias. Hoc quoque interdum contingit electis pio moderamine dispensationis divinæ, dum pius ac sapiens Deus electos suos aliquando sic exercet, quod tanta desolatione atque mœstitia, tanto timore et angustia opprimit corda ipsorum, quod cœlum quasi æneum eis apparet, terraque ferrea. Et quamvis spiritualis divina consolatio ipsis optantibus denegetur, non tamen carnalem, terrenam, indignam, illicitam dignantur admittere. *Det Dominus imbrem terræ tuæ* corruptum, id est, pro A salubri doctrina permittat tibi fallacia inseri documenta. *Dispergaris per omnia regna terræ,* id est, corde instabilis sis, et mundanis ambitionibus undique agiteris, ac per mundum mente discurras non stabilitus in Deo. *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti,* id est aviditatis et concupiscentiarum pruritu; *et amentia et cæcitate,* id est vitio puerilitatis, quod sapientiæ dono contrariatur; et prudentia carnis, quæ mors est; *et furore,* id est obstinatione et incorrigibilitate: sicut in Judæis videmus B impletum, qui nec evidentia et experientia calamitatum cladiumque suarum instrui valent aut flecti. *Et non dirigas vias tuas.* Non enim ad gratiam et salutem disponunt se, sed inexplicabilibus involvuntur erroribus, omni rationi ac Scripturæ contrariis. *Omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violentia.* Hoc indesinenter completur in eis, nec est in mundo tam abjecta et misera gens, ut ipsi. *Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea,* id est, gregem tibi commissum diabolus fal- C lat, et sibi efficiat consentientem; et si quid de genere bonorum egeris, dissipetur, et æterna privetur remuneratione beata. Juxta hæc possunt sequentia ad allegoriam tropologiamque trahi, sed prolixitas est vitanda.

Rom. VIII, 6.

ARTICULUS XXXII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI NONI : HÆC SUNT VERBA FOEDERIS QUOD PRÆCEPIT DOMINUS MOYSI.

NUNC recitatur qualiter populus se adstrinxit ad observantiam legis sibi jam repetitæ, noviterque propositæ. *Hæc,* quæ scilicet hucusque descripta sunt, *sunt verba fœderis,* id est præcepta legis seu pacti vel testamenti, *quod præcepit Dominus Moysi,* non solum ut ipse hæc faceret, sed et aliis insinuaret, atque ex parte Dei implenda mandaret. Hinc subditur : *ut feri-* D *ret,* id est, statueret sive percuteret, *cum filiis Israel,* id est ipsis Israelitis utriusque sexus, non viris dumtaxat : sicque filius vocatur hic proles, cujuscumque sit sexus, juxta quem modum pater et filius correlative dicuntur; *in terra Moab,* puta in ejus confinio seu extremo, super Jordanem. Porro Septuaginta sic transtulerunt: Hæc sunt verba testamenti quod mandavit Dominus

Digitized by Google

Moysi, etc. *Præter illud fœdus quod cum* A *eis pepigit in Horeb,* id est præter et ultra prolationem seu divulgationem legis datæ in Sinai. Non enim lex ista est alia aut diversa ab illa, sed eadem est primo data ac divulgata, et nunc cum explanatione et additione quorumdam resumpta. Hic enim additæ sunt quædam admonitiones, jussiones, declarationes, benedictiones et maledictiones. Ideo Glossa ait : Moyses hic ostendit, unde appellatus sit liber iste Deuteronomium, quasi secunda lex: ubi magis repetitio est, quam aliud testamentum, B quamvis verba hoc sonare videantur.

Vocavitque Moyses omnem Israel et dixit: Vos vidistis universa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti. Constat quod major pars cui Moyses loquebatur, nondum nata fuit, vel saltem adultæ ætatis, quando Dominus plagavit Ægyptum : imo omnes primo numerati, jam obierunt, præter Josue et Caleb. Idcirco toti populo dixit hæc, universos præteritos, præsentes et futuros, tanquam unum quoddam considerans, ac diversa referens ad diversos. C *Tentationes,* id est adversitates et plagas *magnas* Ægyptiis irrogatas, per quas Deus examinavit ac ceteris populis notificavit Ægyptios, monstrando eorum duritiam et obstinationem; *signa illa, portentaque ingentia,* id est miraculosos effectus, et præclara prodigia circa Ægyptios facta. *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens,* id est mentem stabiliter illuminatam, *et oculos videntes,* id est intellectuales intuitus, intellectumve speculativum et practicum, cognoscentes et exsequentes ea quæ Dei D
Ps. LXXXIV, 9. sunt, *et aures quæ possint audire* quid intus loquatur Dominus Deus, et obtemperare eloquiis Dei, quæ sunt aures cordis, de qui-
Luc. VIII, 8. bus ait Salvator : Qui habet aures audiendi, audiat. Nec istæ aures differunt realiter ab interioribus oculis : imo ejusdem intellectivæ potentiæ est, verba Dei audire et intelligere. Verumtamen in populo illo fuerunt aliqui illuminati, sed aliorum comparatione fuerunt perpauci.

Adduxit vos per desertum quadraginta annis; non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. De intellectu hujus verbi dictum est plenius in expositione Deut. VIII, 4.
jampridem habita. *Panem non comedistis,* id est panes ex terræ fructibus factos et vestro conatu procuratos, sed desuper datos; *vinum et siceram non bibistis,* pro majori temporis parte, aliqua tamen cibaria ac pocula ex Ægypto secum tulerunt, et victualia aliqua a Moabitis, Ammonitis et Idumæis emerunt, ut jam ante dictum Ibid. II, 6, 29.
est; sed modico tempore hoc duravit. Verumtamen Glossa dicit, quod tantum portaverunt secum de vino ex Ægypto, quod usque ad montem Sinai inde biberunt, quum scriptum sit, Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere: quod Exod. XXXII, 6. I Cor. X, 7.
non diceretur de aqua, quum et Moyses dicat vocem illam seu cantum non fuisse principium belli, sed principium vini, et hoc secundum aliam translationem. *Ut sciretis* per beneficia et mirabilia Dei, *quia ipse est Dominus Deus vester,* qui tam paternaliter vobis providit, et tam gratiose egit vobiscum.

Vos statis hodie coram Domino Deo vestro, principes vestri, tribus et majores natu atque doctores, omnis populus Israel, liberi et uxores vestræ: quoniam lex proponenda est toti communitati collectæ, et ipsa concorditer debet legem suscipere ; *et advenæ qui tecum,* o popule Israel, *morantur in castris,* id est extranei ad Judaismum conversi, qui vel ex Ægypto processerunt cum Israel, illorumve posteri, vel qui in via confluxerunt ad eos, compuncti ex mirabilibus Dei auditis aut visis ; *exceptis lignorum cæsoribus et his qui comportant aquas :* quod postea Josue injunxit Gabao- Josue IX, 23, 27.
nitis. Isti videntur fuisse aliqui ceteris pauperiores ex advenis, qui pro usu communitatis et sacerdotum in tabernaculo, ligna et aquas attulerunt forsan ex locis remotis, et hac vice videntur non adfuisse aut seorsum stetisse. Porro ligna in altari holocaustorum quotidie necessaria erant, et aqua ad hostias carnium abluendas. Sic

Digitized by Google

igitur statis, *ut transeas,* tu popule, *in fœdere Domini,* id est, pacto huic acquiescas, et te ei adstringas, et obliges ad obediendum eidem, *et in jurejurando,* id est, in lege ista divino juramento firmata vivas et ambules, *quod hodie Dominus percutit tecum, ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Dominus Deus tuus, sicut locutus est tibi, et sicut juravit patribus tuis,* id est, tibi proponit et injungit cum conditione adjuncta, videlicet cum promissione multiplicium benedictionum, si impleveris legem hanc, et cum prænuntiatione multifariarum maledictionum, si rebellis exstiteris. *Nec vobis solis hoc fœdus ferio,* id est, legem hanc statuo, *et hæc juramenta,* id est Dei promissa juramento divino roborata, *confirmo,* id est, rata esse protestor, *sed cunctis præsentibus et absentibus,* id est tam vobis quam posteris vestris, nascituris et convertendis ad legem vestram; vel, et præfatis lignorum cæsoribus, et allatoribus aquæ.

Ne sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo vestro, scilicet volens ad idololatriam declinare, *et* ne *sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem,* id est vitiosum propositum aliorum infectivum, et pariens felleum idololatriæ ritum, ad quem sequeretur amarissima Dei punitio. Sic et Apostolus ad Hebræos: Contemplantes, inquit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. (*Hebr.* XII, 15.) *Quumque audierit verba juramenti hujus,* id est legis istius divino testimonio comprobatæ, *benedicat sibi in corde suo,* id est, prospera sibi promittat de exsecutione sui propositi, *dicens: Pax erit mihi,* si implevero quod propono, quamvis sit contra legem, *et ambulabo in pravitate cordis mei; et assumat ebria sitientem,* id est, ne persona proposito idololatrandi atque malitiæ felle inebriata, sibi alliciat simplicem discere cupientem, et eum decipiat; vel, Sitientem, id est quemcumque curiosum et pronum ad nova; *et Dominus non ignoscat ei,* qui tanta vitiositate

A inebriatus est, et alios fallit. Qui enim ex certa malitia atque proposito peccat, indignus est venia. *Sed tunc quammaxime furor ejus fumet et zelus contra hominem illum,* id est, Deus quammaxime irascatur et vindicet in talem iniquum, et zelo suæ justitiæ ipsum gravissime puniat: ita ut Deus se videatur habere instar hominis tanta ira commoti, quod de naribus suis fumum emittit, et signa suæ indignationis demonstrat; *et sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine,* id est, præfatæ maledictiones firmiter B infligantur atque inhæreant ei, quantum in uno homine possunt firmari, seu quædam ex omnibus; *et deleat Dominus nomen ejus de sub cœlo, et consumat eum in perditionem, juxta maledictiones quæ in libro legis hujus continentur.*

Discetque sequens generatio, et filii qui nascentur, videntes plagas terræ illius et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus,* id est ultiones factas in tam impio homine seu populo idololatrante, et in habitationibus ac C possessionibus ejus, *sulfure et solis ardore comburens* eam, id est sterilem faciens, sicut subvertit Pentapolim. Itaque *dicent* hi et *omnes gentes* ista videntes: *Quare fecit sic Dominus terræ huic? Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini quod pepigit cum patribus eorum, et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos quos nesciebant,* id est propter legis divinæ transgressionem et alienorum cultum deorum, *quibus non fuerant attributi,* id est deputati. Non enim D erant Israelitæ deputati seu appropriati ad serviendum diis alienis, sed vero Deo: non quod aliæ gentes fuerint ex divina ordinatione diis alienis aut idolis attributæ, sed quod illis juste relictis, et se ipsis sponte attribuentibus cultui idolorum, isti fuerunt specialiter a Deo vero ad suum vocati obsequium. Præterea, quod in textu habetur, Videntes plagas terræ, quibus eam afflixerit Dominus, sulfure et solis ardore comburens, *ita ut ultra non seratur, nec virens quidpiam germinet, in exemplum*

* *Dicetque*

Digitized by Google

subversionis Sodomæ et Gomorrhæ, etc., A non est intelligendum, quod Deus unquam ita sterilificavit, exussit, arefecit, aut subvertit terram promissionis, sicut Pentapolim; sed quod ad tempus fecit eam sterilem, exustam, non habitatam, incultam: imo hoc fecit diversis temporibus et in diversis partibus terræ illius, videlicet sub rege Babylonis; et sub Antiocho, quando et Jerusalem non habitabatur, ut primo Machabæorum libro habetur. Tempore quoque Achab, orante Elia, non pluit tribus annis et mensibus sex, et sub Eliseo vocavit Dominus famem super terram Israel septem annis, prout tertio et quarto Regum libris describitur.

Jer. XXV, 9-11. I *Mach.* III, 45. III *Reg.* XVII, 1. IV *Reg.* VIII, 1.

Abscondita a Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis et filiis nostris usque in æternum *, *ut faciamus universa legis hujus.* Verbum istud obscurum est. Quod aliqui sic exponunt: Abscondita, id est ipsa lex aliis gentibus non revelata, sed a Deo eis abscondita. Verum expositio ista non videtur conveniens, quia pluraliter subditur immediate post verba hæc, Quæ manifesta sunt nobis: nisi quis dicat, quod ibi sit punctus, Quæ manifesta, etc., et quod pronomen hoc, Quæ, non referat quod præcedit. C Secundo exponitur sic: Abscondita a Domino Deo nostro, id est, prætacta maledicta inobedientibus irrogata, aliis gentibus non sunt propalata, sed Israelitis. Unde subjungitur in persona eorum, Quæ manifesta sunt nobis et filiis nostris, ut saltem timore talium maledictionum faciamus omnia legis præcepta. In Hebræo autem secundum Rabbi Paulum et Lyram habetur, Abscondita D Domino: et sic textus est planior, ut sit sensus, quod præfata maledicta abscondita sunt, id est occulte cognita Deo in lumine præscientiæ suæ, quæ tamen ex ejus revelatione filiis Israel innotuerunt. Porro Hebræi exponunt sic: Abscondita, id est peccata occulta, Domino, id est, divino reservantur judicio ad puniendum; Quæ autem manifesta sunt, id est, peccata evidentia, nobis reservantur ad puniendum, quia humano puniuntur judicio: cui consonat illud primi Regum, Homo videt quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Videtur autem hic locus sic posse exponi: Abscondita a Domino Deo nostro, id est divina mysteria, testimonia ac præcepta, Deo intra se cognita, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, nec aliis nationibus patefacta, manifestata sunt filiis Israel, juxta illud in Psalmo: Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. B Hinc dicit Baruch: Beati sumus nos, quoniam quæ Deo placita sunt, manifestata sunt nobis. Juxta quem modum ait et Apostolus ad Ephesios: Secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis. Hinc quoque ad Romanos de filiis Israel ait Apostolus: Quid ergo amplius est Judæo? Multum per omnem modum, quoniam credita sunt illis eloquia Dei.

* in sempiternum

I *Reg.* XVI, 7. *Coloss.* II, 3. *Eccli.* I, 1, 3, 6, 7. *Ps.* CXLVII, 19, 20. *Baruch* IV, 4. *Ephes.* III, 3, 5. *Rom.* III, 1, 2.

Præterea, quod dictum est, Et assumat ebria sitientem, quidam exponunt sic: Qui prius peccavit ex ignorantia sicut ebrius, per assuefactionem acquirat habitum vitiosum, et sic peccet ex certa malitia, in qua delectatur, quemadmodum sitiens in potando. Et in Hebræo habetur: Et augmentetur satiata sitienti, id est, addat super multitudinem præcedentium peccatorum, sicut satietatem sequitur potus. Quæ expositio non videtur textui consona, quoniam ante hæc verba immediate præmittitur, Quumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens, Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei; moxque subjungitur, Et assumat ebria sitientem. Constat autem quod is qui jam audivit verba legis seu juramenti istius, et nihilo minus benedicit sibi in corde suo, dicens, Pax erit mihi, etc., non peccet ex ignorantia, sed ex superabundanti malitia, propter quod ebrio comparatur. In Scripturis quoque ebrius quis vocatur tripliciter: Primo, ob corpora-

Digitized by Google

A lem potus immoderantiam. Secundo propter malorum pœnalium repletionem. Un- *Is.* LI, 21. de loquitur Isaias: Ebria et non a vino. Et de hoc frequenter est sermo in Jeremia. Tertio, propter excessum malorum culpæ seu repletionem malitiæ, sicut in Psalmo: *Ps.* CVI, 27. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius. Dicitur etiam quis ebrius in bono, propter spiritualis jucunditatis et sancti fervoris *Cant.* V, 1. exuberantiam, juxta illud in Canticis: Inebriamini, carissimi. Non autem videtur proprie quis ebrius nuncupari, eo quod ex ignorantia peccet, nisi forte peccet ex igno- B rantia crassa et affectata, quæ culpam gravat, non minuit: propter quod de illa non loquitur expositio ista. Hinc super verba illa, Et assumat ebria sitientem, ait Glossa: Ne quis plenus malitia et idololatria, seducat eum qui sitit discere et veritatem cognoscere, sicut agunt hæretici.

Postremo, Rabbi Paulus hic scribit, quod maledictiones, quæ (ut supra legitur) faciendæ erant in monte Hebal, respiciunt peccata occulta, non manifesta: quod non videtur congrue dictum, quum ibi inter cetera dicatur in littera: Maledictus qui *Deut.* transfert terminos proximi sui. Item, Ma- XXVII, 17, 18, 20. ledictus qui errare facit cæcum in via. Et rursus, Maledictus qui dormit cum uxore patris sui: quod fecit Absalon manifeste. II *Reg.* XVI, 22. Ideo maledictiones istæ, tam manifesta quam occulta peccata concernunt.

ARTICULUS XXXIII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI : QUUM ERGO VENERINT SUPER TE OMNES SERMONES ISTI.

PRÆINDUCTÆ comminationes et maledictiones nunc quodammodo exponuntur, et datur consilium lapsis in eas. *Quum ergo venerint super te,* o popule Israel, *omnes sermones isti, benedictio sive maledictio quam proposui in conspectu tuo,* id est mala significata per verba præhabita; *et ductus pœnitudine cordis tui in gentibus in quas disperserit te Dominus Deus tuus, reversus fueris ad eum* per veram contritionem et obedientiam; *reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te* D *de cunctis populis. Si ad cardines,* id est usque ad extrema, *cœli fueris dissipatus,* id est, quantumlibet longe ac late fueris per terram dispersus, *inde retrahet te Dominus :* quemadmodum factum est post I *Esdr.* I, II. Babylonicam captivitatem. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum* spirituali circumcisione, id est, vitia tollet a te, et indispositiones ad gratiam. *Revertetur enim* C *Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et revertaris ad Dominum in toto corde tuo.* Deus absque sua mutatione post effectus suæ rigorosæ justitiæ tibi inflictos, impendet tibi effectus suæ clementiæ, cum suæ mentis invariabili jucunditate: juxta quod per Jeremiam testatur, Lætabor super eis quum benefecero ipsis. *Jer.* XXXII, 41.

Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, id est, capacitatem tui intellectus non transcendit, ut queas te excusare, dicendo: Non valeo intelligere quæ mihi sunt jussa; nec vires tuas transcendit, præsertim præsupposito Dei gratioso auxilio, quod nulli quod in se est facienti negatur. Nam et maledictus est qui asserit Deum impossibilia homini præcepisse. *Neque procul positum, nec in cœlo situm,* id est, non tantum est in cœlo aut civibus regni cœlestis, in quibus tamen est lex divini amoris atque notitia totius Mosaicæ,

Digitized by Google

evangelicæ, naturalisque legis. Itaque ex A distantia loci non potes te excusare. Ideo sequitur, *ut possis dicere: Quis nostrum ad cœlum valet conscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus,* etc.? *Neque trans mare positum, ut causeris et dicas: Quis e nobis poterit mare transfretare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus facere quod præceptum est? Sed juxta est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo,* id est, tam evidenter et prompte proposita est tibi lex ac descripta, et undique sic tibi offertur ad cognoscendum, ut possis eam ad libi- B tum tuum habere in ore ad loquendum ac confitendum, et in corde ad recordandum et credendum, in manibus quoque ad exsequendum; propter quod subditur: *ut facias illum.* Vel ideo ista dicuntur, quia moralia legis præcepta sunt de naturalis dictamine rationis: et maxime duo prima illa præcepta, quibus Deus proximusque amari jubentur, ad naturale rationis judicatorium pertinent, et velut principia in operabilibus exstant. Hinc ad Romanos
Rom. II, 14, 15. scribit Apostolus: Quum gentes quæ legem C non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Unde
Ps. IV, 6, 7. quum dixisset Psalmista, Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? respondit, Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Nam et habitus cognoscitivus primorum principiorum, tam in operabilibus quam in speculativis, innatus est nobis.

Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, id est, longam ac prosperam vitam, imo vitam gra- D tiæ in præsenti, et vitam gloriæ in futuro, saltem implicite, promisi tibi si obedieris Deo, *et econtrario malum et mortem,* id est adversa, occisionem et condemnationem, si inobediens fueris ei, *ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, multiplicetque te, et vivas. Sin autem aversum fuerit cor tuum* a Deo, præsertim per idololatriam, *prædico tibi hodie quod pereas, et parvo tempore moreris in terra ad quam ingredieris possidendam.* Quamvis enim etiam idolis sæpius serviendo, habitaverunt in terra illa usque ad Babylonicam captivitatem, hoc tamen fuit sub infidelium jugo, ita quod habitaverunt ibi potius ut captivi et servi seu alieni, quam ut possessores ac domini. Ipsi quoque sic Deo rebelles, cito per mortem exstincti fuerunt: et ita parvo tempore habitaverunt ibidem, loquendo de eis in particulari et singulatim. *Testes invoco hodie cœlum et terram,* id est habitatores regni cœlestis, videlicet angelos, imo et omnium Creatorem, et habitantes in terra, vel ipsa cœlestia corpora ac elementa, ut infra exponetur, *quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam,* id est veram salutem. Electio quippe est, duobus aut pluribus propositis, alterius præacceptio. *Ut tu vivas* per gratiam, *et diligas Dominum Deum tuum, et obedias voci ejus, et illi adhæreas. Ipse est enim vita tua,* id est dator et conservator vitæ tuæ, atque objectum et fons beatificæ vitæ, *et longitudo dierum tuorum,* id est efficiens principium diuturnitatis vitæ tuæ, *ut habites in terra pro qua juravit patribus tuis:* non quod terrena illa habitatio fuerit finis hujus, quod Deus est vita ipsorum, aut vitæ spiritualis per gratiam, sed fuit concomitanter se habens ad illa, et *Deut.* VIII, 1, 7-10.
sequela bonorum illorum.

Porro quod dictum est, Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, allegat et exponit Apostolus ad Romanos, sicut ibi expositum *Rom.* X, 6-8.
est. Præterea est pensandum, quam ferventissime ac instantissime sanctus Moyses populum sibi commissum exhortetur ad divinæ observantiam legis, præsertim ad Dei amorem: quod universis prælatis ac prædicatoribus vigilanter est intuendum, atque infatigabiliter imitandum.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI PRIMI : ABIIT ITAQUE MOYSES, ET LOCUTUS EST OMNIA VERBA HÆC AD UNIVERSUM ISRAEL.

CAPITULO isto describitur consummatio exhortationis et sermocinationis Moysis ad populum sibi commissum. *Abiit itaque Moyses.* In capitulis immediate præcedentibus introducitur Moyses loqui ad totum populum suum. Quomodo ergo in hujus capituli exordio dicitur, Abiit Moyses, *et locutus est omnia verba hæc ad universum Israel ?* An forsan sermonem aliquantulum interrupit, et recessit ad horam, rediensque locutus est verba sequentia populo ? *Et dixit ad eos : Centum viginti annorum sum hodie.* In Exodo legitur, quod *Exod.* VII, 7. Moyses erat octoginta annorum, quando loquebatur ad Pharaonem. *Ibid.* XVI, 35. Filii autem Israel quadraginta annis fuerunt in eremo : imo ut supra ostensum est, post reditum exploratorum Dominus dixit, quod quadraginta annis reciperent disciplinam : *Num.* XIV, 34. quod fuit post recessum a monte Sinai, in quo per annum fuerunt et amplius. Deinde occupati fuerunt circa Sehon et Og reges, et *Ibid.* XXI, 21 *et seq.* circa Balac regem Moab ac Madian non paucis diebus, *Ibid.* XXII. ut in libro patuit Numerorum. Sicque videtur Moyses prætaxatum annorum numerum excessisse, sed de minutiis temporum et numerorum Scriptura non facit vim. *Non possum ultra egredi et ingredi,* id est ductor vester consistere, vosque inducere atque educere. Et istud non posse, non fuit ex corporis debilitatione aut impotentia ambulandi, seu diuturnitate ætatis, quoniam Moyses adhuc erat vigens in sensibus, motuque corporis, ut infra legitur : *Ibid.* XXXIV, 7. Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. Idcirco quod ait, Non possum, etc., exponendum est, Non licet mihi, quia Dominus definitive sententiavit, quod non transibo Jordanem : ideo sequitur,

A *præsertim quum et Dominus mihi dixerit, Non transibis Jordanem :* quasi dixerit, Sententia illa revocari non potest. Idcirco tamen præmisit, Centum viginti annorum sum hodie, ut filii Israel æquanimius ferrent mortem ipsius : quasi diceret, Quamvis possem vos in terram promissam inducere, tamen non possem ratione ætatis multum diu vobiscum durare.

Verumtamen Rabbi Paulus his contradicit, affirmans quod ultra non poterat ingredi et egredi propter impotentiam senectutis : ad cujus reprobationem sufficit B auctoritas allegata. Sed et filii Israel jam erant circa Jordanem juxta confinia terræ promissionis, ita quod labor nullus aut modicus erat ingredi eam ex parte localis distantiæ, nec dubium quin Moyses adhuc incolumis fuerit. Denique pater Moysis Amram vixit annis centum triginta *Exod.* VI, 20. septem, ut legitur in Exodo. Moyses autem confortabatur a Domino supernaturaliter etiam quantum ad bonam corporis habitudinem : quod in prætacta auctoritate insinuatur, et probatur ex eo quod in tanta C ætate non caligavit oculus ejus, nec moti sunt ejus dentes. Imo ut refert Lyra, ubi habemus, Non caligavit oculus ejus, Hebræi dicunt, Non fuit obscura visio ejus, sumuntque visionem pro colore, qui est visus objectum : sicque color Moysis mansit in ipso in suo vigore et vivacitate.

Vocavitque Moyses Josue. Quidam, quos sequitur Lyra, dicunt quod hic describitur institutio novi ducis, videlicet Josue, in principatu pro Moyse. Verumtamen hoc non videtur, quum hic potius describatur, D qualiter Moyses exhortatus sit ipsum Josue ad strenuam sui ducatus exsecutionem. De-

Digitized by Google

nique in Numerorum libro recitatur institutio ipsius Josue in ducatu, ita quod diu ante hæc Moyses instituit illum in sui successorem juxta Dei commissionem, et hoc etiam fatetur Lyra ibidem. Scriptum est namque in Numeris, quemadmodum Moyses audita Dei sententia de hoc, quod non introduceret populum in terram promissam, mox de idoneo successore et boni communis promotione sollicitus, dixit : Providcat Dominus Deus spirituum omnis carnis,hominem qui sit super multitudinem hanc. Respondit Dominus : Tolle Josue, et pone manum tuam super eum, etc. Talis autem impositio manus, fuit signum institutionis in principem. Itaque dicitur : Vocavit Moyses Josue, *et dixit ei coram omni multitudine Israel : Confortare et esto robustus,* id est mente et corpore fortis, et in spe fortitudinisque virtute firmatus ad idoneam injuncti officii exsecutionem. *Tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se Dominus patribus eorum juravit, et tu eam divides sorte, et Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum. Non dimittet te. Noli timere, nec paveas.*

Num. XXVII, 22, 23.

Ibid. 16, 18.

Scripsit itaque Moyses legem hanc : non quod omnes libros suos scripserit in hoc loco, ut patet ex dictis, sed Deuteronomium scripsit hic ; *et tradidit eam,* id est librum legis istius, *sacerdotibus,* quorum fuit instruere plebem, *dicens : Post septem annos, anno remissionis,* id est semel infra septem annos, videlicet in ipso septimo anno, qui est annus remissionis, in quo debita remittuntur, juxta sensum præhabitum, *in solennitate Tabernaculorum, leges,* tu congregatio sacerdotum, seu quidam ex te, *verba libri* hujus coram omni Israel, audientibus eis, et in unum omni populo congregato* in atrio tabernaculi aut templi. Tunc enim cum speciali celebritate legebatur lectio ista quotidie, durante ipsa solennitate quæ septem diebus duravit. Nihilo minus aliis diebus frequenter sacerdotes et scribæ populum instruxerunt in lege. *Ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant omnes sermones legis hujus. Filii quoque eorum qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus, quibus versantur in terra,* etc.

* *legis*

Et ait Dominus ad Moysen : Ecce prope sunt dies mortis tuæ, id est dies, in quorum uno solves debitum naturæ mortalis, *voca Josue, et state in tabernaculo testimonii, ut* inde *præcipiam ei,* ea quæ ipsum specialiter ratione officii sui concernunt. *Abierunt ergo Moyses et Josue, et steterunt in tabernaculo testimonii. Apparuitque Dominus ibi in columna nubis,* ita quod nubes tabernaculum operiens, pro parte sua descendit, vel alia nubes, *quæ stetit in introitu tabernaculi,* id est in ostio seu ingressu qui erat inter tabernaculum et atrium, et in nube illa fuit atque apparuit angelus in Dei persona loquens; vel forsan Dominus de oraculo loquebatur. Apparuit autem in nube, ut populo innotesceret quod Dominus loquebatur ibi cum Moyse et Josue, sicque ipsum Josue haberent authenticum. An autem Josue vidit ibi oculo exteriori angelum illum in aliqua forma visibili, non apparet ex littera certum, sed constat quod verba ejus audivit.

Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens ad male agendum, *fornicabitur post deos alienos,* id est, idololatrando fornicationem spiritualem committet. Verumtamen, sicut in libro Judicum patet, non nisi perpauci declinaverunt ad idololatriam ex his qui cum Josue introierunt terram promissam, aut forsitan nulli, sed posteri quorumdam ex ipsis cœperunt hoc agere adhuc viventibus Phinees et Othoniele, aliisque nonnullis qui cum Josue intraverunt, videlicet Michas, mater ejus, ac Jonathas filius Gersam, filii Moysis, et quidam Danitæ, prout in Judicum habetur libro. Idcirco quod Dominus ait, Populus iste consurgens, etc., non est intelligendum de populo illo in se, sed de posteris. Nec enim populo illi, sed posteritati ipsius

Judic. XVII; XVIII, 30, 31.

Digitized by Google

contigerunt quæ subjunguntur. *Et irascetur furor meus contra eum in die illo, et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo,* id est, pietatis meæ effectum, defensionem et opem subtraham ei, quasi nescirem quid ei acciderit, *et erit in devorationem; invenientque eum omnia mala* hæc, id est præfatæ maledictiones, *et afflictiones, ita ut dicat in die illo: Vere, quia non est Dominus mecum* per gratiam, *invenerunt me hæc mala.* Qualiter sæpius factum sit hoc, in libro Judicum scriptum est. Sicque in eis impletum est quod loquitur Isaias :
Is. xxvi, 16. In tribulatione murmuris doctrina tua eis.
Ibid. xxviii, 19. Et rursus : Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui.

Nunc itaque scribite vobis canticum istud : quod sequenti capitulo continetur, quod filii Israel conscripserunt, postquam a Moyse erat prolatum ; *et docete filios Israel, ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio,* id est, ex cantico isto postea innotescat, quam vera sint ista quæ prædico. *Postquam invenerint eum,* videlicet populum Israel, *multa mala,* id est afflictiones præfatæ, *respondebit ei canticum istud pro testimonio :* id est, ex cantico isto dabitur eis proportionata responsio, quod scilicet propter scelera sua patiantur illa adversa, sicut in isto prædicitur cantico ; *quod nulla delebit oblivio ex ore seminis tui,* id est, nunquam oblivioni tradetur a posteris tuis in toto ; vel, nunquam oblivioni merito traderetur. *Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram quam ei pollicitus sum,* id est, quid cogitet populus iste nunc, et quid acturus sit, quousque introducatur, agnosco. Quasi dicat : Scio quod nunc boni propositi sit, atque ad tempus obediet, idcirco nunc scribit hoc canticum ut præcepi.

Scripsit quoque Moyses canticum, et docuit filios Israel. Præcepitque Moyses * *Josue filio Nun, et ait : Confortare et esto robustus. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus,* etc., *præcepit Levitis,*

* *Dominus*

A *qui portabant arcam fœderis Domini* involutam in motione castrorum, ut dictum *Num.* iv, 5-16.
est in Numeris, *dicens : Tollite,* id est accipite, *librum istum,* scilicet Deuteronomium, vel totius legis volumen, *et ponite eum in latere arcæ,* etc., *ut sit ibi contra te,* o popule Israel, *in testimonium,* id est, ad protestandum ex libro isto, quod excusationem non habeas de ignorantia aut alio modo, quum satis admonitus sis et admonendus ex libro, præsertim in septimo anno. Dicunt autem quidam Catholici, quod
B liber ponebatur in latere arcæ et intra eam ; Hebræi vero, quod in latere arcæ extra et prope eam super tabulam prominentem : quod apparentiam habet ex eo, quia communiter fertur, quod in arca non erant, nisi tabulæ testamenti, et virga Aaron quæ *Hebr.* ix, 4.
fronduit, urnaque aurea habens manna. *Num.* xvii, 10, 11.
Ego enim scio contentionem tuam et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum, id est, frequenter et facili occasione contra Dominum
C murmurastis, et contra me Dei vicarium contendistis. Hoc tamen patribus horum magis quam his competit. *Quanto magis quum mortuus fuero?* Hoc posteri horum, non isti, fecerunt, sicut in libro Judicum legitur. *Congregate ad me omnes majores natu atque doctores, et invocabo contra eos cœlum et terram,* id est, sub horum personis assumam etiam testes cœlum et terram contra majores natu, et scribas ac superiores, ex quorum negligentia et via iniqua contingent in plebe idololatria ac
D ruina. Porro de hac invocatione cœli et terræ in testes, in sequenti dicetur articulo. *Novi enim quod post mortem meam inique agetis.* Probabile reor, quod sicut beatissimis Apostolis, præsertim Joanni evangelistæ desuper fuit revelatus totus processus ac status Ecclesiæ Christi, sic Moysi processus et status Synagogæ. Attamen ista non dixit Moyses determinate de adstantibus coram se, sed de eorum posteritate. *Et declinabitis cito de via quam præcepi vobis ; et occurrent vobis mala in*

Digitized by Google

extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum : quod in ultima hac mundi ætate potissime adimpletur, quamvis extremum tempus possit intelligi illud, quo Deus decrevit eorum peccata ulcisci, et finem imponere vitæ eorum.

Locutus est ergo Moyses audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, etc. Qualiter Moyses qui exilem habuit vocem, a tanta poterat plebe audiri, quæ grande occupavit spatium stando, nisi quod A Deo omnia possibilia sunt, qui id diversis potuit modis efficere, vel vocem Moysis confortando, vel species audibiles in suo vigore ad aures omnium perferendo, seu alio modo ? Jam autem præhabitum est, quod Moyses scripsit hoc canticum, scriptumque in volumine, traditum est Levitis ad reponendum. Nunc vero asseritur, quod audiente populo suo protulit illud, sicque secundum ordinem narrationis historicæ apparet, quod primo scripserit illud, deinde proposuerit plebi.

ARTICULUS XXXV

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI SECUNDI : AUDITE, CŒLI, QUÆ LOQUAR, AUDIAT TERRA VERBA ORIS MEI.

EXCELLENTIA, sententiositas, ac profunditas cantici hujus innotescunt ex hoc, quod præcedenti capitulo disseruit Dominus de cantico isto : Nunc itaque scribite vobis canticum istud, et docete illud filios Israel, ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi canticum istud pro testimonio inter filios Israel. Quumque invenerint eos mala multa, respondebit eis canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis tui. Denique sanctus Moyses de rebus sublimibus locuturus, atque ad suam doctrinam attentos facere volens, ita exorsus est :

Audite, cœli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei. Simili modo Isaias in exordio libri sermonum suorum ac visionum :
Is. I, 2. Audite, inquit, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Jere-
Jer. II, 12. mias quoque : Obstupescite, ait, cœli, super hoc. Porro circa finem præcedentis capituli
Deut. XXXI, 28. Moyses dixit, Invocabo contra eos cœlum et terram. Idcirco quod ait, Audite, cœli, quæ loquar, etc., est invocatio cœli et terræ in testimonium contra iniquos, hoc est assumptio cœli et terræ in testes seu ad te- B stificandum, quod vera sint ista, et quod Moyses hæc ipsa prænuntiaverit populo sibi commisso, præavisando, increpando, admonendo, instruendoque eos, sicque suum adimplens officium, quod sibi imputari non valeat subversio populi ac ruina. At vero in Isaia et Jeremia, per cœlos, qui ibi et hic ad audiendum, testificandum, et obstupescendum invitantur, secundum Hieronymum, Haymonem, Bedam et alios, intelliguntur habitatores cœlorum, cives cœli empyrei, specialiter angeli sancti, qui in C divino judicio testimonium pro bonis omnibus perhibent, imo et contra malos, juxta quod scriptum est : Advocabit cœlum *Ps.* XLIX, 4.
desursum, et terram discernere populum suum. Per terram vero, genus humanum, præsertim electi homines intelliguntur, qui coram Deo se invicem juvant, et de cognitis sibi testantur, ac in judicio judicabunt cum Christo per assessoriam dignitatem et approbationem divinæ sententiæ. Insuper non penitus eadem ex causa Moyses et Prophetæ in testimonium vocant ac sumunt D cœlum et terram, id est angelos et homines. Angeli namque invitantur ad hoc, non

Digitized by Google

ut informentur, aut quia indigeant hominum verba audire, vel testari pro eis ; homines vero ut instruantur, et quia necesse est eis verba Prophetarum audire. Possunt quoque per cœlum et terram, secundum Glossam, Historiamque scholasticam, intelligi cœlestia corpora et elementa. Glossa etenim ait : In principio cantici Moyses maxima elementa in testimonium vocat, ut si homines mandata Dei neglexerint, illorum testimonio convincantur, et puniantur convicti. Et Magister in historiis, in persona Moysis loquitur : Quia in testimonium hujus rei deest mihi protestatio hominum, aut inutilis esset, quia mortales sunt, immortalia elementa in testimonium invoco.

Circa quæ verba quæritur : Primo, qualiter corporibus cœlestibus et elementis competit testimonium exhibere. Secundo, quomodo cœlum dicatur elementum. Tertio, quomodo cœlum et terra dicantur immortalia elementa. Ad primum dicendum, quod cœlum et terra dicuntur testimonium dare hominibus, sicut dicuntur Deum benedicere ac laudare non formaliter, sed occasionaliter ac materialiter : nam sicut considerantibus ea, dant occasionem et materiam laudandi benedicendique Deum, sic dant occasionem testificandi, quam inviolabiliter vera sint verba Creatoris eorum, et quam impie agant qui Dei præceptis inobedientes exsistunt. Rursus, per hoc testimonium perhibent veritati contra iniquos, quia sunt instrumenta divinæ justitiæ ad ulciscendum peccata illorum : quod faciendo ostendunt quam vera sint Dei verba, et quam justa ejus mandata, et quam enormia sint hominum scelera. Hinc scriptum est in Sapientiæ volumine : Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, et pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos. Et rursus in eodem legitur : Creatura tua tibi factori deserviens, excandescit in tormentum adversus injustos, et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Sic demum dicuntur obstupescere super perversitatibus ho- (*Sap.* v, 18, 21.) (*Ibid.* xvi, 24.)

A minum, quoniam contemplantibus cœlestia corpora ac elementa innotescit infinita Creatoris majestas : ex qua consideratione mox oritur admiratio sapienti, quod homines audent tanti principis violare præcepta. Hinc ait Hieronymus : Cœlum videns Dei præcepta calcari, inhorrescit et stuporem dissimulare non potest. Ad secundum dicendum, quod cœlum dicitur elementum, nomen elementi improprie et extense sumendo, in quantum est simplex corpus et principium aliorum, cum quibus tamen

B compositionem non intrat. Ad tertium respondendum, quod cœlum et terra dicuntur immortalia elementa, id est incorruptibilia. Cœlum quippe, quantum ad suam substantiam, corrumpi non potest. Terra vero, sicut et cetera tria elementa, quamvis quoad partes suas possit corrumpi, quia habet contrarium, non tamen quoad se totam, juxta illud Ecclesiastæ : Generatio (*Eccle.* i, 4.) præterit, et generatio advenit ; terra vero in æternum stat. Verum, ut recitat Augustinus, Quidam cœlum et terram quasi

C animata ad audiendum provocari putant, secundum illud in Psalmo : Qui respicit (*Ps.* ciii, 32.) terram, et facit eam tremere ; quum hoc Dei potestatis sit, non eorum intelligentiæ.

Amplius, quidam pertranseuntes exponunt sic : Audite, cœli, quæ loquar, etc., ac si dicat, Sicut cœlum et terra sunt stabiles res, sic sermones mei sunt firmi : quæ expositio alicujus apparentiæ esset, si textus haberet, Fiant vel sint ut cœlum sermones mei, et ut terra verba oris mei. Verumtamen expositio et comparatio ista videtur

D impropria, quum dicat Salvator : Cœlum (*Luc.* xxi, 33.) et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Præterea cantici hujus materia, est excellentia et beneficentia Dei, exhortatio et increpatio populi, ingratitudo atque perversitas ejus, et magnorum introductio mysteriorum. Hinc Lyra hic scribit : Hoc loco describitur exhortatio plebis ad perseverandum in lege ac divinis præceptis. Sed contra hoc loquitur Rabbi Paulus : Canticum istud non est exhortatorium, sed

Digitized by Google

mere propheticum, nec in ipso ponuntur A aliqua monitoria verba. Quod non censetur rite prolatum, quum exordium hujus cantici sit exhortatorium magis quam prophetale, quum dicitur : Audite, cœli, quæ loquar, audiat terra, etc. Et infra : Memento dierum antiquorum. Nec est inconveniens, eadem verba esse exhortatoria atque prophetica, ut quum dicitur in Isaia :
Is. XLVII, 1. Descende, sede in pulvere, filia Babylon.
Zach. IX, 9. Et in Zacharia : Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator. Iterum Rabbi Paulus B ait : Ea quæ hic prænosticantur, tempore Isaiæ ad exsecutionem procedere inceperunt. Ad quod dico, quod statim tempore Judicum cœperunt impleri, quæ in isto cantico prædicuntur de Judæorum plagatione propter eorum facinora.

Concrescat ut pluvia doctrina mea : id est, quemadmodum pluvia crescit et augetur in terra ex nubium resolutione, sic mea doctrina in cordibus audientium augmentetur et invalescat ex superna infusione. Vel sic, Concrescat ut pluvia doctrina C mea : hoc est, sicut pluvia terram fecundat, sic mea doctrina audientium mentes efficiat fructuosas, quatenus ex semine verbi cœlestis procedant in fructus virtu-
Is. LV, 10, 11. tum, juxta illud Isaiæ : Quomodo descendit imber de cœlo et inebriat terram, et germinare eam facit, sic erit verbum quod egredietur de ore meo. *Fluat ut ros eloquium meum :* id est, sermo meus fructuose ac dulciter recipiatur, sicut rorem suscipit tellus. *Quasi imber super herbam, et quasi stilla super gramina :* id est, sicut D imber seu humor pluvialis diffunditur super herbas, et facit eas virere ac multiplicari ; et sicut stillicidia influunt graminibus decorem et ubertatem : sic verba mea audientium animas ornent virtutibus, bonisque actibus faciant eas florere. Et sicut pluvia velociter funditur, et longe ac late se spargit, sic prædicatio mea ab audientium cordibus celeriter accipiatur, atque de uno emanet in alium, et multis com-
II Thess. III, 1. municetur. Unde et Paulus ait : Sermo Dei currat et fructificet, sicut in vobis. Et Psalmista : Velociter currit sermo ejus. *Ps.* CXLVII, 15.
Quia nomen Domini invocabo, id est, Deum exorabo, ut dignetur adsistere : ideo confidenter opto et hortor verba mea sic recipi, ac taliter fructificare, quia omnipotens Deus per gratiam suam hoc potest conferre, atque ut conferat oro.

Consequenter in laudem Dei devote prorumpit, et volens populi perversitatem ingratitudinemque monstrare, bonitatem, majestatem ac munificentiam Dei prætangit. *Date magnificentiam Deo nostro.* Magnificentia dicitur, quasi magnæ rei seu magnorum effectuum efficientia, id est vis effectiva rerum sublimium. Itaque, Date magnificentiam Deo nostro, id est, omnipotentiam, omnisque præclari effectus efficientiam vero Deo adscribite. Subest et- *Sap.* XII, 18.
enim ei, quum voluerit, posse : Qui vocat *Rom.* IV, 17.
ea quæ non sunt, tanquam sint ; et omnia *Ps.* CXXXIV, 6.
quæcumque voluit, fecit in toto universo ;
a quo omne datum optimum, et omne do- *Jacob.* I, 17.
num perfectum est. Ideo omne bonum, et quidquid præclarum est, attribuendum est ei. *Dei perfecta sunt opera.* Si perfecta sunt opera Dei, cur et qualiter invenitur imperfectio tanta in creaturis ? Et respondendum, quod unumquodque in sua specie, et quantum ad suum substantiale, perfectum est : quia species rerum consistunt in indivisibili, quia se habent ut numeri, in quibus quæcumque unitatis additio sive subtractio variat speciem. Itaque unumquodque habet quod ad suam specificam requiritur rationem atque essentialem perfectionem. In accidentalibus autem oportet proficere. Rursus, Dei perfecta sunt opera, quia etsi unumquodque secundum se sumptum, videatur imperfectum, omnia tamen simul accepta, sicut sunt valde bona, ita et valde præclara atque perfecta, quia se invicem juvant, ornant, perficiunt,
sicut in Genesi scriptum est : Vidit Deus *Gen.* I, 31.
cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.
Itemque : Perfecti sunt cœli et terra, et *Ibid.* II, 1.
omnis ornatus eorum. Nam et ipse pulcherrimus rerum ordo, grandis perfectio

Digitized by Google

rerum est, et universa venustat : quemadmodum in exercitu unusquisque per se quamdam habet imbecillitatem, fortitudinemque minorem, sed omnes simul sunt valde fortes, atque ex mutua condecenti coordinatione præcipuum sortiuntur vigorem et mirum decorem. Hinc quoque secundum Philosophum, totum universum comparatur ad primum principium, sicut exercitus ad regem seu principem. Et Plato ait, quod mundus incomparabili pulchritudine decoratur. Et denuo : Optimi, inquit, et perfecti opificis erat, optima adducere, et opus perfectum producere.

Et omnes viæ ejus judicia. Viæ Dei quandoque vocantur perfectiones et attributa ipsius in se ipso, per quas procedit in actum ad causandum in creaturis. Unde
Ps. xxiv, 10. fertur in Psalmo : Universæ viæ Domini
Ps. lxi, 12, 13. misericordia et veritas. Et rursus : Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi,
Ps. ciii, 24. Domine, misericordia. Itemque : Omnia in sapientia fecisti. Quod si quæratur, quum perfectio Dei sit ipsemet Deus pure et simplex, et infinite perfectus, quomodo perfectio Dei dicatur via, quum Deus sit omnium ultimus finis, et via sit medium quoddam ad finem : respondetur, quod secundum modum et ordinem nostræ apprehensionis inter Deum agentem et ejus effectum, potentia, sapientia, misericordia, justitia et voluntas ejus accipiuntur quasi formalia quædam agendi principia, et ita sunt quasi media inter Deum et creaturam. Hinc de Deo ait Boetius :

Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Hæ itaque increatæ viæ, quæ realiter idem sunt, sicut et attributa, perfectionesque Dei : hæ, inquam, viæ sunt judicia, id est judiciales seu discretæ, quia in omnibus prudentissime ac sapientissime agunt. Præterea, viæ Dei sunt ejus præcepta, consilia, documenta, quæ omnia sunt judicia, censura discretionis ornata. Judicium namque frequenter pro discretione accipitur. Unde
Joann. xii, 31. in primo suo adventu dixit Salvator : Nunc judicium est mundi. Iterum, viæ Dei sunt

A operationes ac gesta, leges ac jura ipsius, quæ omnia justa sunt et discreta, juxta illud Psalmi : Justus Dominus in omnibus Ps. cxliv, 17.
viis suis. Unde in Apocalypsi dicitur : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Apoc. xv, 3; xvi, 7.
Deus omnipotens ; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Et rursus : Etiam, Domine Deus omnipotens, justa et vera judicia tua.

Præterea quæri potest, quomodo omnes viæ Dei sint justæ, et justus Dominus in omnibus viis atque judiciis suis, quum di-
B ctum sit, Universæ viæ Domini misericor- Ps. xxiv, 10.
dia et veritas ; imo quum scriptum sit in Canonica Jacobi, Superexaltat misericordia Jacob. ii, 13.
judicium ; atque in libro Psalmorum, Mi- Ps. cxliv, 9.
serationes ejus super omnia opera ejus. Dicendum, quod Deus in vita præsenti tanquam in itinere et exsilio, specialiter exhibet misericordiam ; in judicio vero tam particulari quam generali, specialiter suam monstrabit justitiam. Quum vero omnes viæ Dei dicuntur justæ, et justus Dominus in cunctis operibus suis, justitia sumitur
C extense pro condecentia quadam, qua decet eum sic agere, sicut agit. Nam et ipse tam bonus, pius, amorosus, ac liberalis consistit, ut deceat eum etiam indignis, ingratis, ac impiis misereri, et bona pro malis largiri.

Deus fidelis, quia verax in verbis, et promissa integre implens, fons totius fidelitatis, et fidei auctor, et omnia opera Ps. xxxii, 4.
ejus in fide, de quo Psalmista : Fidelis Ps. cxliv, 13.
Dominus in omnibus viis suis ; *et absque ulla iniquitate,* quum ipse sit bonitas pu-
D ra, et primum ens, mensura, causa, ac regula totius virtutis, sanctitatis, ac æquitatis. Unde Sapiens loquitur : Quum sis Sap. xii, 15, 16.
justus, omnia juste disponis. Virtus enim tua justitiæ initium est. Job quoque : Absit Job xxxiv, 10.
a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Ideo ait : An non licet mihi, quod Matth. xx, 15.
volo, facere ? quasi dicat : Utique. Siquidem eo ipso quo placet quid Deo, bonum et justum est. *Justus et rectus.* Forte quis instet, dicens : Si justus est Deus, cur potius unum prædestinavit, elegit, vocat, et

Digitized by Google

salvat quam alium? Cur frequenter deserit justos, permittens eos cadere ac perire, et allicit sibi injustos? Cur sæpe convertit pejores, et deserit meliores? Cur unum sic prævenit magis quam alium, in tantum *Exod.* XXXIII, 19. ut protestetur, Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit? Denique justus est, qui unicuique reddit quod ei debetur. Deus vero nulli est debitor. Et respondendum, quod Deo competit non commutativa, sed distributiva justitia, quia unicuique dat quod meretur. Et unicuique influit gratiæ dona, secundum quod se *Matth.* XXV, 15. disponit; dat etiam unicuique secundum propriam virtutem, capacitatem, seu di- *Act.* X, 34. gnitatem, nec personarum acceptor est. Rursus, Deus dicitur justus, quia in omnibus agit ut eum decet, et prout ejus sapientia dictat. Hinc Anselmus loquitur Deo: Quum punis malos, justum est, quia illorum meritis congruit; et dum parcis malis, justum est, quia bonitatem tuam decet. Quamvis autem absolute loquendo ac proprie Deus non sit hominibus debi- *Rom.* II, 6-8. *Coloss.* III, 24. *Jacob.* I, 12. tor, tamen quodammodo debitor justis est, in quantum bene agentibus remunerationem promisit, et eum id facere deceat, juxta *Job* XXXIV, 11. illud Job: Opus hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet. Hinc Thomas in prima parte, quæstione 21, disseruit: Opus justitiæ Dei semper præsupponit opus misericordiæ, et in eo fundatur: quoniam quidquid virtutis aut meriti, quidquid boni aut debiti reperitur in creaturis, ex divina pietate originaliter datum est, cujus dona sunt merita nostra.

Peccaverunt ei, hoc est ad irreverentiam Dei, mandata ejus transgrediendo; *non filii ejus in sordibus*, id est, pravi filii Israel, qui peccando a Deo patre degeneraverunt, et ipsum inhonorando, demeruerunt appellari filii ejus. Unde per Ma- *Malach.* I, 6. lachiam Dominus loquitur: Filius honorat patrem suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et quod dictum est, In sordibus, potest referri ad verbum hoc, Peccaverunt: quia in immunditiis, præsertim in idololatriis suis, Dominum offenderunt.

A In Scripturis autem tam idola quam cultus eorum, sordes vocantur. Potest item referri ad illud, Non filii ejus: quoniam immunditia vitiorum, est ratio ob quam non sunt filii Dei; præsertim vero per infidelitatem seu incredulitatem, merentur homines non esse nec dici filii Dei, quum ad Galatas dicat Apostolus: Omnes vos *Galat.* III, 26. filii Dei estis per fidem. Et Joannes: Quot- *Joann.* I, 12. quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Porro Septuaginta transtulerunt: Peccaverunt non ei filii B vituperabiles. Et hoc verum est, quantum ad hoc, quod peccando nocuerunt sibi ipsis, non Deo, juxta quod legitur in Job: Si *Job* XXXV, 6, 7. peccaveris, quid Deo nocebis? Et si juste egeris, quid ei donabis?

Generatio prava in effectu, *atque perversa* in affectu. Prava quoque in sensualitate, et perversa in superiori parte animæ; prava per errorem ac perfidiam intellectus, perversa per infectionem affectus. *Hæccine*, hoc est, an hæc: quasi dicat, Merito ita non faceres: Hæccine, C inquam, *reddis Domino, populi stulte et insipiens?* id est, tantas injurias et offensas Deo rependis pro beneficiis ejus, et pro reverentia quæ ei propter propriam suam majestatem ac honorabilitatem debetur, tu Israelitica gens, stulta, non cognoscendo te ipsam, nec bene utendo rebus creatis, atque insipiens, male sentiendo de Creatore. *Numquid non ipse est pater tuus?* Jam dictum est, quod impii non sint filii Dei, sed magis diaboli, quibus ait Salvator: Vos ex patre diabolo estis. Quomodo *Joann.* VIII, 44. D ergo nunc dicitur eis, Numquid non ipse est pater tuus? Et respondendum, quod impii sunt filii Dei jure creationis, non autem gratia adoptionis. Impii vero ad tempus, et tamen electi ad vitam gloriæ, sunt filii Dei per prædestinationem æternam. Itaque ipse est pater tuus, *qui possedit te* per fidem et gratiam, quamdiu ei servisti. Vel, Possedit te jure sui universalis dominii, quoniam ipse est omnium Dominus, etiam iniquorum de jure, etsi non de facto, imo et de facto, quantum ad hoc quod

Digitized by Google

ei resistere nequeunt, et suam in eis, dum vult, voluntatem exercet. Unde de Oolla et Ooliba per Ezechielem testatur : Et habui eas. Vel, Possedit te, conservando te in esse quamdiu subsististis, sine cujus manutenentia, nec ad momentum posses subsistere. *Et fecit et creavit te :* fecit te, corpus formando ; creavit, animam de nihilo producendo. Vel, Fecit te, per causas secundas, quantum ad corpus. Nam opus naturæ, et quidquid parentes ad procreandum efficiunt, atque cœlestia corpora influunt, est principaliter opus Dei. Quod sanctus Job insinuans, loquitur Deo : Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti ? Et creavit te, quia non solum condidit animam, sed et in exordio mundi ipsam materiam. At vero in his verbis, secundum Glossam, est ordo præposterus. Primo enim Deus creavit, producendo ut esset ; secundo fecit formando ; tertio possedit dominando. Verumtamen corpus formatur, antequam anima creetur.

Ezech. XXIII, 4. *Job* X, 8, 10.

Memento dierum antiquorum, id est, ea quæ ab exordio mundi contigerunt, ad memoriam revoca, præsertim qualiter ex antiquis, id est diu elapsis diebus, Deus misericordissime et gratiosissime egit cum sanctis patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob : ex quibus agnoscere poteris, quam vere ipse sit pater, creator, formator, possessorque tuus. Sic et Psalmographus ait : Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis. Et Isaias sanctus vir Deo fatetur : Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum ; et fictor noster es tu, et opera manuum tuarum omnes nos. *Cogita generationes singulas,* quantum in Scripturis redactæ sunt, aut aliunde tibi patescunt. Præsertim attende generationes descendentes de Abraham, Isaac et Jacob, qualiter Deus elegit ipsum Isaac et ejus posteritatem, magis quam Ismaelem et semen ipsius ; deinde qualiter unum filiorum Isaac, scilicet ipsum Jacob, elegit, fratre ejus relicto, et qualiter universos filios Jacob elegerit, et posteritates eorum usque in præsens præ ceteris gentibus sibi assumpserit in populum peculiarem, sicut superius dictum est : Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et elegit eos, amavitque semen eorum post eos. Hæc memoriter revolvendo, scies quam gratiose ac munificenter Dominus egerit cum patribus tuis tecumque.

Ps. CXLII, 5. *Is.* LXIV, 8. *Gen.* XXVI, 3, 4, 24. *Ibid.* XXVII, 29. *Deut.* X, 15.

Interroga patrem tuum, id est antecessores tuos fideles, eorum scripta aut gesta investigando, *et annuntiabit tibi* veritatem de his. Pater enim notam faciet filiis veritatem ; et, In antiquis est sapientia. Interroga quoque *majores tuos,* utpote doctores legis, seniores plebis, sacerdotes atque prælatos, *et dicent tibi* quam pie et liberaliter Dominus egerit cum progenitoribus tuis et tecum. Quod etiam constat ex eo quod subditur : *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam :* quod post diluvium in constructione turris Babylonicæ contigit. Nam usque ad tempus illud posteri Noe erant quasi plebs una, vel non multum ab invicem divisa habitatione atque dominio ; sed in ipsa turris ædificatione loquelæ sunt multiplicatæ, et qui ejusdem loquelæ effecti sunt, simul manserunt et gens una fuerunt. Verumtamen ante turris inceptionem divisæ erant posteritates ac familiæ natæ ex tribus filiis Noe, quemadmodum in Genesi scriptum est, quo inter cetera legitur : Hæ familiæ Noe juxta populos et nationes suas, et ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium. Imo, secundum Isidorum Historiamque scholasticam, ante turris inchoationem ex tribus filiis Noe fuerunt natæ septuaginta duæ gentes sive familiæ, videlicet quindecim de Japhet, triginta de Cham, viginti septem de Sem. Attamen Augustinus sextodecimo de Civitate Dei computat de Cham generationes triginta unam, et per consequens in toto generationes septuaginta tres. Postea vero fatetur, quod verius numerentur septuaginta duæ dumtaxat. In ipsa autem turris fabricatione, Deus operantibus exsistentibusque ibidem novas in-

Is. XXXVIII, 19. *Job* XII, 12. *Gen.* XI, 8, 9. *Ibid.* X, 32.

Digitized by Google

didit linguas. Quod qualiter factum sit, A difficile est intelligere ac docere, secundum quod sextodecimo de Civitate Dei asserit Augustinus : Per linguas divisæ sunt sicut placuit Deo, qui hoc modis occultis, nobisque incomprehensibilibus fecit. Facta itaque idiomatum plurificatione, divisit Altissimus septuaginta duas gentes illas per diversa climata orbis, et separavit filios Adæ natos per Noe et filios ejus, ab invicem loquela, habitatione, dominio, quem-
Gen. XI, 9. admodum in Genesi legitur : Inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum re- B gionum.

Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Hoc in Glossa interlineari exponitur sic : Tot constituit Dominus singulas gentes, quot erant singulæ personæ in populo Israel, vel quot ingressæ sunt Ægyptum, id est septuaginta. Unde et alii dicunt : Termini populorum seu populi distincti sunt secundum septuaginta linguas, juxta numerum filiorum Israel qui intraverunt Ægyptum cum Jacob, qui erant septuaginta, juxta illud Ge- C
Ibid. XLVI, 27. neseos : Omnes animæ domus Jacob quæ ingressæ sunt Ægyptum, fuerunt septuaginta ; atque secundum hoc fuerunt septuaginta populi distincti secundum diversas linguas. Itaque, Constituit terminos populorum, id est, in præfata linguarum confusione ac multiplicatione distinxit gentes, et eas numeravit, earumque terminos, id est fines seu habitationes, aut certam quotam posuit juxta numerum filiorum Israel, qui cum Jacob introierunt Ægyptum. Verum huic expositioni aliqua obviare vi- D dentur. Primum, quia secundum Augustinum sextodecimo de Civitate Dei, ex tribus filiis Noe septuaginta duæ gentes ac totidem linguæ per terras esse cœperunt ; et addit : Quæ gentes crescendo etiam insulas impleverunt, et auctus est numerus gentium multo amplius quam linguarum. Nam et in Africa novimus barbaras multas nationes esse in una lingua. Secundo, quo-
Ibid. 26. niam in Genesi habetur : Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, et egressæ de femore ejus, fuerunt sexaginta sex. Tertio, quoniam Septuaginta transtulerunt : Omnes animæ domus Jacob fuerunt septuaginta quinque : quam translationem reprehendi non posse, constat ex eo quod legitur in Actis, ubi Lucas evangelista refert sic verba beati protomartyris Stephani : Mittens Joseph, accersi- *Act.* VII, 14.
vit patrem suum in animabus septuaginta quinque. Ad hæc posset quis dicere, quod Scriptura non solet computare aut exprimere minutias numerorum ac temporum. Porro, dum septuaginta animæ seu personæ domus Jacob dicuntur Ægyptum intrasse, computantur et Joseph ac filii ejus. Nam Joseph illuc intravit et duo filii ejus ibi nascendo ingressi sunt terram illam. Computatio demum Septuaginta interpretum, intelligenda est secundum Hieronymum per prolepsim, id est anticipationem, ita quod numerant etiam quinque filios filiorum Joseph.

Præterea S. Gregorius antiqua utens translatione : Statuit, inquit, terminos gentium juxta numerum angelorum Dei, ubi Scriptura videtur significare, ministeria angelorum ordinata esse super singulas gentes vel homines, quibus homines regantur et defendantur. Superna enim civitas Dei ex angelis et hominibus constat, ad quam tanti conscendunt hominum, quanti illic remanserunt angelorum. Hæc Gregorius. Alii autem dixerunt, quod tot homines salvabuntur, quot angeli corruerunt : quod Anselmus in libro Cur Deus homo, reprobat satis. Homines quippe non sunt facti solum ad reparandum ruinam angelicam, quia etsi angeli non peccassent, nihilo minus homines facti essent, quamvis forsitan non in numero tanto. Fuerunt quoque quidam dicentes, quod tot homines salvabuntur, quot angeli corruerunt, et ultra hoc, quot angeli stantes manserunt ; vel, secundum alios, quot angeli erant in exordio conditi. Sicque de isto non videtur certitudo haberi. Hinc Thomas in prima parte Summæ suæ, quæstione 23, ait : Melius dicitur, quod soli Deo cognitus est

Digitized by Google

numerus electorum in superna felicitate locandus. Postremo, secundum Magistrum in historiis, Hebræi sic legunt : Constituit Dominus terminos populorum, sed terminos filiorum Israel constituit juxta numerum : quasi dicant, Israelem tanquam carum Dominus numeravit, alios tanquam viles numero non distinxit.

Pars autem Domini populus ejus, hoc est, electus et fidelis populus fuit pars Dei : quod pro tempore illo accipitur de populo Judæorum, quem Deus sibi assumpsit ac dedicavit, ceteris ad idololatriam corruentibus. Ideo subditur : *Jacob funiculus hereditatis ejus,* id est, Israelitica plebs orta ex Jacob, fuit hereditaria portio Dei, seu peculiaris et hereditarius populus ejus, quantum ad electos plebis illius, quoniam erant adoptivi filii Dei. *Invenit eum in terra deserta,* hoc est, Deus populum istum in solitudine visitavit et reperit, non a casu, sed ab idololatris Ægyptiis segregavit, ut eum in eremo sibi arctius ac familiarius applicaret per legis donationem, ac aliis modis ; *in loco horroris et vastæ solitudinis :* quoniam eremus illa inter Ægyptum et Chanaan sita, fuit solo adspectu terribilis atque prægrandis, in qua (*Deut.* VIII, 15.) (ut dictum est supra) erat dipsas et serpens flatu adurens. *Circumduxit eum,* hoc est, populum Israel Deus per varia deserti loca hinc inde deduxit ; *et docuit* populum illum per Moysen et alios adjutores ipsius in regimine populi, et per inspirationes angelicas, per prospera quoque et adversa, et per supernaturales effectus ; *et custodivit quasi pupillam oculi sui,* id est, Deus Israeliticum populum cum speciali diligentia custodivit, direxit, protexit. Nam et nubes eis contra solis æstum obumbravit, ducatumque præbuit. Ab infidelium etiam impugnatione eripuit eos : sicutque pupilla oculum præ ceteris membris diligenter protegit, sic populum illum præ aliis Dominus specialiter gubernavit, et a diversis præservavit periculis.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans. Quemadmodum in Glossa habetur, aquila videns pullos suos plumescere, vertit eos ad solis splendorem : et eos quos videt solem irreverberata acie intueri, nutrit ; quos vero conspicit visum deflectere, quasi degeneres deserit. Quumque pullos approbatos plumescere viderit, excitat eos ad volandum, alis suis eos percutiendo ; lassos vero et deficientes, alis sustentat. *Expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis :* quia dum cupit suos transferre pullos ad alium locum, accipit ipsos super humerum suum, et sic defert eosdem, quasi non metuens a superiori parte periculum tanquam omnibus avibus altius volans ; sed a parte inferiori, ne jacula emittantur, contra quorum læsionem exponit se ipsam pro suorum defensione pullorum. Itaque quam diligenter et amorose se aquila habet ad suos pullos, tam diligenter et amorose, imo multo amplius Deus se habuit ad filios Israel, admonens eos ad spiritualem profectum, ad contemplationis volatum, et super ipsos nubem suam extendens ; alis quoque suæ pietatis ac potestatis, suæ providentiæ et caritatis, ipsos defendens, eos pie ac paterne portavit, sicut supra fertur : Portavit te Dominus (*Deut.* I, 31.) Deus tuus, sicut portare solet homo parvulum filium suum.

Dominus solus dux ejus fuit : hoc est, solus verus Deus per angelum suum et nubem, atque per Moysen et Aaron eduxit populum Israel de Ægypto, et per eremum duxit ; *et non erat cum eo deus alienus :* id est, populus iste in via solitudinis alienos non coluit deos, quamvis quidam ad modicum tempus venerati sint aureum vitulum. Hinc in libro Numerorum Balaam dixit : Non est idolum in Jacob, nec augu- (*Num.* XXIII, 21-23.) rium in Israel ; Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo est ; Dominus Deus eduxit eum de Ægypto. Sed his objici potest, quod per Amos loquitur Deus : Numquid hostiam et sacrificium ob- (*Amos* V, 25, 26.) tulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel ? Et portastis tabernaculum Moloch regi vestro, et imaginem idolorum

Digitized by Google

vestrorum. Unde sanctissimus martyrum A
Act. VII, 42. primicerius Stephanus ait : Convertit autem Deus et tradidit eos servire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro Prophetarum : Numquid hostias aut victimas obtulistis mihi in deserto, etc. ? Denique S. Hieronymus scribit super præallegatum Amos : Ex hoc discimus loco, omnes hostias et sacrificia, quæ in deserto obtulit Israel, non Deo obtulisse, sed Moloch regi suo, hoc est Lucifero seu stellæ matutinæ. Glossa quoque ibidem ex verbis S. Hieronymi ait : Ex quo tempore factum est caput B vituli aurei in deserto, omnia quæ fecerunt aut obtulerunt filii Israel, non Deo, sed idolis fecisse monstrantur. Quod si legantur postea Deo aliqua obtulisse, non voluntate, sed metu offerebant pœnarum. Dominus autem non tam ea quæ offeruntur, quam offerentium intuetur ac suscipit voluntatem. Ad ista super Amos et super Actus Apostolorum respondi : ideo brevitati studens, illuc mitto lectorem.

Constituit eum super excelsam terram, id est, Israeliticam plebem Deus collocavit C in terra promissionis, quæ terra est pars Palæstinæ. Est autem terra illa montuosa, altiorque Ægypto ac circumjacentibus regnis : imo, ut tangit Glossa, aliqui ferunt ibi esse verticem terræ quasi umbilicum : nam et medium terræ ibi esse putatur. Quumque terra ad sphæricam tendat rotunditatem, ut in tractatu de Sphæra docetur, apparet quod ibi sit vertex terræ. Verumtamen paradisus terrestris altior perhibetur. *Ut comederet fructus agrorum,* id est terræ nascentia telluris illius uberri- D mæ ; *ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Istud secundum Gregorium ad litteram stare non potest, quoniam populus ille nusquam legitur mel de petra suxisse, aut oleum de firma petra, ut habet translatio alia : et verum est quod prout verba superficie tenus sonant, nullum horum ad litteram sit impletum. Nihilo minus potest exponi ad litteram, ita quod per verba hæc, fertilitas terræ illius significatur, ut sit sensus : Ut populus ille sugeret in terra promissionis mel de petra, id est, de locis saxeis et petrosis cavernis acciperet mella et ederet, quia in locis talibus atque in arboribus inibi sitis mellificant apes. Hinc primo libro Regum legitur : Ingressus est populus saltum, et *I Reg.* XIV, apparuit fluens mel, extenditque Jonathas 26, 27. summitatem virgæ, et intinxit in favum mellis, et convertit ad os suum. In libro Judicum quoque scriptum est : Examen *Judic.* XIV, apum in ore leonis erat et favus mellis. 8. *Oleumque de saxo durissimo,* id est de locis atque arboribus olivarum, quæ inter saxeas terras ibi nascuntur. In vasculis quoque lapideis mel et oleum solent servari, et inde sumi : sicque de petra, id est vase lapideo, mel suxerunt, et oleum de saxo durissimo, id est hujuscemodi vasculo solidissimo. Sumeret quoque *butyrum de armento,* id est ex fructu et pinguedine lactis vaccarum pertinentium ad pecorum gregem, *et lac de ovibus cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan.* Filii namque, id est habitatores, regionis Basan abundabant pecoribus, quia pascualis exstitit regio illa, et interfecto Og rege, filii Israel acquisierunt oves, arietes et cetera terræ illius jumenta, sicut ex diversis libri Numerorum capitulis innotescit. *Et hircos cum medulla tritici :* nam in terra illa abundabant hœdi et capræ ac triticum optimum, cujus medullam, id est delicatam purgatissimamque farinam, filii Israel acceperunt. *Et sanguinem uvæ biberet meracissimum,* id est defæcatissimum seu mundissimum vinum ex botris expressum : quod sanguis vocatur, propter similitudinem quam habet cum sanguine, præsertim loquendo de rubeo vino. Vinum quoque sanguinem gignit bonum, et instar sanguinis calefacit.

Incrassatus est dilectus, et recalcitravit. Hic Moyses de futuro per modum præteriti, propter prophetiæ certitudinem loquens, populi abusum ingratitudinemque declarat. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : id est, populus Israel a Deo præ ceteris electus atque dilectus, saltem quan-

Digitized by Google

tum ad temporalia bona, impletus est beneficiis Dei et opibus in terra promissionis, et inobediens ac rebellis factus est Deo. Terrena enim prosperitas, opulentia rerum, voluptas et honor, fiunt multis occasio plurium vitiorum, præsertim superbiæ et inobedientiæ. *Incrassatus* fertilitate terræ, *impinguatus* superfluitate alimentorum, *dilatatus* possessionibus ac sobole. *Dereliquit Deum factorem suum* per inobedientiam, præsertim per idololatriam, *et recessit* per mentis aversionem ac infidelitatem, *a Deo salutari suo,* in quo solo vera ejus salus consistit, juxta illud Jere-
Jer. III, 23. miæ : Vere in Domino Deo nostro salus Israel.

Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt : id est, in idololatriis et abominabilibus vitiis Deum tam graviter offenderunt, quod ipse invariabilis Deus omnia tranquillissime judicans, per modum vehementer irati se habuit, illos acerrime puniendo, quum ipse improvocabilis per-
Ibid. VII, 19. severet, sicut per Jeremiam fatetur : Numquid me ad iracundiam provocant? nonne semetipsos in confusionem vultus sui ? *Immolaverunt dæmoniis, et non Deo.* Hoc
I *Cor.* X, 20. est quod ait Apostolus : Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant. Nam etsi militiæ cœli aut hominibus mortuis, quos putant consecratos in deos, offerant hostias, dæmonibus offerunt eas, quibus id maxime placet, et instigant ad talia, atque per idola dant responsa. *Diis quos ignorabant.* Putant namque aliquid numinis seu divinæ perfectionis, divino cultu condignum, esse in diis seu spiritibus responsa præstantibus, quum tamen ita non sit, sed eo ipso quo exigunt sacrificia sibi offerri, probantur esse pravissimi, ac divini honoris sacrilege cupidi, sicut in libro de Fide et legibus Guillelmus Parisiensis probat diffuse. *Novi recentesque venerunt,* id est dii noviter instituti. Gentiles enim frequenter deos novos instituerunt, eos videlicet qui magnum atque insolitum aliquid perpetraverunt, aut aliquid rei publicæ utile

A repererunt. Unde, ut legitur in Actis, quum Paulus viperam suæ manui appendentem excussisset in ignem, nec læderetur, Barbari dixerunt quod esset deus. Secundo quoque Machabæorum, filius Antiochi : Patre, inquit, nostro inter deos translato. *Quos non coluerunt patres eorum :* quod intelligi potest tam de bonis, quam de malis ac perfidis idololatrantium patribus Judæorum. Nam boni patres eorum, Prophetæ, Patriarchæ et justi, nullum coluerunt alienorum deorum; mali vero patres,
B coluerunt aliquos deos. Aliqui tamen patrum illorum non coluerunt omnes deos recentes, quos eorum posteri adoraverunt.

Act. XXVIII, 5, 6.
II *Mach.* XI, 23.

Deum qui te genuit, creando animam, ac vim generativam dando patri ac matri ut nascereris, hunc tu *dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui :* quia opere ostendis idololatriæ, quod dereliquisti Deum, nec vis reminisci ejus per pœnitentiam et veram conversionem. *Vidit Dominus,* qui ait per Amos prophetam : Cognovi scelera *Amos* V, 12.
vestra. Etenim oculi Domini multo luci-
C diores super solem, circumspicientes omnes vias hominum. *Et ad iracundiam,* id est districtam ultionem, *concitatus est,* id est, juste processit, *quia provocaverunt eum,* juxta sensum inductum, *filii sui ac filiæ,* id est impii utriusque sexus, qui sunt filii Dei ac filiæ ratione adoptionis, ut dictum est plenius. *Et ait : Abscondam faciem meam ab eis,* id est, gratiosam præsentiam, opem, cognitionem meam subtraham eis propter eorum demerita. Unde et Cain dixit ad Dominum : Ejicis me ho- *Gen.* IV, 14.
D die a facie terræ, et a facie tua abscondar. Isaias quoque asserit : Peccata vestra *Is.* LIX, 2.
absconderunt faciem Dei a vobis. *Et considerabo novissima eorum,* id est, quid finaliter eis eveniet, adspiciam et aliis indicabo, et quando de carne exierint, eos mox judicabo. Propter quod in Proverbiorum libro testatur : Subsannabo, quum vobis quod timebatis evenerit, quum irruerit repentina calamitas. Cui Jeremias clamat : Domine, inquit, cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut

Eccli. XXIII, 28.
Prov. I, 26, 27.
Jer. XXXII, 19.

Digitized by Google

reddas unicuique secundum omnes vias suas.

Generatio enim perversa est, id est ingrata et improba, *et infideles filii,* qui Patri spirituum non obtemperant. *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus,* id est in falsorum cultu deorum, *et irritaverunt in vanitatibus suis,* id est idololatriis et aliis actibus vitiosis, qui non sunt referibiles ad ultimum finem ac veram salutem : idcirco sunt vani et stulti, sicut vana est medicina quæ conferre non potest ad sanitatem. *Et ego provocabo eos in eo qui non est populus,* id est, tam superstitiosis vilibusque hominibus eos subdam ad serviendum, quod vehementissime turbabuntur : qui homines ob suam irrationabilitatem indigni erunt populus nuncupari ; *et in gente stulta,* quæ scilicet idolorum portenta veneratur, *irritabo illos :* quia illarum servituti eos subjiciam, sicque pœna correspondebit culpæ, quoniam sicut mihi per idololatriam et alia vitia prætulerunt creaturas vilissimas, sic eis præficiam indignissimas nationes. Circa hæc Rabbi Paulus ait, quod Judæi maxime recesserunt a Deo in duobus, videlicet idola venerando, et falsa superstitiosaque documenta fingendo, per quæ divina infregerunt præcepta, quemadmodum dicit eis Salvator : Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. (*Matth.* xv, 6.) Et pro his duobus Dominus eis prænuntiat duplicem pœnam correspondentem : quia pro eo quod Deo vero relicto, venerati sunt idola, protestatur quod eos relinquet, et gentiles qui erant non populus, assumet sibi in populum ; pro secundo dicit eos irritandos a gente stulta, videlicet a paganis. Hinc ait et Glossa : Sicut irritaverunt me, multitudinem falsorum deorum colendo, et me reprobando, sic irritabo eos multitudinem gentium assumendo, et ipsos reprobando. Hanc scripturam allegat Apostolus secundum illam translationem, ad Romanos dicens : Primus Moyses dicit, Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. (*Rom.* x, 19.)

Ignis succensus est in furore meo, id est, dictante rigore justitiæ meæ, accendetur ignis in eos : quod a Chaldæis aliqualiter est impletum, qui templum et urbem Jerusalem combusserunt ; deinde Romani sub Tito eadem et majora ipsis Judæis intulerunt supplicia ; *et ardebit usque ad inferni novissima,* id est, de præsenti supplicio pertrahet eos in suis impietatibus perseverantes usque ad tartaros. Quorumdam etenim pœna nunc incipit, deinde in inferno æternaliter durat, quoniam temporali flagello non emendantur, de quibus Jeremias ait : Induraverunt facies suas supra petram, noluerunt reverti. (*Jer.* v, 3.) Itemque : Percussisti eos, et non doluerunt ; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam. (*Ibidem.*) Non tamen judicat Dominus bis in idipsum : quia ut ait Gregorius, Unum supplicium est, quod temporaliter incipit, et in æternis suppliciis consummatur. *Devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.* Hoc non videtur proprie posse intelligi de incendio Chaldæorum aut Romanorum inflicto Judæis, quo templa eorum, urbes et habitacula sunt incensa, nisi forte per modum hyperbolicæ locutionis sumatur. Verumtamen hostes solent blada et fructus terræ incendere aut alio modo destruere ; sicque fundamenta, id est inferiores partes, montium fructiferorum, dicuntur comburi, id est incendio alterari. Hinc in Joel habetur : Ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. (*Joel* I, 19.) Præterea quidam exponunt istud de igne conflagrationis, qui præcedet finale judicium, quo igne aer, aqua et terra purgabuntur : qui ignis universa terræ nascentia prorsus consumet, et usque ad completionem judicii perdurabit, ac data sententia involvet damnatos, atque cum ipsis descendet in tartarum. Unde Septuaginta transtulerunt : Ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos et deorsum.

Congregabo super eos mala, id est, copiam tormentorum eis infligam. Hinc per Ezechielem Dominus protestatur, quod qua-

Digitized by Google

tuor judicia sua pessima mittet in eos, id
Ezech. v, 17; vi, 11, 12. est quatuor genera tormentorum, videlicet gladium, famem, pestilentiam, et bestias terræ. *Et sagittas meas,* id est pœnas acutas, mortiferas, *complebo in eis.* Ad litteram quoque Chaldæi emissarii erant. *Consumentur fame :* multi enim interierunt esurie in obsidionibus Romanorum et Chaldæorum ; *et devorabunt eos aves morsu amarissimo :* volucres enim, præsertim rapaces, comederunt occisorum cadavera. *Dentes bestiarum immittam in eos,* quæ vel corpora exstincta lacerando edebant, aut etiam quos vivos invenerunt, interimebant, *cum furore trahentium super terram,* id est cum furentibus reptilibus, corpus suum per terram trahentibus, *atque serpentium,* id est cum furiosis serpentibus. Porro, ut super Genesim scripsi, multiplex est genus reptilium : Unum, quod trahit ac rapit se vi oris, ut aliqui vermes. Secundum, quod trahit se vi costarum, sicut serpentes. Tertium, quod se rapit et trahit vi pinnarum, ut pisces. Quartum, quod facit hoc vi annulorum, ut animalia annulosa. Quinto, extense loquendo, cuncta animalia vocantur reptilia, quæ etsi pedes habeant ac brevia crura, tamen movendo se, magnam corporis sui partem applicant terræ, ut stellio et lacerta. *Foris vastabit eos gladius,* id est, extra domum et in agris gladio hostium occi-
Jer. xiv, 18. dentur, juxta illud in Jeremia : Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio ; *et intus pavor,* id est, in domibus suis ac urbibus affligentur formidine propter imminentia mala ; *juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene :* ita quod tribulatio illa nulli parcet ætati. Quod qualiter in ob-
Thren. ii, 11, 12, 21. sidione Chaldæorum impletum sit in populo Judæorum, in Threnis Jeremiæ habetur ; qualiter autem sub Tito, Josephus refert. Hinc scriptum est in Ezechiele :
Ezech. v, 16, 17. Mittam sagittas pessimas in eos, famem et bestias pessimas.

Et dixi : Ubinam sunt? quasi ipse Dominus dicat : De terra sua ejecti sunt, et pro magna parte exstincti. *Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum :* id est,

A tot calamitatibus opprimentur, quod peribit eorum memoria, quantum ad laudem et bonam famam. Nempe ut Salomon loquitur : Memoria justi cum laudibus ; no- Prov. x, 7.
men impiorum putrescet. *Sed propter iram inimicorum distuli :* id est, ad reprimendum impetum iracundiæ adversariorum, non statim permisi Judæos iniquos vinci ac perimi, *ne forte superbirent hostes eorum,* id est adversarii Judæorum. *Et dicerent* ipsi hostes, si statim prævalerent : *Manus nostra excelsa,* id est, propria potestate et
B adjutorio deorum nostrorum sortiti sumus triumphum ; *et non Dominus fecit hæc omnia,* id est, virtute Dei ac Domini Judæorum non prævaluimus. Ideo itaque Dominus fecit hoc, ne ipse blasphemaretur, et ne falsi dii a suis extollerentur cultoribus. Unde per Isaiam testatur : Propter me ego Is. xlviii, 11.
faciam ut non blasphemer. Sæpe quoque per Ezechielem fatetur : Peperci nomini Ezech. xxxvi, 21.
meo magno.

Gens absque consilio est et sine prudentia : id est, Judæi tam impii carent omni
C salubri consilio, quia non tractant qualiter per veram contritionem possint Deo placere, atque instantia adversa evadere : sic quoque carent vera prudentia, quoniam actus suos non referunt ad finem sanctum atque salutem, et dato quod dicant oppositum, non tamen referunt actus suos ad rectum finem per media apta. *Utinam saperent* ea quæ Dei sunt atque salutis, *et intelligerent* causas suæ captivitatis et afflictionum jam præfatarum, quas in captivitate et dispersione prætactis patiuntur,
D *ac novissima providerent,* id est futurum Dei judicium et suam damnationem æternam, quam post præsentem recipient tribulationem, quia non emendantur per eam. *Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugarunt decem millia?* Hic ponitur numerus determinatus seu principium numeri pro indeterminato, ut sit sensus : Qua ratione et causa contigit, quod paucissimi adversariorum, videlicet unus aut duo, valdeve pauci insecuti sunt, terruerunt, fugaverunt et vicerunt copiosam multitudinem

Digitized by Google

impiorum ac infidelium Judæorum, qui A insuperabiles erant quamdiu Deo fideliter servierunt ? Ad quod respondet : *Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos ?* id est, manibus hostium tradidit propter eorum impietates, sicut datur res venalis pro pretio, et merces pro merito. Unde loquitur Is. L, 1. Isaias : Ecce in iniquitatibus vestris venundati estis. *Et Dominus conclusit illos?* id est, omnipotens Deus Judæos sacrilegos coarctavit infra adversariorum suorum potentiam, ita quod nec resistere nec effu- Ps. LXXVII, 62. gere poterant, juxta illud Psalmi : Conclu- B sit in gladio populum suum.

Non enim est Deus noster ut dii eorum, id est, Deus noster non assimilatur diis idololatrarum, quoniam Deus noster est sanctus, Apoc. XIX, 2. verax et justus : idcirco non fovet populum suum in vitiis, nec sceleratos impœnitentes tuetur ab hostibus, quamvis iniquis, sed in præsenti corripit et castigat. Porro dii gentium falsi suos cultores fovent in eorum sceleribus, nec ipsos pro ipsorum peccatis in præsenti redarguunt et emendant. *Et inimici nostri sunt judices.* Hoc C tripliciter potest exponi. Primo, quod spiritus maligni loquentes per idola seu etiam animæ hominum sceleratorum qui coluntur ut dii, ipsi quoque idololatræ et persecutores agnoverunt Deum Israel esse verum et sanctum Deum, suos cultores ita tractantem, quando merentur et peccant tam graviter. Unde et Achior dixit ad Ho- Judith V, 18, 21. lofernem : Quotiescumque præter Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam et gladium. Deus enim illorum odit iniquitatem. In Jeremia quoque scriptum D est, quemadmodum Nabuzardan princeps militiæ regis Babylonis, dixit ad Jeremiam : Jer. XL, 2, 3. Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum, quia peccastis Domino. Hinc dicit Glossa : Inimici nostri sunt judices approbatores. Nam et qui idola colunt, unum Deum esse intelligunt, qui creavit cœlum et terram. Secundo sic : Inimici nostri sunt judices, id est, adversarii Judæorum facti sunt judices eorum, quia Chaldæi, Romani, et ceteri quibus Deus subjecit Judæos iniquos, judicaverunt eosdem, et usque nunc judicant eos pro libitu suo ac puniunt. Deus namque exercet sua judicia interdum per homines vitiosos, et fideles peccantes frequenter punivit per infideles. Potest et tertio sic exponi, quod præfati adversarii Judæorum, per mirabilia opera Dei atque per proprias pœnas, quas tandem justo judicio receperunt a vero Deo, cognoverunt et fassi sunt quanta sit excellentia, sanctitas et justitia Dei Israelitarum.

De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ, id est, vinea Judæorum est de numero vineæ Sodomitarum ac Gomorrhæorum. Per vineam namque intelligitur plebs quæcumque, præsertim bona et fructuosa. Unde de populo Judæorum fertur in Psalmo : Vineam de Ægypto Ps. LXXIX, 9. transtulisti. Et in Isaia : Vinea Domini exer- Is. V, 7. cituum, domus Israel est. Et Osee ait : Vitis Osee X, 1. frondosa Israel. Itaque sensus est, quod populus Israel assimilatus est Sodomitis et Gomorrhæis in suis sceleribus. Idcirco Isaias : Audite, inquit, verbum Domini, principes Is. I, 10. Sodomorum, auribus percipite legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. Imo per Ezechielem Dominus locutus est Synagogæ : So- Ezech. XVI, 51. doma dimidium peccatorum tuorum non peccavit. Christus quoque in Evangelio contestatus est : Terræ Sodomorum remissius Matth. XI, 24. erit in die judicii quam tibi. *Uva eorum, uva fellis.* Per uvam intelligitur vitiosus Judæorum affectus, seu cogitatio prava, quæ fuit in communitate et in particularibus ejus personis. Unde subjungitur : *et botrus amarissimus,* seu, ut aliqui legunt, botri amarissimi. Itaque interior eorum iniquitas felli comparatur, acerbissimoque absinthio, quia invidia, ira, indignatione, impatientia, crudelitate pleni fuerunt. *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Sicut ex uva exprimitur vinum, ita ex impia cogitatione et perverso affectu exterior prodit iniquitas, quæ nunc nomine vini significatur, quoniam male delectat atque inebriat operantem ; et felli draconum, venenoque aspidum as-

Digitized by Google

similatur, quia tam eum qui peccat, quam
illos quos scandalizat, mortifere inficit,
et ad infernalem amaritudinem trahit. In
præsenti quoque gravissimis pœnis mere-
tur puniri, et conscientiæ parit remorsum.
Jer. xxiii, 15. Hinc in Jeremia Dominus ait : Ecce ego
cibabo eos absinthio, et potabo eos felle.
Et merito, quia de talibus scriptum est
Amos vi, 13. alibi : Convertistis in amaritudinem judi-
cium, et fructum justitiæ in absinthium.
Istud etiam in Isaia Dominus exprimens :
Is. v, 2. Exspectavi, inquit, ut vinea mea faceret
uvas, fecit autem labruscas. Cui et Jere-
Jer. ii, 21. mias increpatorie dicit : Quomodo conver-
sa es in pravum vinea aliena?

Nonne hæc condita sunt apud me? id
est, præfata Judæorum facinora certissime
comprehensa sunt in scientia mea, et in
sanctuario sapientiæ meæ contenta, ut in
judicio proferantur, et debite puniantur.
Job xiv, 17. Unde et sanctus Job loquitur Deo : Signa-
sti quasi in sacculo peccata mea. *Et signa-
ta in thesauris meis,* id est in opulentia
et plenitudine, incomprehensibilique se-
creto justitiæ atque potentiæ meæ, ut loco
et tempore opportuno a me præfixo pan-
dantur ad ulciscendum. Quasi dicat : Quam-
vis diu differatur vindicta, non tamen ex-
cidunt a memoria mea. Hinc in Jeremia
Jer. l, 25. scriptum est : Aperuit Dominus thesaurum
suum, protulit vasa iræ suæ. Unde beatus
Job x, 13. Job ait ad Dominum : Licet hæc celes in
corde tuo, tamen scio quod universorum
memineris.

Mea est ultio : id est, ad me tanquam
ad primum et summum omnium judicem
pertinet, nullum peccatum relinquere im-
punitum, quia aut per actus pœnitentiæ
nunc punitur, aut postea sine fine mul-
Ibid. xxiv, 12. ctabitur. Ideo scriptum est : Deus inultum
Nahum i, 2. abire non patitur. Et Nahum ait : Ulciscens
Dominus, et ulciscens in hostes suos. De
Ps. ix, 8, 9. quo ait Psalmista : Paravit in judicio thro-
num suum, et ipse judicabit orbem terræ
in æquitate, et populos in justitia. Hoc
quippe requirit immensitas divinæ perfe-
ctionis, et infinita perfectio divinæ justi-
tiæ, ut malum culpæ ordinetur per bonum

A pœnæ, ut qui propriæ voluntati immo-
deranter indulsit seu acquievit peccando,
in recompensam justitiæ aliquid voluntati
propriæ contrarium patiatur. *Et ego retri-
buam eis* justam pœnam pro culpa ipso-
rum, *in tempore* præstituto, dum scilicet
pondus iniquitatis eorum fuerit adimple-
tum, ita quod plus ab eis sufferre nolue-
rim. Hinc in Genesi scriptum est : Nondum Gen. xv, 16.
completæ sunt iniquitates Amorrhæorum;
quasi dicat, Illis completis, protinus dis-
peribunt. Propterea Jeremias Judæis pra-
B vissimis dicit : Non poterat vos Dominus Jer. xliv, 22.
ultra portare propter malitiam studiorum
vestrorum. *Ut labatur pes eorum,* id est,
desiderium eorum frustretur, secundum
illud : Iter impiorum peribit. Vel, Laba- Ps. i, 6.
tur pes eorum, id est, ipsi in prælio cor-
ruant.

Juxta est dies perditionis, id est, hora
justæ damnationis pravorum veniet cito.
Ideo dicit Sophonias : Juxta est dies Domini Soph. i, 14.
magnus, juxta et velox nimis. *Et adesse
festinant tempora* justæ retributionis, quia
C indesinenter celerrimeque propinquant. Id-
eo in Apocalypsi Judex testatur : Ecce ve- Apoc. xxii, 12.
nio cito, et merces mea mecum est, dare
unicuique secundum opera sua. Etenim
quidquid termino angustatur, omnique mo-
mento abbreviatur, breve est prorsus, si
æternitati comparetur. Ad litteram quoque
videmus, qualiter festinavit tempus deje-
ctionis Judæorum adesse : quia jamdudum
amiserunt locum, gentem, templum, et om-
nem prosperitatem, quoniam Salvatorem
crucifixerunt. *Judicabit Dominus populum
D suum,* id est, plebem sibi specialiter de-
putatam reprobabit et puniet juxta ipsius
demerita, quum et per Ezechielem præci-
piat : A sanctuario meo incipite percutere; Ezech. ix, 6.
et in servis suis miserebitur, id est, mise-
ricordiæ suæ effectum exercebit in his, qui
sibi fideliter servierunt. Communiter enim
salvavit reliquias, nec in toto deseruit il-
los, quum et quotidie eorum aliqui conver-
tantur. *Videbit,* id est, Dominus videri sci-
rique faciet, *quod infirmata sit manus,* id
est potestas Judæorum debilitata, *et clausi*

Digitized by Google

quoque defecerunt, illi videlicet qui erant captivi, vel qui absconderunt se ipsos, imo et hi qui in turribus et fortalitiis ad resistendum hostibus se clauserunt; *residuique consumpti sunt,* id est, ceteri Judæi hinc inde dispersi, diversis cladibus perierunt.

Et dicent hi, quibus Deus dederit intelligere ista, sive sint adversarii, sive justi et amici Judaicæ plebis : *Ubi sunt dii eorum,* videlicet idololatrantium Judæorum, *in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes,* id est, adipes animalium diis seu idolis oblatorum edebant instar gentilium, *et bibebant vinum libaminum,* id est vina idolis immolata ad liba fundenda, sive ad degustandum : sicque se conformaverunt idololatris etiam in esu et ritu idolothytorum : quod in Levitico Dominus specialiter ac frequenter prohibuit. Jussit enim ut nullus Judæorum
Lev. III, 17; VII, 25-27. manducaret adipem aut sanguinem, nec vina potaret libaminum, quatenus populus Deo vero deserviens, ab idololatris distingueretur. *Surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.* Hoc ironice dicitur, quasi dicat : Jam cernitis quod vobis prodesse non queant.

Videte, id est, per fidem et miraculosa mea opera cognoscite, *quod ego sum solus* verus et omnipotens Deus, qui ubique et semper in omni necessitate et causa potest juvare; *et non est alius Deus præter me.* Vera enim Deitas multiplicari non potest nec dividi, nec diversis communicari : nihilo minus a Patre communicata est unigenito ejus Filio, atque a Patre et Filio Spiritui Sancto, unitate et simplicitate essentiæ permanente. *Ego occidam* rebelles, *et ego vivere faciam,* id est, in vita naturæ ac gratiæ conservabo obedientes; *percutiam* peccantes, *et ego sanabo* pœnitentes. Mortuos quoque Deus resuscitat, imo ad christianæ fidei veritatem monstrandam jam plurimos valde resuscitavit. *Et non est qui de manu mea possit eruere,* id est, nullus mihi potest resistere, nec per vim de potestate mea eripere, quem volo occidere aut damnare. Unde in Jeremia Dominus ait : Quis *Jer.* XLIX, 19.
similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo? *Levabo ad cœlum manum meam,* id est, per modum jurantis habebo me. Consuetudo equidem est quibusdam, jurare cum manus elevatione in altum. Hinc Abraham sic jurando, ait regi Sodomorum : Levo manum *Gen.* XIV, 22.
meam ad possessorem cœli et terræ. Unde Septuaginta transtulerunt : Tollam in cœlum manum meam, et jurabo per dexteram meam. Per hæc etiam verba Deus ostendit superliberrimam omnipotentiam suam, quum tamen ipse illocalis, immaterialis, incircumscriptibilisque consistat. *Et dicam : Vivo ego in æternum,* id est, æternaliter ac beatissime vivo, et sum ipsa superpurissima per se subsistens incommutabilis vita.

Si acuero ut fulgur gladium meum, id est, ad vindicandum me præparavero. Loquitur autem de se more humano : quo quis volens exercere vindictam, acuit ensem. Sicque scribitur de Deo in libro Sapientiæ : Accipiet armaturam zelus illius, *Sap.* V, 18, 19, 21.
induet pro thorace justitiam, acuet diram iram in lanceam. Isaias quoque : Indutus *Is.* LIX, 17.
est, inquit, justitia ut lorica. *Et arripuerit judicium manus mea,* id est, potestas mea cœperit exercere justum judicium. *Reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me, retribuam.* Hoc quidam exponunt de Assyriis et Chaldæis, ac ceteris persecutoribus Judæorum, qui quamvis in devastatione Judæorum fuerunt instrumenta divinæ justitiæ, non tamen fecerunt hoc recta intentione, sed ex crudelitate, cupiditate et ambitione, quemadmodum in Isaia Dominus ait de rege Assyriorum : Væ Assur, *Ibid.* X, 5-7.
virga furoris mei et baculus ipse est; ad gentem fallacem mittam eum. Ipse autem non sic arbitrabitur, sed ad conterendum erit cor ejus. Idcirco et isti meruerunt plagari a Deo propter enormes eorum excessus in filios Israel. *Inebriabo sagittas meas sanguine,* id est, per pœnas acutas seu jacula penetrantia, tantum impiorum sanguinem effundam, seu tantos occidam, quod

Digitized by Google

instar ebrii, videbuntur sanguine esse repletæ; *et gladius meus devorabit carnes,* id est, per gladios obsequentium mihi, impiorum corpora trucidabo. *De cruore occisorum.* Hic tangit quo sanguine inebriabit suas sagittas, utpote occisorum cruore. Deinde tangit, quorum carnes gladius suus vorabit : *et de captivitate nudati inimicorum capitis,* id est carnes inimicorum suorum captorum nudati capitis : quia captivorum capita solebant radi, et sic nudato capite ducebantur, ut magis confunderentur.

Laudate, gentes, populum ejus. Istam scripturam allegat Apostolus ad Romanos, ad probandum misericordissimam gentium vocationem ad fidem. Quum enim dixisset
Rom. xv, 8-10. Apostolus, Dico gentes super misericordia honorare Deum, probavit hoc per multas auctoritates, inter quas ponit istam, non tamen juxta hanc formam, sed secundum Hebraicam veritatem, quæ habet, Lætamini, gentes, cum plebe ejus. Est itaque sensus : Laudate, gentes, populum ejus, id est, vos gentiles conversi ad Christum, laudate populum ejus, id est primitivam Ecclesiam electissimam atque sanctissimam ex Judaismo conversam. *Quia sanguinem servorum suorum ulciscetur.* In primitiva enim Ecclesia servi Christi passim martyrizabantur, tam a tyrannis gentilibus, quam a Judæis incredulis : quod ultus est Dominus. *Et vindictam retribuet in hostes eorum,* peccata atque tyrannidem persecutorum Ecclesiæ acriter ulciscendo ; *et propitius erit terræ populi sui,* id est loco et plebi primitivæ Ecclesiæ, quia Judæos incredulos per Romanos expulit inde, et tandem totam Judæam, promissionisque terram subjecit ac contulit Christianis. Porro Lyra sequens Rabbi Salomonem et alios quosdam, exponit sic : Laudate, gentes, populum ejus, id est, vos gentiles, laudate Israeliticum populum, qui fuit specialis populus Dei, quia sanguinem servorum suorum, videlicet Judæorum, inter quos fuerunt tunc semper aliqui boni, ulciscetur in Chaldæos; et propitius erit terræ populi sui, quia post

A Babylonicam captivitatem, fuerunt Judæi ad terram suam reducti. Hanc expositionem reprehendit Rabbi Paulus acrius quam oportet, tanquam manifeste deviam a veritate, et inconsonam allegationi Apostoli. Nam, ut asserit Augustinus et Thomas allegat, eadem scriptura potest habere plures sensus litterales. Denique, quod ad litteram dictum est de agno paschali, Os illius non *Exod.* xii, 46.
confringetis, sanctus evangelista Joannes allegat de Christo : Os, inquiens, non com- *Joann.* xix, 36.
minuetis ex eo. Hoc etenim scriptum est
B de agno paschali, in quantum fuit figura Christi. Sic reductio Judæorum a Babylonica captivitate, et ultio sanguinis bonorum in hostes eorum Chaldæos, miseratio quoque terræ ipsorum, fuerunt figura conversionis electorum Judæorum ad Christum, et ultionis christifidelium Judæorum in persecutores ipsorum, ac miserationis factæ a Deo primitivæ Ecclesiæ. Hic est finis cantici hujus.

Venit ergo Moyses et locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, et
C evidenter et alte. Istud refertur ad ea quæ dicta sunt in fine præcedentis capituli, ubi narratur qualiter Moyses locutus est car- *Deut.* xxxi, 30.
men hoc omni plebi. Sicque istud est epilogatio narrationis illius, ita quod Moyses venit ad populum ante prolationem cantici hujus, *ipse et Josue,* qui tanquam successor Moysis principaliter adstitit ei loquenti, quamvis verba non promeret, nisi forsan aliqua repetendo. *Locutusque est Dominus ad Moysen : Ascende in montem istum Abarim, id est transitum :* Abarim namque
D transitus interpretatur ; *in montem Nebo.* Ex quo videtur, quod idem mons fuit, duo nomina habens, vel ut aliqui dicunt, Nebo erat cacumen quoddam atque monticulus in monte Abarim, in quod Moyses scandit, ut inde latius cerneret terram promissionis. *Et morere in monte,* qui fuit valde sublimis et magnus. *Quem ascendens, jungeris populis tuis,* id est sanctis patribus in limbo detentis, *sicut mortuus est Aaron in monte Hor : quia prævaricati estis in me,* etc. Quæ sequuntur in tex-

Digitized by Google

tu, sunt plana, multotiesque præhabita, in quo utique declaratur grandis humilitas Moysis, quod unam et eamdem culpam A suam humana fragilitate exortam, tam frequenter et cum tanta exaggeratione resumit.

ARTICULUS XXXVI

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI TRICESIMI SECUNDI.

GLOSSA protestante, sancti Moysis verba non sunt simpliciter accipienda, quia secundum historiam exprobrat Israelitis Deo ingratis perfidiam. Allegorice autem sanctam docet Ecclesiam; atque per tropologiam ad morum provocat honestatem. In historia ergo servanda est veritas, in tropologia utilitas disciplinæ, in allegoria mysterium, ut sic ad theoriam provehamur cœlestem. Notandum quoque quod dicitur,
Deut. xxxi, 30. Locutus est Moyses verba carminis, etc., quatenus qui Deum ore laudat, opere ac
Eccli. xv, 9. moribus non contradicat, quum non sit speciosa laus in ore peccatoris. Porro Moyses allegorice Christum designat, tropologice quemcumque prælatum seu prædicatorem. Christus itaque seu ejus vicarius ait : *Audite, cœli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei.* Per cœlos intelliguntur homines spirituales, interni, contemplati-
Philipp. iii, 20. vi, puri ac fervidi, quorum conversatio est in cœlis, in quorum persona Salvator dixit
Matth. xiii, 11. Apostolis : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Per terram vero designantur insipientes, animales et imperfecti. Utrisque Dominus Jesus proportionata in Evangelio proposuit documenta. Similiter
I Cor. ii, 6. Paulus apostolus : Sapientiam, inquiens,
Ibid. 2. loquimur inter perfectos. Et rursus : Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi
Ibid. iii, 1, 2. Jesum Christum, et hunc crucifixum. Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non solidum cibum. Sicut et unusquisque qui præest, aut docet et prædicat, juxta audientium capacitatem et indigentiam suos debet moderari sermones, et universos ac B singulos, secundum quod capere queunt et indigent, informare.

Concrescat ut pluvia doctrina mea. Prælatus et prædicator igne caritatis succensus, et zelo fraternæ caritatis exæstuans, non ob propriam commoditatem et laudem, sed ad Dei honorem, audientiumque profectum suam cupit doctrinam reverenter, diligenter et fructuose audiri, sicque in auditoribus crescat in pluviam, id est, pluviæ assimiletur : quoniam sicut pluvia innumeras habet guttas, siccam et arefa- C ctam terram humectat, et floridam facit, duram emollit atque arabilem efficit, fructum ex ea producit, fovet, abluit, et usque ad maturitatem perducit; sic sacra Scriptura multas in se sententias continet, animam desolatam et infructuosam consolatione sancta ac virtutum floritione perfundit, cordis aufert duritiam, et animam reddit docibilem. Parit quoque in ea meritorios actus, et nutrit eosdem, lavat a culpa, et ad perfectionem deducit. *Fluat ut ros eloquium meum :* quatenus sicut ros a fervo- D re refrigerat, et cadit in nocte; sic verba mea ab æstu tentationum et a concupiscentiarum calore eruant audientes, atque in noctibus, id est adversitatibus, ignorantiis et erroribus præstent illuminationem et gratiæ ubertatem. *Quasi imber super herbam, et quasi stilla super gramina :* id est, sicut herbæ et gramina molles et teneræ sunt ad pluviæ susceptionem, nec infructuose eam suscipiunt; sic audientium corda flexibilia sint ad bona, et sine renitentia audiant verba sancta; nec in-

Digitized by Google

fructuose pertranseant verba Dei aures ip- A
Eccli. III, 31. sorum, quum scriptum sit : Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapien-
Jacob. I, 19. tiam. Jacobus quoque hortatur : Sit omnis
Ibid. 21. homo velox ad audiendum. Et rursus : In mansuetudine suscipite insitum verbum. *Quia nomen Domini invocabo,* id est, ex
Joann. IV, 24. intimo cordis affectu rogabo. Spiritus enim est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet ; atque ut
Luc. XVIII, 1. ait Salvator, Oportet semper orare, et non deficere.

Date magnificentiam Deo nostro, id est, B totis viribus ipsum honorate, et quidquid magnificum est, ei devota ac grata mente adscribite, ne quis in se ipso stulte et inaniter glorietur. *Dei perfecta sunt opera :* idcirco et nos conari debemus, ut ea quæ ad ipsius honorem facimus, perfecte agamus, hoc est humiliter et ferventer, sine admixtione peccati. *Deus fidelis :* ideo tutum est ei servire, eo quod neminem fallat, imo ultra condignum remuneret ; *et absque ulla iniquitate, justus et rectus :* ideo debemus ei in sanctitate et justitia C jugiter deservire, et omnem vanæ intentionis ac vitii obliquitatem vitare. *Generatio prava atque perversa, hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens ?* Istud dicendum, et zelo justitiæ improperandum est omni pravo consortio, congregationibusque iniquis et universis Christianis ingratis, qui omni hora peccare non erubescunt nunc sub evangelica lege, quando
I *Joann.* IV, 9. Deus Pater unigenitum Filium suum misit
Rom. VIII, 32. in mundum, et pro omnibus nobis tradidit illum, et ipse unicus Dei Filius, tot et tan- D ta pro nostra fecit ac toleravit salute, et
Galat. IV, 6. Spiritum Sanctum misit in corda nostra, se ipsum quoque quotidie nobis præstat in Sacramento, et hucusque tam clementer et gratiose egit nobiscum, cujus spiritualia beneficia enumerare non valemus. Quanta ergo impietas, quanta ingratitudo, quanta improbitas, omnium horum esse immemorem, et pro tot bonis injurias, transgressiones, offensiones rependere ? Nonne tanto enormior est ingratitudo et prævaricatio nostra, quanto major est Dei caritas, liberalitas, pietas circa nos ? *Numquid non ipse est pater tuus,* cui quotidie dicis, Pater *Matth.* VI, 9.
noster qui es in cœlis ? Cur igitur hoc dicendo, non inflammaris ejus amore, nec debito eum veneraris honore, neque attendis quanta dignatio Dei sit, quod a te Pater vocari dignatur ?

Memento dierum antiquorum, id est temporis primitivæ Ecclesiæ, quanta tunc fuerit devotio, caritas, perfectio, imo et persecutio atque constantia et patientia Christianorum, ut patrum vestigia sequi coneris, et illorum comparatione te summe ac semper humilies. *Cogita generationes singulas,* puta justorum ac impiorum, et qualiter impii æternaliter perierunt, justi vero pro brevi labore perpetuam sint consecuti beatissimam requiem. Idcirco non afficiaris ad vana ac mala, sed toto cordis affectu cohære et insiste virtutibus. *Interroga patrem tuum,* id est, in omni ambiguitate ad sapientiores et superiores habe recursum, quære consilium, informationem amplectere. *Quando dividebat Altissimus gentes.* Tempore prædicationis Apostolorum per totum orbem, Deus potissimum gentes divisit, id est, inter electos et reprobos judicium discretionis exhibuit, electos gratiose vocando, et reprobos juste derelinquendo. Tuncque *constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel,* id est, secundum numerum Apostolorum quibus orbem terrarum divisit ad prædicandum, constituitque eos principes super *Ps.* XLIV, 17.
omnem terram, et unicuique suam quam convertit ac rexit, deputavit Ecclesiam. Erant autem Apostoli filii Israel, id est Christi, qui est verus et perfectissimus Israel, id est vir videns Deum : quoniam ab incarnationis suæ exordio vidit Deum per speciem. *Pars autem Domini populus ejus.* Jam enim inter universas mundi nationes soli Christiani sunt populus Dei, et non nisi pauci eorum, utpote soli justi seu prædestinati. *Jacob funiculus hereditatis ejus,* id est, hi qui supplantant peccata, habentes fidem quæ per dilectionem opera- *Galat.* V, 6.

Digitized by Google

tur, vere sunt pertinentes ad Deum, de A quibus loquitur Paulus : Si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Rom. VIII, 17.

Invenit eum in terra deserta, id est, populum christianum Deus ex gentilitate olim relicta sibi adduxit ; *in loco horroris et vastæ solitudinis :* quia inter gentiles incredulos fuit idololatriæ turpitudo, horror cruoris, et via perditionis latissima. Hinc Sapiens de idololatris dicit : Omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, per- B jurium, tumultus, inordinatio mœchiæ et impudicitiæ. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium et finis. Sap. XIV, 25-27. *Circumduxit eum,* id est, per vias securiores virtutum duxit populum christianum ad evitandum diverticula vitiorum, atque ad fugiendum vias quæ videntur homini bonæ, quum tamen novissima earum ducant ad mortem. Prov. XIV, 12; XVI, 25. Interdum quoque ea quæ vere sunt bona, sunt vel occultanda ad vitandum jactantiam, vel differenda ad tempus ad evitandum scandalum C pusillorum, aut quia rationabilis causa requirit alteri exercitio bono prius insistere. *Et docuit,* evangelicam legem dando. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Huic simile est quod in Evangelio loquitur Dominus : Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? Matth. XXIII, 37. Quod Christus ad Ecclesiam quoque effatur. Quemadmodum enim in veteri Testamento diversis temporibus diversos misit Prophetas ad D Synagogam, ad increpandum, exhortandum, inflammandum et reformandum eamdem, sic in novo etiam Testamento per temporum intervalla varios viros sanctissimos, ad corripiendum, informandum, renovandum Ecclesiam, misit. Denique Christus merito comparatus est aquilæ, quia (ut dicitur) aquila præ ceteris avibus suos diligit pullos, et ne a serpentibus lædantur, ponit in nido suo amethystum : sic Christus usque ad finem dilexit suos, Joan. XIII, 1. et se ipsum dedit pro eis, quibus et gratiam suam distribuit, ne a dæmonibus vulnerentur.

Dominus solus dux ejus fuit. Conversa namque gentilitas, de cetero respuit ducatum deorum. *Constituit eum super excelsam terram,* id est in militanti Ecclesia, *ut comederet fructus agrorum.* Agri sunt particulares Ecclesiæ, in quibus semen verbi cœlestis projicitur atque fructificat. Agri quoque sunt ecclesiastica sacramenta, et item libri divinæ Scripturæ. Ecclesia vero contemplatione, gratia ac virtute sublimis est, et qui collocatur in ea, comedit fructus agrorum : quoniam aliorum virtutes ac merita, ei tanquam commembro per caritatem communicantur, sacramentis reficitur, doctrinis Scripturæ nutritur. *Ut sugeret mel de petra.* Secundum Apostolum, Christus est petra, lapisque angularis, de I Cor. X, 4. quo populus christianus mel sugit, id est, spiritualem consolationem et caritatis suavitatem sortitur ; *oleumque de saxo durissimo,* id est unctionem Spiritus Sancti de eodem Domino Salvatore, de quo loquitur David : Dominus petra mea. II Reg. XXII, 2. Et ipsemet Dominus : Super quem ceciderit lapis iste, conteret eum. Matth. XXI, 44. Est equidem saxum durissimum, non ob cordis duritiam, sed ob infrangibilem cordis constantiam. Unde et Ezechieli Dominus dixit : Ut adamantem et silicem dedi te. Ezech. III, 9. *Butyrum de armento.* Per armentum intelligitur congregatio quævis devota, de qua butyrum sugit, qui ex conversatione illius ad caritatis viscerositatem accenditur, et tanquam adipe et pinguedine copia supernorum charismatum adimpletur. *Et lac de ovibus.* Oves sunt, boni et simplices et innocentes, de quibus lac sugit, qui illorum orationibus, meritis et exemplis ad christianæ simplicitatis infantiam provocatur, et velut parvulus in Christo efficitur, ita ut nocere ignoret, nec cogitet malum. Unde gloriosissimus princeps Apostolorum hortatur : Sicut modo geniti infantes, rationabiles, I Petr. II, 2. sine dolo lac concupiscite. *Cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan.* Agni sunt subditi virtuosi ; arietes autem, prælati et

Digitized by Google

duces gregis dominici. Agni quoque accipi possunt septuaginta Christi discipuli; arietes vero, sancti Apostoli, duces gentilium conversorum : de quibus adipem sumit, qui ex illorum doctrina et conversatione, oratione ac merito ad spiritualium incrementorum exuberantiam scandit ac pervenit. *Et hircos cum medulla tritici.* Per hircos, opera pœnitentiæ designantur; per medullam tritici, contemplationis suavitas. Hæc ab Apostolis sumimus, quoniam ipsi docuerunt nos, primo peccata nostra, contritione, confessione, satisfactione delere, sicque paulatim ad veram sapientiam contemplationisque puritatem pertingere,
Thren. IV, 5. ut nutriamur in croceis, et panibus filiorum pascamur. Præterea, medulla tritici est Eucharistiæ sacramentum. *Et sanguinem uvæ biberet meracissimum,* id est sanguinem Salvatoris, et gaudium spirituale, vigorosumque gustum virtutum. Nempe
Zach. IX, 17. quid bonum Domini, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ?

Incrassatus est dilectus, et recalcitravit. Sicut Judæis opulentia facta est idololatrandi et aliorum occasio vitiorum : sic plane contigit populo christiano, qui in primitiva Ecclesia, quamdiu pauperes erant et in persecutionibus positi, sancti ac devotissimi erant; persecutione autem cessante, libertatem, dominationem, divitiasque sortiti, et temporalibus incrassati, ad multiplicia corruerunt peccata, et corruunt usque in præsens. Aliqui quoque ecclesiasticis sacramentis et donis gratiæ
Galat. III, 3. abundanter refecti, quum spiritu cœpissent, consummati sunt carne, et gloriati inaniter, corruerunt. *Dereliquit Deum factorem suum.* Quicumque mortaliter peccat, Deum relinquit, quoniam præfert ei bona creata, caduca, sicque per mentis aversionem recedit ab eo. *Provocaverunt eum in diis alienis.* Hoc agunt gulosi, lascivi, avari, su-
Philipp. III, 19. perbi, quorum dii sunt venter, venus, nummus, honor. Nempe quod quis maxime quærit, amat et colit, hoc sibi est deus. *Et in abominationibus ad iracundiam con-*

A *citaverunt.* Hoc præcipue agunt hæretici, qui abominabiles fingunt errores et abusiones; schismatici quoque, qui ecclesiasticam violant unitatem; et omnes qui pertinaces sunt in peccatis, aut superioribus suis rebelles. *Immolaverunt dæmoniis, et non Deo.* Hoc agunt qui opera bona ex genere, intuitu propriæ laudis aut commodi faciunt; et item qui in Ecclesia offerunt, quæ Ecclesia prohibuit immolari. *Novi recentesque venerunt.* Quasi recentibus diis ministrant, qui instar Atheniensium,
B ad aliud nihil vacant, nisi aut audire aut *Act.* XVII, 21. dicere aliquid novi, quales sunt aliqui curiosi et garruli.

Et ego provocabo eos in eo qui non est populus. Sicut Judæos pravissimos Deus tradidit et subjecit idololatris gentibus, sic frequenter tradidit impios Christianos manibus Sarracenorum et consimilium nationum. *Congregabo super eos mala,* id est, in diversa vitia eos justo judicio permittam corruere. *Et sagittas meas complebo in eis,* id est, acriter eos castigabo, et nisi pœ-
C nituerint, condemnabo, secundum illud Osee : Juxta desiderium meum corripiam *Osee* X, 10. eos. Hinc sanctus Job : Sagittæ, inquit, Do- *Job* VI, 4. mini in me, quarum indignatio ebibit spiritum meum. *Consumentur fame,* id est, ex spiritualis refectionis defectu spiritualiter morientur; *et devorabunt eos aves morsu amarissimo.* Aves istæ sunt dæmones superbiæ et ambitionis, de quibus in Evangelio legitur : Volucres cœli comederunt *Matth.* XIII, 4. semen. Hi etenim superbos et ambitiosos amarissime devorant, dum eos desiderio
D aut amore temporalis honoris, prælationis, et propriæ excellentiæ privant omni esse gratiæ ac virtutum, atque ad sempiterna trahunt supplicia. *Dentes bestiarum,* id est suggestiones crudelium dæmonum, *immittam in eos,* permittendo quod tentationibus superentur. *Cum furore trahentium super terram atque serpentium.* Per reptilia et serpentes intelligendi sunt dæmones avaritiæ et calliditatis, qui ad terrenorum amorem vitiosum instigant, et blandiuntur ut fallant, a quibus iniqui justo Dei judicio

Digitized by Google

supplantantur. *Foris vastabit eos gladius,* A id est, si ab ecclesiastica unitate vel fide aut a mystico Christi corpore per peccatum mortale recesserint, gladio diabolicæ tentationis peribunt; *et intus pavor,* id est, etiam si per fidem in Ecclesia permanserint, inordinato metu et variis passionibus animæ affligentur. *Et dixi: Ubinam sunt?* Ps. LXXII, 19. Nam subito defecerunt; perierunt propter iniquitatem suam. *Sed propter iram inimicorum distuli.* Sic plane omnipotens Deus frequenter pepercit impiis Christianis, nec eos a visibilibus vel invisibilibus B hostibus vinci permisit, secundum quod ipsi mali Christiani promeruerunt, ne hostes eorum superbirent, dicentes: *Manus nostra excelsa,* etc.

Gens absque consilio est et sine prudentia. Hoc de omnibus qui in mortalibus jacent peccatis, dicendum est, et condolendum; qui dono sapientiæ carent, et dono consilii, ac vera prudentia quæ solis virtuosis inest hominibus. Qui *utinam saperent* spiritualia et divina, *et intelligerent,* quam periculose dejecti sint, et quam C insipienter se habeant, *ac novissima providerent,* de quibus in Ecclesiastico legi- Eccli. VII, 40. tur: Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis: quæ sunt, mors, judicium, pœna inferni, beatitudo cœlestis. *Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugarunt decem millia?* Istud de invisibilibus ac visibilibus Christianorum adversariis accipi potest. Nam propter Christianorum scelera frequenter contingit, quod multi eorum a paucis hostibus in exteriori interiorique bello vincantur: et hoc, *quia* D *Deus suus vendidit eos,* sicut expositum est: quod et adversariis Christianorum est cognitum, ita quod ipsi *sunt judices.* Sub infidelium quoque dominio multi habitant Christiani. *De vinea Sodomorum, vinea* Ps. XXV, 5. *eorum,* etc. Hoc de ecclesia malignantium Christianorum, conventiculis hæreticorum et schismaticorum, congregationibusque iniquorum exponendum est proportionaliter, sicut præcedenti articulo expositum est de perfida Synagoga.

Juxta est dies perditionis, de quo Job: Ad diem perditionis servatur malus, et ad Job XXI, 30. diem furoris ducetur. Quod si dies generalis judicii putatur multum distare, tamen de die particularis judicii quod in morte agitur singulorum, ambigi nequit quin prope sit, præsertim quum dies nostri sint I Par. XXIX, 15. quasi umbra super terram. Ideo scripsit Jacobus suis: Ecce judex ante januam ad- Jacob. V, 9. sistit. *Judicabit Dominus populum suum,* quoniam malis Christianis graviora infliget supplicia; atque ut sacratissimus Petrus testatur, Tempus est ut incipiat judicium I Petr. IV, 17. a domo Domini. *Videbit quod infirmata sit manus,* id est, potestatem malorum Christianorum ostendet Deus deficere, quoniam tanquam fœnum velociter arescent. Ps. XXXVI, 2. *Et clausi quoque defecerunt.* Proh dolor! jam videmus, quod religiosi utriusque sexus, qui in cœnobiis commorantur, atque ab omni sæculari tumultu vitiisque mundanis merito essent seclusi ac liberi, pro maxima parte nunc defecerunt a vita vere regulari, spirituali, claustrali. *Residuique consumpti sunt.* Horum enim exemplo plurimi scandalizantur ac pereunt. *Et dicent* vere religiosi, *Ubi sunt dii eorum,* id est vanitates, carnalitates, opes, etc., quæ Deo prætulerunt? *Surgant et opitulentur vobis.* Hinc et ipsi dicturi sunt: Quid profuit Sap. V, 8, 9. nobis superbia? et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Bona et salutaris occisio, dum Deus occidit in nobis aciem vitiorum, concupiscentias carnis, et quidquid contra salutem insurgit. *Percutiam,* quia quos Apoc. III, 19. amo, arguo et castigo. *Inebriabo sagittas meas sanguine,* id est, reprobos ac sceleratos tam repente et acriter trucidabo, ut instrumenta meæ vindictæ videantur inebriata, id est abundanter repleta *de cruore occisorum, et de captivitate nudati inimicorum capitis,* id est de ipsis injustis, qui dæmonum vinculis irretiti, et vitiorum jugo subjecti, caput mentis, videlicet intellectum, habent a sapientia salutari nudatum, omnique gratiarum munere destitutum.

Digitized by Google

Laudate, gentes, populum ejus. Qui enim vere Christiani exsistunt, a cunctis gentibus laudari ac honorari merentur. Religiosi quoque et clerus sinceriter ac debite conversantes, a sæcularibus sunt laudandi. Et quamvis hanc laudem non debeant affectare, tamen sic vivere obligantur, ut ea sint digni, quemadmodum apostolici chori A vertex dignissimus : Obsecro, inquit, vos abstinere a carnalibus desideriis, conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. Cetera hujus cantici verba, ex præcedenti satis elucescunt articulo. I Petr. II, 11, 12.

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI TERTII : HÆC EST BENEDICTIO, QUA BENEDIXIT MOYSES HOMO DEI FILIIS ISRAEL.

SICUT in Genesi retulit Moyses, venerabiles patriarchas Isaac et Jacob benedixisse filiis suis, quum senuissent ipsi Patriarchæ, et morti propinquos se esse putarent ; sic Moyses protinus moriturus, suis spiritualibus filiis benedixit, in qua benedictione loquitur de se ipso quasi de alio, sicut frequenter faciunt auctores Scripturæ. *Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei,* id est electus a Deo, et ei specialiter valde intentus, unitus ac placens, *ante mortem suam filiis Israel,* id est duodecim Patriarchis, ut infra habetur, qui tamen jam erant defuncti : unde sub eorum nominibus posteris ipsorum benedixisse censetur, sic tamen, quod quædam ad benedictiones istas spectantia, ipsos Patriarchas concernunt; ante mortem suam, ut populo sibi commisso benedictiones istas pro testamento relinqueret. *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan,* etc. B. Augustinus hunc locum secundum translationem Septuaginta exponens, sentire videtur, quod ista exponi non possint de monte Sinai et de monte Seir seu terra Idumæorum, neque de monte Pharan, neque de filiis Israel qui erant sub veteri Testamento vel ante. Itaque ait : Non negligenter prætereunda est ista prophetia. Apparet B enim hæc benedictio ad novum christianum populum pertinere, quem populum sanctificavit Christus : ex cujus persona ista dicuntur a Moyse, non ex persona Moysis, quod in sequentibus apparet. Nam si istud, Dominus ex Sina venit, ideo dictum est, quia in monte Sina lex data est : quid est quod sequitur, Et alluxit nobis ex Seir, quum Seir mons sit Idumæ, ubi Esau habitavit ? Deinde quum Moyses filios Israel benedicat his verbis, quomodo ipsemet ait, Et accepit de verbis ipsius legem quam mandavit Moyses ? Prophetia ergo est, prænuntians novum populum Christi gratia sanctificatum, qui nomine filiorum Israel exprimitur, quia per fidem semen sunt Abrahæ, id est filii promissionis. Dominus ergo, videlicet Christus, de Sina venit, quoniam Sina interpretatur tentatio. Venit ergo ex tentatione passionis, crucis et mortis ; et alluxit ex Seir, quod interpretatur pilosus, et peccatorem designat. Sed quoniam qui sedebant in tenebris et in umbra mortis, lux orta est eis, ideo alluxit ex Seir. Hanc expositionem in sequenti tangam articulo. Videtur enim esse spiritualis magis quam litteralis.

Gen. XXVII. Ibid. XLVIII; XLIX, 26, 28. Is. IX, 2.

Porro Lyra circa hunc locum scribit : Dicunt Hebræi, quod Dominus primo obtulit legem Idumæis qui habitabant in Seir,

Digitized by Google

et Ismaelitis commorantibus circa montem Pharan; sed noluerunt eam accipere, et dedit eam filiis Israel in monte Sinai: sicque exponunt quod dicitur, De Seir ortus est nobis, id est, de illis locis venit ad nos, dando nobis legem ab aliis recusatam. Consonat autem recitatio ista ei quod Magister in historiis refert: Tradunt Hebræi, quod Dominus misit angelos suos ad Idumæos in Seir, et ad Ismaelitas in Pharan, et obtulit eis legem: quam quum nollent accipere, venit ad Judæos in Sinai cum multis millibus angelorum, et contulit eis legem. Hanc Judæorum recitationem reprobat Lyra, quia ex Scriptura habetur, quod populus Hebræorum fuit specialiter electus a Deo, ut Christus nasceretur ex eis: propter quod Deus eos separavit a ceteris gentibus per unius Dei fidem et cultum, per circumcisionem et legis susceptionem. Idcirco aliter exponunt doctores catholici: De Seir ortus est nobis, etc., id est, Idumæis et Ismaelitis in sua infidelitate et idololatria dimissis, Deus per speciale beneficium ortus est nobis, legem dando: quod quamvis sit bene dictum, tamen non consonat litteræ ad plenum, quia scriptura hæc uniformiter loquitur de Sina, et de Seir, et de monte Pharan. Ideo aliter potest exponi, quoniam data lege in Sinai, populus Israel pergendo ad terram promissionis, transivit juxta montem Seir, et circumeundo eumdem montem, cœpit tædere itineris ac laboris, et murmuravit: propter quod Dominus misit in populum ignitos serpentes, deinde populo veniam postulante, Dominus jussit ut Moyses faceret et exaltaret serpentem æneum, cujus intuitu sanabantur percussi. Et serpens ille æneus venenum non habens, fuit figura Christi, qui habuit carnem peccati sine peccato, id est similitudinem carnis peccati, cujus adspectus per fidem sanat a vitiis. Et illam figuram Moyses intellexit, propter quod dixit, De Seir ortus est nobis, quia in circuitu montis Seir revelatum ei fuit beneficium incarnationis passionisque Christi. Apparuit de monte Pharan. In Numeris legitur, quod quum populus recessisset de monte Sinai, nubes quievit in solitudine Pharan, ubi populo carnes desideranti, data est coturnicum multitudo in copia usque ad mensem. Tunc etiam in adjutorium regiminis populi, adjuncti sunt Moysi septuaginta senes, qui ibi repleti sunt Spiritu Dei, et propter beneficium istud Moyses ait: Apparuit de monte Pharan, illuminando septuaginta senes. Hæc Lyra, cui in his Rabbi Paulus consentit.

Num. xxi, 4-9. *Rom. viii, 3.* *Num. x, 12; xi, 4 et seq.*

Sed his objici potest: Non enim videtur, quod propter formationem ænei serpentis, aut revelationem mysticæ significationis ejusdem, dictum sit, De Seir ortus est nobis. Nam serpens ille formatus non est in terra Edom, neque in monte Seir, sed in recessu ab illo, quum scriptum sit in Numerorum libro: Egressi filii Israel de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona. Unde egressi venerunt in Phunon; profecti de Phunon castrametati sunt in Oboth. Porro Numerorum alio loco sic legitur: Profecti sunt de monte Hor per viam quæ ducit ad mare Rubrum, ut circuirent terram Edom. Deinde describitur historia de æneo illo serpente; qua descripta, subjungitur: Profecti filii Israel, castrametati sunt in Oboth. Ex quo videtur quod serpens ille sit factus in mansione proxima mansioni Oboth: et sive in illa, sive in alia, constat ex littera, quod in elongatione a finibus Edom. Præterea, super Leviticum ex dictis Guillelmi Parisiensis et aliorum doctorum ostensum est, quod sanctus Moyses intellexit ex revelatione divina litterales ac mysticas rationes cærimonialium præceptorum quæ dedit, ad quæ pertinebant sacrificia illa legalia, quorum una fuit causa præcipua, quod Christi passionem præfigurarent et ejus mysteria: et Christum, ejusque immolationem potissime præsignabant immolatio agni paschalis ac juge sacrificium, de quibus Moyses præcepta accepit et dedit, partim ante exitum de Ægypto, partim in Sinai, sicque illis in

Ibid. xxxiii, 37, 41-43. *Ibid. xxi, 4.* *Ibid. 10.*

Digitized by Google

locis ex revelatione divina cognovit Christi A mysteria, quæ prætacta sacrificia clarius figurabant, quam æneus serpens : ideo non apparet, quod propter cognitionem mysticæ significationis illius serpentis, locutus sit, De Seir ortus est Dominus nobis.

Insuper in libro Judicum, in cantico *Judic.* v, 4. Deboræ dicitur : Domine, quum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, etc. Et secundum omnes expositores verba illa consonant his, quæ isto in loco Moyses scribit. Porro, ad verificandum verba illa, non videtur sufficere, ut dica- B tur, quod Deus Idumæis in sua infidelitate dimissis, venit ad filios Israel. Nam dicitur ibi, Quum exires de Seir, et transires per regiones Edom, etc. Probabiliter ergo dicendum videtur, quod Deus meritis sanctorum patriarcharum Abrahæ et Isaac, et ex misericordia sua immensa, obtulerit Idumæis natis ex Esau, et Ismaelitis natis ex Abraham, legem, saltem per inspirationes angelicas et divinos instinctus : sicque fertur transisse per regiones Edom, taliter visitando corda Idumæorum. Ex his tamen C non sequitur, quin populus Israel fuerit præelectus, quia non solum oblata est eis lex, sed et gratiose collata, ita quod Deus per gratiam inclinavit corda eorum ad legem suscipiendam : quemadmodum etiam in exordio evangelicæ prædicationis lex Christi primo oblata est Judæis, etiam his qui eam recepturi non erant, ne excusare se possent, quibus et Paulus Barnabasque *Act.* XIII, 46. dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, etc. Non tamen inde fit consequens, quod Judæi illi increduli, erant D magis electi a Deo, quam gentiles, quibus Deus decreverat evangelicam legem non solum offerre, sed item conferre. Primo itaque, ut apparet, lex fuit Idumæis et Ismaelitis oblata, tanquam natis ex primogenitis Abrahæ et Isaac, ne conqueri et excusare se possent, atque ut Dominus declararet, se pro illorum conversione fecisse quod in se erat. Amplius his concordare videtur, quod Glossa ait super librum *Judic.* v, 4. Judicum : Exisse dicitur Dominus de Seir, et transisse per regiones Edom, quoniam Idumæis legem recipere nolentibus, dedit eam in Sinai Judæis. Hæc Glossa. Non autem dicerentur Idumæi eam recipere noluisse, nisi fuisset eis oblata. Sic quoque dicitur apparuisse de monte Pharan, quoniam circa locum illum morabantur Ismaelitæ, a quibus ad Judæos Dominus venit, non locum mutando, sed per se et angelos sanctos, homines hinc inde diversimode visitando.

Et cum eo Sanctorum millia, quia ut Daniel ait : Millia millium ministrabant *Dan.* VII, 10. ei. Et ponitur numerus determinatus pro indeterminato. Hinc in Apocalypsi habetur : Erat numerus angelorum millia mil- *Apoc.* V, 11, 12. lium, dicentium : Dignus est Agnus, etc. Quamvis autem in datione legis fuerit specialiter unus angelus in Dei persona apparens et loquens, multi tamen angeli adfuerunt eidem. Propter quod in Actibus S. Stephanus ait Judæis : Accepistis legem *Act.* VII, 53. in dispositione angelorum, et non custodistis. Et credi potest, quod in præfato adventu Dei in monte Sinai ad legem præstandam, multa millia angelorum præsidentium singulis Judæorum simul advenerant ; aut etiam angeli, qui Idumæos et Ismaelitas fuerant ad legem suscipiendam hortati. *In dextera ejus ignea lex.* Dextera Dei, est omnipotentia et majestas, pietas et gratia ejus. In hac dextera Dei lex ignea fuit, quoniam Deus in sua potestate, pietate et gratia contulit Moysi legem, in qua Deus jubetur toto corde amari. Et ad purgandum comburendumque vitia, instituta sunt sacrificia multa. Hinc Glossa : Ignea, inquit, lex, sunt tabulæ testamenti, in quibus lex, quæ purgat et urit peccata. At vero secundum quosdam, lex Moysis dicitur ignea, quoniam data fuit de medio ignis, ut in Exodo legitur : quod non vide- *Exod.* XX, 18. tur proprie dictum. Quum enim in monte Sinai tempore donationis legis, non solum fuerit ignis, sed et densissima nubes, caligo ac tenebræ, secundum hanc rationem lex dici posset, non ignea tantum, sed et caliginosa ac nubilosa.

Digitized by Google

Dilexit populos : nam opera manuum
I *Tim.* II, 4. ejus sunt universi, et ipse vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Cui per Sapientem dicitur :
Sap. XI, 25, 27. Nihil odisti eorum quæ fecisti, qui amas animas. Specialiter autem dilexit Israeliticas tribus. *Omnes sancti in manu illius sunt,* id est, a Deo conservantur, atque indesinenter dependent, et quidquid sanctitatis habent, a Deo sortiti sunt, qui etiam posset eos relinquere : ideo in gubernatione et defensione Dei permanere solliciti sunt, et a Deo moventur ad sancta. Ideo
Ibid. VII, 16. scriptum est : In manu illius et nos, et sermones nostri. *Et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius,* id est, qui ad Deum humiliter et reverenter accedunt, et modum suæ processionis atque impressionis sequuntur, illumina-
Ps. XXXIII, 6. buntur ab eo, juxta illud : Accedite ad eum, et illuminamini. Itaque pedes incorporei et incircumscriptibilis Dei sunt processus ejus in operando, in quibus benigne et sapienter, juste et condecenter se habet : in quibus et ipsum pro posse sequi
Num. XIV, 24. debemus, secundum quod supra Caleb legitur Deum suum secutus. Et sanctus Job
Job XXIII, 11. ait : Vestigia ejus secutus est pes meus.
Jacob. I, 5. Hinc scriptum est Jacobi primo : Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei.

Sequitur vox populi, in cujus persona subjungitur : *Legem præcepit nobis Moyses* ex commissione divina, secundum quod Deus Moysi jussit, cujus vicarius et minister in legislatione Moyses fuit, *hereditatem multitudinis Jacob,* id est ipsam legem, quæ fuit spiritualis hereditas ac opulentia, et tanquam hereditaria possessio Israeliticæ plebis, quæ fuit grandis multitudo nata ex Jacob. *Et erit apud rectissimum rex,* id est, Deus omnipotens rex universorum gratiose aderit rectissimo, hoc est justissimo, populo suo, si præfatam legem servaverit : quod esse nequibit, nisi populus ille ad suos superiores recte se habeat in obtemperando, et superiores bene se habeant ad subjectos in dirigendo. Hinc subditur :

A *congregatis principibus populi cum tribubus Israel,* id est superioribus Israeliticæ plebis convenienter adunatis cum tribubus Israel sibi subditis et commissis. Nam et quælibet tribus habuit principem specialem, et ultra hoc præerant ordinate tribuni et centuriones, quinquagenarii ac decani, sed et septuaginta seniores : quibus omnibus in unam politiam rite redactis, Deus fuit præcipue rex eorum, qui populum illum sub sua cura et gubernatione specialiter juxta prædicta assumpsit.
B Unde post Moysen et Josue judices præsidebant, non reges : idcirco quum regem sibi petissent, Dominus dixit : Me abjece- I *Reg.* VIII, 7.
runt, ne regnem super eos.

Sequitur benedictio tribuum in speciali. *Vivat Ruben et non moriatur, et sit parvus in numero.* Ac si dicat : Quamvis Ruben primogenitus Jacob maculaverit stratum *Gen.* XXXV, 22.
patris sui, propter quod jure primogenituræ privatus fuit a patre, non tamen exstinguatur tribus nata ex eo, sed vivat vita naturæ et gratiæ, nec moriatur morte dam-
C nationis æternæ, quoad se totam, nec tota deficiat, nec tamen sit tam copiosa, ut alia quædam tribus. Et hoc alludit ei quod Geneseos quadragesimo nono Jacob patriarcha locutus est Ruben : Effusus es sic- *Ibid.* XLIX, 4.
ut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui. Verumtamen sicut ex libro Numerorum colligitur, tribus Ruben non *Num.* I, 21; II, 11.
erat minima numero. Parva tamen numero nuncupatur, comparatione tribus Judæ et aliarum quarumdam.

Hæc est Judæ benedictio, id est impre-
D catio et prænuntiatio bonorum, quæ Deus tribui Judæ donabit. *Audi, Domine, vocem Judæ,* id est, orationes tribus Judæ exaudi. Hoc dicitur, imo et sic futurum prophetabatur, quoniam tribus Judæ fuit specialiter stabilis ac devota in cultu Dei, multisque donis privilegiata a Deo, qui ex ea incarnari decreverat, quamvis interdum etiam lapsa sit. Multi quoque sancti et devoti reges fuerunt nati ex ea, ut David, Asa, Josaphat, Ozias, Joathan, Ezechias, Josias : quorum preces Dominus gratiosissime exaudivit,

Digitized by Google

et multos triumphos miraculose et pie tribuit eis, sicut ex libris Regum et Paralipomenon constat. *Et ad populum suum introduc eum,* id est, da ei virtutem intrandi terram ei provisam, ut superet populum, quem ei subjicies, si obedierit tibi : sicque populus ille sit ejus, id est ei subjectus aut tributarius. Vel, Introduc eum ad populum suum, id est, totum Israeliticum populum fac ei pacifice subditum, et ipsum David de regno suo pulsum reduc in regnum. Itaque, Introduc eum ad populum suum, quatenus reges de Juda exorti, recte se applicent populo suo ad gubernandum idonee. Prævidit etenim Moyses reges de Juda nasci debere. Vel, Introduc eum ad populum suum, id est, talem vitam da ei, ut post hujus vitæ curriculum apponatur electis in limbo patrum, secundum quod justi veteris Testamenti dicuntur per mortem populo suo et patribus suis appositi. *Manus ejus pugnabunt pro eo,* id est, hostibus victoriose resistet : quod et tempore Judicum constat impletum, et amplius tempore Regum. Fuit equidem tribus Juda ceteris bellicosior, major, fortior, atque audacior, sicut et Judas inter fratres suos fortior erat. Unde et tribus Juda consuevit numerari per se. *Et adjutor illius contra adversarios ejus erit,* id est, Deus adjuvans tribum Juda, pro ea contra æmulos ejus pugnabit. Unde de David frequenter est scriptum : Fuit Dominus cum David in omnibus ad quæcumque perrexit. (II *Reg.* VIII, 6, 14.) His consonat quod Jacob in benedictione Judæ deprompsit : Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. (*Gen.* XLIX, 8.)

Denique post benedictionem Ruben primogeniti Jacob, immediate benedixit Moyses tribui Juda, quoniam jus primogenituræ quantum ad principatum, fuit a Ruben ad Judam translatum. Et quia post regiam tribum Juda, dignior fuit Levitica tribus (siquidem in veteri Testamento regalis dignitas sacerdotio præminebat, eo quod sacerdotium illud carnale exstiterit, sicut in libro de Regimine regum Thomas declarat), hinc subditur benedictio Levi, id est sacerdotalis atque Leviticæ stirpis.

Levi quoque, id est tribui Levi, *ait : Perfectio tua et doctrina tua a viro sancto tuo,* id est, perfectam conversationem quam habuisti, et sanam doctrinam qua alios instruxisti, accepisti a me legislatore tuo, qui verbo et opere te instruxi, et ejusdem tecum sum stirpis, *quem probasti in tentatione,* id est, probatum invenisti in tentationibus, quæ ei in solitudine contigerunt ex populi improbitate. Vel istud intelligendum est de tentatione, quam passus est Moyses a Core atque complicibus ejus, (*Num.* XVI.) qui erant Levitæ, et contra Moysen consurrexerunt, eumque graviter molestabant. *Et judicasti ad aquas Contradictionis.* Ibi namque Deus protulit judicium in Moysen, quod terram promissionis non introiret ; (*Ibid.* XX, 12; XXVII, 14.) quo cognito, Levitæ et ceteri judicaverunt Moysen ibi peccasse : quod tamen sciri non potuit ex Moysis verbis quæ protulit, dicens ad populum, Audite, rebelles et increduli, etc., (*Ibid.* XX, 10.) sed ex sententia Dei contra eum prolata. Deus quippe intuens corda, cognovit quo animo protulerat Moyses verba illa, quemadmodum in Numeris plenius introduxi. Aliqui dicunt hæc verba ad Dominum dirigi, ut sit sensus : Quem sanctum virum, scilicet Moysen, tu Domine Deus, probasti in tentatione, id est, per multas adversitates et tentationes examinasti ac invenisti fidelem, quemadmodum in libro Sapientiæ legitur, Deus tentavit justos, et invenit illos dignos se ; (*Sap.* III, 5.) et judicasti ad aquas Contradictionis, dicendo, Quia non credidistis mihi, non introducetis hos populos ad terram quam dabo eis.

Qui dixit patri suo et matri suæ, Nescio vos; et fratribus suis, Ignoro illos; et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum. Istud exponitur a Catholicis et Hebræis de unoquoque viro Leviticæ stirpis, qui Moyse exhortante, acriter ultus est etiam in quoscumque consanguineos (*Exod.* XXXII, 27-29.) et propinquos propter adorationem conflatilis vituli, ita se habens ad illos idololatras, quasi non pertinuissent ad se : quod

Digitized by Google

faciendo, implevit Dei præceptum, quo jussit idololatriam morte puniri. *Et pactum tuum servaverunt,* id est, ad Deum se habuerunt fideliter, præferendo amorem Dei et zelum justitiæ carnali propinquorum amori et inclinationi naturæ. Denique huic expositioni consonat quod in Exodo inducitur Moyses dixisse Levitis : Ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum. *Judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel :* hoc est, Levitæ fideles, ita agendo impleverunt judicialia præcepta, o plebs ex Jacob progenita ; cetera quoque legis præcepta, videlicet cærimonialia atque moralia. *Ponent thymiama in furore tuo,* id est, thymiama adolebunt sacerdotes ad placandum Dominum, quum iratus fuerit Israel propter eorum peccata, ut in Levitico sæpius continetur ; atque in Numerorum libro Aaron egisse describitur, quando stans inter mortuos et viventes, obtulit thymiama deprecans pro populo ; *et holocaustum super altare tuum.* Sacerdotes enim assidue offerebant holocausta super altare holocaustorum, quod erat in atrio. *Benedic, Domine, fortitudini ejus,* id est, spiritualem ac corporalem Leviticæ tribus fortitudinem auge et consecra tibi, *et opera manuum illius suscipe,* id est, obsequia et sacrificia Levitarum dignanter accepta. *Percute dorsa inimicorum ejus,* id est, adversarios Levitarum prosterne et subjice eis ; *et qui oderunt eum, non consurgant,* id est, non roborentur, neque prævaleant. Istud videtur præcipue impletum in Mathathia, et filiis ejus, Juda Machabæo, Jonatha, et Simone, qui erant de tribu sacerdotali, et victoriosissime pugnaverunt, variosque triumphos sunt miraculose consecuti, suos æmulos mirabiliter conculcando, quemadmodum primo et secundo libro Machabæorum compendiose describitur.

Exod. xxxii, 27.

Lev. xvi, 12.

Num. xvi, 47, 48.

Et Benjamin, id est tribui Benjamin, Moyses *ait,* benedicendo ei post Levi, quoniam urbs cultus divini, puta Jerusalem, ad tribum Benjamin pertinebat. *Amantissimus Domini habitabit confidenter,* id est, populus natus ex Benjamin, in urbe firma secure morabitur. Et sicut Jacob valde præcipue ipsum Benjamin dilexit, sic ejus posteritatem vocat Moyses amantissimam, id est Domino valde dilectam, præsertim propter Paulum apostolum de Benjamin natum, qui in Ecclesia Christi fiducialissime mansit, adversa non metuens. *In eo quasi in thalamo tota die morabitur.* Electi namque ex Benjamin nati, potissime Paulus, gratiose ac dulciter quieverunt in Domino. *Et inter humeros illius requiescet,* id est, in divinæ pietatis supportatione vixerunt : in quorum persona loquitur Paulus, Quis nos separabit a caritate Dei ? Quidam exponunt sic, quod Dominus requievit in Benjamin, quasi in thalamo, quia in sorte Benjamin constructum est templum, in quo Dominus specialiter morabatur, et inter humeros requievit illius, id est, in operibus et tolerantiis tribus Benjamin, et maxime Pauli, delectatus est Dominus, qui etiam in devotorum cordibus Benjamitarum, quasi in spirituali templo ac thalamo, requievit.

Philipp. iii, 5.

Rom. viii, 35.

Sequitur benedictio Joseph, concernens duas tribus natas ex ipso, videlicet tribum Ephraim et Manasse. Quemadmodum autem templum Salomonis fuit in Benjamin tribu, sic tabernaculum Moysis primo collocatum est in urbe Silo, quæ fuit in funiculo Ephraim. *Joseph quoque,* id est tribubus ortis ex Joseph, *ait : De benedictione Domini terra ejus,* id est, terra collata tribui Ephraim et stirpi Manasse, tam bona et fertilis fuit, quod benedictioni Dei est adscribenda, et ex ea illis donata est : quæ etiam terra commendabilis, fecunda, præclara est. *De pomis cœli,* id est de fructibus arborum, qui ex cœlorum influentia producuntur. Omnes autem arborum fructus, quandoque nomine pomi significantur. *Et de rore,* qui cadere solet in terra illa ; *atque abysso subjacente,* id est mari Mediterraneo, per, seu circa terram promissionis currente ; *de pomis fructuum solis ac lunæ,* id est de pomis ad quorum

Digitized by Google

germinationem specialiter influunt et causant sol et luna : sol, suo calore ea nutriendo; et luna, suo humore fovendo. Denique non ait, De pomis arborum solis et lunæ, sed, De pomis fructuum solis et lunæ. De arboribus autem solis et lunæ multa in gestis Alexandri Magni leguntur : quæ arbores in extremis superioris Indiæ sitæ dicuntur, atque altissimæ perhibentur, ita quod orientis solis, advenientisque lunæ splendores, primo recipiunt : quarum fructus magnæ esse virtutis scribuntur, in tantum quod inde vescentes, usque ad trecentos aut quadringentos annos vivere asseruntur. *De vertice antiquorum montium,* in quibus fructus et arbores prompte crescunt ac maturescunt. Etenim terra illa est montuosa et collibus decorata. Unde subjungitur : *et de pomis collium æternorum,* id est fructibus arborum stantium in collibus illis, qui ob suam soliditatem et diuturnitatem dicuntur æterni, quum tamen nec ab ante, nec a parte post, sint absolute æterni, quum et terra tota in mundi innovatione sit complananda. Circa hæc dicit Glossa : Ad litteram, fertilitatem terræ significat, quam tribus Ephraim et (*Exod.* III, 8.) Manasse habuerunt in ubertate frugum, pomorum, pastuque pecorum, in monte videlicet Ephraim et in Basan.

Benedictio illius, videlicet Dei, *qui* per angelum *apparuit* Moysi *in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazaræi inter fratres suos.* Quando Moyses dixit hæc, ipse Joseph vir sanctus diu defunctus, erat (ut creditur) in limbo patrum, nec erat in statu merendi. Non itaque imprecatus est Moyses benedictionem hanc personæ Joseph, nisi per modum congratulationis ista locutus sit, et referendo ea ad participationem finalis felicitatis; sed imprecatus est bona hæc tribubus ortis ex Joseph, quatenus super eas et in mentes earum collatio munerum Dei descenderet. Erat autem Joseph inter fratres suos nazaræus, id est sanctus, imo et sanctior illis. Et potest hoc loco per Joseph, seu Nazaræum inter fratres suos, intelligi

A Josue Ephratæus vir sanctus, ex Joseph progenitus. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus :* quia et ipse Joseph erat valde decorus, et posteritas ejus præclara. *Cornua rhinocerotis, cornua illius :* id est, potestas et principatus tribus Ephraim erit tam in fronte fortis, ut comparetur cornibus rhinocerotis, qui est fortissimum animal et animosissima fera, unicum habens cornu in fronte, de cujus natura dictum est in Numeris. (*Num.* XXIII, 22.) Fuit namque tribus Ephraim fortis, audax, et bellicosa. Primusque rex B decem tribuum Jeroboam, et alii plures illarum tribuum reges, fuerunt Ephratæi. *In ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Ex eo tempore quo Jeroboam sceleratissimus fecit aureos vitulos, et populum (III *Reg.* XII, 28.) Israel ad idololatriam traxit, non fuerunt reges aut tribus Israel multum victoriosi, præsertim in exteras nationes, quamvis (IV *Reg.* XIII, 7.) contra reges Juda quasdam obtinuerunt victorias, ut constat ex Regum et Paralipomenon libris. Idcirco quod dictum est, In ipsis ventilabit gentes usque ad termi- C nos terræ, videtur impletum, præcipue per Josue Ephratæum et Gedeonem virorum fortissimum natum ex tribu Manasse. Hi (*Josue* X, XI, XII. *Judic.* VII, 19 *et seq.*; VIII, 11, 12, 28.) etenim adversarios filiorum Israel fugaverunt, et ventilaverunt usque ad terminos terræ promissionis, sicut ex libris Josue et Judicum patet. *Hæ sunt multitudines Ephraim, et hæc millia Manasse :* id est, posteri nati ex Joseph, de quibus intelliguntur præhabita, sunt copiosæ turbæ natæ ex Ephraim, et millia genita ex Manasse. Vel sensus est, quod gentes ventilatæ a fi- D liis Joseph, sunt multitudines victæ ab Ephraim, et millia superata a tribu Manasse. Denique benedictio ista Joseph, in multis coincidit cum ea qua Jacob bene- (*Gen.* XLIX, 22, 26.) dixit eidem, ut potest patere intuenti Genesim.

Et Zabulon, id est tribui ejus, *ait : Lætare, Zabulon, in exitu tuo, et Issachar, in tabernaculis tuis.* Quemadmodum Jacob pariter benedixit Zabulon et Issachar filiis (*Ibid.* XLIX, 13-15.) Liæ, ita et hic Moyses. Benedictiones quoque hæ Jacob et Moysis, quasi coincidunt :

Digitized by Google

quia quod Jacob disseruit, Zabulon in littore maris abundabit * (* habitabit), hoc est quod nunc Moyses loquitur: Lætare, Zabulon, in exitu tuo, id est in viis et gressibus tuis, pro exercendis tuis mercantiis. Nempe, ut testatur Hieronymus, tribus Zabulon possedit in terra promissionis loca maritima, et habuit oppida in littore maris Mediterranei sita, sicque mercationibus fuit intenta. Et Issachar, in tabernaculis tuis, id est, tu Issachar, gloriare quiescendo in domibus tuis, et in scholis ac synagogis: quia ut refert Hieronymus, Multi de tribu Issachar exterioribus occupationibus relictis, die ac nocte intenti erant studio Scripturarum et meditationibus legis, propter quod aliæ tribus fecerunt ei in temporalibus provisionem. Et quamvis Lyra hoc reprobat in Genesim, tamen hoc loco allegat et approbat Hebræos hoc affirmantes. Hinc Jacob prædixit de tribu hac, Vidit requiem quod esset bona (Gen. XLIX, 15): quoniam vitam quietam et studiosam elegit. *Populos ad montem vocabunt,* id est, viri illi spiritualibus occupati, invitabunt et hortabuntur alias tribus, ut suis temporibus pergant ad urbem cultus divini, et ad templum seu tabernaculum Domini: quod templum noverat Moyses in monte Moria construendum, seu in monte Sion in urbe Jerusalem montuosa. *Ibi immolabunt victimas justitiæ,* id est sacrificia juxta legis præcepta; *qui inundationem maris quasi lac sugent,* id est, divitias per navigia maris adductas abundanter accipient, *et thesauros absconditos arenarum,* id est pretiosa metalla quæ inter arenas generantur ac reperiuntur, atque per naves ad mercatorum oppida transvehuntur. Circa quod Glossa: Hæ (inquit) tribus, negotiationibus vacaverunt, de transmarinis regionibus mercimonia apportantes, et thesauros absconditos arenarum, videlicet argentum et aurum vel gemmas, quasi lac sugent, id est, facile accipient. Ex quibus verbis elicitur, quod etiam multi de Issachar mercationibus insistebant. Porro de generatione auri et metallorum inter arenas, dictum est supra (Deut. I, 1).

Et Gad ait, id est, tribum Gad Moyses sic benedixit: *Benedictus in latitudine Gad,* id est, ex dono Dei latam terræ possessionem habebit; *quasi leo requievit,* id est, audacter et potenter suam portionem possedit; *cepitque brachium et verticem,* id est, adversariorum suorum robur ac eminentiam dissipavit; *et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus,* id est, cum gaudio consideravit, quod in terra possessionis suæ legislator et doctor Israeliticæ plebis, videlicet Moyses, esset sepultus. Obiit etenim et sepultus est in terra Moab trans Jordanem: quæ terra aliquando ad Moab pertinuit, sed tunc erat vi prælii acquisita a rege Basan, atque in partem Gad cessit, quamvis aliqua verba textus videantur insinuare, quod ad mediam tribum Manasse spectaverit. *Qui* Gad, utpote tribus Gad, *fuit cum principibus populi,* id est, cum principibus novem tribuum perrexit ad præliandum contra Chananæos in terra promissionis, *et fecit justitias Domini,* id est, justas ultiones exercuit in adversarios Israelitici populi, *et judicium suum cum Israel,* id est, discrete atque fideliter se habuit cum aliis tribubus: quoniam tribus Gad et tribus Ruben armatæ præcesserunt novem tribus ac mediam, quousque introduxerunt eas in terram promissam, secundum quod Moysi promiserunt (Josue I, 12-18). Circa hæc ait Glossa: In benedictione Gad videtur Moyses prædicere potentiam virorum fortium aut judicum, qui de tribu illa fuerunt, sicut Jephte et alii multi. Unde et in Genesi Jacob prædixit: Gad accinctus præliabitur ante eum (Gen. XLIX, 19).

Dan quoque ait: Dan catulus leonis. Jacob patriarcha Judæ benedicens, inter cetera dixit: Catulus leonis Juda (Ibid. 9). Sed sicut hoc dictum est de Juda propter David fortissimum natum ex Juda (I Reg. XVI, 18; XVII, 34, 35), vel potius propter Christum, de quo in Apocalypsi habetur, Vicit leo de tribu Juda (Apoc. V, 5); sic istud dictum est propter Samsonem ex Dan genitum (Judic. XIII, 2, 24; XV; XVI), qui instar catuli leonis contra Philistæos erectus est. *Fluet largiter de Basan.* Hoc secundum Glossam exponitur,

Digitized by Google

quoniam possessio Dan porrecta fuit usque A Basan, et ita multitudine populi atque exuberantia rerum instar fluvii inde fluxit. Quidam dicunt hoc additum, quia Jordanis oritur in sorte ipsius, juxta urbem Lachis, ubi sunt duo fontes, quorum unus dicitur JOR, alter DAN, qui confluentes, fluvium Jordanem principiant, sicut et nomen ejus componunt.

Et Nephthali dixit, id est, Moyses tribui Nephthali benedicendo, ait : *Nephthali abundantia perfruetur,* id est, fertilem valde funiculum obtinebit, *et plenus erit* B *benedictionibus Domini,* id est de donis Dei, utpote non solum temporali prosperitate, sed et spirituali gratiositate. *Mare et meridiem possidebit :* quia possessio ejus ab australi parte in occidentem porrecta, usque ad mare pertingebat Tyrrhenum, secundum Glossam. Fuitque hæc tribus super lacum Genesareth sita. Hinc Jacob locutus est : Nephthali, cervus emissus ; ubi (Gen. XLIX, 21.) secundum aliam interpretationem in Hebræo habetur : Nephthali, ager irriguus.

Aser quoque ait, id est, tribui Aser sic C benedixit : *Benedictus in filiis Aser,* id est, pro benedictione accipiat fecunditatem et sobolem copiosam, *sit placens fratribus suis,* id est aliis tribubus, *tingat in oleo pedem suum,* id est, copia olei perfruatur, quoniam sors ejus abundavit olivis. Sic sanctus Job primam suam opulentiam (Job XXIX, 6.) memorans : Lavabam, inquit, pedes meos (Gen. XLIX, 20.) butyro. Hinc Jacob prædixit : Aser, pinguis panis ejus, etc. *Ferrum et æs calceamentum ejus,* id est, his metallis abundabit propter materiam æris ac ferri exsistentem in sorte D ipsius, ita quod ære et ferro munietur, sicut pes calceis. *Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua,* id est, fertilitate prosperitateque afflues usque ad captivitatem tuam, erisque aliis placens et gratiosus.

Hucusque Moyses decem tribubus benedixit. Et mirum, quod tribui non benedixerit Simeonis. Cujus rei causam quidam assignant, eo quod paulo ante hæc, princeps in tribu Simeon exemplum fornicandi (Num. XXV, 14.) ac idololatrandi aliis tribubus dedit, et iram Dei in populum excitavit ; atque ut aliqui addunt, quoniam Simeon primo suos fratres contra Joseph accendit, quatenus interficerent eum, propter quod Joseph præ ceteris tenuit eum captivum ad tempus. Verumtamen juxta hoc videretur quod nec Jacob ei benedixisset.

His præmissis, Moyses in laudem prorumpit largitoris tantorum bonorum. *Non est Deus alius ut Deus rectissimi,* id est, Deus Israelitici populi præ ceteris justi, est solus, verus, immensus et incomparabilis Deus. *Ascensor cœli, auxiliator tuus,* id est, Dominus et Rex cœlorum altior cœlis, te juvat, o Israel. *Magnificentia ejus discurrunt nubes.* Juxta potestatem et imperium Dei nubes moventur, et terram fecundant, juxta illud Psalmi : Qui operit (Ps. CXLVI, 8.) cœlum nubibus, et parat terræ pluviam. Unde scriptum est in Job : Nubes prætexunt (Job XXXVI, 28-30.) cuncta desuper ; si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, cardines quoque maris operiet. In Hebræo, ut ferunt, habetur, Discurrunt cœli ; sed potius reor dictionem illam Hebraicam ad utrumque esse æquivocam. *Habitaculum ejus sursum :* quia in cœlis ac civibus cœli dicitur Dominus commorari, in quantum ibi evidentius operatur, clariusque conspicitur. Verumtamen, quoniam loco non clauditur, recte subjunctum est, *et subter brachia sempiterna :* quoniam sicut ipse est super omnia non elatus, ita est infra omnia non oppressus ; et sempiterna brachia, id est fortitudines angelicorum spirituum incorruptibiles, atque perpetuas cœlorum virtutes, ipse sustentat, et brachia illa ei subsunt et parent ut Creatori. *Ejiciet a facie tua inimicum,* id est, Chananæos expellet et delebit a facie tua, o Israel, *dicetque : Conterere,* id est, eos destrui jubebit.

Habitabit Israel confidenter, id est sine timore in terra sibi promissa, quamdiu obedierit Deo, *et solus,* id est segregatus ab aliis gentibus, et speciali ritu Dominum colens, quemadmodum Balaam quoque prædixit : Populus solus habitabit, et inter (Num. XXIII, 9.) gentes non reputabitur. *Oculus Jacob in*

Digitized by Google

terra frumenti et vini, id est, populus iste A ex Jacob natus, videbit et possidebit terram frumento et vino fecundam; *cœlique caligabunt rore,* id est, cœlum aereum ita implebitur rore pro terræ fecundatione, ut hominum tenebrescat adspectus, et orbes cœlestes videri non queant in sua serenitate. *Beatus es tu, Israel,* quia sic electus et benedictus a Deo. *Quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino?* id est, Deo auxiliante prævales hostibus et evadis pericula, veramque promereris salutem. Quasi dicat : Ceteris gentibus excellentior es. B
Deut. IV, 7. Unde dictum est supra : Non est alia natio tam grandis. *Scutum auxilii tui et gladius gloriæ tuæ,* id est, Deus omnipotens est tibi pro scuto, quia te protegit, et pro gladio victorioso, quoniam ejus virtute dejicis hostes. *Negabunt te inimici tui,* id est, gentes quarum terram jam obtinebis, resistent tibi, tanquam impiæ nationi et aliena invadenti, et dicent, tibi nequaquam terram ipsorum deberi; *et tu eorum colla calcabis,* id est, eos penitus superabis. Imo in Josue libro habetur, qualiter principes Israel posuerunt pedes suos super Josue x, 24.
colla regum Chananæorum. Asserit autem Lyra in Hebræo haberi, Mentientur tibi inimici tui : quod exponunt Hebræi de Gabaonitis, qui mendaciis circumvenerunt Ibid. IX, 3 et seq.
filios Israel, ut legitur in Josue libro; sed verius puto, verbum illud Hebraicum significare utrumque. Et videtur Hieronymus aptius transtulisse, Negabunt te, etc. Nec enim filii Israel colla Gabaonitarum calcaverunt, sed dimiserunt, deinde eripuerunt eos de Chananæorum obsidione, ut Josue Ibid. x, 6 et seq.
recitat.

ARTICULUS XXXVIII

MYSTICA EXPOSITIO HUJUS CAPITULI.

SICUT lex Moysis fuit typus et nuntius C evangelicæ legis, et mysterialiter continens eam, secundum quod Ezechiel vi-
Ezech. I, 16; x, 10. dit rotam in medio rotæ, sic Moyses fuit evidentissima Christi figura. Quod itaque Moyses morti tam proximus, filiis Israel benedixit, hoc præfiguravit, quod Christus in Cœna novissima, et deinde in sermone suo atque oratione prolixa, imprecatus est bona suis discipulis, prædixitque eis quanta essent charismata Sancti Spiritus adepturi, et qualiter mundum converterent; deinde post passionem et resurrectionem D
Joann. XX, 22. insufflavit in eos, Accipite, inquiens, Spiritum Sanctum; in die quoque ascensionis
Luc. XXIV, 50, 51. elevatis manibus benedixit eis, et ipsis
Act. I, 9. cernentibus ferebatur in cœlum.

Itaque, *Hæc est benedictio qua benedixit Moyses homo Dei,* id est Christus per Moysen figuratus, sanctissimus hominum, et totus Dei, in quo princeps hujus mundi Joann. XIV, 30.
non habuit quidquam, *filiis Israel,* id est Apostolis ceterisque discipulis, qui erant Israelitæ verissimi. *Dominus de Sinai venit,* id est, a lege in monte Sinai data, processit ad dandum evangelicam legem, priori legi finem imponens, et ejus vaticinia atque mysteria, imo et principalia ejus præcepta in Evangelio complens. Hoc est quod per Jeremiam Dominus contestatur : Ecce dies veniunt, et feriam domui Jer. XXXI, 31 et seq.
Israel et domui Juda pactum novum, non tale quale dedi patribus eorum, etc. *Et de Seir ortus est nobis.* Quamvis Judæi descenderunt de Isaac per Jacob, non per Esau, nihilo minus propter suam ruditatem, carnalitatem, infidelitatem et reprobationem recte designantur per Esau seu Seir, quemadmodum Christiani per veros et spirituales veteris Testamenti Judæos.

Digitized by Google

Dominus ergo ortus est nobis Christifide- A libus de Seir, quia de populo Judæorum venit ad gentilitatem, et copiosissime illuminavit eamdem. Hinc in Isaia Dominus et Salvator, Judæorum derelictionem, gen- *Is.* XLIX, 5, 6. tiumque vocationem insinuans, ait : Hæc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum ; et Israel non congregabitur, et glorificatus sum in oculis Domini ; et dixit : Parum est ut sis mihi ad suscitandas tribus Jacob et fæces Israel convertendas : dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad B extremum terræ. Hinc in Evangelio dixit *Matth.* XXIII, 38. Judæis : Relinquetur vobis domus vestra deserta. Per Jeremiam quoque prædixit : *Jer.* XII, 7, 8. Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam ; facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva ; dedit contra me vocem suam : ideo odivi eam.

Apparuit de monte Pharan. Per Pharan, quod uno modo interpretatur frugifer, significatur Ecclesia omnium divinorum charismatum ubertatibus adimpleta, in virtutum ac sapientiæ vertice tanquam C in monte constituta, de qua prædictum est *Mich.* IV, 1. *Is.* II, 2. a Michæa : Erit in novissimo dierum præparatus mons Domini in vertice montium Dominus ergo in ipsa militanti Ecclesia gratiose apparuit per diversa miracula, per sacramentalem præsentiam, per internam inhabitationem, imo et visibiliter in humanitate assumpta, implens illud Psalmi : *Ps.* XXI, 23. Narrabo nomen tuum fratribus meis ; in medio Ecclesiæ laudabo te. *Et cum eo Sanctorum millia.* In die ascensionis cum multis millibus Sanctorum, quos de pa- D trum limbo in hora resurrectionis eduxerat, apparuit suis in monte Oliveti, ita quod millibus illis fuit vallatus, quamvis discipuli exteriori intuitu ea non viderunt ; tunc item cum multis, imo et innumerabilibus sanctorum millibus angelorum ascendit ; atque post missionem Spiritus Sancti statim tot millia fuerunt ad fidem conversa, quod cum Christo in Ecclesia fuerunt Sanctorum millia : quod deinde in Ecclesiis gentium copiosius fuit impletum.

Unde ad Hebræos scribit Apostolus : Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei *Hebr.* XII, 22, 23. viventis, et Jerusalem cœlestem, multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum.

In dextera ejus ignea lex. Quamvis juxta expositionem præhabitam, istud ad litteram exponatur de lege Mosaica, subtilius tamen de evangelica exponitur lege. Etenim in libro Proverbiorum de increata Sapientia dicitur : Longitudo dierum in de- *Prov.* III, 16. xtera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria. Quum ergo in evangelica lege promittatur pro præmio æterna illa cœlestis felicitas, quæ per longitudinem dierum exprimitur, in veteri vero lege temporales divitiæ et gloria humanæ prosperitatis, evangelica lex merito consistere perhibetur in dextera Dei, Mosaica autem in sinistra ipsius. Rursus, quum lex Christi sit lex amoris et pietatis, lex autem Moysis, lex timoris et severitatis, recte lex evangelica fertur esse in dextera Dei, et lex Moysis in Dei sinistra. Est demum lex Christi, lex ignea, id est tota ardens ac fervida, spiritualis et inflammativa ad ardentissimum Dei amorem, per justa præcepta ac sapientissima consilia compendiose deducens. Et in ipsa caritas totius supersanctæ Trinitatis ad genus humanum, evidentissime declaratur. Propter quod dixit Salvator : Ignem veni mittere in ter- *Luc.* XII, 49. ram, et quid volo nisi ut accendatur ? Et rursus : Hoc est præceptum meum, ut di- *Joann.* XV, 12 ; XIII, 35. ligatis invicem sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Denique ad istud insinuandum, apparuit Spiritus Sanctus in igneis linguis super discipulos, quatenus igneis linguis et ardentissimis cordibus legem igneam prædicarent, non utique uni dumtaxat genti, quemadmodum solis Judæis data est vetus lex, sed gentibus universis : ad quod figurandum, apparuerunt dispertitæ linguæ discipulis, et *Act.* II, 3, 4. data est eis omnium linguarum notitia. Idcirco nunc subditur, *Dilexit populos,* quoniam undique fecit eis verbum salutis

Digitized by Google

annuntiari, et omnium quantum in se vult A
salutem, prout excellentissimus Archiapo-
II Petr. III, 9. stolus loquitur : Patienter agit Dominus pro-
pter vos, nolens aliquos perire, sed omnes
ad pœnitentiam reverti. *Omnes sancti in*
manu illius sunt. Hoc est quod ait Salva-
Joann. XV, 5. tor Apostolis, imo universis fidelibus : Si-
ne me nihil potestis facere. Ideo unus il-
I Cor. XV, 10. lorum præcipuus, fassus est : Gratia Dei
Sap. X, 10. sum id quod sum. Justum quippe deduxit
Dominus per vias rectas. Propter quod qui-
dam grata et gratulabunda cecinit voce :
Ps. LXXII, 24. Tenuisti manum dexteram meam, et in B
voluntate tua deduxisti me. Hinc et alio
Sap. III, 1. loco scriptum est : Justorum animæ in ma-
Joann. X, 27, 28. nu Dei sunt. Et Salvator : Ego cognosco
oves meas, et non rapiet eas quisquam de
manu mea. *Et qui appropinquant pedibus*
ejus, id est, vestigia humilitatis Christi
fuerint assecuti, vel sanctorum Apostolo-
rum opera imitantur, *accipient de doctri-*
na illius, id est, gratiose illuminabuntur.
Oportet enim in primis in vera humilitate
fundari, et cum reverentia ac timore acce-
Rom. XI, 20. dere, ut impleamus illud Apostoli : Noli C
altum sapere, sed time.

Legem præcepit nobis Moyses, id est
Matth. V-VII. Christus qui in monte contulit evangeli-
cam legem, ut Matthæus describit : quæ
lex est hereditas multitudinis gentium, id
est gentium universarum, qui per fidem
sunt filii Jacob. Unde de Christo Isaias
Is. XLII, 4. prædixit : Legem ejus insulæ exspecta-
bunt. Et rursus in Isaia Dominus Pater
Ibid. 6, 7. ait ad Unigenitum suum : Dedi te in fœ-
dus populi, in lucem gentium, ut aperires
oculos cæcorum. *Erit apud rectissimum* D
rex. Sicut lex Christi est sola inter omnes
leges perfecta, sic populus christianus il-
lam sincere adimplens, præ cunctis natio-
nibus est vere rectissimus, apud quem et
in cujus medio est Christus, qui fatetur in
Ps. II, 6. Psalmo : Ego autem constitutus sum rex
ab eo super Sion montem sanctum ejus.
Is. XXXIII, 22. Et Isaias : Dominus legifer noster, Do-
minus rex noster, ipse veniet et salvabit
nos. *Congregatis principibus populi,* puta
Ps. XLVI, 10. Apostolis, de quibus cantatur : Principes
populorum congregati sunt cum Deo Abra-
ham ; *cum tribubus Israel,* ex quibus mul-
ta millia converterunt, quibus primo se
conjunxerunt, prædicando in sola Judæa
ad tempus, deinde processerunt ad gen-
tes. Hinc enim S. Jacobus in exordio suæ
Canonicæ : Duodecim, inquit, tribubus quæ Jacob. I, 1.
sunt in dispersione, salutem. Et summus
Apostolus in principio primæ suæ epi-
stolæ : Electis, inquit, advenis dispersio- I Petr. I, 1.
nis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et
Bithyniæ.

Vivat Ruben et non moriatur. Per Ru-
ben qui interpretatur filius visionis, intel-
liguntur electi Judæi, quibus Dominus di-
xit, Beati oculi qui vident quæ vos videtis ; Luc. X, 23.
et ceteri per eos ex Judaismo conversi. *Et*
sit parvus in numero. Illis namque locutus
est Jesus : Nolite timere pusillus grex, quia Ibid. XII, 32.
complacuit Patri vestro dare vobis regnum.
Nam et comparatione eorum qui in infi-
delitate manserunt, pauci videntur qui ex
plebe Judaica crediderunt.

Hæc est Judæ benedictio : Audi, Domi-
ne, vocem Judæ. Per Judam qui interpre-
tatur confitens sive laudans, allegorice
accipitur Christus, qui secundum assum-
ptam humanitatem, ab incarnationis exor-
dio Deum Trinitatem indesinenter laudavit
laude interna, quoniam anima ejus quoad
partem suam intellectivam, fuit Deo beati-
fice fruens, et summa laude extollens. Hu-
jus Judæ vocem Dominus Pater et Trinitas
Deus in omnibus exaudivit, quemadmodum
protestatur : Gratias ago tibi Pater, quo- Joann. XI, 41, 42.
niam exaudisti me ; ego autem sciebam,
quia semper me audis. *Et ad populum*
suum introduc eum electis : id est, ad ele-
ctos Judæos atque gentiles convertendos,
ut eos per se aut per suos convertat disci-
pulos ; deinde introduc eum ad limbum
patrum, ut eos educat ; postremo ad cives
cœlestes, ut eorum ruinam recuperet. *Ma-*
nus ejus pugnabunt pro eo, id est, Christus
propria potestate prævalebit adversariis
suis seu populi sui. Unde in Isaia loqui-
tur : Calcavi eos in furore meo, et concul- Is. LXIII, 3.
cavi eos in ira mea. Aereas quoque potesta-

Digitized by Google

tes expugnavit in cruce. *Et adjutor contra* A *adversarios ejus erit,* id est, Christus suos fideles contra visibiles et invisibiles hostes Luc xxi, 15. juvabit. Propter quod dixit : Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii Is. xix, 20. vestri. De hoc Isaias prædixit : Mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos. Tropologice, per Judam intelligitur Ecclesia seu quæcumque fidelis persona, cujus orationes ac præconia Deus suscipit gratiose; et ad populum suum, id est ad triumphantem Ecclesiam, vel ad aliorum B conversionem, sive ad mystici corporis Christi participationem introducit eamdem; cujus manus pugnant pro ea, quia II Tim. ii, 5. tentationibus reluctatur, sciens quod non coronabitur nisi qui legitime certaverit, et Job vii, 1. quod militia sit vita hominis super terram. Unus quoque fidelium in spirituali certamine alium juvat orando, exemplariter conversando, admonendo, et merita sua invicem communicando : quia per caritatem merita singulorum, sunt universo- Ps. cxviii, 63. rum, juxta quod scriptum est, Particeps C ego sum omnium timentium te, etc.

Levi quoque ait. Per Levi exprimitur clerus Ecclesiæ, sacerdotes, religiosi, et omnes in sacris Ordinibus constituti, quorum universitati seu cœtui dicitur : *Perfectio tua,* quam habes in conversando, *et doctrina,* qua alios doces, *a viro sancto tuo,* id est, a Christo tibi collatæ sunt, qui in Evangelio te informat ; *quem probasti* fidelem tibi esse per gratiæ suæ auxilium *in tentatione* quacumque, quam devicisti ; *et judicasti ad aquas Contradictionis,* id D est, flumina adversitatum et impetus hostium contradicentium tuæ saluti, sustinendo expertus es et cognovisti pro certo, quam caritative et pie tibi adfuerit I Cor. x, 13. Dominus, qui non permisit te ultra vires tentari, imo fecit cum tentatione proventum. *Qui dixit patri suo et matri suæ, Nescio vos; et fratribus suis, Ignoro illos; et nescierunt filios suos,* id est, qui omnem carnalem amorem parentum et prolis ac cognatorum penitus abjecerunt Dei intuitu et amore. *Hi custodierunt eloquium tuum,* o Christe, id est evangelica tua consilia, *et pactum tuum servaverunt,* id est, evangelicam legem, quantum ad ejus præcepta ; utpote *judicia tua, o Jacob,* id est ea quæ Dominus Jesus judicavit esse valde accommoda ad obtinendam perfectionem, o popule supplantator culparum, *et legem tuam, o Israel,* id est legem Evangelii tibi datam, o plebs Deum fide contemplans. Hi sunt qui observant consilia Christi, dicentis : Qui non renuntiat omnibus quæ Luc. xiv, 33.
possidet, non potest meus esse discipulus.
Et rursus : Qui non odit patrem suum et Ibid. 26.
matrem et fratrem et sororem et filios, non potest meus esse discipulus. In quibus omnibus non odienda, sed amanda sunt dona naturæ et gratiæ, odienda vero mala culpæ, et retractiones quibus conantur nos a via perfectionis retrahere. Præterea quamvis sacerdotes et clerici sæculares, ad vitam claustralem et ad evangelica consilia non obligentur, nihilo minus obligantur ad multa generalium conciliorum atque summorum Pontificum, provincialium etiam synodorum canones et statuta, ex quibus adstringuntur ad vitam non modice virtuosam et plurimum exemplarem: quæ implere non poterunt, nisi omnem carnalem et inordinatum affectum abjiciant, potissimum affectiones, vitia carnis et avaritiam, quæ est servitus idolorum, ut Coloss. iii, 5.
ex sententia dicere digni sint : Dominus Ps. xv, 5.
pars hereditatis meæ et calicis mei. *Ponent thymiama in furore tuo,* id est, orationum suarum oblatione et præceptorum expletione placabunt te, Domine, quia pro populo jugiter orant, psallunt, sacrificant et laborant, sicut ait Apostolus : Ipsi per- Hebr. xiii, 17.
vigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri ; *et holocaustum super altare tuum,* quoniam corpus et sanguinem Salvatoris consecrant, sumunt et offerunt super altare, ubi et mactant, offeruntque se ipsos grandi compunctione ac integra devotione. *Benedic, Domine, fortitudini ejus,* id est, spirituale robur cleri conforta. *Percute dorsa inimicorum ejus :* enormiter

Digitized by Google

enim peccant, qui ecclesiasticæ derogant A libertati, et clerum persequuntur.

Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter. Hoc de Christo accipi potest, de quo protestatus est Pater : Hic est Filius meus carissimus, ipsum audite. *Matth.* XVII, 5. *Luc.* IX, 35. Et in Christo homine seu ejus humanitate, tanquam in templo Deus Trinitas indesinenter quievit. Potest item per amantissimum Domini, quicumque ferventer devotus et devote amorosus, intelligi, qui valde amatus est Deo, et in ipsius corde velut in *thalamo* Dominus assidue commoratur, et B *inter* ipsius *humeros* requiescit, quia in ejus delectatur operibus, quoniam ille super se portat jugum Dei et onus ipsius.

Joseph quoque ait : De benedictione Domini terra ejus. Sicut in omni creatura divinæ aliquid bonitatis et perfectionis relucet, sic in quolibet sanctorum veteris Testamenti, imo et legis naturæ, est aliquid invenire, per quod Christum sanctum sanctorum designet, qui non ad mensuram sortitus est gratiam. Sic ergo per Joseph multis ex causis intelligitur Christus, cu- C jus terra, id est militans Ecclesia seu caro assumpta, purissima, procreata et omni virtute ornata est de benedictionibus Domini : in qua Ecclesia sunt poma cœli, id est fructus hominum in terris vitam cœlestem ducentium ; ros gratiæ, abyssus subterjacens, id est aqua Baptismi, fons lacrimarum, abundantia afflictionum ; poma *fructuum solis* et *lunæ*. Potest per solem sapientia, per lunam prudentia designari. Ecclesia autem ornatur actibus et contemplationibus sapientiæ atque prudentiæ, quia D in exercitiis vitæ activæ et contemplativæ perfecta est. Et quia ad ista succenditur ex consideratione, doctrina et exemplis veterum Patriarcharum ac Prophetarum in omni virtute sublimium atque constantium, recte subjungitur : *De vertice antiquorum montium et de pomis collium æternorum, de frugibus terræ et de plenitudine ejus.* Per fruges terræ, virtutes et opera Synagogæ sumuntur ; et per plenitudinem Synagogæ, doctrina legis et codices Prophetarum, sapientialesque libri : ex quibus omnibus juvatur, instruitur, inflammatur Ecclesia. *Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph.* Hoc in se esse impletum testatus est Christus, sicut et Isaias prædixit : Spiritus, inquiens, Domini super me, eo quod unxerit me. *Is.* LXI, 1. Unde et beatissimus Petrus ait de Christo : Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute. *Act.* X, 38. Qui *inter* omnes *fratres suos* et præ cunctis hominibus exstitit Nazaræus, id est, sanctus atque in Nazareth conceptus est et nutritus. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus,* juxta illud, Speciosus forma præ filiis hominum : *Ps.* XLIV, 3. in quo per excellentiam fuit pulchritudo naturalis, moralis, spiritualis, gloriosa ac superessentialis, divina. *Cornua rhinocerotis, cornua illius,* id est, auctoritas Christi judiciaria ac potestas regalis victoriosissimæ exstant : quod de clavis ac partibus crucis Christi exponitur, de quibus Habacuc : Cornua, inquit, in manibus ejus ; ibi abscondita est fortitudo ejus. *Habac.* III, 4. *In ipsis ventilabit gentes,* quia incredulos perdet, electos autem merito suæ passionis convertet, qui sunt *multitudines Ephraim et millia Manasse,* id est fideles qui in spiritualibus crescunt, et terrenorum obliviscuntur meditando divina.

Lætare, Zabulon, in exitu tuo, etc. Per Zabulon, qui interpretatur habitaculum fortitudinis, et per Issachar, qui interpretatur merces, intelliguntur Apostoli nati ex Galilæa in terra Zabulon et Issachar : qui in exitu suo, quoad Judæorum ac gentium conversionem egressi sunt, et in tabernaculis et congregationibus eorum quos converterunt, magnifice sunt gloriati in Domino, conversosque populos ad montes, id est sublimitates virtutum, hortati sunt, in quibus victimas justitiæ obtulerunt, tam ipsi Apostoli quam conversi ab eis, Deo, per orationes, gratiarum actiones et debitas servitutes ipsum glorificando. *Qui inundationem maris quasi lac sugent,* id est, de conversa gentilitate, et de thesauris ejus absconditis, id est occultis meritis, suavissime sunt refecti.

Digitized by Google

Et Gad ait : Benedictus in latitudine Gad, quasi leo requievit. Gad interpretatur felicitas : per quem exprimitur Christus, qui in latitudine benedictus est, quia undique terrarum a conversis ad ipsum laudatur, et ubique terrarum ad ipsum plurimi sunt conversi. Omnium quoque charismatum largitate impleta est anima ejus. Et requievit ut leo, quia constantissimus fuit corde atque fortissimus robore. In monumento quoque quievit ut leo, qui apertis oculis fertur dormire, quia Salvator corpore mortuus, deitate mansit incommutabilis et cuncta conspiciens : sicque resuscitavit se ipsum. *Cepitque brachium et verticem,* quia post suam resurrectionem maxime declaravit suam potentiam, et infidelium robur ac apicem tandem inclinavit sub fide et evangelicæ legis jugo, ac tyrannos damnavit. Hinc post resurrectionem
Matth. XXVIII, 18. disseruit : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Atque in Isaia prædixit :
Is. LXIII, 4. Dies ultionis in corde meo. *Et vidit principatum suum,* id est regnum Ecclesiæ suæ, *quod in parte sua doctor esset repositus,* id est, quod ipsemet Christus doctor esset et legifer suæ plebis. *Qui fuit cum principibus populi,* id est sanctis Apostolis et ceteris prædicatoribus ac prælatis
Matth. XXVIII, 20. electis, quibus testatus est : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. *Et fecit justi-*
Act. I, 1. *tias Domini.* Cœpit enim facere et docere.
Joann. VIII, 29. Ac dixit : Quæ placita sunt Patri, facio semper.

Dan quoque ait : Dan, catulus leonis. Per Dan, qui interpretatur judicium, intel-
Apoc. XIX, 11. ligitur Christus omnium judex, et quicumque Christifidelis, justitiam, judiciumque
Prov. XXVIII, 1. exercens. Justus enim quasi leo confidens. Qui fluit *largiter de Basan :* quoniam sustinendo injurias et adversa, gratiis adim-
Matth. V, 12. Luc. VI, 23. pletur et gloria, sicut ait Scriptura : Gaudete in illa hora, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Basan autem ignominia interpretatur.

Nephthali abundantia perfruetur. Per Nephthali, qui dicitur comparatio, accipi- A tur Christus, qui Deo Patri vere se comparavit, non rapinam arbitrans, se esse Philipp. II, 6.
æqualem Deo : in cujus anima fuit omnium charismatum plenitudo, et deitate plenis- Is. XI, 2, 3.
sime fruebatur, sicque benedictionibus gratiæ et gloriæ fuit plena. *Mare et meridiem possidebit,* quia maritima atque australia loca sunt ad ipsum conversa, sicut Zacharias prædixit : Potestas ejus a mari usque Zach. IX, 10.
ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ. Hoc quoque de quocumque justo potest exponi, qui sanctorum patrum in- B flammatus exemplis, ad perfectionem humilitatis, patientiæ, caritatis, et quotidiani profectus ipsorum cupit pertingere, certus et ipsos homines exstitisse, et non nisi Dei auxilio ad tantum pertigisse culmen virtutum : idcirco sic satagendo benedictionibus adimpletur, et possidet mare, id est internæ compunctionis amaritudinem, contritionisque lacrimas, per quas ad possessionem meridiei, id est claræ cognitionis seu fervidi amoris Dei, perducitur : quoniam per salubrem pœnitentiæ amaritudi- C nem et contritionis lamenta, quibus anima expurgatur, ad illuminationem supernam et sanctæ dilectionis ardorem ascenditur.

Benedictus in filiis Aser. Per Aser, qui interpretatur beatus, intelligitur Christus, secundum suam deitatem essentialiter et æternaliter felix, qui et ab incarnationis exordio fuit Deo beatifice fruens, quantum ad superiorem animæ suæ partem : qui in filiis, id est fidelibus ad ipsum conversis, benedictus est, sanctus, gloriosus, ac collaudandus. Benedictus etenim Deus Ps. LXVII, 36.
D in Sanctis suis, qui et ipsum jugiter benedicunt, et ipse suam sanctitatem ac laudabilitatem declarat in eis : de quo ab Isaia prædictum est : Generationem ejus quis Is. LIII, 8.
enarrabit ? Et item : Si posuerit pro pec- Ibid. 10.
cato animam suam, videbit semen longævum. *Sit placens fratribus suis.* Sanctis namque Apostolis ita complacuit, quod propter eum omnia reliquerunt, et gloria- Matth. XIX, 27.
bantur, quia digni habebantur pro ipso Act. V, 41.
contumeliam pati. *Tingat in oleo pedem suum,* id est, omnem suam affectionem,

Digitized by Google

unctione et directione Spiritus Sancti in- A
formet et actuet, ut justa et efficax sit, et
Ps. i, 3. omnia quæ fecerit prosperentur. *Ferrum
et æs calceamentum ejus.* Christus nudus
pedes incessit; nihilo minus ferrum, id
est invincibilis fortitudo animi, et æs, id
est imperforabilis patientia seu prædica-
tio ejus sonora, erant calceamentum, id
est tutissimum munimentum suæ conver-
sationis in omni quam sustinuit passione
et adversitate, a quibus nunquam lædi po-
tuit læsione peccati. *Sicut dies juventutis
tuæ, ita et senectus tua.* Non erat in Christo B
corporalis senectus, quippe qui in tricesi-
mo tertio suæ ætatis anno occisus est; sed
fuit in eo senectus mentis immensa, summa
morum maturitas, sapientia consummata
similis suæ juventuti, id est recentissimo
ac vigorosissimo suæ perfectionis virori.
Istud quoque de quocumque virtuoso præ-
lato et fructuoso prædicatore exponitur,
cujus filii sunt, quos convertit, regit, in-
format, pro quibus benedici meretur et
Rom. xv, 2. coronari : et talis placet proximis suis in
bono ad ædificationem. Et utique talis C
grandi patientia et fortitudine animi in-
diget, ut aliorum defectus ac tentamenta
Ephes. vi, 15. æquanimiter toleret, sicque calceatus sit
pedes in præparatione evangelii pacis.
Prov. xix, 11. Nam et doctrina viri per patientiam nosci-
tur. Et fortem esse oportet, qui multorum
onera habet portare, cujus senectus est
Ps. cii, 5. sicut juventus, quia etsi exterior homo
II Cor. iv, 16. corrumpitur, interior tamen quotidie re-
novatur.

*Non est Deus alius, ut Deus rectissi-
mi* populi christiani. *Ascensor cœli,* qui D
dixit Apostolis per beatissimam Magdale-
Joann. xx, 17. nam : Ascendo ad Patrem meum. Qui as-
Ps. lxvii, 34. cendit super omnes cœlos, *auxiliator tuus*
est, o plebs fidelis, de quo loquitur Paulus:
Philipp. iv, 13. Omnia possum in eo qui me confortat; cui
Ps. xlv, 2. cantamus : Deus noster refugium et vir-
tus, adjutor in tribulationibus. *Magnificen-
tia ejus discurrunt nubes,* videlicet sancti
Apostoli et cooperatores eorum, de quibus
Is. lx, 8. admirando locutus est Isaias : Qui sunt
isti, qui ut nubes volant? Admirabilis ac
potentissimus fuit nubium harum discur-
sus, quæ coruscando miraculis, pluendo
verbis cœlestibus, irrigaverunt ac fecunda
fecerunt audientium corda suis doctrinis,
gratiarumque donis, et miraculosissime to-
tum pene mundum converterunt celerri-
me ad tam incomprehensibilem fidem ac
arduissimam legem, quod fuit evidentis-
simum ac præclarissimum opus Omnipo-
tentis. *Habitaculum ejus sursum,* quia in
intellectu moratur per fidem et sapien-
tiam, in voluntate per caritatem, in apice
mentis per mysticam theoriam ardentissi-
mosque excessus. *Et subter brachia sem-
piterna,* quia virtutes et dona, omnemque
potestatem et auctoritatem militantis ac
triumphantis Ecclesiæ ipse sustentat, con-
servat et stabilit. *Ejiciet a facie tua ini-
micum,* id est adversarios electorum Eccle-
siæ suæ, quos trudet in tartarum; *dicetque:
Conterere.* Conteret namque Satanam sub Rom. xvi, 20.
pedibus nostris velociter.

Habitabit Israel confidenter, id est, Ec-
clesia et quicumque fidelis in adjutorio
Dei et in protectione ipsius fiducialiter
conquiescet, omni vili exclusa formidine,
sicut per Isaiam Dominus prædixit : Se- Is. xxxii, 18.
debit populus meus in pulchritudine pa-
cis et in tabernaculis fiduciæ et in requie
opulenta. Quod et in primitiva Ecclesia
constat esse impletum, prout Jeremias præ-
nuntiavit : In diebus, inquiens, illis salva- Jer. xxiii, 6.
bitur Juda, et Israel habitabit confidenter.
Unde in Actis habetur : Erant perseverantes Act. ii, 42, 46, 47.
in doctrina Apostolorum, et sumebant ci-
bum cum exsultatione et simplicitate cor-
dis, collaudantes Deum, et habentes gra-
tiam ad omnem plebem. *Oculus Jacob in
terra frumenti et vini,* id est, Christiano-
rum vitia supplantantium oculi interiores
in Ecclesia fixi sunt, in qua frumentum Zach. x, 17.
electorum et vinum germinans virgines,
Eucharistiæ sacramentum, spiritualis refe-
ctio, inebriatio caritatis abundant. *Cœlique
caligabunt rore.* Isti sunt viri spirituales
divini, præsertim Apostoli, de quibus can-
tatur : Cœli enarrant gloriam Dei. Qui Ps. xviii, 2.
quamdiu erant in peregrinationis hujus

Digitized by Google

1 Cor. xiii, 12. exsilio, videbant per speculum in ænigmate, et caligaverunt oculi eorum interni, rore gratiæ perfusi ad intuitum Solis æterni, nondum lumine gloriæ confortati. *Beatus es tu, Israel.* Nil enim felicius Christiano, cui cœleste promittitur regnum : et specialiter nunc beati in spe, qui Deum sinceriter contemplantur. *Popule, qui salvaris in Domino,* id est, divino auxilio salutem consequeris, etiam mox dum recedis a corpore, dummodo ex parte tui ipsius non exstet defectus. *Scutum auxilii tui,* Deus
Ps. v, 13. est, qui scuto bonæ voluntatis ac fidei ar- A mat te. *Et gladius gloriæ tuæ,* ne in te ipso inaniter glorieris, sed dicas : Non in Ps. xliii, 7.
arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me ; sed in Deo salutare meum, et Ps. lxi, 8.
gloria mea, Deus auxilii mei et spes mea in Deo est. *Negabunt te inimici tui,* juxta illud Psalmi : Multi dicunt animæ meæ, Ps. iii, 3.
Non est salus illi in Deo ejus. Postremo, per hoc quod Moyses non nisi undecim benedictiones hic ponit, Simeone a benedictione excluso, præfigurata est (juxta Glossam) exclusio Judæ ab apostolatus fa- B stigio.

ARTICULUS XXXIX

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI QUARTI : ASCENDIT ERGO MOYSES DE CAMPESTRIBUS MOAB.

HUCUSQUE scripsit Moyses hoc volumen. Ultimum vero nunc exponendum capitulum ab ejus successore Josue creditur compilatum et additum. *Ascendit*
Num. xxii, 1. Deut. i, 5. *ergo Moyses de campestribus Moab,* in quibus fuerat populum allocutus, *super montem Nebo, in verticem Phasga*, prout in
Ibid. xxxii, 49. fine capituli tricesimi secundi Dominus legitur ei jussisse. Superior autem pars montis illius dicta est Phasga. *Contra Jericho. Ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan, et universum Nephthali,* C id est totum funiculum et territorium tribus Nephthali, *terramque Ephraim et Manasse.* Terra vero Manasse, pro media parte fuit ex una parte Jordanis, et pro alia medietate ex Jordanis altera parte. *Et omnem terram Juda usque ad mare novissimum,* hoc est mare Mortuum, de quo dictum est sæpe : fuitque terminus terræ promissionis ex parte una ; *et australem partem,* videlicet plagam meridianam respicientem Ægyptum, *et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum,* quia ibidem palmæ D crescunt abunde, *usque Segor,* quæ fuit urbs una subversæ Pentapolis. Non videtur probabile quod a supercilio montis illius potuerit Moyses tantam terrarum vastitatem ac latitudinem corporaliter intueri, nisi forte miraculose ; sed forsan ostendit ei totam in spiritu, vel principales partes ipsius, vel sicut tentator legitur Matth. iv, 8.
Christo in monte monstrasse omnia regna terrarum. *Dixitque Dominus ad eum : Hæc est terra pro qua juravi Abraham, Isaac et Jacob. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam.*

Mortuusque est ibi Moyses servus Domini morte levissima, cum devotione eximia ; *et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor,* id est ex opposito montis sic nuncupati : sicque angelico ministerio inter duos montes sepultus est. *Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem :* ne Judæi ad idololatriam proni, corpus ejus extraherent, et illud divinis venerarentur honoribus, quum et serpentem æneum a Moyse factum, usque IV Reg. xviii, 4.
ad tempus Ezechiæ tam immoderate coluerint, quod adolebant ei incensum, ut legi-

Digitized by Google

tur quarto libro Regum. *Moyses centum et viginti annorum erat quando mortuus est. Non caligavit oculus,* id est oculi *ejus :* imo et alii sensus adhuc manserunt in eo boni et vivacis vigoris, prout istud supra clarius fuit expositum ; *nec dentes illius moti sunt,* id est, extra naturalem et congruam habitudinem positi sunt per carnis aut dentium corruptionem aut læsionem : gratia namque confortavit in eo naturam. *Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus. Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ :* cujus signum aut causa meritoria est, *quia Moyses* ex Dei præcepto *posuit manus suas super eum,* instituendo et consignando eum in sui successorem. *Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi. Et non surrexit Propheta ultra in Israel sicut Moyses,* id est æqualis Moysi, *quem nosset Dominus facie ad faciem,* id est, ad quem Deus tam familiariter se habuerit, tamque copiose et clare ostenderit se, *in omnibus signis atque portentis quæ misit per eum,* id est, per Moysen fieri destinavit, *ut faceret in terra Ægypti, Pharaoni et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israel.*

Deut. xxxi, 2. — *Num.* xxvii, 18, 22, 23.

Præterea de moralitate atque mysteriis hujus capituli, hinc inde dicta sunt multa. Quod autem in monte defunctus est, innuit eum in virtutum perfectione migrasse a corpore. In valle tamen sepultus est. Nam descendit quantum ad animam in limbum patrum, et cum humilitate necesse est ad Dei tribunal accedere. Quod terram promissionis non introivit, hoc signat quod lex ad regnum cœleste introducere non valebat, sed usque ad Jordanem devenit, quoniam circumcisio suum sortita est cursum, quousque sacramentum Baptismi vulgatum est.

Amplius, sicut in Glossa atque in Scholastica historia dicitur, quidam dixerunt Esdram apposuisse ea quæ in textu dicuntur ab illo loco, Et non surrexit Propheta ultra in Israel. Qui Esdras bibliothecam a Chaldæis combustam, divino sensu recuperavit. Iterum ait Glossa : Moyses omnibus Prophetis veteris Testamenti præstantior fuit, propter quod Judæi arroganter dixerunt, Nos Moysis discipuli sumus. Sed postquam Dominus Prophetarum incarnatus venit in mundum, omnis illa prior dignitas, futurorumque umbra cessaverunt, quoniam lex et figura per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est, qui est finis legis ad justitiam omni credenti.

Joann. ix, 28. — *Ibid.* i, 17. — *Rom.* x, 4.

Circa hæc quæritur, utrum Moyses fuerit eximius Prophetarum veteris Testamenti. Videtur quod non, quum hoc sancto David adscribatur. Et item, quoniam David, Isaias, et alii quidam plura prædixerunt de Christo, imo et clarius quam Moyses. Ad hanc quæstionem Thomas in secunda secundæ, quæstione 174, respondet : Quamvis aliquis Prophetarum fuerit, quantum ad aliquid, Moyse major ; tamen absolute loquendo, Moyses ceteris omnibus major fuit in gratia prophetali. In visione namque prophetica consideratur cognitio tam intellectualis quam imaginaria, et denuntiatio rerum visarum, et confirmatio veritatis per miracula. Moyses autem aliis excellentior fuit, quantum ad visionem intellectualem, quia in hac vita vidit Deum per essentiam, sicut et Paulus, ut duodecimo de Genesi ad litteram asserit Augustinus. Unde in Numerorum libro, Dominus ait de Moyse : Palam, et non per ænigmata et per figuras, videt Deum. Excellentior etiam fuit Moyses aliis in imaginaria visione. Nam quasi ad nutum habuit eum, non solum verba angeli audiendo, sed etiam eum in assumpta similitudine cernendo, non tantum in somno, sed etiam vigilando. Tertio fuit altior in denuntiando, quoniam toti Judæorum populo loquebatur etiam ex Dei persona, et novam legem proponens. Quarto, in miraculorum operatione. Nam quamvis Josue et Isaias fecerunt majora miracula quantum ad substantiam facti, quia fecerunt stare et retrocedere solem,

II Cor. xii, 2, 4. — *Num.* xii, 8.

et etiam stare lunam, Moyses tamen excessit eos in multitudine et diuturnitate signorum. Porro ad primum argumentum Thomas respondet, quod quantum ad hoc David excellit, quod incarnationis Christi mysterium plenius cognovit et expressit quam Moyses. Certum est, quod clarius illud expressit, sed incertum videtur, an clarius illud cognovit : quia, juxta præhabita, Moyses intellexit litterales ac mysti- A cas rationes agni paschalis, jugisque sacrificii et aliarum oblationum legalium : per quæ omnia, Christi mysteria et passio multum evidenter atque diffuse præfigurabantur. Et utique decuit sanctum Moysen legislatorem multiplici excellentia ornari in vitæ sanctitate, miraculorumque gloria et cœlestium notitiis secretorum. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI DEUTERONOMII

Digitized by Google

QUINQUE LIBRORUM MOSAICÆ LEGIS

EPILOGATIO QUÆDAM BREVIS

ET CONCLUSIO PENTATEUCHI

ARTICULUS PRIMUS

DE DISTINCTIONE INTER LEGEM ÆTERNAM, LEGEM NATURALEM, LEGEM DIVINAM, ET LEGEM HUMANAM.

D*EUS creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Numerum dierum et tempus dedit illi; et dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram. Creavit ex illo adjutorium simile sibi. Consilium et cor dedit illis ad excogitandum, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit corda illorum. Ostendit illis bona et mala, et lege vitæ hereditavit illos. Justitiam et judicia sua ostendit illis, et dixit eis : Attendite ab omni iniquo.* Eccli. xvii, 1 et seq.

Eccli. xlii, 16. Deus, cujus opus plenum est gloria ejus,
Ps. ciii, 24. qui omnia in sapientia fecit, atque in nu-
Sap. xi, 21. mero, mensura et pondere universa constituit, sicut unamquamque creaturam propter convenientem ac debitum finem produxit, sic singulari modo rationalem creaturam propter æternam beatitudinem condidit. Unde divinus David se cunctosque homines non frustra, sed propter cœlestem felicitatem creatos considerans, ita
Ps. precatur : Memorare quæ mea substantia.
lxxxviii, 48. Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum? Et sanctus Job, omnia di-
Job xxviii, 3, 24. vinæ subesse providentiæ insinuans : Universorum, inquit, finem ipse considerat, et omnia quæ sub cœlo sunt, respicit. Et

A iterum : Quem constituit alium super ter- Job xxxiv, 13.
ram? aut quem posuit super orbem quem
fabricatus est? Deo ergo cura est de om- Sap. vi, 8.
nibus, quemadmodum Jeremias testatur : 1 Petr. v, 7.
Fortissime, magne, potens, Dominus exer- Jer. xxxii, 18, 19.
cituum nomen tibi, cujus oculi aperti sunt super omnes filios Adam, ut reddas unicuique juxta opera sua.

Sicut autem omni inferiori creaturæ impressit Deus naturalem inclinationem ad proprium finem, naturalemque perfe-
ctionem, juxta illud Ecclesiastici, Unus est Eccli. i, 8, 10.
B altissimus Creator omnium, Rex potens et metuendus nimis, ipse effudit sapientiam super omnia opera sua, et super omnem carnem (sapientis namque est gubernare, et sibi subjecta congruenter dirigere); sic intellectualibus suis creaturis indidit Deus excellentiori modo quamdam inclinationem, non solum naturalem, sed sapientialem ac cognitivam, ad summum bonum seu ultimum finem. Idcirco, secundum Augustinum, omnis homo naturaliter beatitudinem appetit; sed quoniam appetitus
C iste beatitudinis est intellectualis, oportebat homini naturaliter inesse atque conferri quamdam beatitudinis hujus notitiam, cognitionem quoque eorum, per quæ ad beatitudinem pervenitur. Hæc vero cogni-

Digitized by Google

tio naturaliter menti humanæ inscripta, naturalis lex dicitur. Idcirco interrogationi
Ps. IV, 6, 7. multorum qui dicunt, Quis ostendit, id est, cognoscere fecit, nobis bona? respondet Psalmista : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. In hoc quippe naturali lumine rationis veritatem cognoscimus, et inter bona ac mala discernimus. Propter
Rom. II, 14, 15. quod ad Romanos ait Apostolus : Quum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum.

Est autem multiplex lex. Est namque lex æterna, lex naturalis, lex divina, et lex humana. Lex æterna, est ratio divinæ sapientiæ, in quantum est directiva actionum ac motuum omnium creaturarum. De hac lege æterna summi atque incommuta-
Sap. XII, 15, 16. bilis Dei, in Sapientia scriptum est : Quum sis ergo justus, juste omnia disponis : virtus enim tua justitiæ initium est. Et rur-
Ibid. 18. sus : Tu autem, dominator Domine, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos. Hæc enim lex æterna, ipsa est divina et increata Sapientia, quæ
Ibid. VIII, 1. attingit a fine usque ad finem fortiter : subest enim ei, quum voluerit, posse ; et disponit omnia suaviter, quoniam movet unumquodque ad propriam perfectionem secundum naturalis inclinationis exigentiam. Hæc lex divinæ mentis æterna, omnis rectitudinis, virtutis, veritatis ac legis origo est, et fontale atque causale principium, secundum Anselmum in libro de Veritate.

Lex ergo naturalis, est quædam participatio legis æternæ, naturis rerum creatarum naturaliter indita, per quam unaquæque tendit in proprium finem, sibi a divina Sapientia præstitutum, et operatur proprias actiones, quemadmodum ait Boetius :

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
..... stabilisque manens, das cuncta moveri.

Per hanc legem naturalem omnia creata divinæ voluntatis imperio ad nutum obe-

A diunt, dicente Scriptura : En cœlum et cœli *Eccli.* XVI, 18, 19. cœlorum, abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur ; et quum conspexerit ea Deus, tremore concutientur. Et denuo : Columnæ *Job* XXVI, 11. cœli pavent ad nutum ipsius.

Itaque lex naturalis in homine, est quoddam dictamen seu ordinatio practicæ rationis, per quam homo ad aliquid agendum vel non agendum inducitur. Considerandum est enim, quod intellectus seu ratio hominis duplex est, scilicet practica, ut
B quum veritatis cognitio ordinatur ad opus, sicut cognitio moralis. Nam quid sit virtus inquirimus, non ut sciamus, sed ut operemur et boni efficiamur. Ratio vero speculativa seu intellectus contemplativus est, dum ipsa veritatis notitia propter se ipsam consideratur atque tenetur, ut est cognitio divinorum. Et quoniam beatitudo nostra in cognitione intellectus speculativi essentialiter sita est, juxta illud, Hæc est *Joann.* XVII, 3. vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum : ad quam beatitudinem homo perdu-
C ci non potest, nisi per rectam operationem intellectus practici, juxta illud Matthæi, Si *Matth.* XIX, 17. vis ad vitam ingredi, serva mandata ; et Sapientiæ, Bonorum operum gloriosus est *Sap.* III, 15. fructus : ideo rationali animæ concreata est quædam habitualis cognitio primorum principiorum, tam speculabilium, quæ dicitur intellectus ad rationem speculativam pertinens, quam operabilium, quæ appellatur synderesis, in practica ratione consistens. Synderesis enim est habitus rationis, quo cognoscuntur prima principia
D naturalis juris seu legis, ut quod Deo est obediendum, quod malum est fugiendum, quod proximo est benefaciendum. Lex autem naturalis non est ipse habitus neque synderesis, sed quasi opus ejus, videlicet censura rationis, quid sit agendum determinans : quæ censura per modum præcepti elicitur ex habituali cognitione synderesis.

Unde decem præcepta Decalogi ad naturalem pertinent legem. Nam ratio naturaliter eis consentit. Et ideo lex scripta

Digitized by Google

data per Moysen, quantum ad præcepta A moralia, aliud non erat, nisi naturalis legis reformatio ac renovatio. Lex enim naturalis tempore illo adeo obscurata fuit, ut omnes pene ad idololatriam declinarent : quæ rationis obscuratio inexcusabilis exstitit, quemadmodum in Sapientia scriptum est : Vani sunt omnes homines quibus non subest scientia Dei. Et causam adjunxit : A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter videri poterit horum Creator. Nam sicut omnis effectus, in quantum est quædam participata similitudo suæ B causæ, naturaliter ad propriæ causæ notitiam introducit; sic omnis creatura, quum sit quidam radius sui Creatoris, secundum Dionysium, naturaliter dirigit intellectum ad summi Conditoris notitiam. Universa enim propter se ipsum operatus est Dominus, quatenus divinæ naturæ perfectio, creatricisque bonitatis proprietas, in rebus creatis reluceant, ac per hoc res creatæ humanam mentem ad Dei cognitionem perducant. Rationalem enim creaturam Deus molitus est, quatenus Creatorem suum co- C gnoscat, cognoscendo diligat, diligendo teneat, tenendo fruatur, fruendo beata sit. Idcirco hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua, videlicet naturali atque terrena, et non glorietur fortis in fortitudine sua ; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me.

Sap. XIII, 1. — *Ibid.* 5. — *Prov.* XVI, 4. — *Jer.* IX, 23, 24. — II *Cor.* X, 17.

Fuerunt equidem quidam, qui sibi sapientes videbantur, seque divinorum notitiam attigisse gavisi sunt, de quibus ad Romanos scripsit Apostolus : Quia quod notum est Dei, id est, quod naturaliter de D Deo cognosci potest, manifestum est in illis, id est, innotuit eis : quibus utique, nisi mundi hujus philosophis ? Invisibilia enim Dei, id est naturales proprietates divinæ naturæ, per ea quæ facta sunt, id est per agnitionem creaturarum, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas ex rebus creatis cognoscitur, ita ut sint inexcusabiles. Nam quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed servierunt creaturæ potius quam Creatori. Quamvis enim nonnulli eorum idololatriam perniciosam esse cognoverant, nihilo minus potius metuentes hominem quam Deum, aut certe plus optantes placere hominibus quam Deo, idola coluerunt. Unde de magno illo philosopho, Senecam loquor, sexto de Civitate Dei Augustinus inducit, quod dixerit : Sic idola adoramus, ut meminerimus hujusmodi cultum magis ad morem, id est vulgarem consuetudinem, quam ad rem pertinere. Denique in libro de Vera religione refert Augustinus, Platonem sacrificasse, eo quod castus, imo et virgo permanserit. Non quod Plato virginitatem crediderit esse illicitam, sed propter pontificum paganorum instantias. Verumtamen nec isti excusantur, quia de Seneca testatur Augustinus, quod tanto damnabilius idola coluit, quanto illa quæ mendaciter fecit, veraciter agere putabatur. Non audierunt isti atque consimiles eis verbum illud Filii Dei salubre et sanctum : Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Et item, quod in Isaia conscriptum est : Nolite timere opprobrium hominum, blasphemiasque eorum. Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescit ?

Rom. I, 19-21, 25. — *Matth.* X, 28. — *Is.* LI, 7, 12.

Nos ergo qui privatum nostri amorem evellere, et nos ipsos spiritualiter mortificare docemur, solum Deum timeamus, solum Deum amemus, ei soli placere conemur, in eo stabiliri nitamur, nec hominem quemcumque vel qualemcumque formidemus, aut diligamus, nisi in Deo et propter Deum, quatenus cum beatissimo Jeremia singuli dicere valeamus : Dominus fortitudo mea et refugium meum, et robur meum. Et rursum : Non est similis tui, Domine. Magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium ? Tanto etenim Deum in patria clarius cernemus per speciem, quanto nunc clarius videmus per fidem, illam plane, quæ per dilectionem operatur. Quidam enim dicunt se nosse Deum, sed factis negant. Ideo qui se dicit

Jer. XVI, 19. — *Ibid.* X, 6, 7. — II *Cor.* V, 7. — *Galat.* V, 6. — *Tit.* I, 16. — I *Joann.* II, 4.

Digitized by Google

in Deo manere, et mandata ejus non custodit, mendax est et fallax. Sed quem fallit? nonne se ipsum? Arguet te malitia tua, o simulator; et aversio tua increpabit te, o infelix hypocrita. Numquid me ad iracundiam provocas, dicit Dominus? nonne temetipsum in confusionem vultus tui? Item, tanto Deum in patria ardentius diligemus amplexando præsentem, quanto nunc amplius eum diligimus desiderando absentem. Et quoniam fruitio quæ est dos animæ, correspondet caritatis fervori, quemadmodum scriptum est, Ego diligentes me diligo; et Salvator, Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum; cujus dilectionis præmium pandit, dum addit, Et manifestabo ei me ipsum; visio namque est tota merces: propterea, quo nunc calidiori affectu Deum desideramus, eo copiosiori ditiorique possessione eum possidebimus, et intra nos recipiemus. Desiderium enim aperit et patulam facit mentem optantis ad receptionem dilecti. Totum igitur studium nostrum, ad Dei internam atque ferventem dilectionem vertamus et ordinemus, et non sint in multis actus nostri, quoniam unum est necessarium. Ait enim Scriptura: Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Idcirco, Diligam te, Domine, fortitudo mea, et precor, ut sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea dilectione tua deifica.

Jer. II, 19. *Ibid.* VII, 19. *Prov.* VIII, 17. *Joann.* XIV, 21. *Ibidem.* *Eccli.* XI, 10. *Luc.* X, 42. *Eccli.* II, 10. *Ps.* XVII, 2. *Ps.* LXII, 6.

Denique si homo non ordinaretur a Deo, nisi ad naturalem felicitatem ac finem, quemadmodum opinabantur philosophi, sufficeret ei lex naturalis, neque altiori lege egeret. Sed quoniam ad supernaturalem beatitudinem conditi sumus, juxta illud Apostoli, Gratia Dei vita æterna; et iterum, Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se. (Sed unde hoc nosti, Apostole? Respondet: Nobis, inquit, revelavit Deus per Spiritum Sanctum.) Idcirco indigemus supernaturali lege, per quam de vera ac supernaturali beatitudine instruamur, atque de præceptis et actibus perveniendi ad eam illuminemur, sicut in Psalmo sanctus precatur: Illuminet vultum suum super nos. Ad quem finem, et quo fructu, adjecit: Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de cœlis? Hæc ergo lex supernaturalis, dicitur lex divina, quæ est mensura ac regula actuum humanorum in ordine ad felicitatem æternam. Per hanc enim legem ratio cognoscit et dictat, quid de Deo sentiendum, quomodo ei ministrandum, et ad quem finem sit omne exercitium nostrum referendum. De hac lege ait Psalmographus: Lex Domini immaculata, convertens animas. Quam sibi idem necessariam sciens, exorat: Legem pone mihi, Domine, in via tua. Et iterum: Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum. Propter hanc legem hominibus a Deo collatam, Isaias testatur: Dominus judex noster, etc., ipse veniet et salvabit nos. Et Jeremias de Deo exorsus: Dabo, inquit, leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas. Quod tamen de nova lege esse prædictum, Apostolus asserit, quæ ita se habet ad veterem legem, sicut meridies ad auroram, lumen ad umbram, veritas ad figuram, imo sicut splendor ad tenebras, et vita ad mortem.

Rom. VI, 23. I *Cor.* II, 9. *Is.* LXIV, 4. I *Cor.* II, 10. *Ps.* LXVI, 2. *Ibid.* 3. *Sap.* IX, 13, 17. *Ps.* XVIII, 8. *Ps.* XXVI, 11. *Ps.* CXVIII, 33. *Is.* XXXIII, 22. *Jer.* XXXI, 33. *Hebr.* X, 16.

Præterea, præter legem naturalem et æternam atque divinam, ponitur lex humana, quæ est quoddam rationis dictamen, quo diriguntur actus humani in ordine ad finem boni communis. Hæc autem lex ex naturali lege progreditur, et est quasi determinatio et explicatio legis naturalis circa particulares hominum status atque negotia, casus ac opera. Nam ea quæ ad naturalem pertinent legem, non sunt omnia æque manifesta, et omnibus certa: et ideo per legem humanam exprimitur et clarius declaratur, quod lex naturalis obscure complectitur. Talis quoque lex necessaria est vitæ humanæ. Finis enim

Digitized by Google

legis est, homines a malis retrahere, et A virtuosos efficere. Quidam vero hominum sunt naturaliter bonæ indolis, quemadmodum de Jeroboam rege Israel, tertio Regum (III *Reg.* XI, 28.) habetur, in quo tamen postmodum honor mores corrupit (*Ibid.* XII, 28 *et seq.*). Isti autem sine comminatione pœnarum ac metu, faciliter inducuntur ad bona, et retrahuntur a malis. Aliqui vero inveniuntur protervi, atque ad malum proclives ac fervidi, quos necesse est a malis arceri, et ad bonum induci, comminatione, metu ac vi. Talis autem disciplina dicitur lex humana. Propter quod consti- B tutio legum necessaria exstitit : quoniam, teste Philosopho, primo Politicorum, Quemadmodum homo virtute ornatus, justitiaque vestitus, est honorabilissimum animal, sic si a lege et æquitate separetur, est omnium animalium pessimum.

Verumtamen, quoniam lex humana communitati proponitur, ideo mala multa permittit, ne deteriora contingant. Lex vero divina quum sit immaculata, et velut radius lucidus legis æternæ, nullum malum permittit, omnemque perfectionem inclu- C dit. Propter quod immaculata et animarum conversiva vocatur (*Ps.* XVIII, 8). Tamen, quantum possibile est, debet (secundum Isidorum) lex humana esse honesta, quatenus religioni conveniat ; justa, ut secundum rationem procedat ; possibilis, ut a subditis portari implerique possit. Erit quoque secundum consuetudinem patriæ, et loco ac tempori debet congruere. Ex his itaque constat, cur dicat Apostolus : Lex propter transgressores posita est (*Galat.* III, 19.); justis enim non est lex posita. Et quoniam intentio legislatoris D est homines bonos efficere, ideo secundum distinctionem operationum humanarum assignantur varii legis effectus. Quædam enim operationes sunt per se bonæ atque laudabiles, et respectu harum legis effectus est præcipere sive consulere, juxta illud Deuteronomii : Custodi temetipsum et animam tuam sollicite (*Deut.* IV, 9.). Et in Josue libro : Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus (*Josue* I, 9.). Aliæ operationes sunt per se malæ, et respectu harum effectus legis est prohibere, quemadmodum scriptum est : Cave ne unquam obliviscaris pacti Domini Dei tui (*Deut.* IV, 23.). Aliæ vero operationes sunt indifferentes : et quoad has, legis effectus est permittere. Punire autem est legis effectus, quantum ad duros et prævaricatores.

Quoniam itaque lex divina humanam in eo transcendit, quod omne malum prohibet, nec aliquod peccatum permittit ; idcirco eam custodire in omnibus difficillimum est, et omni diligentia egens. Propter quod hortatur nos sermo divinus : Omni custodia custodi cor tuum (*Prov.* IV, 23.). Cujus rationem alibi tradens : Nisi te, inquit, instanter in timore Dei servaveris, cito subvertetur domus tua (*Eccli.* XXVII, 4.). Nam qui spernit modica, paulatim decidit (*Ibid.* XIX, 1.). Propterea altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (*Ibid.* III, 22.) ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus ejus operibus ne fueris curiosus. Et Tobias ait : Omnibus diebus vitæ tuæ Deum in mente habeto, et pete ab eo ut vias tuas dirigat (*Tob.* IV, 6, 20.). Non enim est hoc volentis, neque currentis, sed miserentis Dei (*Rom.* IX, 16.).

Digitized by Google

ARTICULUS II

DE DISTINCTIONE LEGIS DIVINÆ IN LEGEM ANTIQUAM ET NOVAM.

LEX *per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Joann. I, 17.

In hoc verbo beatus evangelista Joannes insinuat, eumdem esse novæ ac veteris legis auctorem. Lex enim vetus bona erat, *Rom.* VII, 12. dicente Apostolo : Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum. Nam lex vetus illicitam concupiscentiam et omnia peccata quæ sunt contra rationem, prohibuit. Lex ergo divina per novam et veterem legem dividitur, non quasi per opposita species, quum B utriusque legis sit unum principium, scilicet Deus, et unus finis, scilicet Christus, sed sicut per imperfectum atque perfectum. Quum enim finis legis sit, Deo uniri et frui, illa dicitur lex perfecta, quæ ea includit per quæ homo ad Dei fruitionem pertingere potest: ad quam sine gratia nemo perducitur. Lex autem antiqua gratiam non continuit, sed promisit. Propter quod *Hebr.* VII, 19. ait Apostolus : Nihil ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum. Christus enim est C causa atque principium gratiæ, de cujus *Joann.* XIX, 34. latere fluxerunt sacramenta gratiæ contentiva. Idcirco lex vetus, quamvis pro tem- *Deut.* XXXII, 4. pore illo bona perfectaque fuerit (Dei enim perfecta sunt opera), tamen quia novæ legis erat figura, nec gratiæ collativa, imperfecta nominatur per comparationem ad legem Christi, quæ lex gratiæ dicitur. Quod *Ezech.* XX, 25. vero per Ezechielem Dominus ait, Dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent, intelligendum est de cærimonialibus præceptis, quæ peccata quidem D ostendebant, non autem purgabant, quoniam gratiam non conferebant. Similiter *Rom.* V, 20. lex vetus dicitur (secundum Apostolum)

A intrasse, ut abundaret delictum, et quod peccatum per eam revixit, et administratio *Rom.* VII, 9. mortis vocatur, et alia quædam de ea le- *II Cor.* III, 7. guntur, quæ non sunt intelligenda effective, sed occasionaliter et consecutive, eo quod lex gratiam non contulit, per quam illa quæ præcepit, impleri possent; et quia peccatum post legislationem gravius erat quam ante; et item, quia talis est nostra perversitas, quod ea quæ nobis prohibentur, vehementius desideramus. Hæc ergo occasio non est ex parte legislatoris data, *Rom.* VII, 8. sed ab hominibus sumpta.

Denique, lex vetus demonstratur a Deo collata, quia ad Christum disposuit. Primo, quia de ipso testimonium perhibuit, quemadmodum Christus fatetur : Oportet im- *Luc.* XXIV, 44. pleri omnia quæ scripta sunt in lege et Prophetis et Psalmis de me. Et alibi : Scru- *Joann.* V, 39. tamini Scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Secundo, disponebat ad Christum, revocando homines ab idolorum cultura, et sub unius Dei obsequio conservando, quemadmodum ad Galatas ait Apostolus : Priusquam veniret *Galat.* III, 23. fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eamdem fidem quæ revelanda erat. Et iterum : Lex, inquit, pædagogus noster fuit *Ibid.* 24, 25. in Christo. Ubi autem venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Propter quod ad Hebræos scribit : Reprobatio fit præce- *Hebr.* VII, 18. dentis mandati propter infirmitatem et inutilitatem. Nam veniente perfectione evangelica, cessare oportuit imperfecta illa legalia. Quamvis vero lex antiqua non sufficit ad salutem, nihilo minus patres veteris Testamenti salvati sunt per gratiam Spiritus Sancti : quæ gratia inerat eis, non ex lege, sed per fidem Mediatoris venturi.

Digitized by Google

Porro lex nova in tribus a veteri differt, eamque excellit. Primo, quoniam lex nova ad cœlestia et spiritualia atque æterna bona nos invitat et erigit. Unde Christus mox in suæ prædicationis exordio regnum *Matth.* IV, 17. cœlorum spopondit, dum ait : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Lex autem vetus directe promisit *Deut.* XXVIII, 1-14. temporalia bona, terrenumque regnum. Nam in ipso legis initio statim populus ad regna Chananæorum invitatur. Secundo, lex nova antiquam transcendit, quoniam non solum manum seu opus malum, verum etiam animum et cogitationes injustas damnat ac cohibet ; vetus autem, ut dicitur, *Exod.* XXI; XXII. manum cohibuit. Et ergo Christus dicit : *Matth.* V, 20. Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Tertio, quia lex vetus inducit ad obediendum divinis *Deut.* XXVIII, 15 *et seq.* mandatis timore pœnarum, nova vero amore Spiritus Sancti : qui per gratiam Christi in nova lege præstatur, in veteri præfigurabatur. Ideo Augustinus ait : Brevis est novæ ac veteris legis distinctio, timor et amor. Sola ergo lex Christi, est lex perfectionis et gratiæ, cui alia nulla succedet. *Act.* IV, 12. Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri, et non est in alio aliquo salus. Potest quoque quarta addi distinctio, quoniam lex vetus *Hebr.* VII, 19. quum sit imperfecta, et ad legem Christi præparatoria, data est a Deo per ministe- *Galat.* III, 19. rium angelorum, dicente Apostolo : Lex data est per angelos in manu mediatoris. *Act.* VII, 53. Et Stephanus dicit Judæis : Accepistis legem in dispositione angelorum. Sed nova lex, quum sit summa ac ultima, ab ipso Dei Verbo, Deo vero incarnato, immediate *Hebr.* I, 1, 2. donata est, sicut testatur Apostolus : Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.

Si vero quæratur, cur Deus veterem legem specialiter populo præstitit Judæorum : respondendum, quoniam decuit populum illum speciali sanctitate pollere et gratia, ex quo Christus nasci elegit. Non ergo data est eis propter eorum justitiam, quemadmodum in Deuteronomio Moyses ait : Scito quod non propter justitias tuas *Deut.* IX, 6. Dominus Deus dederit tibi terram hanc, quum durissimæ cervicis sis populus. Et rursus : Dilexit Dominus patres tuos, et *Ibid.* IV, 37. elegit semen eorum post eos. Quærere autem cur potius ex illo populo Deus incarnari volebat, quam ex alia plebe, simile est ac si quæratur, cur unum trahat, et alium non trahat : quod quare contingat, noli interrogare, si non vis errare.

Quoniam ergo lex vetus solis Judæis præstita fuit, ideo alii non tenebantur ad eam. Propter quod Dionysius nono Cœlestis hierarchiæ capitulo affirmat, multos gentilium per ministerium angelorum ad Deum conversos sine Mosaica lege. Verumtamen quia lex vetus manifestatio fuit legis naturæ, et aliqua superaddebat, idcirco omnes tenebantur ad eam, quantum ad præcepta moralia quæ continebat, in tantum et eo modo, quantum et quo modo erant præcepta legis naturæ, non quia erant præcepta legis scriptæ seu veteris atque Mosaicæ.

Rationabiliter demum data est lex vetus, non ab origine mundi vel Abrahæ, sed Moysi, ad confundendam reprimendamque humani cordis superbiam. De duobus enim potissime homo superbivit, videlicet de scientia et potentia : de scientia quidem, quasi naturalis ratio ei sufficere posset ; de potentia quoque, tanquam per propriam potestatem legem implere valeret. Horum vero utrumque manifeste falsum apparuit tempore Moysis, quando ad idololatriam et *Exod.* XXXII, 4-6. *Num* XXV, 1-3. innaturalia atque turpissima vitia homines declinabant. Tunc ergo opportunissime et convenientissime data est lex, per quam secundum Apostolum est cognitio peccati, *Rom.* VII, 7. tam in adjutorium bonis, quam in convictionem malignis. Ideoque ad Romanos scribit Apostolus : Quod impossibile erat *Ibid.* VIII, 3, 4. legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum, ut justificatio legis impleretur in nobis per Dominum nostrum Dei Unigenitum.

Digitized by Google

ARTICULUS III

DE TRIPLICI PRÆCEPTO VETERIS LEGIS, ET SPECIALITER DE PRÆCEPTIS MORALIBUS.

Q*UÆ est alia gens sic inclyta, ut habeat cærimonias justaque judicia et universam legem?* Deut. iv, 8.

Verba sunt hæc Moysis hominis Dei in Domino gloriantis super omnibus bonis, quæ tradidit Israeli. Triplicia autem præcepta, quemadmodum in verbis his tangitur, lex vetus continuit, scilicet moralia, cærimonialia et judicialia. Præcepta vero moralia appellantur, quæ ad bonos pertinent mores, et de actibus virtutum immediate
Exod. xx, 15, 17. donantur, ut illud, Non furtum facies, Non
Deut. v, 19, 21. concupisces rem proximi tui : qui sunt actus justitiæ. Lex enim divina ad Dei dilectionem homines reducere et ordinare
Lev. xi, 45. intendit, quemadmodum scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et
Deut. xviii, 13. iterum : Perfectus eris et absque macula, cum Domino Deo tuo. Cui concordat
Matth. v, 48. quod in Evangelio legitur : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Quum ergo similitudo sit causa amo-
Eccli. xiii, 19. ris, juxta illud, Omne animal diligit simile sibi, elucescit quod homo ad Dei amicitiam pertingere nequit, nisi per actus virtutum sanctus et Deo consimilis fiat. Idcirco lex divina, præcepta moralia assi-
Ibid. xv, 14, 15. gnavit, ut in Ecclesiastico habetur : Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui, id est in liberi potestate arbitrii sui, adjecit illi præcepta, etc.

Denique divinæ legis intentio est, homines convenienter disponere, tam quoad se ipsos, quam in ordine ad Deum. Horum vero utrumque est de lege naturæ seu naturalis rationis dictamine in communi, sed oportuit utrumque determinari in speciali, quantum ad modum colendi Deum, et item quantum ad modum observandi ju-
A stitiam inter homines. Illa ergo præcepta, quæ determinant præcepta moralia quoad Deum, assignando speciales modos seu ritus cultus divini, cærimonialia nominantur. Quæ autem determinant præcepta moralia quantum ad homines, tradendo speciales modos servandi justitiam inter homines, judicialia dicta sunt. Quum enim homo ex anima et corpore componatur, ordinatur ad Deum non solum per spirituales interioresque actus latriæ, ut sunt credere, sperare, diligere; verum etiam
B per actus exteriores atque corporeos, ut sunt sacrificia, oblationes, per quæ homo divinam servitutem profitetur. Et de talibus actibus cærimonialia dantur præcepta. Præcepta igitur cærimonialia ac judicialia ex institutione sortiuntur virtutem, et a Deo per Moysen data sunt, sicut in
Deuteronomio ipse testatur : Decem, in- *Deut.* iv, 13, 14.
quiens, verba scripsit Deus in tabulis duabus, ut docerem vos cærimonias atque judicia. Præcepta vero moralia a Deo immediate sunt data, eo quod naturali rationi inscri-
C pta ac indita sint. Ait autem Augustinus in libro de Spiritu et littera, quod lex illa Mosaica occidere occasionaliter perhibetur, etiam quoad præcepta moralia, in quantum præceperat bonum, non impendens auxilium gratiæ ad implendum.

Præter prædicta quoque præcepta ponuntur in lege quædam mandata, quæ non sunt omnino ad salutem necessaria, sed præcipiuntur tanquam utilia, et ad observantiam principalium præceptorum accom-
moda, ut est illud Exodi : Si acceperis *Exod.* xxii, 26.
D pignus a proximo tuo, ante solis occasum restituas ei; atque similia, quæ proprie non dicuntur præcepta, quia simpliciter non obligant, sed mandata. Ideoque Hiero-

Digitized by Google

nymus dicit : In præceptis justitia, in mandatis vero est caritas.

Quamvis autem cuncta præcepta moralia naturali rationi concordent et pateant, non tamen æqualiter. Nam quædam adeo plana sunt, ut mox prolata omnibus innotescant, *Exod.* xx, 12, 13. ut de honoratione parentum, de non committendo homicidio. Quædam vero majori consideratione circumstantiarum egent et *Lev.* xix, 32. approbatione sapientium, ut illud : Coram cano capite consurge, et honora personam senis. Aliqua autem divina indigent illu- *Exod.* xx, 4. minatione, ut de non faciendo sculptili atque conflatili. Decem autem præceptorum tria prima, spectant ad Deum. Tria namque debet subjectus prælato seu principi. Fidelitatem, ne ejus honorem alienis impendat, vel ad alios referat. Hanc ergo fidelitatem Deo altissimo impendendam concernit ac jubet primum manda- *Deut.* v, 7. *Exod.* xx, 3. tum, dum dicitur : Non habebis deos alienos. Secundo, debetur prælato reverentia, ne offendatur, ad quod pertinet secundum *Ibid.* 7. mandatum : Non assumes nomen Dei tui in vanum. Tertio, debetur prælato debitus *Ibid.* 8. famulatus, de quo datur tertium manda- *Deut.* v, 12. tum, quo dicitur : Memento ut diem sabbati sanctifices.

Inter præcepta quoque Decalogi, de sola observatione sabbati et non de aliarum celebratione solennitatum fit mentio. Nam omnes veteris legis solennitates institutæ sunt in commemorationem alicujus beneficii Dei, vel præteriti, cujus agebatur memoria ; aut certe futuri, cujus repræsentabatur figura. Omnium vero divinorum beneficiorum commemorandorum primum atque præcipuum, est mundi creatio, ob cujus memoriam instituebatur sanctificatio sabbati. Unde quum Moyses dixit, Memento ut diem sabbati sanctifices, causam *Exod.* xx, 11. adjecit, et ait : Sex enim diebus fecit Deus cœlum et terram. Omnium autem beneficiorum Dei præfigurandorum excellentissimum, fuit quies mentis in Deo, nunc quidem per gratiam, et in futuro per gloriam. Et hæc quies etiam moraliter præfigurabatur per observationem sabbati. Ceteræ vero solennitates celebrabantur in memoriam alicujus particularis beneficii temporaliter transeuntis, quemadmodum solennitas Phase, in commemorationem li- *Exod.* xii, 42 *et seq.* *Num.* xxviii, 16. berationis patrum ex Ægypto, et in figuram passionis Christi, quæ temporaliter transiit.

Considerandum quoque, quod decem præceptis Decalogi, quæ per se omnibus faciliter innotescunt, superadduntur alia quædam præcepta moralia non adeo manifesta, sed tamen reducuntur ad decem principalia. Primo enim præcepto Decalogi, quo cultus alienorum deorum prohibetur, adduntur præcepta eorum prohibitiva, quæ ad idolorum cultum disponunt, quemadmodum in Deuteronomio Moyses jussit : Non *Deut.* xviii, 10, 11. inveniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem, nec maleficus, vel incantator, nec qui pythones consulat, neque divinos, aut qui a mortuis quærat veritatem. Secundo præcepto, quo prohibetur perjurium, superadditur pro- *Ibid.* xiii, 3, 5. hibitio falsæ doctrinæ. Tertio autem, quo Dei obsequium præcipitur, omnia præcepta cærimonialia adjiciuntur. Quarto quoque, quod est de honoratione parentum, adjun- *Lev.* xix, 32. gitur præceptum de honoratione senum, et omne quod ad reverentiam aliis exhibendam inducit. Quinto autem, quod est de prohibitione homicidii, additur prohibitio odii, omnisque violationis in proximum, quemadmodum in Levitico legitur : Non *Ibid.* 16, 17. stabis contra sanguinem proximi tui, et ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Sexto præcepto, quo adulterium prohibetur, pro- *Deut.* xxiii, 17. *Lev.* xviii, 22, 23. hibitio additur meretricii, vitiique contra naturam. Septimo, quo furtum vetatur, ad- *Deut.* xxiii, 19, 20. *Lev.* xix, 13. jicitur prohibitio usuræ, calumniæ atque rapinæ. Octavo autem præcepto, quo falsum testimonium prohibetur, additur prohibitio falsi judicii, detractionis quoque *Ibid.* 15, 16. *Exod.* xxiii, 2, 6, 7. atque mendacii. Sed aliis duobus nulla adduntur, quia per ea omnis concupiscentia mala vetatur.

Nunc ergo quoniam omnipotenti Deo fidelitatem, reverentiam et famulatum debemus, offeramus ei mente vera fidem sinceram, de qua Jeremias testatur : Domi- *Jer.* v, 3.

Digitized by Google

ne, oculi tui respiciunt fidem. Revereamur A insuper eum circumspecti et anxii, ne offendamus Dei ac judicis nostri præsentiam : sed et ministremus ei non negligenter, ne maledicamur, sed ut Josue monet, corde perfecto atque verissimo. *Josue* XXIV, 14.

ARTICULUS IV

DE PRÆCEPTIS CÆRIMONIALIBUS VETERIS LEGIS, ET DE RATIONIBUS SACRIFICIORUM LEGALIUM.

UMBRAM *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam potest accedentes perfectos facere*. Hebr. x, 1. B

Sicut ostensum est, cærimonialia præcepta ordinantur ad cultum divinum. Cultus autem Dei est duplex, videlicet interior et exterior. Et sicut corpus ordinatur ad animam, et per eam ad Deum, sic cultus Dei exterior ad interiorem cultum refertur, in quantum disponit ad ipsum. Cultus vero interior, in unione mentis ad Deum per intellectum et affectum consistit. Idcirco C secundum quod mens rationalis Deo per intellectum et affectum diversimode jungitur, secundum hoc exterior cultus diversificatur. Quoniam ergo in patria Deus per speciem, clare, et absque velamine a Beatis (*I Cor.* XIII, 12.) conspicitur, ideo cultus Beatorum exterior non est figurativus, sed in laude Dei consistit, quæ ex interiori cognitione et affectione procedit, quemadmodum Isaias fatetur : Gaudium et lætitia invenietur in (*Is.* LI, 3.) ea, gratiarum actio et vox laudis. In vita autem præsenti divinam veritatem in se D ipsa videre non possumus, sed repræsentatur nobis sub sensibilibus formis tam in veteri quam in novo Testamento. Sed in novo Testamento propalata est via pertingendi ad claram atque beatificam divinæ veritatis notitiam, Christo jam nato, qui de se ipso testatur : Ego sum via, veritas, (*Joann.* XIV, 6.) et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et iterum : Ego, inquit, ostium sum ; per (*Ibid.* X, 9.) me si quis introierit, salvabitur. Sed in veteri lege hæc via propalata non exstitit, (*Hebr.* IX, 8.) sed promissa, ut ad Hebræos probat Apostolus.

Cærimonialia vero veteris legis, figurativa fuerunt non solum veritatis in patria manifestandæ, sed etiam Christi ac cultus novæ legis, per quem ad beatitudinem (in qua figura non est, neque ænigma) venitur. Cultus vero cærimonialis atque exterior novæ legis, non est figurativus viæ perveniendi ad patriam, sed veritatis in patria per speciem contuendæ, de qua Isaias dixit: Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ (*Is.* LXIV, 4.) præparasti exspectantibus te. Et Psalmista : In lumine tuo videbimus lumen. In (*Ps.* XXXV, 10.) lumine enim creato mentem præparante, quod est lumen gloriæ, videbimus lumen increatum, quod est lumen superessentiale divinæ essentiæ. Sicut enim teste Apostolo, vetus lex figura est novæ legis, ita juxta Dionysium tertio Cœlestis hierarchiæ capitulo, status novæ legis est figura status gloriæ, et est quasi medius inter statum veteris legis et patriæ. Propterea quum signa figuralia legis antiquæ sint obscuriora figuris legis gratiæ, dixit Apostolus: Umbram habens lex futurorum bono- (*Hebr.* X, 1.) rum, non ipsam imaginem rerum. Umbra namque obscurior est imagine. Et ideo umbra spectat ad veterem legem, imago ad novam. Et ad Colossenses ait : Nemo (*Coloss.* II, 16, 17.) vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum. Omnia enim (*I Cor.* X, 11.) in figura contingebant eis ; scripta sunt autem propter nos. Et ergo curare debemus, ut ea intelligamus.

Digitized by Google

Denique cærimonialia veteris legis, dividuntur in sacrificia, in quibus exterior Dei cultus præsertim consistit; in sacra, quæ sunt instrumenta divini cultus, ut vestes sanctæ, vasa quoque sacrata et tabernaculum; in sacramenta, quæ sunt consecrationes ministrorum Dei; et in observantias, quæ pertinent ad specialem conversationem ministrorum templi. Quemadmodum autem per sacrificia veteris legis figurabatur verum sacrificium, quod est Christus Dominus, qui oblatus est quia voluit: obtulit enim semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis pro nobis; sic sacramenta legis illius figurabant sacramenta legis novæ, et observantiæ illæ, conversationem populi christiani. Sacrificium vero novæ legis, scilicet Eucharistia, quoniam Christum continet, qui per sanguinem suum sanctificavit populum, secundum Apostolum, sacramentum vocatur. Sed sacrificia legis antiquæ, quia non continebant gratiam, non dicuntur sacramenta.

Exod. XXXIX; XL. *Is.* LIII, 7. *Ephes.* V, 2. *Tit.* II, 14. *Hebr.* XIII, 12.

Porro præcepta cærimonialia legis scriptæ, ad duo ordinabantur, videlicet ad cultum divinum illi tempori convenientem, et ad figurandum Christum seu ea quæ Christum concernunt. In quantum ergo ordinabantur ad cultum Dei, pro tempore illo habebant causam litteralem, scilicet ut retraherent suo onere ab occupatione idololatriæ, ad quam populus ille labilis erat, vel ut divinorum memoriam beneficiorum inducerent, aut divinæ majestatis excellentiam designarent. In quantum autem ordinabantur figuraliter ad Christum, habebant rationes figurales ac mysticas. Et quoniam cærimoniæ veteris Testamenti ordinabantur ad cultum Dei atque ad Christum, ratio potest assignari sacrificiorum legis tam litteralis quam mystica seu figuralis. Sacrificium enim legale exterius, repræsentat ordinationem mentis in Deum, in quantum ordinabatur ad cultum divinum. Bona vero ordinatio mentis in Deo, hæc est, ut se omnia a Deo recepisse cognoscat tanquam a primo omnium rerum principio, et omnia ad Deum finaliter referat tanquam in ultimum omnis nostræ operationis beatificum finem. Hoc autem homo in sacrificiis et oblationibus illis legalibus profitebatur et insinuabat, quemadmodum in libro Paralipomenon David ait: Tua sunt omnia, Domine Deus, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Alia quoque ratio litteralis sacrificiorum legalium datur, quatenus populus a sacrificiis idolorum retraheretur. Nam præcepta sacrificiorum non tradebantur ei, nisi postquam ad idololatriam declinaverat, vitulum adorando conflatilem. Idcirco apud Jeremiam dicitur: Non sum locutus patribus vestris, nec præcepi eis de verbo holocautomatum in die qua ejeci eos de terra Ægypti. Ratio demum figuralis ac mystica omnium sacrificiorum veteris legis, erat figurare illud verum sacrificium, quo se Unigenitus Dei pro nobis obtulit Patri. Omnium enim beneficiorum, quæ Deus humano generi per peccatum jam lapso donavit, erat maximum, quod proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.

I *Par.* XXIX, 14. *Jer.* VII, 22. *Rom.* VIII, 32.

Inter animalia autem quadrupedia non offerebantur Deo, nisi tria genera, scilicet oves, boves, et capræ. Lex enim volebat populum Judæorum a paganis distinguere. Idololatræ vero omnia animalia idolis suis immolabant, his tribus exceptis: et maxime apud Ægyptios, inter quos Hebræi commorati nutritique fuerant, prædicta tria animalia abominabilia erant ad occidendum. Nam ovem colebant, hircos quoque venerabantur, quia in eorum specie dæmones ipsis apparuerunt. Bobus autem utebantur in agricultura, quam inter res sacras computabant. Et ideo Moyses Pharaoni dixit: Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Item prædicta tria animalia mundissimum habent alimentum, et humanam vitam præsertim sustentant, idcirco ad immolandum erant aptissima. Prædicta quoque animalia spiritualiter puritatem designant. Ait enim Glossa in Leviticum: Vitulum offerimus, quum carnis superbiam vincimus; hædum, quum lasciviam superamus; agnum, quum irra-

Exod. VIII, 26.

Digitized by Google

tionales motus contemnimus; turturem, A
dum castitatem servamus. In columba quo-
que et turture, duarum naturarum con-
junctio insinuabatur. Sed cur pisces non
offerebantur? Respondendum, quoniam pi-
sces ex aqua abstracti, protinus moriun-
tur, ergo in templo offerri non poterant.
Sed quum Deus sit auctor vitæ, et ipse
Sap. I, 13. mortem non fecit, neque lætatur in perdi-
tione vivorum, cur non potius immolaban-
tur ei animalia viva, quam mortua atque
cremata? Respondendum, quia occisio il-
la significavit destructionem peccati, et B
Rom. I, 32. quod homines peccatores morte sunt di-
gni. Erat etiam occisio animalium im-
molatorum, figura occisionis summi sa-
crificii, scilicet Christi. Tradit autem lex
specialem modum occidendi immolata, quia
aliis modis occidendi victimas suas ute-
bantur idololatræ, et secundum Rabbi Moy-
sen, lex modum elegit, quo animalia mi-
nus angerentur.

Est autem diligenter advertendum, triplex
fuisse genus sacrificiorum veteris legis:
Lev. I, 3 *et seq.* quorum primum dicebatur holocaustum, C
quod totum comburebatur, velut totum in-
censum. Ipsum namque offerebatur Deo
specialiter propter reverentiam majestatis
divinæ, atque amorem bonitatis suæ im-
mensæ: et conveniebat statui perfecto-
rum, qui consilia Christi observant: et
ideo totum comburebatur, quatenus sicut
totum animal in vaporem resolutum, ascen-
dit, sic designaretur, totum hominem et
omnia quæ ejus sunt, Deo esse subjecta, et
ipsum in Dei amorem prorsus debere re-
solvi, et sursum levari. Secundum genus D
sacrificii fuit, quod Deo pro peccato offe-
Ibid. VII, 1-8. rebatur, propter remissionem peccati; cu-
jus una pars comburebatur, et alia in usum
cessit sacerdotum: conveniebatque statui
proficientium, ad designandum quod pec-
catorum remissio a Deo fit per ministe-
rium sacerdotum. Sed quando sacrificium
Ibid. IV, 3-21. offerebatur pro peccato totius populi aut
sacerdotis, totum comburebatur. Si enim
tunc aliquid ejus fuisset comestum, idem
fuisset, ac si non fuisset oblatum. Hoc ta-
men specialiter contigit ad figurandum,
quod in sacerdotibus nullum vitium per-
manere residereve debet. Tertia quoque
pars hujus sacrificii, in usum offerentium *Lev.* VII, 15, 16.
proveniebat, quia remissio culpæ est a Deo
per ministros Ecclesiæ, cooperantibus eis
qui peccaverunt. Adeps vero et sanguis,
nullius usui concedebantur; sed sanguis
ad altaris crepidinem effundebatur ad re-
verentiam Dei, adeps vero comburebatur
in igne. Cujus una ratio fuit, quatenus po-
pulus Dei ab idololatris secerneretur. Nam
idololatræ de sanguine victimarum bibe-
bant, comedebantque adipes, quemadmo-
dum in Cantico Deuteronomii scribitur:
De quorum victimis comedebant adipes, et *Deut.* XXXII, 38.
bibebant vinum libaminum. Ratio vero mo-
ralis fuit, quia sanguinis effusio prohibe-
batur Judæis, dicente Moyse: Non stabis *Lev.* XIX, 16.
contra sanguinem proximi tui. Ratio quo-
que mystica erat, quia per hæc designaba-
tur effusio sanguinis Christi, et pinguedo
caritatis, propter quam pro nobis mori di-
gnatus est. De hostiis autem pacificis, pe-
ctusculum armusque dexter sacerdotis usui *Exod.* XXIX, 26-28.
deputabantur, ad insinuandum quod sacer-
dotibus sapientia cordis necessaria est ad
instruendum populum Dei: quod figura-
tur per pectus, quod est sapientiæ tegu-
mentum. Sed et per armum dextrum os-
tendebatur, quod fortitudo eis necessaria
sit, qua valeant æquanimiter ferre aliorum
defectus, quemadmodum docet Apostolus:
Debemus nos firmiores infirmorum imbe- *Rom.* XV, 1.
cillitates portare, et non nobis placere.

Quoniam vero holocaustum erat dignis-
simum omnium sacrificiorum, ideo ma-
sculus solum in holocaustum offerebatur.
Columbæ quoque et turtures non erant *Lev.* V, 7-10.
nisi pauperum oblationes, qui majora ha-
bere non poterant, unde nec in hostiis
pacificis offerebantur, quoniam hostiæ pa-
cificæ immolabantur gratis atque sponta-
nee. Sed pro peccato offerebantur, eo quod
planctum pro cantu habeant, et propter
altitudinem sui volatus sacrificio holocau-
storum conveniebant. Holocaustum igitur
summum ac primum locum inter sacrifi-

Digitized by Google

cia habuit. Deinde hostia pro peccato, quæ A
Lev. VII, 6, 15. comedebatur solum in atrio a sacerdotibus, et in die sacrificii. Tertio, hostiæ pacificæ ex voto. Quarto, hostiæ pacificæ spontaneæ. Cujus ordinis ratio est : nam maxime homo obligatur Deo, propter excellentiam majestatis divinæ; secundo, propter offensam ei illatam ; tertio, propter beneficia jam suscepta; quarto, propter beneficia sperata. Dicit autem Rabbi Moyses, quod quanto peccatum fuit gravius, tanto offerebatur pro ipso vilior species animalis. Nam pro scelere idololatriæ quod B maximum est, immolabatur capra quæ est vilissimum animal; pro sacerdotis autem
Ibid. IV, 3, 14. peccato et ignorantia, vitulus; pro negli-
Ibid. 23. gentia principis, hircus.

Insuper, de terræ nascentibus quæ sunt usui humano in cibum, offerebatur panis. *Lev.* II, 4.
Quæ autem sunt in potum, offerebatur vinum. Quæ sunt in condimentum, offerebatur oleum et sal. Quæ sunt in medicamen- *Ibid.* 13.
tum, offerebatur thus. Per panem autem *Ibid.* 2.
figurata est caro Christi; per vinum, sanguis; per oleum, gratia; per sal, scientia; per thus autem, oratio. Mel vero in sacri- *Ibid.* 11.
ficiis Dei non offerebatur, quoniam idolis offerri solebat, et etiam ad designandum quod omnis carnalis voluptas vitanda sit populo Dei, qui Deo digne sacrificare conatur. Verumtamen quia sacrificium zelotypiæ non ex devotione, sed suspicione processit, idcirco non offerebatur in eo thus, quod mentis devotionem figurat. *Num.* V, 15.

ARTICULUS V

DE SACRIS ET RATIONIBUS SACRORUM VETERIS TESTAMENTI.

L*ABIA sacerdotis custodiunt scientiam,* C *et legem ex ore ejus requirent, quia angelus Domini exercituum est.* Malach. II, 7.

Inter cærimonias veteris legis, ut dictum est, quædam pertinebant ad sacra, id est divini cultus exteriora instrumenta, ut sunt templum, altare, et vasa, atque similia. Cultus enim Dei exterior, ad interiorem Dei reverentiam ordinatur. Ea vero quæ cunctis communia sunt, et discretam dignitatem, notabilemque excellentiam non sortiuntur, minus curantur et honorantur, D nec in admiratione habentur. Sed quæ speciali pollent decore, ac singulari excellentia atque ornatu, amplius venerantur et attenduntur. Hinc enim prælati ac principes singularibus vestibus indui solent, et latiora habere palatia, quatenus magis revereantur a subditis. Itaque, ut populus ille parum vehementius ad interiorem Dei reverentiam incitaretur, instituit Deus per Moysen famulum suum specialia tempora quæ solennitates dicuntur; specialia vasa, speciale habitaculum, et speciales ministros ad cultum divinum. Rationabilis ergo est causa cærimoniarum ad sacra spectantium.

Voluit igitur Deus templum sibi in terra constitui, non quod ipse localiter aut circumscriptibiliter esset in loco, sed ut homines in loco divini nominis honori dicato, devotius reverentialiusque adorarent; et item, quatenus per templi dispositionem aliqua ad divinæ majestatis eminentiam pertinentia designarentur. Quamvis autem Dominus præordinavit in uno loco esse sacrificia offerenda, juxta illud Deuteronomii, Ad locum quem elegerit Dominus Deus *Deut.* XII, 5, 6.
vester, venietis et offeretis holocausta et victimas vestras; non tamen hunc locum aperte designavit per ædificationem templi ante tempora Salomonis, licet ante ostenderit eum Abrahæ quando dixit: Tolle fi- *Gen.* XXII, 2.

Digitized by Google

lium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, A et offeres illum mihi in holocaustum super unum montium quem monstrabo tibi. Nam quamdiu in desertis morabantur, certam mansionem non habebant. Postmodum quoque habebant varia loca, cum finitimis gentibus; sed tempore Salomonis habebant quietissimum statum, et ideo tunc congruenter locus templi publicatus est. Si enim ante innotuisset, fuissent lites et jurgia inter tribus, quæ locum illum sortiri adipiscique potuisset, ut Rabbi Moyses asserit. Unde rege, cujus maxima est potestas, re- B gnante, qui populi lites compescere potuit, Deus locum ad ædificandum ostendit.

III *Reg.* IV, 24, 25; V, 4.

Spiritualiter quoque per tabernaculum quod portatile erat, figurabatur status vitæ præsentis, qui mutatur continuo, vel ipse status Synagogæ. Per templum vero signabatur status patriæ, qui semper fixus et stabilis perseverat, vel christiana Ecclesia, quæ usque in finem sæculi non cessabit. Propter quod in ædificatione templi non audiebatur sonitus mallei, quia a statu futuro omnis turbulentia penitus deest. C Gentiles quoque, videlicet Tyrii atque Sidonii, cooperabantur ad templum : quia Ecclesia ex gentibus et Judæis collecta est. Causa autem unitatis tabernaculi et templi fuit, ut populus firmaretur in notitia unius Dei, atque ab infidelibus distingueretur. Gentiles enim idolis suis multa templa fundabant. Denique alia ratio hujus fuit. Voluit enim Dominus ostendere, corporalem cultum sibi secundum se non esse placentem, et ergo noluit illum sibi passim et ubique impendi. Cultus vero no- D væ legis, est secundum se Deo acceptus, quia in ejus sacrificio continetur Christus, qui est omnium gratiarum origo et finis : idcirco in novo Testamento altaria multiplicantur et templa. Habebant tamen Judæi synagogas, in quibus spiritualem Dei cultum egerunt, vacando laudibus Dei, et lectioni Prophetarum ac legis. Per prædictam vero unitatem, figuraliter monstrabatur unitas militantis ac triumphantis Ecclesiæ.

Ibid. VI, 7. *Ibid.* V, 6, 18.

Distinctum autem erat tabernaculum in duas partes, quarum una dicebatur Sancta sanctorum, quæ erat ad occidentem ; alia fuit versus orientem, vocabaturque Sancta ; et intra tabernaculum fuerat atrium. Quemadmodum vero unitas templi signabat unitatem Dei atque Ecclesiæ, ita distinctio templi, distinctionem repræsentabat creaturarum Dei, ex quibus ad Dei cognitionem assurgimus. Pars ergo quæ Sancta sanctorum vocatur, figurabat spirituale sæculum, id est statum spiritualium substantiarum ; pars autem quæ Sancta dicitur, figuravit mundum sensibilem. Unde una pars dividebatur ab alia quodam velo, quadriformi colore distincto, per quod quatuor mundi elementa significabantur : videlicet bysso, quo designatur terra : byssus enim seu linum de terra exoritur ; purpura, quo signatur aqua ; hyacintho, quo figuratur aer, quia aereum habet colorem ; et cocco bis tincto, quo ignis signatur. Porro in Sancta sanctorum non introivit, nisi summus sacerdos, et hoc semel in anno, ad figurandum hanc esse hominis finalem perfectionem, ut introducatur in illud spirituale sæculum spiritualium substantiarum. Ad tabernaculum vero exterius, quod Sancta dicitur, introibant quotidie sacerdotes : quia eorum fuit spirituales rationes sacrificiorum cognoscere, atque magis explicitam de Christo fidem habere. Populus vero ingrediebatur solummodo atrium. Non enim spiritualium capax fuit, sed corporalia dumtaxat sacrificia consideravit. Adorabant quoque Judæi ad occidentem, ad excludendam idololatriam. Omnes namque idololatræ adorabant versus orientem, propter reverentiam solis. Ratio autem figuralis est : nam universus status prioris tabernaculi, ordinabatur ad significandum mortem Christi, quæ per occasum signatur, juxta illud in Psalmo : Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Hebr. IX, 2, 3. *Exod.* XXVI, 31 ; XXXVI, 35. *Hebr.* IX, 7. *Lev.* XVI, 34. *Hebr.* IX, 6. *Ps.* LXVII, 5.

In tabernaculo autem interiori, quod Sancta sanctorum vocatur, continebatur arca testamenti, habens auream urnam, in qua erat manna, et virga Aaron quæ fron-

Hebr. IX, 4.

Digitized by Google

duerat, tabulæ quoque in quibus scripta fuerant decem præcepta. Arca autem sita (*Exod.* xxxvii, 7-9. *Hebr.* ix, 5.) erat inter duos Cherubim, qui se mutuo versis vultibus respiciebant. Super arcam vero erat quædam tabula, quæ propitiatorium dicitur, quæ erat quasi sedes Dei : et dicebatur propitiatorium, quia inde Deus propitiabatur populo ad preces summi sacerdotis, et portabatur ab alis Cherubim, in signum quod angeli Deo ministrent. (*Exod.* xxv, 20-22; xxvi, 34.) Sed et arca testamenti, erat quasi scabellum sedentis super propitiatorium. Per hæc igitur tria, significabantur tria quæ in spirituali superiorique sæculo sunt: videlicet Deus omnibus præsidens, et immensus, et incomprehensibilis ; propter quod nulla ejus similitudo ponebatur, sed locabatur ei quasi sedes, quia creatura quæ Deo subjecta est comprehendi potest. Cherubim autem qui se mutuo respiciunt, designabant spirituales substantias patriæ cœlestis, in quibus pax summa est atque (*Job* xxv, 2.) concordia, sicut in Job dicitur : Qui facit concordiam in sublimibus suis. Per arcam (*Hebr.* ix, 4.) vero, in qua tria prædicta exstiterant, designantur rationes omnium quæ in hoc mundo sensibili fiunt, quæ utique in spirituali sæculo illo infallibiliter continentur, præsertim in lumine mentis divinæ.

In exteriori insuper tabernaculo tria (*Exod.* xxx, 6; xxvi, 35.) erant : videlicet altare thymiamatis, quod erat directe contra arcam ; mensa propositionis, super quam duodecim panes ponebantur, eratque in parte aquilonari locata ; candelabrum, quod erat in parte australi. In candelabro autem ratione splendoris figurabatur sapientia ; per altare thymiamatis, officium sacerdotum ; per mensam vero figurabatur alimonia vitæ. Ponebatur ergo candelabrum in parte australi : pars enim australis est dextera cœli, secundum Philosophum. Sapientia vero ad dexteram pertinet, sicut et cetera spiritualia bona. Mensa autem quæ temporale nutrimentum importat, erat ad aquilonem, quæ est sinistra pars cœli : per sinistram vero temporalia designantur. Habebat quoque candelabrum septem calamos, Josepho teste, per quos

A significantur septem planetæ, qui mundum illuminant. Et ideo a parte ponebatur australi, quia ex illa parte oriuntur nobis planetæ. Altare autem thymiamatis institutum fuit, ut esset semper in tabernaculo fumus boni odoris, contra fœtorem qui ex occisione animalium accidit, et etiam propter reverentiam loci : quæ enim boni odoris sunt, honorantur. Mensa vero non ponebatur in medio ante propitiatorium, ad excludendum idololatriam : quia idololatræ sacris lunæ ponebant mensam in medio coram idolo.

B Omnia quoque prædicta Christum diversimode præfigurabant. Nam figurabatur per propitiatorium, quoniam ipse est propitiatio pro peccatis nostris. (I *Joann.* ii, 2.) Figurabatur quoque per arcam. Quemadmodum enim arca erat de lignis setim, sic corpus Christi ex membris constat purissimis. Et erat arca deaurata, quia Christus fuit plenus sapientia et caritate divina. In arca vero fuit aurea urna, quia in Christo est sanctissima anima ; et manna, quia in Christo est omnis plenitudo divinitatis. (*Coloss.* ii, 9.) Erat demum in arca virga Aaron, id est sacerdotalis potestas, quia de Christo cantatur : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. (*Ps.* cix, 4.) Erant quoque in arca tabulæ testamenti, quoniam Christus est summus legislator, qui figurabatur per candelabrum, sicut ipse testatur : Ego sum lux mundi. (*Is.* xxxiii, 22. *Joann.* viii, 12.) Per septem lucernas, signantur septem dona Spiritus Sancti. Sed et per mensam Christus figurabatur : ipse namque ait, Ego sum panis vivus. (*Ibid.* vi, 41.) Per duodecim D panes significabantur Apostoli, vel eorum doctrina.

Denique de constructione altaris duplex invenitur a Domino datum præceptum : unum in legis exordio. Mandavit enim Dominus (ut in Exodo legitur) altare sibi constitui de terra, vel saltem de lapidibus non sectis, non altum, ne per gradus ascenderetur ad illud, ne turpitudo ascendentis revelaretur. (*Exod.* xx, 24-26.) Quæ omnia præcipiebantur, quatenus populus ille ab idololatris distingueretur. Fabricabant enim idololatræ diis

suis altaria pretiosa et pulchra ac alta; sed et in sacris Priapi ostendebant populo sua pudenda. Propter eamdem quoque rationem præcepit Dominus in Deuteronomio: Non plantabis lucum et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui. Ratio autem figuralis istorum est, quia in Christo, qui est verum altare, confiteri debemus veram humanamque carnem, quod est altare de terra construere; veram quoque divinitatis naturam, ut fateamur eum Patri æqualem, quod est ad altare sine gradibus scandere. Facto autem tabernaculo pro cultu divino, non erant formidandæ prædictæ idololatriæ occasiones et causæ. Propter quod mandavit Dominus fieri holocaustorum altare de ære et lignis setim, quod omni populo esset conspicuum; altare vero thymiamatis, de auro et lignis setim, quod sacerdotes conspicerent. Quo facto, introductus est a sacerdotibus femoralium usus: et ergo tunc ascendere poterant sine periculo ad altare per gradus ligneos non stantes, sed portatiles.

Deut. XVI, 21. — *Exod.* XXVII, 1, 2. — *Ibid.* XXX, 1, 3. — *Ibid.* XXVIII, 42.

Advertendum autem, quod in veteri Testamento erant septem solennitates temporales, et una quasi continua, sicut ex libro Numerorum colligitur. Festum autem continuum fuit, quo immolabatur quotidie mane et vespere agnus. Hoc ergo continuo festo repræsentabatur perpetuitas felicitatis divinæ. Temporalium vero festivitatum prima erat festivitas Sabbati, quæ renovabatur omni hebdomada in memoriam beneficii creationis mundi. Secunda solennitas, scilicet Neomeniæ, renovabatur quolibet mense. Celebrabatur enim in commemorationem gubernationis rerum a Deo. Et quoniam inferiora secundum cursum lunæ mutantur, a qua mensis nomen accepit (juxta illud Ecclesiastici: Luna ostensio temporis et signum ævi. Mensis secundum nomen ejus est, crescens in consummationem mirabiliter. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose); idcirco solennitas ista fiebat in principio lunæ, non in plenitudine ejus, propter idololatriæ exclusionem. Nam gentiles in plenilunio sacrificabant. Et quoniam ista duo beneficia, scilicet creationis, gubernationisque divinæ, communia sunt toti humano generi, istæ duæ solennitates frequentius iterabantur.

Num. XXVIII; XXIX. — *Ibid.* XXVIII, 3, 4. — *Lev.* XXIII, 3. — *Num.* XXVIII, 11-15. — *Eccli.* XLIII, 6, 8, 9.

Alia quinque festa celebrabantur semel in anno, et propter beneficia tali populo specialiter a Deo impensa. Nam Phase solennitas celebrabatur mense primo, quartadecima die mensis, in memoriam liberationis ex Ægypto. Et post dies quinquaginta celebrabatur Pentecostes solennitas, ad commemorandum beneficium legis datæ. Alia vero tria festa servabantur septimo mense, qui apud eos quasi totus erat solennis. In prima enim die hujus mensis erat festum Tubarum, in memoriam liberationis Isaac, quando Abraham pro eo arietem obtulit: et ergo tunc cornibus buccinabant. Nam aries cornibus hæserat vepribus, sicut in Genesi dicitur. Erat quoque festum Tubarum, quo invitabantur ad solennitatem Expiationis, quæ decima die fiebat in memoriam beneficii, quo Deus ad preces Moysis propitiabatur eis de adoratione conflatilis vituli. Post hæc celebrabatur Scenopegiæ, id est Tabernaculorum solennitas septem diebus, in memoriam deductionis ac protectionis eorum quando in desertis manebant: propter quod in hoc festo afferebant ramos pulcherrimæ arboris, qui diu virorem conservant, in signum quod Deus perduxit eos per solitudinem aridam ad terram deliciosam. Die autem octava erat festum Cœtus atque collectæ, quando colligebantur a populo quæ necessaria erant ad divini cultus expensas.

Lev. XXIII, 5-8. — *Ibid.* 15-21. — *Ibid.* 24-25. *Num.* XXIX, 1-6. *Gen.* XXII, 13. — *Lev.* XXIII, 27-32. — *Ibid.* 34-36. — *Ibid.* 40. — *Ibid.* 36.

Figuralis autem ratio horum festorum est: per Sabbatum enim signabatur spiritualis requies nobis data per Christum. Per Neomeniam vero, quæ est novæ lunæ incensio, figurabatur illuminatio primitivæ Ecclesiæ. Per festum Tubarum, prædicatio Apostolorum. Per festum Expiationis, emundatio Christianorum a vitiis. Per festum Tabernaculorum, peregrinatio Christifidelium in hoc mundo. Per festum vero Cœ-

Digitized by Google

tus atque collectæ, congregatio eorum in A regno cœlorum : et ergo hoc festum vocabatur sanctissimum. Erantque hæc tria festa continua, quia oportet expiatos a vitiis in virtute proficere, quousque perveniant ad patriam felicitatis æternæ.

Lev. XXIII, 36.

Præterea tabulæ ex quibus constabat tabernaculum, tegebantur interius quibusdam cortinis ex quatuor coloribus variatis, videlicet bysso retorta, hyacintho, ac purpura, et cocco bis tincto : hæ enim tegebant tabernaculi latera. In tecto autem tabernaculi fuit operimentum unum de pellibus B hyacinthinis, et super hoc aliud de pellibus arietum rubricatis ; desuper quoque operimentum de sagis cilicinis, descendens usque ad terram, et tegens tabulas tabernaculi foris. Horum vero operimentorum ratio litteralis, erat tabernaculi ornatus atque protectio. In speciali autem secundum aliquos, per cortinas signatur cœlum sidereum, quod est diversis stellis variatum ; per saga, aquæ quæ super cœlos sunt ; per pelles rubricatas, cœlum empyreum ; per pelles hyacinthinas, cœlum sanctæ Trini- C tatis. Figuralis autem ratio fuit, quia per tabulas ex quibus constabat tabernaculum, significantur fideles, ex quibus constat Ecclesia ; tegebanturque tabulæ cortinis quadricoloribus, quia fideles quatuor ornantur virtutibus. In bysso namque retorta, ut asserit Glossa, signatur caro castitate renitens ; in hyacintho, mens superna desiderans ; in purpura, carnes passionibus non subjacentes ; in cocco bis tincto, animus Dei ac proximi dilectione præfulgens. Per operimenta autem tecti figurantur prælati atque doctores, in quibus lucere debet conversatio cœlestis : quod insinuatur per pelles hyacinthinas. Debet etiam eis inesse ad martyrium promptitudo, quod per pelles rubricatas signatur ; austeritasque vitæ, et adversitatum virtuosa perpessio, quæ designantur per saga cilicina, ventis pluvisque exposita. Qui namque his decorantur virtutibus, præclarum Deo tabernaculum in se ipsis construxerunt, et divinæ visionis capaces effecti sunt : ad quam nos dignetur transferre ex hac miseriæ lacrimarumque valle Unigenitus Dei Christus Dominus.

Exod. XXVI, 1.

Ibid. 14; XXXVI, 19.

Ibid. 7.

ARTICULUS VI

DE SACRAMENTIS ANTIQUÆ LEGIS ET RATIONIBUS EORUMDEM.

NOLITE *negligere, fratres : vos enim elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis ei, colatis eum, et cremetis ei incensum.* II Par. XXIX, 11.

Quemadmodum antea innotuit, sacramenta veteris legis illa dicuntur, quæ adhibebantur Dei cultoribus per quamdam consecrationem, qua cultui deputabantur divino : qui generali modo pertinebat ad populum, specialiter autem ad templi ministros. Idcirco quædam sacramenta pertinebant ad populum, quædam ad sacerdotes D atque Levitas. Utrisque vero tria necessaria erant, videlicet institutio in statu colendi Deum, quæ fiebat per circumcisionem, quantum ad omnes : sine circumcisione enim nemo admittebatur ad quodcumque legalium ; sed quantum ad sacerdotes fiebat per consecrationem eorum. Secundo *Exod.* XXIX 1 *et seq.* necessaria fuit comestio agni paschalis, quantum ad omnes ; sed quoad sacerdotes, victimarum oblatio, esusque panum propositionum, et ceterorum quæ usibus deputabantur sacerdotum. Tertio requirebatur eorum remotio, per quæ ad divinum cultum inhabiles reddebantur : et sic quoad populum, institutæ erant quædam purificationes a corporalibus immunditiis, ex-

Digitized by Google

piationes quoque pro peccatis; quantum A autem ad sacerdotes atque Levitas erant Exod. xxx, 19. Num. VIII, 7. ordinatæ, ablutio manuum ac pedum, et rasio pilorum: quæ omnia rationabiles causas habent tam litterales, prout ordinabantur ad divinum cultum pro tempore illo, quam figurales, prout referebantur ad Christum.

Ratio autem litteralis ac principalis circumcisionis, fuit protestatio unius Dei. Et quoniam Abraham se ab infidelibus primo separavit, egrediens propriam cognationem, terram ac domum, ideo primus cir- B Gen. XVII, 11. Rom. IV, 11. cumcisionem accepit. Hanc enim causam assignat Apostolus ad Romanos: Signum, inquit, accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. Et ut protestatio unitatis divinæ, fidesque Abrahæ in cordibus Judæorum firmaretur, data est eis lex circumcisionis, quemadmodum in Genesi scri- Gen. XVII, 13. bitur: Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Fiebat vero circumcisio Ibid. 12. die octavo quoniam puer est ante valde tenellus. Nam et animalia non offereban- Exod. XXII, 30. tur ante diem octavum. Ratio autem fi- C guralis circumcisionis est, quia figuravit ablationem corruptionis factam per Christum, quæ in octavo die, videlicet resur- I Cor. XV, 54. gentium statu, complebitur, quando mortale hoc induet immortalitatem. De hac Coloss. II, 11. spirituali circumcisione ait Apostolus: Circumcisi estis in Christo, circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Domini nostri Jesu Christi.

Similiter ratio litteralis agni paschalis, erat commemoratio beneficii liberationis D ex Ægypto. Ratio quoque litteralis, cur Exod. XII, 8. edendo agnum paschalem comedebant azymos panes, quasi non habentes tempus fermentandi, et assum igni, per quem cibus velocius præparatur, et quod os non Ibid. 46. comminuerent ex agno, fuit ipsa festinantia, qua compellentibus Ægyptiis festinanter egressi sunt. Et ob rationem eamdem Ibid. 11. accingebant renes, habentes calceamenta in pedibus, tenentes baculos in manibus: quæ omnia eos concernunt qui sunt in promptu itineris. Unde in una domo agnum Exod. XII, 4. edebant, quia non eis vacabat mittere invicem partes. Per lactucas quoque agrestes signabatur amaritudo, quam passi fuerant Ibid. 8. in Ægypto. Mystice autem per immolationem agni paschalis, figurabatur oblatio Christi, ut ait Apostolus: Pascha nostrum I Cor. V, 7. immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi. Sanguis vero agni, qui liniebatur in superliminaribus domorum, significat fidem Exod. XII, 7. mortis et sanguinis Christi in corde et ore fidelium, qua liberantur a potestate diaboli. Quod etiam carnes agni comedebantur assæ igni, designat esum Christi in specie sacramenti, qui pro nobis tribulationem mortis, quæ significatur per ignem, ex igne divini amoris sustinuit. Comedebantur vero carnes agni cum azymis panibus, ad figurandum puritatem conversationis fidelium, Christi corpus sumentium, sicut monet Apostolus: Epulemur in azymis sin- I Cor. V, 8. ceritatis et veritatis. Lactucæ vero agrestes designant pœnitentiam peccatorum, quæ communicantibus necessaria est. Accingendi quoque sunt renes virtute castitatis. Calceamenta vero pedum, sunt mortuorum patrum exempla. Baculi autem qui tenebantur in manibus, pastoralem curam designant. Et unitas domus in qua agnus erat edendus, unitatem importat catholicæ et orthodoxæ Ecclesiæ, in qua Christi veneranda sacramenta sumenda sunt.

Denique quædam novæ legis sacramenta, sed non omnia, habebant in veteri Testamento sacramenta sibi correspondentia, et se figurantia: ut Baptismus circumcisionem, Eucharistia agnum paschalem, Pœnitentia omnes purificationes legales, Ordo consecrationem pontificum. Sacramentum vero Confirmationis, quia est sacramentum plenitudinis gratiæ, non habebat in lege antiqua sacramentum sibi correspondens. Nondum enim advenit tempus plenitudi- Galat. IV, 4. nis gratiæ Dei; et teste Apostolo, Nihil ad Hebr. VII, 19. perfectum adduxit lex. Similiter Unctio extrema, quum sit immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus per Chri-

Digitized by Google

stum primo patefactus est, non habebat in A lege veteri sibi correspondens sacramentum. Matrimonium autem fuit in veteri lege, prout est officium naturæ, non prout est sacramentum Christi atque Ecclesiæ. *Deut.* xxiv, 1. *Matth.* xix, 7-9. Nam tunc dabatur libellus repudii, quod est contra rationem sacramenti.

Cultus vero Dei est duplex, videlicet interior, in mentis devotione consistens : et hunc impediebant facta quibus homines pollui dicebantur, ut idololatria, homicidium, adulterium, etc., a quibus purificabantur per sacrificia : non quod sacrificia B illa carnalia vim expiandi peccata haberent, sed quia signabant expiationem per Christum futuram, cujus participes fiebant antiqui, protestando fidem Redemptoris in sacrificiorum suorum figuris. A cultu autem Dei exteriori, qui in sacrificiis oblationibusque consistit, impediebantur homines *Lev.* xi, 24 *et seq.*; xiii-xv. per corporales immunditias, scilicet lepram, cadaver, contactum immundi, fluxumque seminis. Pretiosas etenim res non solent contingere qui immundi sunt. Et sic ad reverentiam cultus divini pertinuit, C quod propter tales immunditias homines a divinis separabantur ; etiam ideo, quatenus ex raro ad divina accessu, magis reverenter accederent dum liceret, semperque sacramenta illa magis honorarent. Omnes vero immunditiæ tales corporales, purifi- *Ibidem.* cabantur per aquæ adspersionem ; sed quæ majores exstiterant, aliquibus sacrificiis expiabantur.

Spiritualis autem ratio horum fuit ex eo, quod prædictæ immunditiæ varia peccata figurabant. Nam lepra, quum sit contagi- D osa, et diversorum colorum apparentiam habens, designat hæreticorum doctrinam, *II Tim.* ii, 17. quæ serpit ut cancer, et veris falsa commiscet. Per immunditiam quoque ex contactu immundi, signatur consensus in peccatum alterius : propter quod dicit Apostolus, *II Cor.* vi, 17. Exite de medio eorum, et separamini ab eis, et immundum ne tetigeritis, id est culpam alterius per consensum. Erat in- *Lev.* xiii, 47 *et seq.*; xiv, 34 *et seq.* super immunditia quædam rerum inanimatarum, ut lepra domus et vestis. Sicut enim ex corruptione humorum et putrefactione oritur lepra in corpore animalis, sic propter corruptionem atque excessum humiditatis vel siccitatis fit interdum corrosio in lapidibus domus seu vestibus, quam Scriptura lepram appellat, quia omnis corruptio ad immunditiam pertinet. Et quia gentiles contra talem corruptionem deos sibi ponebant atque colebant, idcirco lex jussit domum in qua esset lepra perseverans, destrui, et vestem comburi, quatenus *Lev.* xiii, 52; xiv, 45. idololatriæ tolleretur occasio. Simili ratione fuit quædam immunditia vasorum quo- *Num.* xix, 15. rumdam. Figuraliter vero per lepram domus, signatur impuritas congregationis hæreticorum. Per vas quoque non habens cooperculum, figuratur homo non habens taciturnitatis velamen, nec disciplinæ censuram, qui est velut urbs patens et absque *Prov.* xxv, 28. muris, inimicorum suorum jaculis patens.

Offerebatur etiam vacca rufa in memo- *Num.* xix, 2 *et seq.* riam, detestationemque peccati adorationisque conflatilis vituli, et immolabatur extra castra propter detestationem illius peccati. Ubicumque vero fiebat oblatio pro peccato multitudinis, totum cremabatur ex- *Lev.* iv, 13-21. tra castra, in signum remissionis omnium peccatorum. Et ideo sacerdos digitum intinxit in sanguine, adspergens septies contra fores sanctuarii : septenarius enim numerus totalitatem, perfectionemque significat. Per vaccam autem rufam signatur Christus secundum infirmitatem assumptam, cujus sanguinem color vaccæ figurat. Eratque vacca ætatis integræ, quoniam omnis Christi actio est perfecta ; sine macula, et quæ non portavit jugum, quoniam Christus peccati jugo subjectus non fuit. Tradebatur quoque Eleazaro sacerdoti : nam Christus manibus summi sacerdotis tradebatur jam occidendus. Immolabatur etiam extra castra : Christus enim extra portam *Hebr.* xiii, 11, 12. crucifixus est. Omnia vero quæ ad Christi incarnationem respiciunt, sunt igne cremanda, id est spiritualiter intelligenda. Sacerdos vero qui obtulit vaccam, et qui eam combussit, et qui cineres ejus collegit, im- *Num.* xix, 7-11. mundus fuit usque ad vesperam : quia Ju-

Digitized by Google

dæi ex occisione Christi culpabiles et immundi effecti sunt usque ad finem sæculi, quando reliquiæ Israel convertentur. Cinis enim vaccæ combustæ collectus, poneba- *Num.* XIX, 9. tur in aqua, et sic per adspersionem mundavit : quia virtus passionis Christi aquis Baptismatis vim regenerativam donavit.

Lev. XVI, 3, 5 *et seq.* Sacerdos vero obtulit primo pro se ipso vitulum pro peccato, in commemorationem peccati Aaron in conflatione vituli aurei ; arietem quoque in holocaustum, in signum principatus sui super populum : aries enim est ovium ductor. Deinde immolavit pro populo hircos duos : Unum pro peccato multitudinis : quum enim sit hircus vile ac fœtidum animal, peccatorum sordem et abominationem expressit. Alter *Ibid.* 21. vero hircus ducebatur in desertum, quasi deferens effectum sacrificii immolati; scilicet peccata populi, pro quibus prior hircus erat occisus, designans dimissa : pro quibus ipse quasi pœnam exsolvit, dum in deserto relictus, devorabatur a bestiis. Mystica autem horum ratio fuit : nam Christus designatur per vitulum, propter virtutem ; per arietem, propter principatum ; *Rom.* VIII, 3. per hircum, propter similitudinem carnis *Is.* LIII, 8. peccati. Christus enim immolatus est pro I *Petr.* II, 24. omnium culpis delendis. Et quia in hora passionis divinitas humanitatem quasi reliquit, solitam influentiam subtrahens, idcirco per hircum ad deserta tendentem ipsa signatur.

Denique legis præcepto leprosi mundabantur, id est, mundati ostendebantur. Primo enim leprosus purificabatur per hoc, *Lev.* XIII, 13, 16, 17, 37. quod mundus a lepra judicabatur. Secundo autem purificabatur per hoc, quod humano consortio, cultuique divino restituebatur post dies septem. In prima vero puri- *Ibid.* XIV, 4 *et seq.* ficatione obtulit leprosus mundandus duos passeres vivos, contra insensibilitatem carnis leprosæ; lignum cedrinum, contra ejus putredinem (cedrus enim est imputribilis arbor); hyssopum, quæ odorifera herba est, contra lepræ fœtorem ; vermiculum quoque, qui est vivi coloris, contra deformem ejus adspectum. Unus vero passer

A avolare permittebatur in agrum, quia leprosus redibat ad pristinum statum die octavo, rasis pilis et vestibus, quæ infici solent per lepram ; postmodum offerebatur sacrificium pro peccato, nam lepra frequenter propter peccatum inducitur. Tingebaturque extremum auriculæ ejus qui fuit mundandus, manus quoque dextræ et pedis, quia in his partibus lepra primo dignoscitur atque sentitur. Addebantur etiam ritui huic tres liquores, videlicet sanguis contra sanguinis corruptionem, oleum ad B designandum ejus sanationem, vinum ad emundandum spurcitiem. Figuralis vero horum ratio est : nam per duos passeres, Christi divinitas signatur atque humanitas. Unus ergo passer super aquas vivas offertur, quia Christi humanitas passa est, et merito suæ mortis, aquæ Baptismi virtutem mundandi distribuit. Alter autem passer dimittitur, quoniam Christi divinitas passioni non subdebatur.

In institutione præterea ministrorum altaris, tria fiebant. Primo enim purifica- *Num.* VIII, 6 *et seq.* C bantur, secundo consecrabantur, et tertio cultui Dei applicabantur. Communiter autem omnes purificabantur per aquæ ablutionem et sacrificia quædam ; sed Levitæ specialiter omnes corporis sui pilos radebant. Sacerdotes vero atque pontifices post ablutionem induebantur specialibus vestimentis, ad eorum dignitatem demonstrandam spectantibus. Sed pontifex specialiter oleo unctionis ungebatur in capite, quia *Exod.* XXIX, 7. ab ipso derivabatur consecrandi potestas ad alios. Levitæ quoque aliam non habe- D bant consecrationem, nisi quod Domino offerebantur a populo per manus pontifi- *Num.* VIII, 13. cis, cujus fuit pro eis offerre. Sacerdotum autem minorum solæ manus consecrabantur, quia erant divino cultui applicandæ. Et de sanguine sacrificii tingebatur extre- *Exod.* XXIX, 20. mum auriculæ dexteræ eorum, quatenus verbis legis auditis, protinus obedirent ; pollices quoque manus ac pedis dexteri, quatenus agiles essent exsequendo divina. Ratio autem figuralis istorum est : nam qui ad Christi ministerium consecrantur,

Digitized by Google

primo abluendi sunt aquis Baptismatis. Debent et pilos radere, id est, omnes cogitationes malas abjicere; deinde, ornari sanctimonia vitæ, et ungi Spiritu Sancto et oleo ejus, ac per hoc esse idonei ad spiritualia Christi obsequia. Impediebantur quoque in veteri lege a ministerio templi, propter corporales defectus, ne videlicet ministri templi propter defectum foris apparentem, contemnerentur, sicque divina aliquo modo vilescerent in cordibus populi. Voluit namque Deus in reverentia eos haberi : propter quod specialem eis decorem disposuit in consecratione et vestibus ; ordinans etiam, ut non admitterentur ad ministerium templi, nisi ex una progenie, ut secundum successionem prosapiæ, posteri clariores venerabilioresque essent.

Lev. XXI, 17 *et seq.*

Exod. XXVIII, 4 *et seq.*

Advertendum vero quod pontifex octo ornamenta habuit, per quæ dispositio orbis terrarum secundum aliquos figuratur, quemadmodum in libro Sapientiæ dicitur: In veste Aaron descriptus erat orbis terrarum, ut ostenderetur pontifex esse Creatoris mundi minister. Primo ergo habebat lineam vestem, per quam terra exprimitur, de qua linum producitur. Secundo habebat tunicam hyacinthinam, in cujus inferioribus dependebant tintinnabula per circuitum et mala punica. Hæc tunica quum sit coloris aerei, significat aerem ; tintinnabula vero designant tonitrua ; et mala granata, coruscationes ac fulgura. Tertio habuit superhumerale, quod erat ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta. Super humeros quoque habebat duos onychinos lapides, in quibus sculpta exstiterant nomina filiorum Israel. Humerale, propter suam varietatem, designat cœlum stellatum ; duo onychini, duo hemisphæria, vel solem ac lunam. Quarto habebat rationale quadratum, quod ponebatur in pectore, et erat conjunctum superhumerali. Fueruntque in rationali duodecim gemmæ, in quibus scripta erant nomina duodecim filiorum Israel, ad insinuandum quod pontifex onus totius populi super se ferret ; et portavit nomina ista in pectore, quatenus de populi salute jugiter meditaretur in corde. Præcepit quoque Dominus poni in rationali Doctrinam et Veritatem, quia aliqua ad justitiam et eruditionem spectantia, scribebantur in rationali. Judæi tamen fabulantur fuisse in rationali lapidem quemdam, qui secundum diversos variabatur colores, secundum diversa quæ debebant accidere filiis Israel. Per duodecim gemmas rationalis, signantur duodecim signa Zodiaci quæ erant in rationali, quoniam rationes inferiorum in cœlestibus continentur. Quinto habebat balteum ex prædictis compositum, quo designatur Oceanus terram cingens et ambiens. Sexto habebat tiaram vel cidarim, quæ figurat cœlum empyreum. Septimo habuit laminam auream in fronte pendentem, et nomen Domini conservantem, quæ signat Deum omnibus præsidentem. Octavo habebat feminalia linea. Horum octo ornamentorum minores sacerdotes quatuor utebantur, videlicet tunica linea, feminalibus, tiara ac balteo.

Sap. XVIII, 24.

Exod. XXVIII, 4 *et seq.*

Figuraliter autem per corporales Levitarum defectus signantur peccata, quibus sacerdotes carere oportet. Prohibetur namque ne sacerdos sit cæcus, id est indoctus ; ne sit claudus, id est inconstans ; grandi vel parvo aut torto naso, id est indiscretus (nasus enim odores discernit) ; ne sit fracto pede vel manu, id est piger atque inagilis ; ne sit gibbosus, id est terrena nimis desiderans ; ne sit lippus, id est intellectum carnali affectu obtenebratum habens ; ne habeat maculam in oculo, id est præsumptionem sanctitatis in corde, ne habeat jugem scabiem, id est petulantiam carnis ; ne habeat impetiginem, id est avaritiam ; ne sit herniosus, id est ponderosus, utpote turpitudinis pondus gestans in corde, quamvis non exerceat nec exsequatur in opere.

Porro per ornamenta signantur ministrorum Dei virtutes, quibus potissimum oportet sacerdotes ornari. Per feminalia enim exprimitur castitas ; per tunicam lineam,

Digitized by Google

puritas vitæ; per cingulum, discretionis A moderatio; per tiaram caput tegentem, intentionis rectitudo atque sinceritas. Ultra hæc autem debent pontifices quatuor speciali modo habere, videlicet jugem Dei memoriam divina contemplando, quod significatur per auream laminam, nomen Domini habentem, atque in fronte pendentem; secundo, tolerantiam piam infirmitatum vitiorumque populi, quod superhumerale designat; tertio, sapientiam cordis per sollicitudinem caritatis, quod rationale significat; quarto, conversationem cœlestem per opera perfectionis, quod tunica hyacinthina figurat; in cujus extremitate pendent tintinnabula aurea, quia pontifices sonare, fulgereque debent divinorum doctrina. Per mala quoque punica, unitas pacis et vera designatur concordia: quam nobis præstare dignetur Deus largitor pacis, et amator caritatis Dominus noster Jesus Christus.

ARTICULUS VII

DE OBSERVANTIIS, OBSERVANTIARUMQUE CAUSIS VETERIS LEGIS.

C*USTODITE spiritum vestrum, et nolite contaminare animas vestras; sed estote perfecti, incedentes sine querela in omnibus justificationibus Domini Dei vestri. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. Estote igitur sancti, sicut et Pater vester cœlestis.* Malach. II, 15; Levit. XI, 43; Luc. I, 6; I Thess. IV, 3; Matth. V, 48.

Jam de rationibus sacrificiorum atque sacrorum ac sacramentorum veteris legis utcumque sermo expletus est. Nunc vero de observantiis, observantiarumque causis dicendum est. Dictum est enim, quemadmodum ad cærimonialia veteris legis præcepta quatuor ista pertineant. Ostensum est autem, ea quæ divino cultui mancipantur, speciali oportere sanctitate ac dignitate pollere, sicut de vasis et vestibus sacris ac templo innotuit. Quoniam ergo populus ille Hebræus, et præsertim Leviticus, divino fuerat cultui deputatus, idcirco in eorum conversatione aliqua observabantur, quæ ad divini cultus congruentiam attinent in cibis et potibus. Harum autem D observantiarum una est ratio litteralis, secundum relationem earum et convenientiam ad cultum divinum pro tempore illo. B Secunda est ratio figuralis ac mystica, eo quod omnia in figura novæ legis et Christi eis contigerint. I Cor. X, 11.

Litteraliter ergo loquendo, quidam cibi eis prohibiti sunt, non quasi essentialiter immundi et mali, aut animam per se maculantes, quum (teste Apostolo) omnis creatura Dei sit bona, nihilque sit rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; I Tim. IV, 4. sed erant cibi tales immundi, propter corporalem immunditiam vel corruptionem, aut disproportionem ad vitam humanam. C Quædam etenim eis erant prohibita, quia ex rebus immundis aluntur, ut porci; vel quia immunde conversantur, ut animalia subterranea, scilicet talpæ et mures; vel quia ob superfluam humiditatem aut siccitatem corruptos generant humores in humanis corporibus, sicut leo. Animalia vero ungulam unam non fissam habentia, sunt eis prohibita propter terrestreitatem eorum. Similiter animalia, multas in pedibus fissuras habentia, quum nimis cholerica sint atque adusta, ut carnes leonis. Prohibitæ quoque sunt eis aves quædam rapaces, quum sint nimiæ siccitatis; et aves quædam aquaticæ, quum sint nimiæ humiditatis. Animalia vero ruminantia, ungulam- Lev. XI. Deut. XIV, 7, 8, 10, 12-19.

Digitized by Google

que findentia, sunt eis ad manducandum A concessa. Sunt enim medie complexionata, et habent humores bene digestos. Nam quod non sunt nimium humida, testantur ungulæ; quod autem non sunt nimis terrestria, patet ex hoc quod non habent continuam ungulam. In piscibus demum concessi sunt eis pisces sicciores, squamas pennulasque habentes, per quas fit moderata complexio piscium. Aves etiam magis temperatæ, sunt eis concessæ, ut gallinæ et perdices. Alia horum ratio, exstitit detestatio idololatriæ. Gentiles namque, præsertim Ægyptii, inter quos erant Judæi nutriti, animalia quæ Judæis ad edendum concessa sunt, non manducabant, sed ut deos colebant, ut ovem et bovem. Aliorum vero quæ Judæis prohibita fuerant, aliqua comedebant. Generaliter vero prohibitus cis fuit sanguinis esus, quatenus crudelitatem, humanique sanguinis effusionem horrerent; et quia idololatræ sanguinem immolatorum colligebant, et circa eum edebant: propter quod Dominus jussit sanguinem effundi, et pulvere operiri. Eadem ratione non licuit eis comedere suffocata et strangulata, quoniam sanguis eorum non separatur ab ipsorum corporibus; vel quia in tali morte animalia multum affliguntur, idcirco voluit eos Dominus a tali crudelitate arcere circa bestias, quatenus invicem misericordes consisterent. Adeps autem eis prohibitus fuit, quia idololatræ adipem comederunt in suorum honore deorum, et quia cremabatur ad Dei honorem; et quia adeps ac sanguis non generant bonum nutrimentum, ut adstruit Rabbi Moyses.

Lev. XVII, 10, 14. *Deut.* XII, 16; XV, 23. — *Lev.* XIX, 26. — *Ibid.* III, 17.

Porro ratio figuralis istorum est: nam per animalia prohibita designantur, secundum Augustinum, quædam peccata vitanda. Animal ergo quod ungulam findit ac ruminat, mundum fuit: quoniam ungulæ fissæ, distinctionem designant duorum Testamentorum, vel Patris et Filii, vel duarum naturarum in Christo, discretionemque boni et mali. Ruminatio autem significat meditationem Scripturarum, et altum intellectum earum; cuicumque vero aliquid horum deest, spiritualiter immundus est. Pisces quoque habentes squamas et pennulas, mundi erant: quia per pennulas contemplatio, per squamas signatur aspera pœnitentialisque vita.

Ibid. XI, 3. — *Deut.* XIV, 9.

In aquila vero, quæ alte volat, prohibetur superbia. In grypho, qui equis atque hominibus molestus est, prohibetur potentium crudelitas. In haliæeto, qui minimis pascitur avibus, signantur qui pauperibus graves sunt. In milvo, insidiis utente, figurantur fraudulenti. In vulture, qui exercitum B sequitur ut cadavera devoret occisorum, significantur, qui amore lucri hominum necem discordiamque procurant. Per corvos, qui voluptatum libidine denigrantur. Per struthionem, qui quamvis sit avis, volare tamen non valet, sed terræ adhæret, designantur homines, qui licet sint rationales, Deo tamen non militant, sed sæcularibus implicantur negotiis. Per nycticoracem, qui in die non videt, sed nocte, signantur qui in temporalibus sunt acuti, in spiritualibus autem obtusi. Larus C vero eos figurat qui circumcisionem et Baptismum simul honorant. Per accipitrem significantur qui potentibus causa prædandi deserviunt. Per bubonem, qui in die latet et nocte vagatur, luxuriosi signantur. Per mergulum, qui sub aquis diu moratur, gulosi, qui se in aquis deliciarum demergunt. Per ibidem, rostrum longum habentem, et ex serpentibus pastum quærentem, signati sunt invidi, qui ex aliorum malis quasi ex serpentibus reficiuntur. Per cycnum candidi coloris, longique colli, si- D gnantur hypocritæ, qui per apparentis nitorem justitiæ terrena lucra conquirunt. Per onocrotalum, qui est avis orientis, longum rostrum habens, atque in faucibus folliculos, in quibus primo cibum reponit, quem post horam in ventrem transmittit, figurantur avari, qui temporalia nimia diligentia cumulant. Per porphyrionem, qui præter aliarum avium modum, habet unum pedem latum ad natandum, alium fusum ad gradiendum, in aquis natans, terraque ambulans, qui solo morsu bibit, et omnem

II Tim. II, 4.

Digitized by Google

cibum aquis intingit : illi signantur qui secundum aliorum voluntatem nil agere volunt, sed solum secundum proprii affectus inclinationem. Per herodionem, qui falco vocatur, significantur, quorum pedes veloces sunt ad sanguinis effusionem. Per charadrion, quæ avis est garrula, figurantur loquaces. Per upupam, in stercoribus nidificantem, quæ pascitur fimo, et in cantu gemitum simulat, designantur tristes tristitia sæculi, quæ mortem operatur. Per vespertilionem in basso volantem, signantur qui sola terrena appretiantur.

Ps. XIII, 3. *Rom.* III, 15. *II Cor.* VII, 10.

Circa volatilia vero quadrupedia concedebantur Judæis ea dumtaxat, quæ posteriora crura habent longiora, ut queant salire. Alia autem quæ terræ magis adhærent, prohibebantur : quia qui quatuor Evangeliorum doctrina abutuntur, immundi reputantur. Inter plantas vero non est facta distinctio : quoniam usus plantarum ante diluvium fuit. Usus autem carnium postea videtur inductus, magisque ad curiositatem atque delicias, quam ad necessitatem pertinet vitæ. Et ergo volens Deus populum suum ad simpliciorem reducere victum, animalia multa prohibuit.

Lev. XI, 21.

Jussit quoque Dominus, ne coquerent hœdum in lacte propriæ matris : quia hoc facere, ad crudelitatem pertinet ejus qui coquit. Lac namque matris, ad alimentum, non ad consumptionem sobolis ordinatur. Vel, quia gentiles hœdum in lacte matris coquere consueverunt. Figuraliter autem per hoc significatur, quod Christus qui signatur per hœdum propter similitudinem carnis peccati, non erat coquendus, hoc est occidendus, in lacte matris suæ, id est tempore suæ infantiæ. Rursus, quia gentiles primitivos fructus fortunatos, et diis suis offerendos putabant, præcepit Dominus populo suo, ut trium primorum poma annorum reputarent immunda, quarti vero anni poma Deo offerrent, tanquam primitias fructuum, quinto autem anno ipsi vescerentur ex eis, et deinceps. Spiritualiter autem per ista signatur, quod post tres status sub lege, scilicet post Abraham, David, et transmigrationem Babylonis, erat Christus Deo offerendus, ex cujus nos deinceps sacramentis reficimur. Prohibuit etiam Dominus, ne uterentur vestimentis ex lana ac lino contextis, quia hujusmodi utebantur idololatræ; et ne vir indueretur veste feminea, vel econtra, quia in sacris Martis, mulieres utebantur vestimentis virorum, et in sacris Veneris viri induebantur vestibus feminarum. Ratio autem spiritualis est : nam per vestem simplicem innocentia designatur. Mulier quoque docendi officium usurpare non debet.

Exod. XXIII, 10. *Deut.* XIV, 21. *Lev.* XIX, 23-25. *Deut.* XXII, 11. *Ibid.* 5. *I Cor.* XIV, 34.

Quamvis vero, teste Apostolo, non sit Deo cura de bobus, videlicet quia non curat nec exigit, quid homo circa ea agat ex affectu rationis : Omnia enim subjecit sub pedibus ejus ; curat tamen Deus quomodo homo se habet ad bruta, quantum ad affectum passionis. Voluit igitur Dominus, ut circa brutorum pœnas essent compatientes, quatenus ita assuescerent misereri atque succurrere proximis. Ideoque prohibuit alligari os bovi trituranti, et matrem cum pullis occidi. Vel in detestationem idololatriæ. Reputabant enim Ægyptii nefas, bovem comedere ex frugibus terræ. Simili ratione prohibuit diversorum animalium commixtiones : talibus namque utebantur Ægyptii in obsequium planetarum, qui secundum conjunctiones diversas, varios sortiuntur effectus ; etiam ad tollendam occasionem libidinis vitiique contra naturam. Unde Rabbi Moyses narrat fuisse traditum in traditionibus Judæorum, quatenus oculos suos averterent ab animalibus tempore commixtionis. Spiritualiter autem non debemus tenere matrem cum filiis, hoc est litteralem sensum cum spirituali ; sed et bovi trituranti, id est prædicatori verbi divini, non est os alligandum, hoc est necessaria vitæ tollenda. Prohibuit insuper Dominus populo sibi peculiari, ne simul ararent in bove et asino : sic enim Ægyptii in venerationem diversæ conjunctionis stellarum arabant. Ratio autem figuralis est : nam in prædicatione

Ibid. IX, 9. *Ps.* VIII, 8. *I Cor.* IX, 9. *Deut.* XXV, 4. *Ibid.* XXII, 6, 7. *Lev.* XIX, 19. *Deut.* XXII, 10.

Digitized by Google

divina, fatuus, qui designatur per asinum A propter hebetudinem sensus, non est sociandus bovi, id est viro utili atque perito.

Præcepit quoque Dominus, ne sacerdotes minores, qui certis temporibus ministrabant in templo, ingrederentur ad omnem *Lev.* xxi, 1-3. mortuum, nisi ad patrem ac matrem et valde propinquos, ne contaminarentur : et hoc, ad excludendum idololatriæ cultum. Sacerdotes etenim idolorum, in ritibus suis ossibus mortuorum et carnibus utebantur. Pontifex vero, quoniam semper paratus esse debebat ad cultum divinum, ad nullum *Lev.* xxi, 11. mortuum ingredi potuit. Mandavit quoque Dominus ne barbam caputque raderent, aut *Ibid.* 5. carnem suam vel vestem inciderent. Om- *Ezech.* xliv, 20. nia enim talia sacerdotes gentilium faciebant. Spiritualiter autem ratio horum est: quoniam sacerdotes ab operibus mortuis, id est peccatis, esse debent immunes; nec debent radere caput, id est deponere sapientiam, vel barbam, hoc est scientiæ perfectionem, nec vestem aut carnem incidere, id est schismaticis consentire.

ARTICULUS VIII

DE PRÆCEPTIS JUDICIALIBUS VETERIS TESTAMENTI AD PRINCIPES AC POPULAREM CONVICTUM PERTINENTIBUS.

H*ÆC sunt præcepta atque judicia, quæ* B *constituit Dominus per Moysen, inter se et filios Israel.* Lev. xxvi, 45.

Judicialia veteris legis præcepta dicuntur, quæ moralia præcepta legis divinæ ordinant atque determinant, quantum ad conversationem hominum mutuam: quemadmodum illa præcepta cærimonialia appellantur, quæ præcepta moralia divinæ legis determinant, quantum ad cultum divinum exteriorem, colendique modum, ut ante latius demonstratum est. Ordinatio autem humanæ vitæ, sine principe esse non C potest ac judice, qui sit justitiæ custos, et velut quædam animata justitia, ad quam subjecti in omni necessitate recurrant. Sunt vero quatuor species principatus, secundum Philosophum, quorum præcipuus dicitur regnum, in quo unus regnat secundum virtutem et æquitatem. Et aristocratia, in qua multi boni principantur, unusque vir- *Exod.* xviii, 25, 26. tuosus omnibus præsidet : et talis principatus ad omnes quodammodo pertinet. Nam principantes ab omnibus eliguntur, et ex omnibus eligi possunt. D

Talis vero fuit principatus sub veteri lege, secundum ordinationem divinam. Moyses namque successoresque ejus præerant populo, tanquam singulariter omnibus dominantes : quod est quædam species regni. Eligebantur quoque seniores secundum virtutem, ut principarentur sub ipso, et singuli proprium exercerent officium, sicut in Deuteronomio ait Moyses : Tuli de *Deut.* i, 15. tribubus vestris viros sapientes et nobiles, constituique eos vobis principes. Et hoc ad speciem principatus quæ aristocratia dicitur, pertinet. Sed democratiam concernit, quod tales de omni populo eligebantur, sicut in Exodo legitur : Provide de *Exod.* xviii, 21. omni populo viros sapientes. Et ad hoc pertinet, quod populus eos elegit. Nam in Deuteronomio dicitur : Date ex vobis viros *Deut.* i, 13. sapientes. Optima ergo fuit ordinatio legis, quantum ad principes. Advertendum tamen, quod Dominus institutionem summi principis non dedit populo, sed sibi retinuit. Populus enim Judæorum sub Dei speciali cura regebatur. Propter quod in Deuteronomio scribitur : Te elegit Domi- *Ibid.* vii, 6. nus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris. Et ergo Moyses moriturus, pro consti-

Digitized by Google

tutione summi principis Deum deprecans, A
Num. xxvii, 16. dixit : Provideat Dominus Deus spirituum
universæ carnis, hominem qui sit super
Ibid. 18 *et seq. Deut.* xxxi, 23. multitudinem hanc. Sicque per electionem
divinam ordinatus est Josue. De singulis
quoque judicibus qui post Josue erant, le-
Judic. iii, 9, 10, 15. gitur quod Dominus suscitavit populo sal-
vatorem, et quod spiritus Dei erat in ip-
sis. Unde electionem regis non commisit
Dominus populo, sed sibi servavit, quem-
Deut. xvii, 15. admodum in Deuteronomio dicitur : Eum
constitues tibi regem, quem Dominus Deus
tuus elegerit.

Quamvis autem optima gubernatio po-
puli sit ut per regem regatur (tale enim
regimen, propter unitatem regentis, de-
monstrat potissime regimen divinum, quo
unus Deus mundum gubernat), lex tamen
non concessit eis regem a principio cum
plenaria potestate, sed judicem : quoniam
regnum, propter magnam potestatem regi
concessam, de facili in tyrannidem verti-
tur. Magna enim potestate bene uti, perfe-
ctorum est. Quia ergo Judæi crudeles ava-
rique fuerant, facillime ad tyrannidem C
declinare poterant. Ad vitandum ergo pe-
riculum, non concessit eis Dominus regem.
Postea vero quasi indignans regem con-
cessit, quemadmodum ad Samuelem dixit:
I *Reg.* viii, 7. Non te abjecerunt, sed me, ne regnem
super eos. Instituit tamen ut circa regem
Deut. xvii, 15. eligendum exspectarent divinum judicium,
et ne facerent regem alterius gentis. Tales
namque parum affici solent populo cui
Ibid. 16 20. præficiuntur. Ordinavit quoque ne rex mul-
tiplicaret currus et equos, uxores atque
divitias : talia enim occasionem præbent D
relinquendi justitiam. Instituit etiam ut
legem cogitaret quotidie, in Dei timore et
obedientia perseverando, et ne per super-
biam tumens subjectos contemneret sive
opprimeret. Divisio autem regni Israelitici
in pœnam a Deo inducta est, quia fre-
quenter contra regnum David injuste liti-
Osee xiii, 11. gabant. Idcirco per Osee Dominus ait : Da-
bo tibi regem in furore meo. Et iterum :
Ibid. viii, 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me. Quod vero
primo Regum habetur, Hoc erit jus regis

qui imperaturus est vobis, Filios vestros I *Reg.* viii, 11.
tollet, ad tyrannidem pertinet, nec divina
institutione sancitum est. Sed prædicitur
usurpatio regum, qui potestate abutentes,
ad crudelitatem flectuntur. Potest tamen
rex absque tyrannide filios populi tollere,
eosque tribunos et centuriones constituere,
ac multa a populo exigere, propter procu-
randum bonum commune.

Denique, secundum Augustinum, popu-
lus est cœtus multitudinis, juris conser-
vatione * et utilitate virtutis sociatus, vi- * consensu
B delicet ut communicatio hominum mutuo
justis præceptis ordinetur. Communica-
tio autem hominum una, fit auctoritate
principum ; alia vero, propria voluntate
privatarum personarum. Lex ergo circa
utramque communicationem populum Dei
sufficienter instituit. Statuit enim judices,
sicut in Deuteronomio legitur : Magistros *Deut.* xvi, 18.
et judices constitues in omnibus portis
tuis, ut judicent populum justo judicio.

Circa possessiones vero optimum est, ut
sint distinctæ, ususque earum partim sit
proprius possidenti, et partim communis.
Lex ergo divina instituit divisionem pos-
sessionum, sicut in Numeris legitur : Ego *Num.* xxxiii, 53, 54.
dedi vobis terram in possessionem, quam
sorte dividetis. Et ne divisio talis non re-
gulata periret, ordinavit ut pluribus dare-
tur possessio latior, paucioribus autem
angustior ; ne etiam possessiones in per- *Lev.* xxv, 23, 13. *Num.* xxxvi. 4.
petuum vendantur, sed tempore certo ad
pristinos possessores reverterentur, ne sor-
tium confunderetur divisio. Propter quod
etiam ordinavit ut proximi succederent
morienti, mulieresque nuberent suæ tribus *Ibid.* xxvii, 8-11; xxxvi, 8.
hominibus. Quia vero possessiones aliquo
modo debent esse communes, concedeba-
tur ut unusquisque vineam amici ingres- *Deut.* xxiii, 24.
sus, comedere posset quantum ei suffice-
ret, dummodo nil secum efferret. Quantum
vero ad pauperes, institutum erat ut eis
manipuli obliti et fructus, racemi quoque *Ibid.* xxiv, 19-21.
remanentes, relinquerentur. Voluit enim
lex ad mutuam dilectionem inducere po-
pulum, sicut ait Apostolus : Qui diligit *Rom.* xiii, 8.
proximum, legem implevit. Dilectio autem

Digitized by Google

est communicativa proprii boni. Et ergo A ut assuescerent sibi mutuo de facili communicare, prædicta instituit. Prohibuit autem lex possessiones vendi in perpetuum, sed solum ad certum tempus : quo finito, redirent ad pristinos dominos, ne eveniret confusio sortium. Regulatio enim et conservatio possessionum, secundum Philosophum, multum est utilis pro communi bono : alias possessiones ad paucos venire valerent. Et ideo, ut ipse refert, statutum fuit in quadam urbe gentilium, ne quis possessionem sine evidenti necessitate de- B trimentoque venderet. Concessit tamen lex, *Lev.* XXV, 30. ut domus urbanæ in perpetuum venderentur : quia sorte distinctæ non erant, neque ad numerum certum redactæ, sed additio eis fieri potuit.

Ordinavit insuper lex, ut ad mutuum exhibendum proni essent, nec ab hoc anno *Deut.* XV, 7-10. remissionis propinquante desisterent, nec *Exod.* XXII, 25, 26. eum cui mutuassent, usuris gravarent, aut pignus vitæ necessarium exigerent ; nec *Lev.* XXV, 36, 37. mutuata importune velut exactores repe- *Deut.* XXIV, 10, 11. terent, vel domum debitoris intrarent, pi- C gnus quærendo seu ad placitum accipiendo ; sed foris starent, et ille eis præberet, quo melius carere valeret. Circa animalia vero mutuata lex statuit, ut si propter negligentiam ejus, cui mutuata fuerant, seu eo *Exod.* XXII, 14, 15. absente morerentur, vel debilitarentur ex incustodia sua, reddere teneretur. Sed si eo præsente et diligentiam adhibente deficerent, non tenebatur reddere, maxime quando mercede conducta fuerunt. Si vero non essent conducta, potuisset habere justitiam aliquam is qui mutuavit, ut tan- D tum reciperet, quantum usus animalis mortui aut debilitati potuisset conduci. Differt autem depositum a mutuo, quia depositum traditur alteri ad utilitatem deponentis, quatenus sibi tutius conservetur ; mutuum vero, ad utilitatem ejus cui conceditur : ideo ad restitutionem depositi non tenetur homo sicut ad restitutionem mutui in casibus certis. Ex defraudatione tamen depositi periculum maximum imminet. Propter quod vehemens cautela adhibenda est circa deposita. Dicitur enim secundo Machabæorum : Sacerdotes invocabant de cœ- *II Mach.* III, 15. lo eum qui de depositis legem dedit, ut his qui deposuerunt ea, salva custodiret. Et ideo in Exodo habetur, quod in amissione depositi statur juramento ejus, apud *Exod.* XXII, 11. quem fuit depositum.

Statuit quoque lex, ut mercenariis statim *Lev.* XIX, 13. merces daretur, ne necessariis indigerent. Et ut populus in majoribus dubiis et gravioribus causis ad superiorem recurreret *Deut.* XVII, 8, 9. *Exod.* XVIII, 26. judicem, videlicet summum sacerdotem, cujus erat determinare dubia circa cærimonias cultus divini, vel ad regem qui ea determinabat quæ ad judicia hominum pertinent ; sed in minoribus causis et dubiis contenti essent judicibus, qui per singulas urbes sedebant, nisi illi inter se discreparent et vacillarent : de quibus omnibus et aliis multis diversæ leges judiciales in veteri Testamento datæ sunt atque conscriptæ. Statuit etiam lex, ut in ore *Deut.* XVII, 6. duorum vel trium testium staret omne verbum. In humanis enim negotiis haberi non potest certitudo infallibilis et demonstrativa, sed sufficit conjecturalis probabilitas et persuasoria ratio. Est autem verisimile atque probabile, verum id esse, in quo tres, id est duo testes et ille cum quo testantur, vel quatuor, id est tres testes et is pro quo testantur, conveniunt, dummodo in suo testimonio non vacillent, neque aliunde habeantur suspecti, et diligentissime præexaminati concordent. Per duos tamen vel tres testes qui asseruntur idonei, designatur divinarum Personarum, quæ interdum duæ vicissimque tres exprimuntur, immobilis veritas, secundum Augustinum.

Potest autem movere, quum pœna sit secundum culpæ quantitatem taxanda, cur lex jussit pro ove una furata quatuor red- *Exod.* XXII, 1. di, sed pro bove uno furato reddi quinque, in aliis vero rebus restitui duplum. Considerandum ergo, quod gravis pœna non semper infligitur propter magnitudinem culpæ, sed etiam propter alias rationes, scilicet ut homines propter pœnam

Digitized by Google

terreantur, et territi corrigantur; vel quia in peccato est concupiscentia et delectatio magna, propter quam homo a peccato tali non cessat, nisi per maximam pœnam; vel propter facilitatem committendi peccata, et in ipsis latendi. Circa quantitatem vero culpæ est quadruplex gradus. Interdum enim homo committit malum omnino involuntarie, et sic penitus
Deut. xxii, 26, 27.
excusatur, ut quum puella violenter opprimitur, quamvis clamet et renitatur. Vel quum peccatum est partim involuntarium, et tamen propter passionem patratur, ut dum ex infirmitate peccatur : tunc enim pœna minuitur secundum divinum judicium, et item humanum, nisi forte propter aliorum terrorem expediat sic peccantem puniri. Secundus gradus est, dum anima per ignorantiam peccat, non quidem divini præcepti, quod omnes scire debent, sed facti : tunc namque peccatum minuitur. Et ergo per judices non puniebatur, sed sacrificiis delebatur, quemadmodum in
Lev. iv, 2 et seq. Num. xv, 22-29.
Levitico habetur : Anima quum per ignorantiam peccaverit, etc. Tertius gradus est,
Ibid. 30, 31.
quum homo per superbiam, id est ex electione mali, aliquid agit : et tunc pœna secundum quantitatem culpæ infligebatur.
Deut. xxi, 20, 21.
Quartus gradus est, dum aliquis ex pertinacia atque protervia peccat : tunc namque tanquam legi rebellis et ejus destructor, occidebatur. Lex autem pensavit in furto id quod frequentius accidit. Pro furto igitur rerum quæ faciliter custodiun-
Exod. xxii, 7, 9.
tur, ordinavit duplum restitui. Oves vero quia pascuntur in agris, difficulter custodiuntur, ubertimque per furtum subtrahebantur : et ideo lex pœnam furti hic auxit, statuens pro ove una furata quatuor reddi; et pro uno bove quinque, quoniam boves difficilius custodiuntur quam oves, quia non pascuntur gregatim
Ibid. 4.
quemadmodum oves. Sed si animal sublatum, inventum fuisset vivum apud alium,

A non exigebatur nisi duplum : tunc enim æstimari potuit, quod non animo furandi sublatum fuerat, quia occisum non fuit.

Denique, ut Cicero ait, et Augustinus allegat, octo sunt genera pœnarum in legibus : damnum, verbera, vincula, talio, ignominia, exsilium, servitus, et mors. Omnes autem has pœnas lex aliquo modo inflixit. In gravioribus enim quibus contra Deum peccatur, ut blasphemia, in homicidio quoque et furto hominum in irre-
Lev. xxiv, 16, 17; xx, 9. Exod. xxi, 15-17. Deut. xxii, 22.
B verentia ad parentes, in adulterio atque incestu, mortem corporalem induxit. In aliarum rerum furto adhibuit pœnam damni; in percussuris vero et mutilationibus, et falso testimonio, talionem, quemadmodum scriptum est : Livorem pro livore, dentem pro dente.
Exod. xxi, 24, 25.
In minoribus autem inflixit flagella et ignominiam, ut in eo qui noluit suscitare semen propinqui.
Deut. xxv, 2, 9.
Servitutem vero adhibuit furi, qui non habebat quod redderet,
Exod. xxiii, 3.
et ei qui in septimo anno qui fuit annus remissionis, liber
C egredi noluit : pro pœna enim ei tunc rependit, ut in perpetuum in servitute maneret.
Deut. xv, 16, 17.
Exsilium vero lex in toto nulli imposuit, ne si extra populum divino cultui deditum ad idololatras proficisci cogeretur, ad idololatriam declinaret. Et ideo David ad Saul dixit : Maledicti sunt qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hereditate Domini, dicentes : Vade, servi diis alienis.
I Reg. xxvi, 19.
Erat tamen particulare legis exsilium, ut dum aliquis ad unam civitatum refugii transiit, et in ea usque ad
Num. xxxv, 25.
D summi sacerdotis mortem permansit.

Præcepit etiam lex bruta occidi, non propter propriam culpam, sed in pœnam dominorum suorum.
Lev. xx, 15, 16.
Sunt nec minus alia multa judicialia veteris legis præcepta, rationabili causa nequaquam carentia : quia ab eo donata sunt, qui est fons sapientiæ et Verbum Dei in excelsis.
Eccli. i, 5.

Digitized by Google

ARTICULUS IX

DE PRÆCEPTIS JUDICIALIBUS VETERIS LEGIS AD EXTRANEOS ATQUE DOMESTICOS PERTINENTIBUS.

J*UDICIA Domini vera, justificata in* A
semetipsa. Ps. XVIII, 10.

Quoniam per legem divinam homines
in omnibus congruenter reguntur, idcirco
continentur in veteri lege judicialia quæ-
dam præcepta, quibus instruebatur popu-
lus Dei, qualiter ad extraneos se haberet.
Exod. XXII, 21; XXIII, 9. Scriptum est enim in Exodo : Advenam
non contristabis; et : Peregrino molestus
Lev. XIX, 33. non eris. Voluit ergo lex, ut ad advenas
secum habitantes benigne se haberent, pe-
regrinis vero pacificum transitum per ter-
ram suam concederent; volentibus quoque B
ad Dei cultum ac legem converti, pium
præberent assensum. Non tamen statim
recipiebantur ut cives, sed sapienti mode-
ramine usa est lex. Statuit namque, ut
Deut. XXIII, 7, 8. Ægyptii et Idumæi in tertia generatione ad
consortium populi Dei reciperentur, pro-
pter affinitatem eorum ad Hebræos. Nam
apud Ægyptios nati nutritique fuerant, et
Esau pater Idumæorum, frater exstitit Ja-
Ibid. XXIII, 3. 4. cob. Ammonitæ vero ac Moabitæ nunquam
in consortium civile reciperentur, quia ho-
stiliter se ad ipsos habebant quum egre- C
derentur Ægyptum. Amalecitæ quoque quo-
niam durius se habuerunt contra Judæos
quam alii, quasi perpetui hostes haberen-
Exod. XVII, 16. tur, quemadmodum scriptum est : Bellum
Dei erit contra Amalec a generatione in
generationem. Ordinavit etiam lex, quo-
Deut. XX. modo se haberent ad hostes, videlicet ut
primo civitati pacem offerrent, et postmo-
dum fortiter dimicarent sperantes in ad-
jutorio Dei : et ut in illo magis confide-
rent, statuit lex, quatenus sacerdos eos
moneret, atque divinum sponderet subsi- D
dium. Formidolosos autem et alios quos-
dam lex remitti præcepit.

Verumtamen a cultu Dei et his quæ ad
animæ spectant salutem, lex nullum pro-
hibuit, nec aliquem a beatitudine repulit,
ut in Exodo patet : Si quis voluerit in ve- *Exod.* XII, 48.
stram transire coloniam, etc. Sed quantum
ad temporalia commoda, scilicet civilita-
tem, prædicta distinctio intelligi debet :
quæ tamen dispensationem admisit. Legitur
enim in libro Judith, quemadmodum Achi-
or dux filiorum Ammon, appositus est ad *Judith* XIV, 6.
populum Dei, et omnis successio ejus pro-
pter actum virtuosum quem fecit. Ruth
quoque Moabitis, quoniam mulier erat vir- *Ruth* IV, 10-13.
tutis, statim ad civilitatem admissa est : licet
dici posset, prohibitionem illam extendi
dumtaxat ad viros. Spurii autem, propter *Deut.* XXIII, 2.
vilitatem originis, excludebantur usque ad
decimam generationem ab ecclesia Dei,
hoc est collegio populi. [Excludebantur] et
eunuchi, quibus convenire non potuit ho- *Ibid.* 1.
nor paternus. In populo enim Judæorum
cultus divinus per carnalem progeniem
conservabatur. Non autem excludebantur
a gratia, sicut in Isaia legitur : Non dicat *Is.* LVI, 3.
eunuchus, Ego lignum aridum. Permissum
autem erat Judæis, usuras ab alienis reci- *Deut.* XXIII, 20.
pere, propter pronitatem eorum ad avari-
tiam, et ut magis tranquilli essent circa
extraneos, a quibus lucrum captabant. Qua-
rumdam quoque civitatum mares et femi- *Num.* XXXI, 7 *et seq.*
nas atque infantes, Deo jubente, occiderunt
propter maximam iniquitatem eorum.

Porro domestica conversatio conserva-
tur per duo, videlicet sustentationem vitæ
uniuscujusque personæ, et generationem
continuam. Sunt ergo in conversatione
domestica tres ordines, scilicet domini
ad servum, viri ad conjugem, parentis ad
prolem. Lex autem divina, quantum ad

Digitized by Google

singulos, congrua dedit præcepta. Jussit A enim servos pie tractari, neque laboribus [*Lev.* xxv, 39, 40, 43.] immoderate vexari, nec mutilari : quod si dominus mutilationem inferret, privaretur [*Exod.* xxi, 26, 27.] suo dominio, et servus liber abiret; ser- [*Deut.* xv, 12-14. *Lev.* xxv, 41.] vum vero Hebræum septimo anno cum omnibus suis atque viatico debere dimitti : et idem statuit inter dominam et ancillam. Ordinavit etiam lex, ut feminas ducerent propriæ tribus, ne sortium periret [*Num.* xxxvi, 7-10.] distinctio ; et ut homo reciperet conjugem [*Deut.* xxv, 5, 6.] fratris sui sine prole defuncti, suscitaretque nomini ejus semen, quod ejus esset B per adoptionem, ne ipsius memoria penitus aboleretur. Ne etiam uxores alienigenas ducerent propter seductionis periculum, [*Exod.* xxxiv, 16.] et ne mulieres receptæ, ex levi suspicione diffamarentur a viris, [*Deut.* xxii, 13 *et seq.*] neque propinquæ in uxores reciperentur propter reverentiam naturalem ad eas. [*Lev.* xviii, 6 *et seq.*] Præcepit quoque lex ut parentes filios suos in fide et moribus informarent, disciplinam impenderent, curamque condignam haberent. [*Deut.* xxxii, 46.] De quibus omnibus atque similibus præcepta multa diffuse in Deuteronomio et Exodo plane digesta sunt.

ARTICULUS X

DE DURATIONE ATQUE CESSATIONE PRÆDICTORUM PRÆCEPTORUM, ET DE NOVA LEGE.

E*CCE dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda pactum novum ; et dabo legem meam in visceribus eorum, et in mentibus eorum superscribam eam.* Jer. xxxi, 31, 33.

Hoc verbum Jeremiæ prophetæ, allegat Apostolus in datione novæ legis impletum. [*Hebr.* viii, 8, 10.] Triplicia autem erant veteris legis præcepta, videlicet cærimonialia, judicialia, atque moralia. Quantum vero ad præcepta moralia, lex vetus non desiit, neque per Christum evacuata est, sed magis perfecta. [*Baruch* iv, 1.] Propter quod Baruch ait : Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum. Sed quoad præcepta cærimonialia ac judicialia, lex vetus cessavit. Cærimoniæ namque veteris legis, figurativæ fuerant Christi : [*Hebr.* x, 1.] quia, secundum Apostolum, erant umbra futuri, [1 *Cor.* x, 11.] et in figura omnia contingebant eis. Figuram vero oportet cessare, veritate adveniente et propalata. Unde secundum Augustinum, Christo prædicante, simul currebant lex et Evangelium. Sed post divulgationem Evangelii omnino cessaverunt, [*Galat.* iii; iv.] et non solum mortuæ, sed et mortiferæ erant. Durante vero ipsa Evangelii publicatione, mortuæ erant, quoniam non obligabant ; non autem mortiferæ, quoniam absque peccato servari valebant. Præcepta quoque judicialia cessaverunt, aliter tamen quam cærimonialia. Quia enim judicialia principaliter ordinabantur ad disponendum ac rectificandum statum ac vitam conversationis humanæ, inter homines statuendo æqualitatem justitiæ ; idcirco directe et ex propria ratione figuralia non fuerunt, quemadmodum cærimonia- C lia, sed solum ex consequenti, in quantum totus ille status Synagogæ, figurativus fuit status Ecclesiæ : sicut et nunc status Ecclesiæ militantis, typum gerit status Ecclesiæ triumphantis, quæ est hierarchia cœlestis. Judicialia ergo præcepta, Evangelio divulgato, sunt mortua, quia vim obligandi non retinent ; non autem mortifera : possent enim a rege vel principe, si expediret, institui atque a subditis observari, dummodo non observarentur, nec statuerentur, in quantum ad D veterem legem spectabant, sed ea ratione, quia præsenti hominum statui convenirent.

Denique, sicut ante legem scriptam erant A judicialia quædam præcepta, non quidem ex institutione divina, sed naturali hominum ratione ordinata; sic erant et cærimonialia aliqua ante legem, non ex institutione divina, sed secundum voluntatem devotionemque colentium Deum : quemadmodum oblationes et sacrificia et holocausta secundum propriam suæ devotionis æstimationem offerebant antiqui, prout eis congruum videbatur, ut in rebus a Deo perceptis Deum venerarentur aliqua ei offerendo ; per quæ se omnia a Deo B sortitos profiterentur, quasi a primo principio, atque ad eum cuncta referrent, sicut in ultimum finem summumque bonum. Sed quoniam ante legem quidam viri perfecti et spiritu pollentes prophetico exstiterunt, credibile est, tales a Spiritu Sancto fuisse inductos et motos ad determinatum et certum divini cultus ritum ac modum, qui et interiori cultui Dei pro tempore illo congrueret, et ad designanda Christi mysteria idoneus esset. Cultus enim Dei exterior, qui per cærimonialia præce- C pta determinatur, consonare atque congruere debet cultui divino interiori, sicut signum signato, et figura figurato. Quum ergo interior Dei cultus in nova lege, alius sit ab antiquæ legis interiori cultu, et eo perfectior, statuique felicitatis futuræ propinquior; ideo cærimonialia novæ legis distingui oportet a cærimonialibus veteris legis, eisque expressiora et puriora consistere.

Porro lex nova, lex gratiæ appellatur, sicut ad Romanos ait Apostolus : Lex spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati et mortis. *Rom.* VIII, 2. Gratia autem est qualitas, decor, atque perfectio animæ. Ideo lex nova non proprie dicitur lex scripta, sed indita, quasi principaliter in gratia Christi consistens. Lex ergo nova veterem implet, quia quod ei defuit, addit, videlicet perfectionis consilia, gratiam quoque præbens ex merito passionis Christi, qua homo potens efficitur implere quæ præcipiuntur. Umbræ etiam, prophetiæ atque figuræ veteris legis, in Christo ad effectum et veritatem perductæ sunt. Ipse enim ait : Unus apex non præteribit de lege, donec omnia fiant. *Matth.* V, 18. Cœlum et terra transibunt, sed verbum Domini stabit in æternum. *Luc.* XXI, 33. Non enim est Deus ut homo, ut mutetur. *Num.* XXIII, 19. Et triumphator in Israel non parcet, nec pœnitudine flectetur. *I Reg.* XV, 29. Fidelis enim Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. *Ps.* CXLIV, 13. Qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIONUM IN QUINQUE MOSAICÆ LEGIS LIBROS FINIS

Digitized by Google

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

I, 31. Vidit... Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona, 653D'.

II, 24. Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, 620D.

IX, 8, 9. Dixit Deus ad Noe... : Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, 545B.

XV, 5. Numera stellas, si potes :... sic erit semen tuum, 525C'.

— 9. Respondens Dominus (ad Abram) : Sume, inquit, mihi vaccam triennem, 422C.

— 18-21. Dominus (ad Abram) : Semini tuo dabo... Cinæos, et Cenezæos, Cedmonæos. Et Hethæos, et Pheresæos, Raphaim quoque, et Amorrhæos, et Chananæos, et Gergesæos, et Jebusæos, 551B.

XVII, 1, 2. Ego Deus... : ponam... fœdus meum inter me et te, 545B.

XXII, 13. Abraham... arietem inter vepres hærentem cornibus... obtulit holocaustum pro filio, 239D', 486C. *Cf.* 284C'.

XLVI, 27. Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta, 487D, 657C.

XLIX, 4. (Jacob ad Ruben :) Effusus es sicut aqua, non crescas, 675C'.

— 15. Vidit (Issachar) requiem quod esset bona, 679B.

— 21. Nephthali, cervus emissus, 680B.

EXODI.

I, 20. Bene... fecit Deus obstetricibus, 256C'.

VI, 20. Fuerunt... anni vitæ Amram, centum triginta septem, 648B'.

VIII, 26. Abominationes... Ægyptiorum immolabimus Domino, 143A.

XII, 37. Profecti... sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum, 327A. *Cf.* 382C.

XII, 48. Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam,... circumcidetur prius omne masculinum ejus, 610D'.

XVI, 31. Gustusque ejus (man), quasi similæ cum melle, 375D', 437C.

XX, 5. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, 268D.

— 5. Ego sum Dominus... visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem, 623D'.

XXIII, 3. Pauperis... non misereberis in judicio, 257D.

XXV, 15. (Vectes) semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis, 338C.

— 16. Pones... in arca testificationem quam dabo tibi, 139B.

— 20. Respiciant... (Cherubim) se mutuo versis vultibus in propitiatorium, 241B'.

XXIX, 24. Pones... omnia super manus Aaron et filiorum ejus, et sanctificabis eos, 333B'.

XXXIII, 11. Loquebatur... Dominus ad Moysen... sicut solet loqui homo ad amicum suum, 390B.

— 20. Non... videbit me homo, et vivet, 390D. *Cf.* 114D.

XXXIV, 27. Dixit... Dominus ad Moysen : Scribe tibi verba hæc, 560B.

XXXV, 2. Qui fecerit opus in (sabbato), occidetur, 403D.

LEVITICI.

IV, 23. Si peccaverit princeps,... offeret hostiam Domino hircum, 402C.

IX, 24. Egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, 85C'.

XIX, 17. Non oderis fratrem tuum, 6D. *Cf.* 266A.

— 18. Non quæras ultionem, 619D'.

XX, 21. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, 628C'.

Digitized by Google

XXV, 4. Septimo... anno sabbatum erit terræ, 33 C.

NUMERORUM.

I, 45, 46. Fuerunt... omnis numerus filiorum Israel... sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta, 382 C. *Cf.* 327 A.
III, 15. Numera filios Levi per domos patrum suorum et familias, 327 B.
XII, 8. (Moyses) palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt, 689 C'. *Cf.* 390 C.
XIV, 18. Dominus... qui visitas peccata patrum in filios, in tertiam et quartam generationem, 623 D'.
— 22. Tentaverunt me jam per decem vices, 549 B'.
XIX, 21. Qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit, 166 A'.
XXIII, 21. Non est idolum in Jacob, 658 D'.
XXIV, 17. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, 457 B.
XXVI, 10. Aperiens terra os suum devoravit Core, 410 C.
— 51. Ista est summa filiorum Israel,... sexcenta millia, et mille septingenti triginta, 525 C'.

DEUTERONOMII.

I, 31. Portavit te Dominus..., ut solet homo gestare parvulum filium suum, 658 C'.
II, 4. Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau,... et timebunt vos, 434 A.
IV, 16. Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, 437 C'.
IX, 4. Ne dicas... : Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem, 6 D.
— 20. Adversum Aaron... vehementer iratus (Deus), voluit eum conterere, 100 C, 201 A'.
XII, 17, 18. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti :... sed coram Domino... comedes, 632 B.
XIV, 1. Nec facietis calvitium super mortuo, 198 D'. *Cf.* 572 C.
XXII, 1. Non videbis... ovem errantem, et præteribis ; sed reduces fratri tuo, 29 D'.
XXIII, 14. Deus tuus ambulat in medio castrorum, 512 C.
XXXI, 26. Ponite (librum istum) in latere arcæ fœderis... ut sit ibi contra te in testimonium, 47 D.
XXXI, 28. (Moyses dixit :) Invocabo contra eos cœlum et terram, 651 C.

JOSUE.

VI, 25. Rahab... et domum patris ejus,... fecit Josue vivere, 256 C'.

JUDICUM.

V, 4. Domine, quum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, etc. 674 A.

I REGUM.

II, 14. Omne quod levabat fuscinula, etc. 64 B.
VIII, 7. Dominus ad Samuelem :... Non... te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, 588 C.
XII, 17. Invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias : et scietis,... quia grande malum feceritis,... petentes super vos regem, 585 D.
XV, 23. Quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, 412 D'.
XVIII, 27. Dedit... Saul ei Michol filiam suam uxorem, 515 A'.
XXVI, 19. Maledicti sunt... qui ejecerunt me,... ut non habitem in hereditate Domini, dicentes : Vade, servi diis alienis, 627 B.
XXX, 24. Æqua... pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, 493 D'.

II REGUM.

VI, 19. Partitus est... singulis collyridam panis unam, 178 C.
VII, 6. Ambulabam in tabernaculo, et in tentorio, per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israel, 612 D.

III REGUM.

VIII, 11. Non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam, 126 B'.
XI, 1. Rex... Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, 586 C.
XVIII, 28. Incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, 263 B, 572 B.
XIX, 4. (Elias) ait : Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, 378 B.
XXI, 13. Benedixit Naboth Deum et regem, 291 A'.

Digitized by Google

IV REGUM.

III, 19. Universum lignum fructiferum succidetis, 597D.
XVIII, 4. (Ezechias) confregit... serpentem æneum, quem fecerat Moyses, 438D.

II PARALIPOMENON.

III, 13. Facies (Cherubim) erant versæ ad exteriorem domum, 241D.
XIX, 6. (Josaphat) præcipiens judicibus, Videte, ait, quod faciatis : non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, 527C.
XXVI, 19. Orta est lepra in fronte (Oziæ) coram sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis, 327B'.

JOB.

IX, 13. Deus, cujus iræ nemo resistere potest, 107C'.
XIX, 26. In carne mea videbo Deum meum, 465A'.
XXIV, 12. Deus inultum abire non patitur, 664D.
XXIX, 6. Lavabam pedes meos butyro, 680C.
XXXIV, 10. Absit a Deo impietas, 654D'.
XXXVI, 25. Omnes homines vident (Deum), unusquisque intuetur procul, 43B', 465B'.
XXXIX, 9. Numquid volet rhinoceros servire tibi ? 458C'.
— 14. (Struthio) dereliquit ova sua in terra, 207C'.
XLII, 7, 8. Dominus... dixit ad Eliphaz... : Sumite ergo vobis septem tauros,... et offerte holocaustum pro vobis, 281B.

PSALMORUM.

II, 8. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, 463C'.
IV, 7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Epilog. 692A.
XIV, 5. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, 618B.
XVIII, 8. Lex Domini immaculata convertens animas. Epilog. 694B'.
XXIV, 10. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, 654B, B'.
XLIX, 4. Advocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum, 651C'.
LVII, 11. Justus... manus suas lavabit in sanguine peccatoris, 459D.
LXVII, 2. Exsurgat Deus,... et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus, 370C'.
LXXVII, 62. Conclusit in gladio populum suum, 663B.
XCVIII, 6. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, 189C'.
XCIX, 2. Servite Domino in lætitia, 639B.
CV, 24. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, 395D.
CXL, 5. Corripiet me justus in misericordia, 266B.
CXLIV, 9. Suavis Dominus... et miserationes ejus super omnia opera ejus, 3D'.
— 13. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, 654C'.

PROVERBIORUM.

I, 26. Ego quoque in interitu vestro ridebo, 639D'.
III, 9, 10. Honora Dominum de tua substantia,... et implebuntur horrea tua saturitate. Prolog. 131.
VII, 2. Serva mandata mea,... et legem meam quasi pupillam oculi tui. Præf. 519.
XXI, 15. Gaudium justo est facere judicium, 639B.
XXVI, 20. Susurrone subtracto, jurgia conquiescent, 258B.

SAPIENTIÆ.

I, 11. Custodite... vos a murmuratione, 385C.
— 11. Os... quod mentitur, occidit animam, 30A.
II, 10. Nec veterani revereamur canos multi temporis, 264A.
V, 18. (Deus) armabit creaturam ad ultionem inimicorum, 652D.
XI, 21. Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti. Præf. 323.
— 25. Diligis... omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, 582A'.
XVI, 21. (Man) deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur, 376B.
— 24. Creatura... tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, 652D.
XVIII, 24. In veste... poderis,... totus erat orbis terrarum, 76D'.
XIX, 12. Ascendit illis de mari ortygometra, 384B'.

Digitized by Google

ECCLESIASTICI.

XIII, 19. Omne animal diligit simile sibi, 269 C'.
XX, 31. Xenia et dona excæcant oculos judicum, 581 A.
XXVIII, 15. Susurro et bilinguis maledictus, 258 B.
XXXII, 1. Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis, 587 B.
XXXIII, 31. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, 16 C.
XXXIV, 9. Qui non est tentatus, quid scit? 554 D.
— 27. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt, 257 B, 265 D', 623 C.

ISAIÆ.

I, 2. Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est, 651 C.
XI, 1. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, 415 B, 466 A'.
— 4. Percutiet terram virga oris sui, 466 B'.
XIX, 25. Hereditas... mea Israel, 455 A'.
XLVIII, 4. Scivi... quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ænea, 109 B', 557 A'.
LV, 10, 11. Quomodo descendit imber, et nix de cœlo,... et germinare (terram) facit,... sic erit verbum meum, 653 C.
LIX, 2. Peccata vestra absconderunt faciem (Dei) a vobis, 660 D'.
LXI, 1, 2. Spiritus Domini super me,... ut prædicarem annum placabilem Domino, 576 D'.

JEREMIÆ.

I, 25. Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ, 664 C.
II, 6. Dominus... traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis, per terram in qua non ambulavit vir, 528 A.
VII, 18. Mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, 237 B.
IX, 8. Sagitta vulnerans lingua eorum, 556 C'.
XIV, 18. Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio, 662 C.
XVIII, 7, 8. Repente loquar adversum gentem,... ut destruam (illam). Si pœnitentiam egerit gens illa,... agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei, 592 D
XXXI, 30. Qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus, 3 C.
— 31. Ecce dies venient, dicit Dominus : et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum. Epilog. 720 B.
— 33. Dabo legem meam in visceribus eorum. Epilog. 694 C'.

THRENORUM.

IV, 10. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, 304 A', 639 D.
V, 7. Patres nostri peccaverunt,... et nos iniquitates eorum portavimus, 3 C, 623 B'. *Cf.* 624 A'.
— 12. Facies senum non erubuerunt, 264 A.

BARUCH.

VI, 30. Eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, et capita et barbam rasam, 263 A, 262 C'.

EZECHIELIS.

XVIII, 20. Filius non portabit iniquitatem patris, 3 B, 623 A'.
XX, 25. Dedi eis præcepta non bona, 252 D', 696 C.
XXII, 30. Quæsivi de eis virum, qui... staret oppositus contra me pro terra, 98 C'.
XLIV, 20. Caput... suum non radent,... sed tondentes attondent capita sua, 273 B'. *Cf.* 262 C'.
— 22. Viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient, 274 A.
XLV, 11. Decimam partem cori (capit) batus, et decimam partem cori ephi, 384 D.

OSEE.

IV, 8. Peccata populi mei comedent, 415 D.

NAHUM.

I, 9. Non consurget duplex tribulatio, 198 D.

MALACHIÆ.

I, 8. Si offeratis (ad immolandum) claudum et languidum, nonne malum est? 280 A'.
II, 16. Quum odio habueris (uxorem), dimitte, 616 A'.

Digitized by Google

III, 6. Ego... Dominus, et non mutor, 457A'.
— 10. Inferte omnem decimam in horreum,... et probate me super hoc,... si non aperuero vobis cataractas cœli. Prolog. 131.

MATTHÆI.

III, 4. Esca (Joannis Baptistæ)... erat locustæ, 209D.
IV, 4. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, 554B'.
V, 48. Estote... perfecti, sicut et Pater vester cœlestis, 212A'.
X, 16. Estote... prudentes sicut serpentes, 438B.
XV, 11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, 204B.
XVIII, 15. Si... peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum, etc. 258A', 266B.
XIX, 5. Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, 254D.
— 6. Quod... Deus conjunxit, homo non separet, 619C'.
— 8. Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, 618A, 621A.
XXIII, 5. (Scribæ et Pharisæi) magnificant fimbrias, 404A, 605B'.

MARCI.

IX, 49. Habete in vobis sal, 152C'.

LUCÆ.

VI, 30, 35. Omni... petenti te, tribue;... et mutuum date, nihil inde sperantes, 25D, 577A'.
VIII, 8. Qui habet aures audiendi, audiat, 643D.
X, 23. Beati oculi qui vident quæ vos videtis, 468C.
XIV, 34. Bonum est sal, 152C'.
XVI, 18. Qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur, 619B'. *Cf.* 618B'.

JOANNIS.

I, 17. Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Epilog. 696A.
— 18. Deum nemo vidit unquam, 114D. *Cf.* 390D.
III, 14. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis, 437B', 438B.
V, 46. Si... crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit, 591A'.
VI, 14. Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum, 591B.
— 41. Ego sum panis vivus, 149C.
VIII, 28. Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, 412C'.
— 28. A meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor, 591C.
XVII, 3. Hæc est... vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum. Epilog. 692B'.

ACTUUM.

III, 22. Moyses... dixit :... Prophetam suscitabit vobis Dominus, 591A'.
VII, 2, 4, 5. Deus gloriæ... transtulit (Abraham) in terram istam,... et non dedit illi hereditatem in ea,... sed repromisit dare illi eam in possessionem, et semini ejus, 525A'.
— 53. Accepistis legem in dispositione angelorum, 674B'.
XV, 28, 29. Visum est Spiritui Sancto et nobis,... ut abstineatis vos... a sanguine, et suffocato, 251C'.
XVI, 16. Factum est... puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, 272C'.
XXIII, 5. Principem populi tui non maledices, 25D'.

AD ROMANOS.

II, 14. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt. Epilog. 692A.
III, 20. Ex operibus legis non justificabitur omnis caro, 253A.
IX, 3. Optabam... anathema esse a Christo pro fratribus meis, 103A'.
X, 19. Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem : in gentem insipientem, in iram vos mittam, 661D.
XI, 25. Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, 543A'.
XIII, 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit... : Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt, 332A.

I AD CORINTHIOS.

VII, 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, 619B.

Digitized by Google

VIII, 4. Nihil est idolum in mundo, 2 B'.
— 5. Sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, 25 D'.
IX, 9. Numquid de bobus cura est Deo? 628 C.
X, 11. Hæc... omnia in figura contingebant illis, 204 A.
— 20. Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, 660 C.
— 21. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum, 26 B'.
XIII, 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem, 114 D', 390 D.

II AD CORINTHIOS.

I, 8. Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere, 378 B.
V, 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, 415 D.
XI, 24. A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi, 626 B'.

AD GALATAS.

III, 13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, 600 C'.
— 24. Lex pædagogus noster fuit in Christo. Epilog. 696 C'.

AD PHILIPPENSES.

II, 21. Omnes... quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi, 9 A.
III, 19. Quorum deus venter est, 9 D.

AD COLOSSENSES.

III, 5. (Avaritia), quæ est simulacrorum servitus, 9 D.

I AD THESSALONICENSES.

IV, 12. Nolumus... vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent, 572 C. *Cf.* 198 A'.

I AD TIMOTHEUM.

VI, 16. (Deus) quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, 114 D. *Cf.* 390 D.

AD HEBRÆOS.

VII, 18. Reprobatio... fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem. Epilog. 696 C'.
— 19. Nihil... ad perfectum adduxit lex. Epilog. 696 B. *Cf.* 700 D.
IX, 7. In secundo (tabernaculo)... semel in anno solus pontifex (introibat), 239 B'.
X, 1. Umbram... habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum,... nunquam potest accedentes perfectos facere. Epilog. 700 B. *Cf.* 696 B, 720 C.
— 16. Leges meas... in mentibus eorum superscribam. Epilog. 694 C'.
— 28. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, 180 A', 403 C.
XI, 37. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, etc. 638 C.

JACOBI.

I, 13. Deus... neminem tentat, 554 C.
— 17. (Pater) luminum, apud quem non est transmutatio, 457 A'.
II, 13. Superexaltat... misericordia judicium, 3 D'.
IV, 4. Quicumque... voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur, 9 C'.
V, 4. Merces operariorum,... quæ fraudata est a vobis, clamat, 265 D', 623 B.

I PETRI.

II, 12. Conversationem vestram inter gentes habentes bonam : ut... ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum, 641 A'.

II PETRI.

II, 9, 10. Novit Dominus... iniquos... in diem judicii reservare cruciandos : magis autem eos, qui... dominationem... contemnunt, 405 C.
— 16. Subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam, 451 C.

I JOANNIS.

II, 15. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo, 9 C'.

Digitized by Google

III, 15. Qui odit fratrem suum, homicida est, 266A. *Cf.* 6D.

IV, 12. Deum nemo vidit unquam, 114D. *Cf.* 390D.

JUDÆ.

8. Hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant, 405C.

APOCALYPSIS.

II, 14. Balaam... docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari, 471C.

XVII, 15. Aquæ... populi sunt, et gentes, et linguæ, 463D.

XXII, 12. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, 664C'.

— 16. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina, 466A'.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

AARON, cum Moyse ascendit in montem, 39B, ubi Deum videt, 41B. — Absente Moyse, populo præficitur, 42A'. — Deos postulantibus aliquantulum restitisse videtur, 96B', 97A, C'; sed timore mortis, 96C', 98A, vitulum aureum facit, 97B, insuper et altare, 97C', et solennitatem sacrilegam indicat, 97D'. — Excusando se, 100C, non videtur fuisse mentitus, 100D'. — An, propter vituli conflationem, cum sua posteritate deleri meruerit, 201B, et cur ultionem evaserit, 105B'. — Consecratio Aaron, 80B et seq., 184C et seq. — Primum ejus sacrificium, prima die anni secundi egressionis, 192C, in quo ignis de cœlo in holocaustum venit, 194C'. — Contra Moysen murmurans, 387C, iterum ultionem effugit, 391A'. — Mors ejus narratur, 434B'. Ubi reapse sit mortuus et sepultus, 434D'. — Sub lege evangelicas virtutes habuit, 412B'. — Mystice, figura est perfectorum, 342A', C', Petri apostoli, 329C, et Christi, 86D, 412B'.

ABARIM mons, ubi mortuus est Moyses, etiam dicitur Nebo, 666D', et Phasga, 538B. — Mansio xl[a] Hebræorum, 501C'. Quid mystice significet, 506B.

ABIETARIUS, quid sit, 122B'.

ABIRON, de tribu Ruben, frater Dathan, ex invidia contra Moysen insurrexit, 406C, 407A. — A Moyse convocatus, 408C, superbe recusat, 408A'; a terra vivus absorbetur, 409B', et perit, 409D'. — Mystice, rebelles significat, 411C, 412A.

ABIU, filius Aaron, cum Moyse ascendit in montem, 39B, ubi Deum videt, 41B. — Cum Aaron patre suo, consecratur, 185D; sed vana tactus gloria, 196D', dum thuribulo alienum ignem imponit, 197A, igne divino interficitur, 197C. — Cur tam acriter mulctatus sit, 197D'. — Non fuit igne incineratus, 198C; sed extra castra cum vestibus suis sepelierunt eum, 198B; unde mos inolevit clericos cum sui ordinis indumentis sepeliendi, 198A'. — Licet mortaliter peccaverit, salvatus creditur, 198D. — Quæ fuerit vera mortis ejus causa, 373B', 374A. — Quid spiritualiter significet, 201C.

ABORTUS. Qui involuntarie abortus causa est, mulctæ subjicitur, 16D.

ABYSSUS. Sic vocantur aquæ receptacula in visceribus terræ, 555A.

ACCIPITER, avis immunda, describitur, 208A. — Mystice quid, 214D, 713C'.

ACETABULUM, quid sit ad litteram, 49C, 359C, et moraliter, 54B', 360B'.

ACHATES, rationalis ornamentum. Ejus virtutes et significatio, 79A'.

ADEPS, quid sit, 154D'. — Adeps victimarum nunquam in usum sacerdotum veniebat, 140B, sed Domini erat, 154B'; quare, 155B, 702A. In crastinum non licebat illum servare, 35C, sed totus comburendus erat, 140B. Quo ritu Deo offerri solitus, 182B. — Adipem in cibum sumere Hebræis vetitum, 154C', 180B'; an ubique, 155C', 180B', et quare, 155A'. — In varios usus, præter esum, adhiberi potuit, 181A. — Moraliter, quid sit adeps, 156A', 157A, et adipem comedere, 157A'.

ADULTERIUM prohibetur, 253C'. — Gravissimum est peccatum, 606D'. — Adulterum deprehensum an occidere liceat, 22C. — Adulterantes ambo, apud Hebræos, lapidabantur, 606D'.

ADVENA, scilicet alienigena in Judæa commorans, 640B', juxta legem pie tractari debuit, 24B', 264A, et in judiciis non molestari, 624C', 636B. — In judiciis et eleemosynis pupillo et viduæ æquiparatur, 624C', 636B. —Remissionis anno advenæ non gaudebant, 574D; et usura erga illos non prohibebatur, 576A. — Aliquando advena pro proselyto sumitur, et tunc in omnibus Hebræo æquiparatur, 244C, 250D', 251B, 254C, 269D', etc.

Digitized by Google

ADVERSA. In adversis vera hominis indoles patescit, 554B. — Adversis iniquos expiare et justos probare Deus solet, 310B'.

ÆGYPTII, post tertiam generationem in consortium populi admitti poterant, 610A'. — Mystice quid, 614B'. — Ægyptiorum sacrificia, quæ DCXLVII erant, 143A', vel DCLXVI, 205C, miseratione deorum ad XXV redacta sunt, 205C.

ÆS, quomodo gignatur, 555C. — Ex ære facta sunt nonnulla vasa sanctuarii, 64C, 66B, etc. — Quid mystice, 52B, 95C'.

AFFLICTIO. Per multas afflictiones ad regnum cœlorum pervenitur, 442D. — Afflictis compati debemus, 24D'.

AGER. Terminos agrorum transferre lege vetatur, 594B. Quid spiritualiter istud significet, 636B'. — De agrorum venditione aut consecratione, *Vide* Venditio *et* Votum. — Mystice, quid sit ager, 318C', 669A'. — Agronomicæ leges : Non licet agrum diversis seminibus serere, 259C, 266A', nec vineam, 603D'; nec arare septimo anno, 292D, nec metere, 293B. In collectione segetum, aliqua pars pauperibus relinquenda est, 256C.

AGNUS, fuit de immolaticiis animalibus, 141A, et ad multa sacrificia præscribitur, ut puta ad juge sacrificium, 85B, etc. — Sacrificii Agni paschalis ratio litteralis, 708D, et figuralis, 708A'. In qualibet domo Jerusalem comedi poterat, 579B. — Mystice, agnus est figura Christi, 143B', 145D, et LXXII discipulorum, 670A.

ALEXANDER, Ord. Min. theologus, 212B', 580A', alias Alexander de Hales appellatur, 3D, 30C', 627C', etc.

ALIENIGENA. Sacrificia alienigenarum quatenus in templo recipienda, 280B'. Oblata cum pietate Deo placere poterant, 281B. — Alienigenæ in sacerdotum officia se immiscenti mors intentabatur, 416D'. — A sanctificatorum participatione arcebatur, 279B. — In deserto pauperiores ex eis aquam et ligna portabant, 643D'. — Synopsis Hebræarum legum quoad alienigenas, 610B', 719A.

ALTARE holocausti, primo de terra factum, 7D, vel de lapide impolito, 7D', 634B, in idololatriæ detestationem, 7D, 8A, 705D', postea æreum, 634D, 706B. — Describitur, 63D. — In atrio positum erat, 67A, 125C'. — Quomodo ad illud ascenderint sacerdotes, 8C, 705D'; et cur sic vocatum, 64D'. — Ejus consecratio, 81C', 84C', 358D'. — In ipso ignis nunquam exstinguebatur, 339A. — Quid mystice, 67A, 146A'.

Altare thymiamatis, erectum est ut semper esset bonus odor in tabernaculo, 705A'. — Ejus descriptio, 87B. — Situm erat in Sancto, 87D', 125D, directe contra arcam, 705C. — Quomodo in eo thymiama offerri solitum, 87B', et quando, 88C, et quare, 88D. — In eo nihil nisi thymiama offerre licebat, 88A'. — Super eo deprecabatur pontifex semel in anno, 88B'. — Fuit altari holocaustorum sanctius, 88C'. — Mystice quid, 92A.

ALUS, mansio xª Hebræorum, 501A; quid moraliter designet, 504B.

AMALEC. Contra eum vaticinatur Balaam, 467B'. — Præceptum delendi Amalec, quomodo justificetur, 629A', et quid spiritualiter significet, 630A'. — Mystice, Amalec est figura diaboli, 467B', et avarorum, 470C'.

AMBITIO obtenebrat mentem, 407B, et modum nescit, 412A.

AMETHYSTUS, rationalis ornamentum, ad quid valeat, 79B'. — Mystice, prudentiam significat, 79C'.

AMMONITÆ. Quodnam fuerit eorum peccatum in Israel, 609B', 610A. — A cœtu Hebræorum in perpetuum arcentur, 609B', et a pacifico convictu, 610B. — Spiritualiter, schismaticos designant, 614C.

AMORRHÆI. Eorum terra describitur, 440D'

AMULETA ferre prohibitum est tum Hebræis, 263B, tum Christianis, 263D.

AMYGDALÆ miraculo e virga Aaron ortæ, 414C, sacram Scripturam significant, 414D', vel Christum, 415B, vel prælatorum virtutes, 415B'.

ANATHEMA, fuit forma consecrationis, 312D', 436C'. — Ejus effectus, 315B, C. — An cujuspiam mortem vovere liceat, 316B, 436A'.

ANDRÆAS (Perusinus), Scripturæ expositor, 12C, 33C, 35D', 573B'.

ANGELUS nescientia potest affici, 162A'. — Angeli, quibus volunt, visibiles vel invisibiles se præbere possunt, 450B. — Unicuique speciei visibili præsident, 450B'. — Innumerabilia sunt eorum agmina, 551B'.

Plures angeli Israelitas in deserto deduxerunt, 111B. Eorum comitivam nunquam recusavit Moyses, 111D, 116A, nec unquam ab eo ablata est, 115B', D', 116A'. — Angelus, quomodo Moysi gloriam Dei ostenderit, 115C.

ANIMA. Ejus immortalitas insinuatur, 434D, 491C. — « Anima » diversimode in Scripturis

Digitized by Google

accipitur, 147C, 157D'. — Quid sint animæ oculi et aures, 643C; alæ, 147A; intestina et pedes, 146B', 566A'; vestimenta, 202D, 266A'; ager, 318C'; seges, 265B; altare, 8B; holocaustum, 175D, et pacifica hostia, 182D.

Anima fidelis omnia creata contemnere debet propter Deum, 9B'; judiciorum Dei memorem se præbere, 247C; inter orandum ab evagationibus cavere, 249A; in sua vocatione decenter vivere, 332A; humiliter et facete proximi salutem procurare, 372D; per totam vitam saluti insudare, 299A, 442D, usque ad sabbatum requietionis, 299B; æquo itinere inter spem et timorem ambulare, 625B; Deo servire in lætitia, 639B; et contra viæ tædium per Crucifixi contemplationem se munire, 443D. — Animæ interdum propria bona recolere expedit, 265C. — Quasi parturiens, per totam hanc vitam immunda est, 217B', et quotidie purgari indiget, 615A, donec in resurrectione mundetur, 217C'. — Anima diabolo cedens, turpiter meretricatur, 277D'. — Ad contemplationem transire renuens, quomodo tractanda, 19A.

Anima contemplativa. *Vide* Contemplatio.

ANIMALIA. Quorumdam esus Hebræis prohibitus est, tum propter naturalem insalubritatem, 204C, 712C', tum in idololatriæ detestationem, 204B', 205B, 713B, tum ob figurativam significationem, 713D. — Diversimode immunda dicebantur, 567B. Qua regula munda ab immundis secernerentur, 205A', D'. Munda et immunda, mystice quid, 213C. — Animalium cadavera non licebat tangere, 210D, nec comedere, 251A'; imo tactu polluebant vasa, 210A', cibos, 210C', clibanos, 210D', vestimenta, 210A', non autem fontes et cisternas, 211A, nec semina, nisi madefacta, 211C. — Animalium reges quatuor, qui, 605A. *Adde* Hostia, Sacrificium *et* Votum.

ANNULUS. De annulis septem planetarum liber allegatur, 205B.

ANNUS a Martio inchoabatur in sacris, apud Hebræos, 578B, a Septembri, in civilibus, 34D. — Sexto cuique anno triplex repromittitur fertilitas, 295A'. *Vide* Jubilæus *et* Sabbaticus.

ANTISIODORENSIS, 30C', 31D. Sic vocatur ab Auctore Guillelmus, Episcopus Antisiodorensis.

AQUA, in mari altior est terra, 541D'. Spiritualiter, aquarum nomine designantur populi, 463D. — Aqua lustrationis mixto vaccæ rufæ cinere conficiebatur, 424A, et a legalibus immunditiis purgare valebat, 362B. Immundus super mortuo, ea 3ª et 7ª die adspergi debebat, 424C', sub gravi, 425A. Eam tangens, immundus fiebat usque ad vesperam, 425C'. Moraliter, pœnitentiam significat, 356A, et Baptismum, 427B'. — Aqua Contradictionis, xxxiiª statio Hebræorum, cur sic dicta, 432C.

AQUILA, avis immunda, 206D', describitur, 207A. — Pullos quomodo nutriat, 658A', et deferat, 658B'. — Ei recte comparatur Christus, 669D. — Mystice, superborum typus est, 214B, 713A'.

ARABES, multum philosophiæ studia provexerunt, 571A', sed multos inciderunt errores, 571B'. — Arabes auctores : Algazel, 269B'. Avicenna, 269B', 451A.

ARAD regnum, quid, 436A. — Ab Israelitis penitus destructum, 436B'. — Spiritualiter, dæmonem significat, 442D'.

ARADA, xxiª mansio Hebræorum, quid significet, 505A.

ARBOR. Fructus arborum tribus primis annis immundi censebantur, 260B'; quarto anno Domino cedebant, 260C'; quinto anno eis vesci licebat, 260C'; quare, 260D', 714D. — Mirabiles solis et lunæ arbores describuntur, 678A.

ARCA fœderis describitur, 46D. — Cur dicta arca testimonii, 47D. — Quæ in ea contenta, 47B, 704D'. — In Sancto sanctorum reponebatur, 62B', 125C, 704D'. In itinere deportabatur, quomodo, 47A, 338A, et quo ordine, 370C; et sua quiete castrorum loca providebat, 370C. — Arcæ et ornatus ejus mystica expositio, 52D', 343B, 372C', 705C.

ARGENTUM. Ex eo gignitur ferrum, 555C. Factæ sunt ex argento columnarum bases, 59A', tubæ, 367A; item nonnulla vasa tabernaculi, 359B. — Quanta vis argenti in opere tabernaculi adhibita, 124C'. — Mystice quid, 52B.

ARIES, animal immolaticium, ad certa sacrificia præscribitur, 168A', 169B, 239D', 260D, etc. — Sub hoc nomine sæpe intelligendus est agnus, 141B. — Ex arietum pellibus hyacinthinis vel rubricatis tegebatur tabernaculum, 45A', 57C', etc. — Mystice, quid significet aries, 248D, 669D', et arietum pellis, 52D, 61D.

ARIOLI, quid sint, 263B', 445B. — Illos consulere non licet, 270D'.

Digitized by Google

ARISTOTELES, vel absolute Philosophus, quid de judicibus censeat, 527 C. — Usuram reprobat, 613 B'. — Error ejus de solis divinitate, 583 A'. *Adde* 548 A', 610 C', etc. Citatur liber Meteororum, id est, Meteorologicorum, 555 D.

ARMUS dexter hostiæ pacificæ sacerdoti cedebat, 181 A', 354 D, quare, 182 B', 589 B. — Dictus est armus separationis, 181 B', cur, 188 C. — Tropologice, fortitudinem figurat, 184 A', 702 C'.

ARNON varie interpretatur, 438 B', 440 C'. — Quo sensu Arnon scopuli coram filiis Israel se inclinasse dicantur, 439 D. Spiritualiter, prælatos exprimunt, 444 A.

ARULA altaris holocausti, quid, 64 D.

ASER a Moyse benedicitur : In olivetis et metallis divitiæ ejus, 680 C. — Allegorice, est Christus beatus, 686 C'.

ASINUS bovi non jungendus erat in aratro, quare, 604 B'. Asini primogenitus redimebatur ove, 576 B'. Tropologice, simplicem et idiotam significat, 607 C'. — Asina Balaam, quomodo voces efformaverit, 450 A'. Multa in hoc inveniuntur mirabilia, 451 A. Verba tamen asina non intellexit, 451 B. Mystice idiotas figurat, 453 C'.

ASIONGABER, xxxi^a Hebræorum mansio, quid significet, 505 B'.

ATRIUM tabernaculi. *Vide* Tabernaculum.

AUGURIUM, quid sit, 261 B. — Nunquam quæritur a Deo vel ab angelis, 454 C, sed a spiritu malo, 261 C. — Quatenus ex avium observatione augurium capere liceat, 262 B.

AUREOLA mensæ propitiationis, quid, 48 B'. Annum lunarem significabat, 61 C', et regnum Israel, 48 C'. — Aureola Beatorum, in quo consistat, 54 A'.

AURUM, quomodo nascatur, 522 B', et cur in aquilone et fluviis potius generetur, 522 D'. — Facta sunt ex auro pleraque vasa cultus, arca, 46 B', propitiatorium, 47 A', Cherubim, 47 B', mensa, 48 D, thuribula, 49 B', candelabrum, 49 D', etc. — Quantum auri in tabernaculi opere adhibitum, 124 B'. — Quid mystice, 52 A, 95 C'.

AVIS. Quomodo aves futura prænuntient, 262 B; et qualiter ex eis augurium capere liceat, 262 D, A'. — Inter aves, tres tantum in sacrificiis adhibebantur : turtur, columba, 141 C', 143 B, et passer, 143 D; quare, 143 D. — Quo ritu sacrificandæ aves, 141 C'. Cur projicienda gutturis vesicula, 144 A. — Avium quarumdam, cur esus prohibitus, 204 D, 206 D'. Avium immundarum catalogus, 206 D', 713 A'. — Cur de avibus, et non de aliis animalibus, Deus populum suum bis paverit, 387 A'. — In nido matrem cum pullis capere non licebat, quare, 602 C', 608 A. — Moraliter, dæmones ambitionis et superbiæ designat, 670 C'. Aves in sacrificio, quid, 146 D'.

AZYMA tantum in sacrificiis offerre licebat, quare, 80 B', 149 A', 150 A. Quid mystice significent, 183 A. — Azymorum dies : sic vocatur Phase ; quare, 282 A'.

B

BALAAM, magus famosissimus, 445 A', an fuerit primo verus propheta, et idem qui Eliu Buzites, 448 B'. — Fuit pecuniæ nimium cupidus, 448 B, magnæ superbiæ, 462 A', 465 B, et pertinaciæ, 449 A, 459 B'; et infusione Spiritus Dei non est emendatus, 461 C. — Deum verum invocabat, 446 B', sed cum Deo simul idola coluisse videtur, 448 C, 454 A', et ope dæmonum carmina edebat, 445 C', 446 A', 447 B'. — An reapse maleficia ejus nocere potuerint, 445 D'. — Deo obsistendo, graviter peccavit, 449 A; et non nisi ad suam perniciem licentiam eundi accepit, 449 D. — Quomodo, loquente asina, non horruerit, 451 A'. — Triplex vaticinium Balaam, 455 A, 457 C, 461 A'. Quantum ejus prophetiæ gentibus profuerint, 454 C', 456 D'. Eas Judæi detorquere student, 466 A; sed a Daniele confirmantur, 468 D'. — Pessimum consilium dat contra Israelitas, 471 B; et ab eis interficitur, 492 C. — Ex eo orti perhibentur Magi qui Christum adoraverunt, 456 A. — Moraliter, diversos signat perversos, 453 C, 469 B, C

BALAC Madianita, quomodo rex Moabitarum, 444 C'. — Arcessit Balaam ad maledicendum Israeli, 445 A; quare, 445 D. — Moraliter, malevolos significat, 453 C.

BALTEUS duplex in Scripturis describitur, 76 B, B', 186 B', unus sacerdotum, 74 D', alter pontificum, 74 C'. — Oceanum figurabat, 77 A, et discretionis virtutem, 77 C, vel continentiam, 191 D.

BDELLIUM, quid sit, 375 B'.

BELLUM. De jure belli apud Hebræos : Ante prælium recedere jubebantur qui novam domum non dedicaverant, 595 C', novam vineam communem non fecerant, 596 A, no-

Digitized by Google

vam sponsam non acceperant, 596D, item omnes formidolosi, 596B'. — Sacerdotes exercitum comitabantur, tubis clangentes, 368A, 492A, 595C. — In prælio arbores fructiferas succidere et regionem securi vastare non licebat, 597B; sed plerumque mares usque ad unum trucidabantur, 492B, D'; et feminæ in servitutem redigebantur, 493B, quas qui volebat uxores ducere poterat, 599A'. — Post prælium bellatores extra castra septem diebus, ut homicidæ, remanebant, 493B; universa præda vel igne vel lustrationis aqua mundabatur, 493D, et ex æquo inter pugnatores et reliquos dividebatur, 493C', seposita tamen parte Domini, 493D'. — Moraliter, qui apti sint ad spirituale prælium, 597C'; et quæ ejus leges, 598A. — Bellorum Domini liber, quid sit, 438D'.

BENEDICTIO. Quomodo in V. T. sacerdotes benedicere soliti, 354B', 356B'. — Benedictiones XII tribubus a Moyse impertitæ, quæ, 672B et seq. — Benedictiones legem custodientibus repromissæ, quot, 302B, 552D', 637B, et quomodo promulgatæ, 634C', 635A'. — Non in singulis justis verificatæ sunt, sed in tota gente, 306B, 638B. — Etiam nunc legem diligentibus spiritualiter repromittuntur, 306C', et Ecclesiæ sæpius collatæ sunt, 640C'. — Benedictionem, præsente episcopo, dat cardinalis diaconus, in terra suæ legationis, 189D.

BENEJACAN, xxviii[a] statio Hebræorum, quid mystice, 505D.

BENJAMIN tribus a Moyse benedicitur, 677D: Deo dilecta valde propter Paulum apostolum, 677A', et templum Domini possessura, 677B'. — Allegorice, Christum Filium Dei dilectum significat, 685A.

BERYLLUS, rationalis ornamentum, cujus sit virtutis et significationis, 79C'.

BESELEEL, quo sensu scientia, intelligentia et sapientia impletus dicatur, 94B. — Fuit vir virtuosus, 94C, a Deo electus in opus tabernaculi, 93D. — Mystice, est figura Christi, 95D', et prælatorum, quorum est ex diversis ingeniis unam compingere societatem, 95B'.

BLASPHEMUS quidam, de tribu Dan, jussu Dei lapidatur, 290B', 291A. — Exinde lapidatio blasphemiæ pœna statuta est, 291C. — Mystice, blasphemus iste typus fuit hæreticorum, 292B.

BOETIUS (B), philosophus, 654C (Migne *Patrol. lat.* tom. 63-64).

BOS, fuit de immolaticiis animalibus, propter multiplices ejus qualitates, 142C, ad confutandam gentilium idololatriam, 142D', et quia Christi figura erat, 143B. — Ad quædam sacrificia præscribitur, 193A, 359A', 362D. — Bos cornupeta hominem interficiens, lapidibus obrutus projiciebatur, 17C; alium bovem occidens, vendebatur, 18A. Quid de hero ejus, 17C, 18A. — Bovis triturantis os alligari lex prohibebat, 627D'; quare, 714B'. — Bovis primogenitum subjungere non licebat, 576B'; nec redimere, 418A'. — Pro bove furto abacto, quinque reddendi, 20D; quare, 20D'. — Quinque bovis utilitates, 21C. — Spiritualiter, quid significet, 26D, 144B, 146A, 577C'.

BUBALUS, mundum animal, quid ad litteram, et mystice, 572C'.

BUBO, avis immunda, quid sit, 208B. — Moraliter, luxuriosos denotat, 214D, 713C'.

BYSSUS, seu linum candidum, 45A', adhibetur ad facienda tabernaculi vela, 65C', 66A, et indumenta sacerdotalia, 70A, 71B, etc. — Mystice, quid significet, 52D, 61D, 62D, 707A'.

C

CAATHITÆ. *Vide* Levitæ.

CADES, xxxii[a] statio Hebræorum, 428C, 501C, quid mystice, 505B'. — Ibi mortua est Maria, 428A', et jurgatus est populus, 428C'. — Octo peccata populi in Cades, 529D.

CÆCUS. Offendiculum cæco ponere cur vetitum, 257B, et quid moraliter significet, 636C'.

CÆRIMONIALIA. *Vide* Præcepta.

CALAMUS, in unctionis oleo adhibitus, quid, 90C.

CALEB, unus exploratorum, ceteris obsistens, 396D, lapidibus impetitur, 397A. — Solus ex sua generatione in Terram promissionis admittitur, 398C'.

CALENDÆ. *Vide* Neomenia.

CAMELOPARDALIS, mundum animal, quid sit ad litteram, et mystice, 573B.

CAMELUS, inter immunda reputatur, quare, 205B, 206B. — Mystice quid, 215B'.

CANDELABRUM, an totum ex auro, 49D', 361D. — Cujus formæ, 50D, et quanti ponderis, 51A'. — In Sancto positum erat, 66A', 289D, ad austrum, 361A, quare, 361B',

Digitized by Google

705D; et in eo ardebant jugiter tres lucernæ de die, 66D, 289C', et septem de nocte, 66C, 88C. — Quid nos doceat, 54D', 55C', 63B', 68B', 705D.

CANIS. Pretium canis in domo Domini offerre non licebat, 612C'; et primogenitus canis occidebatur, 576B'. — Per canes intelligunt Judæi incircumcisos et gentiles, 26C'.

CAPRA, fuit de immolaticiis animalibus; quare, 142C. Ad quædam sacrificia præscribitur, 161C', 167C, 402C'. Capræ nomine in holocaustis intelligitur hœdus, 141A. — Moraliter, sensualitatem designat, 156D'. — Ex caprarum pilis confecta leguntur tabernaculi saga, 57A; quibus vitæ asperitas designatur, 52D.

CAPTIVITAS. Babylonicæ et Romanæ captivitatis quæ fuerit causa, 104B'.

CARBUNCULUS, ornamentum rationalis, quid sit et quid significet, 79B.

CARO a bestia prægustata, a Judæis non comedebatur, quare, 26A'. Eam tamen gentilibus vendere licebat, 26C'. — Ex ea manducans immundus erat usque ad vesperam, 251A'. — Etiam primis Christianis vetita fuisse videtur, 251C'. — Mystice quid, 252A'.

CASIA, arbor aromatica, ad oleum unctionis conficiendum adhibebatur, 90C.

CASTITAS summopere Deo placet, 143C, et Christianos decet, 615A', maxime vero religiosos, 615B', et mulieres, 629C. — Nonnulla de castitate præcepta Hebræis data, 8B, 253C', 254A, 259D, 263D, 612C', 705D'.

CASTRA Hebræorum triplicia numerantur, 344B; et ex eis ejiciendi erant aliqui, 344A. — Mirabilis eorum ordo describitur, 462A'. — Tentoria Israel, mystice quid, 470A.

CAUDA quarumdam hostiarum Domino cedebat, 83A, 154D; quare, 156B'. — Animal cauda carens, quando Deo offerri potuerit, 280C.

CAUSA. Liber de Causis, a Judæo conscriptus, allegatur, 583C'.

CEELATHA, XIX^{a} Hebræorum mansio, quid significet, 504D'.

CENSUS. In numeratione populi Israel, census quidam exigebatur, 88D'. Fuit in usum tabernaculi, 89D. — Quid mystice, 93A.

CERVUS, mundum animal. Ejus indoles, et mystica significatio, 572B'.

CHAMÆLEON, animal immundum, quid sit, 210B. — Aere pascitur, 210D.

CHANANÆI multi valde erant, 551A, et proceræ staturæ, 395B', 529B, 536D'. — Duplici de causa deleti sunt, 557C. Cur paulatim, 37D'. — Quælibet cum eis consuetudo prohibetur, 38C, 119B, 551C. — Spiritualiter, quid per Chananæorum gentes designetur, 442D', 553C'.

CHARADRION, avis immunda, quæ, 208C'. — Loquacium figuram sustinet, 214A', 714A.

CHERUBIM arcæ, cujus figuræ, 48C. — Quomodo super arcam dispositi, 47B', 705A, et quorsum versi, 241D. — Cur in Sancto sanctorum positi, 62B'. — Mystice, duo Testamenta significant, 54B, et electos in cœlo, 53D', 62C', 705B.

CHOEROGRYLLUS, quid sit, 206C. — Inter immunda recensetur; quare, 205B.

CHRISTUS est tanquam angelus a Patre ante populum christianum missus, 38A'. Quænam bona sequentibus eum repromittantur, 38A'. — Ipsi fuit senectus mentis immensa, 687B. — Ejus calceamenta, quæ, 687A. — Multipliciter in Scripturis præfiguratur : 1° Per sacrificiorum hostias, 145B, 710C, B', vitulum, 144B, 249C, agnum, 145A', 249C, hircum, 145A', 248B', columbam et turturem, 145B', etc. — 2° Per arcam fœderis, 52D', et ejus ornamenta, propitiatorium, 53B', mensam propositionis, 54C, candelabrum, 54D', etc. — 3° Per virgam Aaron : in resurrectione refloruit, 414C'. — 4° Per V. T. pontificem : solus in Sancta sanctorum penetrare valuit, 277B'. — 5° Per vaccam rufam : ejus passio alios ad purificationem, alios ad majorem inquinationem perduxit, 427A. — 6° Per rhinocerotem : a Virgine quasi cicuratus fuit, 458D', 470B'. — 7° Per stellam Jacob et virgam Israel : quo sensu filios Seth vastaturus dicatur, 466B', et universo orbi dominaturus, 467A. — 8° Per duodecim tribus. *Vide* Aser, Benjamin...

CHRYSOLITHUS, rationalis ornamentum. Ejus variæ utilitates, 79C'. — Moraliter, justitiam designat, 79C'.

CIBUS, quo sensu mundus vel immundus dicatur, 204B, C'. — Recte imposita est Judæis ciborum distinctio, 203D. — Cibi nonnulli eis interdicti sunt, tum propter naturales causas, 204C, 712C', tum in idololatriæ detestationem, 204B', 713B, tum ob figurativam significationem, 204A, 713D. — Cibus, aliunde mundus, aqua immunda superfusa polluebatur, 210C'. — Ciborum primitiæ solvebantur, 402A, et mystice etiamnum offerri debent, 404B'.

Digitized by Google

CIDARIS, seu tiara pontificis, describitur, 75 C'. — A tiara sacerdotum distincta erat, 75 C'. — Spiritualiter, cœlum empyreum figurabat, 77 B, et rationis rectitudinem, 77 C, 191 B'.

CINÆUS, quid sit, 467 D'. — Contra eum vaticinatur Balaam, 467 D'. — Mystice, potentes sæculi signat, 470 D'.

CINIS. Sacrificiorum cineres, ex altari rite extracti, 172 D, extra castra vel urbem efferebantur, 172 B'; quare, 176 B'.

CINNAMOMUM in unctionis oleo adhibitum, quid sit, 90 B.

CIRCUMCISIO. Quæ ejus ratio litteralis, 708 A, et figuralis, 708 C.

CISTERNA, morticinorum contactu non polluebatur, 211 A. — Cisternam non operiens, ad resarcienda damna tenebatur, 17 C'.

COCCUS bis tinctus, vel vermiculus, quid ad litteram, 45 D, 122 D, et mystice, 52 C, 61 C', 62 D. — Adhibebatur ad conficienda tentoria tabernaculi, 65 C', et ornamenta pontificis, 70 A, 71 B. — Usurpabatur etiam in mundatione leprosi, 226 B'; quare, 227 C, C'; et in sacrificio vaccæ rufæ; cur, 423 D, 426 C'.

COELUM et Cœlum cœli, quid, 561 A'. — Improprie elementum vocatur, 652 A', et incorruptibile est, 652 B'. — Quo sensu testificari aut obstupescere dicatur, 652 B. — In Scripturis, modo pro angelis sumitur, 651 B', modo pro cœlestibus corporibus, 652 A. — Optimus est Dei thesaurus, 637 C'. — Mystice quid, 667 C. — Cœli militia, et angelos et astra designat, 583 B.

COLLECTÆ pecuniæ in usum templi fiebant in Jerusalem, 7ª die Paschæ, 579 A', et 8ª die Tabernaculorum, 285 C', 286 C, 287 C'; et per totam Judæam, primo die xɪɪ mensis, 285 D'.

COLLYRIDÆ, quid sint ad litteram, 178 C, et mystice, 183 A'.

COLUMBA, in sacrificium offerebatur, 143 B; ipsa et pulli ejus, 143 D'; sed tantum pro peccato, 702 D'. — Columbæ offerendæ ritus, 141 C'. — Spiritualiter, Christi figura est, 145 B', et castitatem conjugalem significat, 143 C.

COLUMNA nubis et ignis deducens Israel per desertum, utrum simplex an duplex, 530 B. Spiritus Sancti gratiam præsignabat, 533 B. — Columnæ tabernaculi, quid ad litteram, 59 A', et mystice, 63 C. — Columnæ atrii quatuor, 65 C', moraliter devotos sæculares designant, 68 A'.

COMA. Crines, in signum luctus, antiqui evellebant, 198 A', vel e contrario ultra modum crescere sinebant, 198 C'; quæ omnia sacerdotibus prohibebantur, 198 B'. — Sacerdotum coma, nec penitus radenda, nec integre servanda fuit, 273 A'. — Judæis comam in rotundum attundere nefas; quare, 262 C'. — Coma prolixa, Nazaræorum insigne; cur, 351 D'. — Mystice, quid sit coma, 355 B', et caput nudare, 202 D.

COMMIXTIO quælibet innaturalis prohibebatur, tam in jumentis, 259 B, C', quam in seminibus, 259 A', et in vestimentis, 259 B', 260 A.

CONCILIUM generale a Moyse invenimus convocatum; et valde expediret id frequentius convocari, 406 D.

CONCUPISCENTIA rei malæ, quatenus in lege prohibita, 6 B. — Concupiscentia expletione augetur, 378 C. — Concupiscentiæ sepulcra, xɪɪɪª Hebræorum mansio, unde dicta, 384 C', 501 B, et quid tropologice significet, 504 D.

CONFESSIO. Ejus necessitas, 233 A, efficacia, 233 B, et utilitas, 349 D. — Confessarius quomodo pœnitentes tractare debeat, 233 C. — De mystico pœnitentis sacrificio, 234 A.

CONSECRATIO. *Vide* Votum.

CONTEMPLATIO altissima in hoc mundo, quæ sit, 10 A'. — In vita contemplativa non est amplius sapientia naturalis, 18 C'. — Contemplatio per virtutum exercitium acquisita, 307 C, majores vires ad eas exercendas subministrat, 307 C. — Ad contemplationem minus aptus est homo in juventute quam in senectute, 363 D'.

Anima contemplativa, quomodo de activa vita educatur, 18 D. — Ad contemplationem tendens, debet a cunctis separari, 120 D', corpus suum Deo immolare, 145 D', et pœnitentiæ exercitiis insudare, 686 B'. — Anima contemplativa, per omnimodam a creatis segregationem, in caliginem Dei introducitur, 10 A', ubi Deo incomprehensibili unita, 10 C', in ipsum, exuto esse creato, transformatur, 10 D'.

CONTENTIO. Contentiosi de facili peccant graviter, 19 B', et spiritualia damna semper resarcire tenentur, 19 D'.

COPULA conjugalis raro fit sine culpa, 216 D', 235 C'. An cum menstruata sit licita, 237 C, C'. — Sub lege, conjugatos per unum diem polluebat, 235 C', et per septem, tempore menstrui, 236 B. — Coire scienter cum menstruata, sorore, amita, fratria, crimen capi-

Digitized by Google

tale erat, 271 D. Item omnis innaturalis copula, 24 A', 254 A, 271 C.

CORE, Moysis consobrinus, 407 A, dives et facundus, 407 D, ex invidia in Moysen insurrexit, 406 D', 407 B, quem etiam apud populum criminatus est, 407 D, 409 A. — Utrum terra absorptus, 409 B', an igne consumptus, 410 B. — Filii ejus mirabiliter e patris clade erepti, 477 A, psalmos fecerunt, 477 C, D. — Moraliter, ambitiosos significat, 411 C.

CORNU, in Scripturis, quid significet, 67 B. — Altaris cornua, cujus figuræ, 63 D', et significationis, 67 C. — Moysis facies, quomodo cornuta facta sit, 120 A, et quamdiu, 120 B'.

CORONA interrasilis in mensa propositionis, et corona aureola, quomodo dispositæ et quid significent, 48 B', 53 A', 54 A', 61 C'.

CORPUS. Ejus formatio Deo recte tribuitur, 656 A. — Sicut vitulus in holocaustum Deo offerri debet, 146 A. *Cf.* Incisio.

CORTINÆ tabernaculi, cujus materiæ et figuræ, 56 B, et quomodo ad invicem connectæ, 56 D, 61 A'. — Quid mystice, 61 D, 63 A.

CORUS mensura, quanta, 384 C.

CORVUS, avis immunda, describitur, 207 D. — Moraliter, voluptuosos exprimit, 214 B, 713 B'.

COTURNIX, quid sit, 384 A'. — Denuo Hebræis mirabiliter datur, 384 B.

CRABRO, qui Chananæos fugavit, quid, 37 C', 553 B.

CRATICULA altaris holocaustorum, quid, 64 C, et ubi posita, 64 A'. — Tropologice, patientiam figurat, 67 C'.

CREATURA. A magnitudine creaturæ innotescit Creator, 693 A; ideo inexcusabiles sunt philosophi qui, Deo relicto, idola coluerunt, 693 D. — Creatura rationalis ad æternam beatitudinem creata, 691 B, accipere debuit cum naturali inclinatione ad finem, 691 B', mediorum notitiam quibus ad eum perveniret, 691 C'; et hæc est lex naturalis, 692 A. — Insuper, quum ad supernaturalem finem creata sit, 694 D, supernaturali lege dotari debuit, 694 D; et hæc est lex divina, 694 A'. — Demum, quum a malo retrahi et ad bonum attrahi indigeat, 695 A, necessaria etiam ei fuit lex humana, 695 A.

CROCODILUS, animal immundum, describitur, 210 A.

CUBITUS mensura, quanta, 509 C, D.

CULTUS exterior necessario interiorem comitatur, 703 C, et ad illum ordinatur, 700 B, et cum illo variatur, 700 C.

CYATHUS, quid ad litteram, 49 A', 338 A', et mystice, 54 C'.

CYCNUS, avis immunda, describitur, 208 D. — Moraliter, hypocritas exprimit, 214 D, 713 C'.

D

DÆMONES multimodis futura prænuntiant, 261 D. — Sunt magorum magistri, 445 C'; et ope eorum fit divinatio, 261 C. — Paganis in forma hircorum apparebant, 246 C', 701 C'. — In desertis libenter habitant, 246 B', 247 B. — Illos Deus ad tempus huic sæculo dominari sinit, 447 C'. — Dæmoniis immolare, quid sit, 250 B'.

DAMNUM, quomodo in variis casibus resarciendum : pro agrorum depopulatione, 22 A'; pro incendio, 22 C'; pro deperdito deposito, 22 D'; pro commissæ pecudis amissione, 23 C; pro commodati jumenti exstinctione, 23 C'; pro virginis seductione, 24 B, 607 A'; pro alieni jumenti occisione, 291 B'; pro vulneratione proximi, 291 B.

DAN tribus, unica constitit familia, 326 B'. — Ad aquilonem tabernaculi manebat cum duabus tribubus, 330 B', quibus præerat, 331 C'. — In vexillo ejus fuit figura aquilæ, 331 C. — A Moyse quomodo benedicatur, 679 D'. — Allegorice, per Dan exprimitur Christus judex, 686 D.

DAPHCA, IXᵃ Hebræorum mansio, 501 A, quid spiritualiter significet, 504 A.

DATHAN, frater Abiron, cum fratre rebellavit et occubuit. *Vide* Abiron.

DEBITA. Septimo quoque anno exstinguebantur, juxta quosdam, 574 D; differebatur tantum solutio, juxta alios, 575 B; utra verior sententia, 575 A'. — Quænam hujus legis ratio, 574 C'. — Saltem in anno jubilæi remittebantur, 575 B. — Sed hæc, quoad Judæos tantum, 574 D.

DECALOGUS. Præcepta ejus varie distinguuntur et numerantur, 1 C. — Primum mandatum, quando datum, 1 A; quod sit, 2 C, 9 A; et quæ ei fuerint addita, 699 A'. — Secundum, quid prohibeat, 4 A, 9 D', et quæ complementa acceperit, 699 B'. — Tertium, quæ præcipiat, 4 C, 10 B; ad illud omnia præcepta cærimonialia referuntur, 699 B'. — Quartum, quod sit, 4 D', 10 D; illi adjunctum est quidquid ad reverentiam senum et aliorum spectat, 699 C'. — Quintum, quæ contineat, 5 D, et quæ ei addita, 699 C'. — Sextum, quantum pateat,

Digitized by Google

5B'; illi nonnulla accesserunt, 699C'. — Septimum, quæ comprehendat, 5B', et quæ augmenta obtinuerit, 699D'. — Octavum varia prohibet, 5C', et aliqua incrementa suscepit, 699D'. — Nonum et decimum, quæ, 5C'; et quomodo ab invicem distinguantur, 6A. Eis nihil additum est, 699D'. — Hæc omnia ad legem naturalem pertinent, 692D'. — Decalogus, cur tam terribiliter promulgatus, 6A', et toties populo memoratus, 266D'.

DECIMÆ. Lex de solvendis decimis fuit naturalis, quoad obligationem, 317A, 420A', judicialis, quoad determinationem, 317A, 420B', cærimonialis, quoad significationem, 317C. — Ante Moysen quodam modo viguit, 317B'; et in N. T. a Christo servata est, quoad obligationem, 420C', et ab Ecclesia, quoad determinationem, 420B'. — Decimæ sine mora reddendæ erant, 26A. — De armentis, decimum quodque caput, absque delectu, assumebatur, 316B', nec redimi nec mutari poterat, 316C'; de fructibus vero, optima eligi debebant, 418B', sed redimi poterant, 316A'. — Levitis, sortis vice, tribuebantur, 418D, sicut in N. L. sacerdotibus, 419C'; sed de his decimam pontifici tradere tenebantur, 418A'. An adhuc decimarum decima Papæ solvenda sit, 421B. — Præterea, quotannis fiebat secunda decima, quam in solennitatibus afferebant in sanctam civitatem ad epulandum, 568A; et tertio quoque anno, tertia separabatur decima in usum pauperum, 573C', 631C, D'.

DELIBERATIO. Sapiens Judæorum et Parisiensium mos in deliberationibus, 29B.

DEPOSITUM in quo differat a mutuo, 24A, 717D. — Lex depositi, 22D', 717D.

DETRACTIO, quid sit, 397B. — Est grande peccatum, 392B, in anima maculam imprimens, 392C, et ab ea Spiritum Dei repellens, 392B'; et gladius bis acutus, quo detractor et auditor perimuntur, 512D'.

DEUS, essentialiter unus, 547B, quomodo incomprehensibilis dicatur, 114A, et invisibilis, 114B'. — Quomodo perspici possit in cœlis, 114C, et in terra, 114D. Eum in hac vita non nisi procul adoramus, 43C; sed tanto jucundius in patria eo fruemur, quanto ardentius eum desideraverimus, 694A. — Quo sensu dicatur : Dominus, dominator, Deus, misericors, clemens, verus, 118A, æmulator, 2D', 119B, 268D, ignis consumens, 543B, visitans patrum iniquitates in filios, 3B, 118D, fidelis, 654C', justus, 654D'; et quænam justitia ei competat, 655A. Justis quodammodo debitor est, 655B. — Quo sensu in ministris suis sanctificetur, 197A', 202A; et a nobis magnificetur, 653B'. — Quid sint Dei pedes, 675B; Dei caligo, 10A. — In Hebræo aliud habet nomen, omnibus diis commune, aliud sibi proprium, 446D'. Hoc nomen, cur dictum ineffabile, 73D'. Sacerdotibus tantum illud proferre licebat, 4B. — Dei opera, quomodo perfecta dicantur, 653C'. Ejus perfectiones sæpe nominantur viæ, 654B, judicia, 654D, et misericordiæ, 654B'. — Dei prænuntiatio duplex, una immutabilis, altera mutabilis, 457B'; ideo de earum effectu conditionaliter dubitare, non est illicitum, 430D'. — Ejus ordinationi nemo resistere potest, 456C. — Absque præviis meritis, misericordiam impertitur et salutem, 113B'. — Sic dona sua præordinat, ut per Sanctorum orationes impetrentur, 194D; et sæpe cupit rogari ac placari, 98B'. — Præceptum diligendi Deum mensuram non admittit, 547B'. Tripliciter intelligi et impleri potest, 547C'. Finis est omnium præceptorum, 548A'. — Deus a nobis sanctitatem requirit, 212B, 663B, et in suo servitio zelum, 9B, atque lætitiam, 639B. — Deum odisse, an sit possibile, 545B'. Deo maledicere, quantum peccatum, 291D. — Quomodo in Sinai Deus apparuerit senioribus, 41B, populo, 41A', et Moysi, 115C. An Hebræis ab eo duci expediens fuerit, 109C.

« Dii » gentilium, dii alieni vocantur, 2D. — Dii etiam sacerdotes et judices dicuntur; quare, 12D'. — Sic dici possunt Sancti et angeli, 25D'. — Diis detrahere non licet, 25B'.

DEUTERONOMIUM. Liber iste, qui secunda lex dicitur, 643A, non continet nisi jam datam, quam triplici de causa repetit, 519. — Primo fuit populo explanatus; ubi, 521A, 522D, quando, 523A, et quomodo, 524C; deinde a Moyse conscriptus, 522B, cum quibusdam forsan additionibus Josue vel Esdræ, 522C. — Hujus exemplar, manu Moysis exaratum, in arca positum est, 47D, 650A', anno remissionis, in festo Tabernaculorum, publice legendum, 649C. — Ultimo Christi sermoni in Cœna comparatur, 531D.

DIBONGAD, XXXVIII[a] Hebræorum mansio, 501B', quid significet, 505D'.

Digitized by Google

DIONYSIUS (S.) Areopagita, « theologissimus », quid de contemplatione doceat, 10 A'. *Adde* 561 C', etc.

DIPSAS, serpentis genus, describitur, 555 B'. — Mystice quid, 556 D'.

DISCRETIO est auriga et ductrix virtutum, 152 B'.

DIVINI, unde vocati, 446 B, et quid sint, 590 D. — Omnis divinatio prohibetur, 590 C.

DOMUS. Tecta muro munienda erant, 603 B'. — De domorum venditione : Domus urbana per annum redimi poterat, 296 C; alioqui in perpetuum emptori cedebat, 296 C, 717 B. Domus rustica in jubilæo ad venditorem revertebatur, 296 D; quare, 296 D. Domus Levitarum semper redimi poterant et in jubilæo reddebantur, 296 C'. — De domorum consecratione : Domus Deo devota judicio sacerdotis venundabatur, 313 A; et a vovente redimi poterat, 313 B. — De domorum lepra, *vide* Lepra. — Per quamdam solennitatem initiabantur, 596 A, quam qui nondum fecerat, a bellando immunis erat, 595 C'. — Sæpe domus pro familia sumitur, 326 C. — Moraliter, quid sit domus urbana, 300 A'; rustica, 300 B'; Levitarum, 300 C'.

E

EBRIETAS est omnium vitiorum mater, 203 B, 107 C, animam et corpus pariter corrumpens, 203 C. — Triplici sensu in Scripturis sumitur, 645 D'.

ECCLESIA varie in Scripturis præfiguratur : 1° Per tabernaculum, 52 C', 332 C, et ejus supellectilem, 53 A, 55 C', 62 D', 248 B, etc. Ad instar triumphantis Ecclesiæ disponitur, 52 C'. Quæ sint ejus ornamenta, 363 D. Quadruplici protectione gaudet, 62 D'. Quid sit ejus oriens, meridies, occidens et aquilo, 332 A', et quomodo circa eam nos castrametari oporteat, 332 C'. — 2° Per castra Hebræorum : Ejus excellentia, 459 D', mira ordinatio, 470 B, et dignitas, 544 B'. Qui ab ea excludendi, 349 B. — 3° Per Terram promissionis, 298 D, etc. Quæ ejus divitiæ, 556 C, et ubertas, 565 B'. — 4° Per gentem Hebraicam : Accepit a Deo protectionem, 640 D', spiritualem fecunditatem, 641 A, et exemplarem conversationem, 641 A'. — 5° Per Æthiopissam, Moysis uxorem, 392 B. — Etc.

ELDAD et Medad, qui fuerint, 383 A'. — A Moyse inter seniores electi, in castris humiliter remanserunt, 383 B. — Prophetantes, cur a Josue prohibiti, 383 B', 384 A. — Humilitatem nos docent, 387 A.

ELEAZAR, filius Aaron, princeps generalis Levitarum, 335 C, Caathitis immediate præfuit, 339 B'. — Illius erat parare lucernarum oleum, 339 D', compositionis incensum, 340 A, juge sacrificium, 340 B, unctionis oleum, 340 C, et vasa cultus curare, 340 C. — Patrem suum in monte Hor sepelit, 434 B', et illi succedit, 434 A'.

ELIM, vi^a Hebræorum mansio, 500 C', quid mystice, 503 B'.

EPHI mensura, quanta, 167 C'.

EPHRAIM tribus, ad occidentem tabernaculi manebat, cum duabus tribubus, 330 B', quibus præerat, 331 C'. — In vexillo ejus fuit figura tauri, 331 C. — Communiter tribu Manasse numerosior fuit, 477 D'. — De ejus benedictione, *vide* Joseph.

EPISCOPUS Ostiensis, quo jure Papam consecret, 189 A.

ETHAM, III^a Hebræorum mansio, 500 D, quid moraliter designet, 503 B.

EUNUCHI, a civilitate Hebræorum in perpetuum arcebantur, 609 A; quare, 611 D. Tropologice, inveteratos in vitiis significant, 614 A'.

EXPIATIO. De festo Expiationis, *vide* Festivitates.

EXPLORATORES. Quo auctore in terram Chanaan missi, 393 C, quare, 393 C', 528 A', et unde, 528 D', 393 A. — Terræ detrahentes, 394 B', et populum deterrentes, 395 B, repente pereunt, 399 D. — An eorum filii postea hereditate sint privati, 399 D'. — Spiritualiter, quorumdam prædicatorum figuram exhibent, 395 B'.

F

FAMILIA et domus, modo pro eodem sumuntur, modo non, 326 C.

FEMINALIA sacerdotum, qualia, 75 D. — Terrenum elementum figurabant, 76 D', et castitatem exprimebant, 77 C, 176 A'.

FERMENTUM, in sacrificiis prohibebatur, 149 A'; an recte, 149 D'. — Primitiæ tamen fermenti solvebantur, 149 B'; quare, 153 A. — Super fermentum immolare, quid sit, 35 B. — Fermentum, quid mystice, 152 D.

FESTIVITATES Hebræorum, septem numerantur, 287 B, 706 C. Quarum prima, qualibet

Digitized by Google

hebdomada, in memoriam Creationis iterabatur, 287B, 706C. *Vide* Sabbatum. Secunda, in principio cujuslibet mensis, in honorem gubernationis Dei, 287B, 706C. *Vide* Neomenia. Quinque aliæ, semel in anno, in memoriam beneficiorum Dei, 287C, 706A'; quarum ratio figuralis traditur, 287C', 706D'. — A vespere usque ad vesperam celebrabantur, 285D. — In tribus principalioribus, ascendebant omnes masculi in Jerusalem, portantes secum primitias et decimas, ad epulandum, 568A, cum Levitis, 568B. — Decursu temporis aliæ introductæ sunt festivitates, 487C'.

Mense primo, die quarto decimo, solennitas erat Azymorum, seu Paschæ, 33D', in memoriam eductionis populi ex Ægypto, 282C, 287D, 706A'. — Septem diebus durabat, quibus azymis vescebantur, 33D', 578D', et varia fiebant sacrificia, 485B. — Primus dies et septimus sanctissimi erant et in requie celebrabantur, 282B'. — Secundo die offerebantur Domino primitiæ segetum, 283A; et septimo, fiebant collectæ, 579A'. — Conveniebant omnes masculi in Jerusalem, ad immolandum Phase, 579A. — Impeditis in primo mense concedebatur ut quarto decimo die secundi mensis, et forsan ceterorum deinceps, illud celebrare possent, 365D. — Quo die prima vice celebratum sit Pascha, 500A. — Mystice, quid significet, 366C.

Mense tertio, die septimo, solennitas erat Pentecostes, 283C', seu Primitivorum, 34C, 485A', sive Hebdomadarum, 485C', 579B', in memoriam legis datæ in Sinai, 287D. — Sanctissima erat et in requie celebrabatur, 284A'. — In illa offerebantur duo primitiarum panes, 283D', et solenne sacrificium, 284B. — Septem diebus durabat, ut Pascha, 284B. — Videntur fuisse duæ hujus nominis festivitates, una solennis, altera privata, in qua epulabantur Judæi, 579B', D'. — Mystice, descensum Spiritus Sancti præfigurabat, 34C', 288A.

Mense septimo, primo die, clangentibus tubis, 284C', solennitas erat Tubarum, in memoriam liberationis Isaac, 284B', 287B', 486C. — In requie celebrabatur, 284D', et varia offerebantur sacrificia, 486B. Allegorice, Apostolorum prædicationem præsignabat, 288A, 706D'.

Eodem mense, decimo die, in expiationem idololatriæ vituli aurei in deserto, 285A, solennitas erat Expiationis, 244B, seu sabbatum requietionis, 244D, sive dies propitiationis, 244D', 245D. — In jejunio et requie celebrabatur, 244B, 285A, 486C'. — Illo die, post solenne sacrificium, 238D, inter duos hircos sors mittebatur, quorum uno pro peccato immolato, 240D, alter, populi iniquitatibus onustus, in desertum pellebatur, 240A', 246B'. — Hoc dumtaxat die in anno, pontifex Sanctum sanctorum intrabat, 240D', et sanguine hirci expiabat Sanctuarium, 241C', Sanctum et altare thymiamatis, 242D. — Quid spiritualiter significaverit, 288A, 706D'.

Eodem mense, quinto decimo die, in memoriam peregrinationis in deserto, solennitas erat Tabernaculorum vel Scenopegiæ, 34D, 285A'. — Septem diebus sub arborum frondibus agebatur, 286B', quorum primus sanctissimus, in requie celebrabatur, 285B', 286C'. — Quotidie offerebantur varia sacrificia, 487B', quæ simul LXX vitulos complectebantur; quare, 487D. — A primo die solvebantur primitiæ, 286B', solenni ritu, 630C, 633B; et in annis remissionis, quotidie palam legebatur populo Deuteronomium, 649C. — Octavus dies, celeberrimus, vocabatur Cœtus, vel quia tunc fiebant collectæ in usum templi, 285C', 288B', 487B', vel quia tunc adunabatur populus, 286A; et in eo peculiare sacrificium offerebatur, 487B'. — Figurative, quid portenderit, 34C', 286A, 288A, 706D'; et quomodo a nobis celebrandum sit, 288C', 488B.

In afflictione et humilitate festa hujus sæculi celebranda sunt, 488C, ut gloriose deinceps agantur in patria, 488B'.

FILIUS. Bonos filios merito longævitas manet, 5A, licet non semper, 5C. — Filio rebelli lapidationis pœna indicitur, 600C. — Licet, ex occulta Dei justitia, sæpe ob antecessorum delicta puniantur filii, 623B', judex tamen filium innocentem pro reo patre occidere nequit, 623D, 624A. — Licite ex permissu Dei, Hebræi Chananæorum infantulos interficiunt, 624B. — Quomodo pro patrum culpis puniantur filii, 3B, B', 398A, et cur usque ad tertiam et quartam generationem, 3C', 624A'.

Filiæ in concubinas an potuerint vendi, 13C. — Sæpe ad probationem vendebantur, 13A'; quomodo tunc tractandæ fuerint, 13B'. — Filiæ sacerdotis quandonam de oblatis

Digitized by Google

comedere licuerit, 279 C. Ob fornicationem igni tradebatur, 274 A. — Filiæ generatio multo diuturnior et operosior est generatione filii, 216 B'. — *Cf.* Virgo.

FIMBRIA, quid sit, 403 A'. — Jubentur Hebræi sibi in palliorum angulis fimbrias ponere, 403 A', non tantum in mandatorum recordationem, sed etiam ad Judæorum distinctionem, 403 D', 405 B'. — Illas Scribæ et Pharisæi quammaximas gestabant, 605 A'.

FORCIPES, quid ad litteram, 64 A, 338 C', et mystice, 67 A'.

FORNICATIO cum ancilla, quibus pœnis plectatur, 260 C. — Item, fornicatio filiæ sacerdotis, 274 A.

FRATRES a nobis diligendi, 258 C, qui sint, 258 C. — Fraterna correctio commendatur, 266 B. Quandonam et qualiter urgeat, 258 D, et quodnam peccatum sit illam omittere, 270 A'.

FUNUS. In funeribus suorum solebant ethnici crines evellere, 198 A', et corpus incidere, 263 A, 572 B; quæ omnia Hebræis prohibebantur, 263 A, 572 B. — Judæi in suorum exsequiis maximas expensas faciebant, 631 C'.— A funeribus excludebantur Nazaræi, 352 B, sacerdotes, 273 A, 715 A, et pontifex, 274 B. — Papa nullis exsequiis adesse dicitur, 275 D'.

FURTUM. Quid in lege statutum de furto hominis, 14 B', 622 B, bovis et ovis, 20 D, 22 C; de defraudatione in Deo debitis, 168 D, et quoad bona proximi, 169 D, 344 A'. — Varia furtorum genera et coercitiones, 344 D'. — Cur tanta in furtorum pœnis inæqualitas, 717 D', 718 C. — Fur, quandonam licite occidi potuerit, 21 A'. — Furem nocturnum occidens, an ab homicidii reatu excusandus, 22 A. — Furis sponte se accusantis pœna, 344 A'. — Furem spiritualem, id est erroris doctorem, quando excommunicare liceat, 27 B.

FUSCINULA, quid ad litteram, 64 B, 339 C, et mystice, 67 A'.

G

GAD. Filiis Gad pars terræ Galaad traditur, 496 B, 497 C'. Moraliter, ambitiosos principes exprimunt, 498 A', licet in bono accipi possint, 499 A. — Tribus Gad a Moyse benedicitur : Fuit potens in bello, 679 A', et in ea sepultus est Moyses, 679 B'. Allegorice, Christum regem gentium designat, 686 A.

GADGAD, XXIX^a Hebræorum mansio, quid significet, 505 D.

GALAAD diversimode accipitur, 498 D. — Terra Galaad regna Og et Sehon continebat, 498 C. — Tradita est filiis Gad et Ruben, 497 C', necnon et quibusdam filiis Manassæ, 498 A.

GALBANUM, in thymiamatis compositione adhibitum, quid sit, 91 D.

GEMMA. Duodecim gemmæ in rationali inseri jubentur, 71 C, duodecim tribuum nominibus exaratæ, 71 A'; quare, 72 B. — Earum virtutes et significationes describuntur, 78 D. — Unde illis tantæ vires, 79 D'. — Quid allegorice, 77 A, D', 95 C'.

GENERATIO bonorum et malorum, quomodo constituatur et intelligatur, 105 C. — Cur usque in tertiam et quartam generationem Dei ultio se extendat, 3 C, 624 A'.

GENTES, jam ante dispersionem, LXXII exstabant, 656 D'. — In Babel unicuique lingua data est, 656 C', et sic facta est divisio, 657 A. — Tot constitutæ feruntur quot filii Jacob in Ægyptum descenderunt, 657 B, et unicuique angelica custodia deputatur, 657 C'. — Eis legem Deus non revelavit, 645 B, A'; verumtamen ad idololatriam eas non prædestinavit, 644 D'. — Novos deos de facili instituebant, 660 D, quorum cultum Deo acceptum putabant, 454 A', et quos cum Deo colebant, 7 C.

GERSONITÆ. *Vide* Levitæ.

GILBERTUS (Porretanus), episcopus Pictaviensis, 528 B', 534 C.

GRATIÆ gratis datæ non sunt multum appetendæ, 453 A'.

GRYPHUS, avis immunda, describitur, 207 B. — Tropologice, crudelitatem signat, 214 B, 713 A'.

GUILLELMUS, Antisiodorensis episcopus, 30 C'.

GUILLELMUS Parisiensis episcopus, vel simpliciter Guillelmus, 141 B', 603 A, 604 C', etc. Sæpe allegatur liber ejus de Fide et legibus, 140 D, 142 C, etc.

H

HALIÆETUS, avis immunda, quid sit ad litteram, 207 C, et mystice, 214 B, 713 A'.

HASEROTH, XIV^a Hebræorum statio, ubi, 393 A, 501 B. — Quid spiritualiter exprimat, 504 A'.

HAYMO, Halberstatensis episcopus, 651 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 116, col. 185.)

HEBRÆI. Ad duritiam cordis eis concessum est concubinas alere, 13 C, repudii libellum

Digitized by Google

dare, 13D, et usuras exigere, 13D, 575D', non tamen a fratribus, 297A. — Paupertate cogente, filios aut filias aut seipsos vendere poterant, 14A; sed in servitutem redacti, non erant tractandi servili modo, 297D, C'. In septimo anno libertati reddebantur, 12A, et semper redimi poterant, 298A. — Ter quotannis omnes masculi coram Domino apparere tenebantur, 34D', portantes secundas decimas, 568A; sed cum remotis dispensabatur ut in Pascha tantum quotannis, vel etiam tertio quoque anno, venirent, 580C. — Peregrinantes orabant versus templum, 422D', vel Occidentem, quare, 704C'. — Optima fuit apud ipsos politici regiminis ratio, 675A', 715C, et proprietatis, 478D', 716C'. — Ad Hebræorum civilitatem nunquam admittebantur eunuchi, 609A, Ammonitæ et Moabitæ, 609B'; nonnisi post tertiam generationem Ægyptii et Idumæi, 610D, et post decimam, manzeres, 609C. Verumtamen a lege ista aliquando derogatum fuisse videtur, 611B, et viros tantum respiciebat, 611B. — A cultus participatione nemo excludebatur, 610D'. — Synopsis Hebræorum legum circa extraneos, 610B', 719A, et domesticos, 719C'.

Propter vituli adorationem in deserto, 96C, ad numerum xx millium occiduntur, 102C'. — Castra eorum describuntur, 331A'. — Quanto tempore in Sinai manserint, 368D', et unde ibi vinum ad bibendum habuerint, 643B'. — Quum certo pecora haberent, cur denuo carnes efflagitaverint, 374B'. — Coturnices iterum accipiunt, 384B; sed propter gulam interficiuntur, 384B'. — Decies in Deum peccaverunt in deserto, 398D, et octies in Cades, 529D. — Ob murmurationes omnes adulti ab ingressu Terræ promissæ frustrantur, 398C', et per xl annos in deserto vagari condemnantur, 399A. — Murmurantes a serpentibus perimuntur, 437C. — A filiabus Moab seducti, 471B, ad numerum xxiv millium trucidantur, 473B. — Series mansionum eorum in solitudine, 499C, cum mystica earum expositione, 502C. — Quot annis in deserto manserint, 523C'. Per hoc tempus eorum vestimenta servata sunt, 554B'. An tunc idola coluerint, 658C'. — Quo sensu duræ cervicis dicantur, 557A'. — Populus Dei peculiaris fuerunt, 455A', 658A. Eorum gens commendatur, 540A, 543B'. — Moraliter, Hebræi in deserto figura sunt claustralium, 555D'; et ex eorum historia salvandorum paucitas evincitur, 479D'.

HEBRON urbs, quæ, 394C. — Fuit urbe Tani antiquior, 394D. — Ibi erant gigantes, 394C.

HEBRONA, xxx[a] Hebræorum statio, quid significet, 505A'.

HELMONDEBLATHAIM, xxix[a] Hebræorum mansio, quomodo interpretetur, 506A.

HEREDITAS, apud Hebræos, filio devolvebatur; eo deficiente, filiæ; et, utroque absente, propinquioribus, 478B, 480C. — Lex ista in consuetudinem gentium omnium transiit, 480D'.

HERMES, 555D, qui et Trismegistus dicitur, statuas deorum animatas credidit, 2C'.

HERODION, avis immunda, quæ, 208B'. — Moraliter, crudeles figurat, 214A', 714A.

HERUS, ad quid erga famulas adstrictus fuerit, 13C. — Interficiens servum suum, reus erat homicidii, 15C'; vulnerans tantum, vel usque ad mortem, absolvebatur, 15C'. — Servorum oculum aut dentem eruens, dominium in eos amittebat, 17A. — Quid de hero bovis cornupetæ, 17C, 18A.

HESMONA, xxvi[a] Hebræorum mansio, quid sonet, 505C.

HESYCHIUS, vel, ut alibi dicitur, Esitius, 137D', Jerosolymorum presbyter, 151D', 152C, 158A, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 93, col. 787.)

HIN mensura, quanta, 85C, 283A'.

HIRCUS, fuit de immolaticiis animalibus; quare, 143A. Ad varia sacrificia, sed semper pro peccato, præscribitur, 161C, 193A, 240A, etc. — De hirco emissario : Cur de hircis electus, 246C'; cur dictus emissarius, 243A. In die Expiationis, sorte designabatur, 240D. Illi a pontifice peccata populi imponebantur, quo ritu, 242C', 246C, 247A; et in desertum emittebatur, 240A', quare, 246B', 247B, 249A'. Quo sensu portaverit peccata populi, 240A', 246D'. An oblatus diabolo, 242B'. — Sæpe in forma hircorum dæmones gentilibus apparebant, 143A, 246C', 701C'. — Allegorice, hircus, præcipue emissarius, figura Christi, 143B, 145A', 248B', etc.

HOBAB, quis fuerit, 369B. — Non fuit Jethro, 369D. — Cur tantopere ejus ducatum Moyses exquisierit, 369D. — An Moysen secutus sit, 369D'.

HOEDUS, cur non coquendus in lacte matris, 35A', 573D, 714C. — Quomodo præceptum istud intelligendum sit, 35D'; et quid mystice significet, 35B'.

Digitized by Google

HOLOCAUSTUM. *Vide* Altare *et* Sacrificium.
HOMICIDIUM. Homicida voluntarius, duorum testimonio convictus, 511 C, pretio non poterat redimi, 511 B', nec illum tuebantur urbes refugii, 510 D, vel altaria Domini, 14 A', sed semper occidebatur, 14 B, 291 A', 594 A. — Casu homicida interfici privata auctoritate non poterat, 509 D'; sed præstitutæ fuerant urbes refugii, 509 B', in quibus usque ad mortem pontificis manere debebat, 510 D', 511 B'; extra quas repertus legitime occidi poterat, 511 A. — Homicidium occultum, quo ritu expiandum, 598 B, 599 B. — Homicidii spiritualis varia genera, 512 C', 594 D'.
HOMO, nunc in bono, nunc in malo sumitur, 157 C'. — Hominis beatitudo, in quo consistat et quomodo attingatur, 692 B'. — Homo virtuosus, animalium optimum; injustus vero, omnium pessimum, 695 B.
HON, de tribu Ruben, Core in rebellione secutus, 406 C, 407 A. — Quid de eo evenerit, 410 C.
HOR, xxxiii[a] Hebræorum mansio, 501 D. — Ibi mortuus et sepultus est Aaron, 434 A'. — Quid mystice significet, 505 C'.
HOSTIA, unde sic vocetur, 82 A'. — De quadrupedibus, tres tantum in hostiam assumebantur, bos, ovis et capra; quare, 142 C, D', 143 D, 701 C'; de avibus, similiter tres, turtur, columba, 143 B, et passer, 143 D; de piscibus nullus, quare, 143 B', 702 A. — Absque macula esse debebat, 280 A, 582 A', et saltem octo dies nata, 281 C. Nunquam matrem cum fetu immolare licebat, 281 D. — Trunca animalia sacerdotibus offerre licebat, 280 C, et nonnunquam sacrificare, 280 D. — Aliquando pro gravioribus culpis viliores offerebantur, 161 D, 703 A; quare, 169 C'. — Manuum impositio in caput hostiæ, quid significaverit, 139 D, 144 B'; similiter et ejus occisio, 135 A, 702 A. — Modus occidendæ hostiæ cur tam distincte præscriptus, 143 D'. *Adde* Sacrificium.
Hostiæ incruentæ. *Vide* Oblatio.
HUR, vir Mariæ prophetissæ, populo, absente Moyse, præfectus, 42 A', idololatris restitit, et ab eis occisus dicitur, 96 C'.
HYACINTHUS, quid ad litteram, 45 C, et mystice, 52 B, 62 D. — Hyacinthinæ pelles, quid sint, 45 B', et significent, 52 D, 61 D.
HYSSOPUS, herba odorifera, adhibebatur in mundatione leprosi, 226 D, 227 C, quare, 227 D, D', et in vaccæ rufæ sacrificio, quare, 423 D. — Tropologice, bonam famam exprimit, 233 B', 426 C'.

I

IBIS, avis immunda, quid sit, 208 C. — Tropologice, invidorum effigiem gerit, 214 D, 713 C'.
IDOLUM, quid sit proprie, 2 B'; et in quo differat a simulacro, 458 A. — In Scriptura « sordes » vocantur idola, 655 D. — Sæpe Deum Israel, verum Deum confessa sunt, 663 C. — Quæ ipsis offerebantur, dæmonibus reapse immolabantur, 660 C. — Nonnulli philosophi ex timore humano idola coluerunt, 693 A'; alii idolorum cultum Deo summo placitum putaverunt, 454 A'; et ideo cum Deo vero ea adoraverunt, 448 A'. — Idololatria, an sit peccatorum maximum, 423 A, 583 A. — Idololatriæ pœna: Ad eam provocans, sive propheta, sive privatus, lapidandus erat, 569 B, 570 A; eam exercens, si privatus, occidendus, 582 C', si communitas, usque ad internecionem delenda, 570 D. — Tropologice, spiritualia sunt idola, a quibus cavendum est, 460 D, puta superbia, 9 A, avaritia, 9 C, luxuria, 9 D, et omne mortale peccatum, 9 A'.
IDUMÆA, æstuosa valde regio, 533 C'. — Idumæi qui primo transitum Hebræis denegaverunt, 433 C', postea concessisse videntur, 434 A. — Post tertiam generationem, in societatem Israel recipi poterant, 610 D. — Illis lex primo oblata fuit, 672 D', 674 B. — Moraliter, quid significent, 443 C, 614 A'.
IGNIS, optima divinæ naturæ figura, 541 B. — De cœlo, in sacrificia Abel, Salomonis et Eliæ descendisse legitur, 194 D'. — Desuper in holocaustorum altare venit, 140 D, 194 C', et deinceps, lignorum appositione nutritus, 172 C', usque ad Babylonicam captivitatem inexstinctus perduravit, 140 A', 172 C, 339 A; quo tempore, in puteo absconditus, postea e luto erupit, 194 D'. — Mystice, caritatis est symbolum, 145 C, quæ semper in cordibus nostris ardere debet, 176 C', et piis considerationibus nutrienda est, 176 D'. — Igne filios suos lustrabant gentiles; quod Hebræis prohibetur, 590 B.
IGNORANTIA, quid sit proprie, 162 A'. — Non semper est peccatum, 162 B'; nec directe, nec semper est causa peccati, 162 C; at periculosa est, 171 A'. — In tantum culpam

Digitized by Google

minuit, quantum a voluntario aufert, 163 A. — Aliquando excusat a peccato, 158 A, 162 D, 404 D'; aliquando peccatum auget, 405 A.

IMMUNDITIA, quoto sensu accipiatur, 166 C, 204 B. — Ab intrinseco ex quadruplici causa oriebatur, 215 D : 1° ex puerperio, 216 B; 2° ex lepra, 218 B; 3° ex fluxu seminis, sive extra copulam, 234 D, sive in copula, 235 C'; 4° ex fluxu sanguinis, sive in menstruis, 235 D', sive in hæmorrhoide, 236 C. — Ab extrinseco, quadruplici ex contactu : 1° personæ immundæ, 166 A, 216 B, 235 C, 236 A; 2° mortuorum, 166 A, 424 C', 425 A, A', vel cadaverum animalium, 209 D, 210 D, 211 C, D, 251 A'; 3° rei quocumque modo pollutæ, 211 D', 230 D', 235 B, 278 B'; 4° rei sacræ, in certis casibus, 243 C', 423 C', 424 B, C, 425 C'. — Immundi a sanctificatorum esu indiscriminatim arcebantur, 165 C', 180 A, 278 B', 364 D, et ab ingressu tabernaculi, 216 D, 344 B, 425 A; nonnulli vero a castris Levitarum, 344 B; alii a castris populi, 344 B, et ab hominum consortio, 221 B'. — A majoribus immunditiis per aquam lustrationis emundabantur, 424 C', 425 A, A'; a minoribus, per corporis et vestimentorum lotionem, 209 A', D', 211 D, 235 B, C', 425 D', etc. Ab immunditia emundari omittens peccabat venialiter, 165 C', et pro peccato hostiam offerre debuit, 166 B. — De animalium et vasorum immunditia, *vide* Animalia *et* Vas. *Cf.* Copula, Lepra, Menstrua, Mors, Puerpera. — Immunditiarum legalium ratio litteralis, 709 B, et figuralis, 709 C. — Moraliter, ab immundorum contactu abstinere debemus, 170 C.

IMPII, quodam modo Dei filii dicuntur, 655 D', licet hoc nomine sint indigni, 655 A'. — Impiis boni indigent, 449 B'. — In manu Dei sæpe ad fidelium castigationem deserviunt, 663 A', licet de hoc postea puniantur, 665 C'.

INCANTATOR, quid sit, 590 C.

INCISIO. Ethnici in sacris et in funeribus corpus suum incidebant, 572 B, D; quod Hebræis interdicitur, 572 B.

INIMICUS. Hebræis inimicos absolute odisse non licebat, 29 C'; imo jumenta eorum reducere vel sublevare jubentur, 29 A'.

INJURIA. Vindictam injuriæ quærere quandoque licet et expedit, 258 C', 577 B, sicut et injuriæ recordari, 258 D'. — Injuriam Dei dissimulare et propriam vindicare, nihil iniquius, 9 C, 570 C. — Injuriarum condonatio commendatur, 266 C, 576 D'.

INNOCENTES, aliquando, ob commune bonum exsilio afficere licet, 511 C'. — Innocentes filii et servi, quo jure pro parentibus et dominis puniri possint, 3 B, et quatenus, 3 B'.

INSTRUCTIO spiritualis, et sedulo ministranda et reverenter accipienda est, 19 C. — Pluviæ et rori comparatur, 653 B, D, 667 B'. — *Adde* Prædicatio.

IRA, fuit in lege prohibita, 618 D', 619 C'. — Quo sensu Deo tribuatur, 557 B'. — Plane mentem excæcat, 451 B'. — Iracundi de damnis spiritualibus resarciendis tenentur, 27 A'.

ISSACHAR a Moyse benedicitur : Studio legis deditus, 679 A, multos ad cultum Dei vocavit, 679 B; illi divitiæ repromittuntur, 679 C. — Allegorice, Apostolos significat, 685 C'.

ITHAMAR, junior Aaron filius, tabernaculi vasis præponitur, 124 B. — Gersonitis præficitur, 341 C, et Meraritis, 341 B'.

J

JASPIS, rationalis ornamentum. Ejus efficacia et significatio, 79 D.

JEABARIM, xxxvii° Hebræorum mansio, 438 D, 501 B', quid spiritualiter exprimat, 505 D'.

JEJUNIUM et sobrietas commendantur, 121 A', 203 B. — Jejunavit Moyses in prima legis traditione, 43 A, et in secunda, 119 D'; an etiam tertio, ad impetrandum populo veniam, 120 C'. — Quadragesimale jejunium ad instar jejunii Moysis institutum est, 43 A'. Unde tres quadragesimæ Ecclesiæ, 120 C'.

JETEBATHA, xxx° Hebræorum mansio, quid significet, 505 A'.

JOSEPH, id est stirps ejus, a Moyse benedicitur : Optimam terram consequetur, 677 C', fortitudinem magnam, 678 A', et numerosam sobolem, 678 C'. — Allegorice, Christum Ecclesiæ sponsum figurat, 685 B.

JOSUE, filius Nun, prius Osee, 393 A'. Quomodo sit nomen Dei in illo, 36 A'. Dicitur et angelus, 36 D. — Fuit vir egregius, 383 B', et inseparabilis minister Moysis, 42 C, 110 D', quem secutus est in montem, 42 C, et cujus honorem maxime zelabatur, 383 B', 384 A. — Exploratoribus fortiter contradicens, 396 D, mortem effugit, 399 D. — Tabernaculi custos constitutus est, 111 A, et mox Moysis successor in regimine populi, 481 A', D', 649 A', sub directione tamen Eleazari pontificis, 481 D'. — Cur per eum Dominus populum suum

Digitized by Google

in Terram promissionis introduci voluerit, 483 B', 538 B'.

JUBILÆUS. Annus jubilæi, quomodo computandus, 293 C'. — Tubarum clangore annuntiabatur, 293 B'. — Eo durante, a terræ cultura abstinebant Judæi, 294 B; servi, cum uxoribus et liberis, libertati reddebantur, 297 A'; exstinguebantur debita, 575 B, et unusquisque in suas redibat possessiones, 294 A. — Hac lege regionis prosperitati apprime prospiciebatur, 294 B. — Jubilæus, mystice quid, 299 D. — *Cf.* Domus, Venditio, Votum.

JUDA tribus, ad orientem tabernaculi sedebat cum duabus tribubus, 330 C, quibus præerat, 331 C'. — In vexillo ejus fuit figura leonis, 331 B'. — Semper ceteris antefertur, 360 A. — A Moyse benedicitur : Deo specialiter devota fuit, 675 D', ceteris fortior, 676 B; et ad eam devolutus est principatus Ruben, 676 D. — Allegorice, Christum confessorem et victorem præsignabat, 683 C', et Ecclesiam, 684 A.

JUDÆI, stulte sabbatum colunt, 4 D. — Quid per proximum intelligant, 14 A'. — Eos immanibus detineri peccatis ex hoc ostenditur, quod eorum captivitas tam diu durat, 305 B'. — In duobus maxime peccaverunt, et in duobus puniuntur, 661 C. — Licet templo et sacerdotio careant, remanet eis via ad expianda peccata, 419 C, 646 C. — Ex quo Arabum philosophiam didicerunt, multos inciderunt errores, 571 A'. — Sub fine sæculi ad Christum revertentur, 543 A'. — Stulta eorum fabula de Og, rege Basan, 442 A', 536 B.

JUDÆI auctores : Josephus, Judæorum fidelis historiographus, 106 C, fuit sacerdos et mansit in Jerusalem, 76 A; sæpe allegatur, 35 D', 48 C, 50 A, 57 D', etc. Quidam error ejus recensetur, 6 B. — Rabbi Moyses, vel Moyses Ægyptius (Maimonides), magnus theologus et præclarus philosophus, 433 B ; frequenter citatur, 35 D', 101 C', 143 D', 432 D', etc. — Rabbi Moyses Gerundensis (Moses Nahmanides), 15 A, 422 A', 465 C'. — Rabbi Salomon (Jarchi, vulgo Rasi), 21 B', 31 A', 45 C', etc., sæpius refellitur, 81 B, 101 B', 197 B, etc., perfidiæ arguitur, 105 A, imperitiæ et stoliditatis, 373 D', 383 C. — *Adde* Paulus.

JUDEX est vicarius Dei, 527 B, animata justitia, 527 C. — Cur in portis sedere jussi olim judices, 580 A'. — De judicum officiis : Ambas partes audire debent, 28 B, 526 D; et, contra justitiam, multitudinis vel majorum sententiæ non acquiescere, 28 C', nec in favorem potentis declinare, 257 A', 526 B'. Eis personarum acceptio interdicitur, 526 D', 580 B', 626 A, et hoc sub gravi, 527 A. Pauperibus, salva justitia, opem præstare possunt, 29 C, et debent, 30 A, 257 D. — Insontem occidere nequeunt, 30 B, 624 D. — An et quatenus judici insontem judicialiter convictum occidere liceat, 30 C, vel sontem judicialiter purgatum dimittere, 31 D. — Judicibus non licet accipere munera, 31 C', 580 C', cujusvis generis, 32 A' ; quare, 32 A, 580 D'. Sententiæ pretium recipere non valent, 32 C; et valde peccant qui pro pretio sontem effugere sinunt, 513 B. — Quatenus erroneæ judicis sententiæ acquiescere teneamur, 584 D. — An et quatenus injustam sententiam exsecutioni mandare liceat, 30 C', et an martyrum vel ipsius Christi tortores excusari valeant, 31 B. — De tribunalium compositione, 580 A', 581 B'. In quibusdam causis pontificis tribunal adeundum erat, 583 C'. Quum simul florerent reges et pontifices, ad regem fiebat appellatio in temporalibus, ad pontificem in spiritualibus, 584 B', 717 A'. Pontificis sententiam contemnens morti adjudicabatur, 584 A'.

JUGE sacrificium. Quotidie offerebantur agni anniculi duo, cum simila, vino et oleo, 85 B, 483 D', unus ante solis ortum, 172 C, qui tota die cremabatur usque ad crepusculum, 172 B, alter ante solis occasum, 172 C, qui usque ad auroram incendebatur, 172 A. — Prima vice, prope Sinai oblatum est, 484 B. — Pro communitate fiebat, publico sumptu, et a pontifice ipso offerebatur, 173 B. — Quasi perpetua festivitas erat, 706 C, in honorem Dei gubernatoris mundi, 485 C'. — Quid allegorice significet, 287 C', et tropologice, 488 A.

JUMENTUM, quid sit proprie, 272 A. — Quoad esum munda vel immunda erant jumenta, 272 A. — Innaturalis jumentorum commixtio prohibebatur, 259 B, C'.

JURAMENTUM est actus latriæ, 33 C', et tres comites habere debet, 167 A. — Nonnisi per verum Deum jurare permittitur, 33 B', 549 A'. Juramentum per deos exteros an ab idololatris exigere liceat, 33 C'. — Juramentum vanum prohibetur, 4 A. Ex genere suo grave est, 10 A ; ideoque summopere fugiendum, 9 D. — Juramentum falsum vetatur, 28 B', 256 D. Quando et cui denuntiandus sic

Digitized by Google

jurans, 164D', 165A'. *Cf.* Testimonium *et* Testis. — Juramentum injustum, ad quid obligaverit, 166D', 167C.

JUSTITIA, præcipitur in judiciis, 264C, in mensuris et ponderibus, 264A'; quomodo in his mystice eam violari contingat, 266B'. — Justitia justis mediis exsequenda est, 581A. Quæ media justa censeantur, 581B. — Justorum merces in V. T. quæ, 7C', et quomodo intelligenda, 37C, 301C. *Cf.* Benedictio.

L

LABIUM æneum describitur, 89A'. — In eo manus et pedes lavabant sacerdotes, quando, 89A', et quare, 89D'. — Tropologice, pœnitentiam exprimit, 93C.

LACERTA, ab idololatris colebatur, 205C. — Immunda declaratur, 210B.

LAGANUM, quid sit, 80C', 353B'. — In quibusdam sacrificiis adhibebatur, 80C'. — Lagana azyma, quid ad litteram, 148A', 178B, et mystice, 152A, 183C.

LAMINA aurea pontificis. Ejus inscriptio, 73D', forma, 74B, A', sanctitas et usus, 74C, 75D'. — Deum figurabat, 77B, et contemplationem significat, 77C, 191B'.

LARUS, avis immunda, describitur, 208A. — Quid mystice, 214C, 713B'.

LEBES, quid ad litteram, 64A, et tropologice, 67D.

LEBNA, xvii[a] Hebræorum statio, quid designet, 504C'.

LEPRA, quid sit proprie, 231C, 391C, et in sensu legis, 231D, et cur in lege abominabilis, 231A'. — Sex ejus species enumerantur, 218A. — Ejus indicia, in cute, 218B; in carne, 219D; in ulcere, 220B; in vulnere, 220D; in barba, 220C', et in coma, 221D, 231B'. — Consueta erat inobedientium erga sacerdotes pœna, 622A'. — Leprosi a triplicibus castris ejiciebantur, 344A; vestibus specialibus induti, 221B', procul ab hominum ædibus degebant, 221C'. — Leprosi sanati a sacerdote certo ritu purificabantur, 226A, 227C, C', et post corporis lotionem et pilorum abrasionem, 226C', octavo die sacrificium lege præscriptum offerebant, 228C, 229C, 710D, et sic cultui divino consortioque hominum restituebantur, 227A'. — In hac purificatione quatuor elementa adhibebantur, quare, 227C, C', 710D. — Tropologice, quid sit lepra, 223B, 709D; lepra carnis, 223C'; ulceris, 224D'; capitis, 225B; barbæ, 225C; cutis, 225D, et comæ, 225D. Leprosus excommunicatorum typum gerebat, 225C'. — Lepra vestium, quid, 229C', 231C'; quomodo dignoscenda, 222B, et tractanda, 222C. Spiritualiter, est vana gloria, 225B'. — Lepra domus, quid sit, 229C', 231C', 232A; et quomodo dignoscenda, 230A. Domus leprosa destruebatur, 230C'; si vero eam sanari contigisset, duorum passerum sacrificio, sicut leprosus, purificabatur, 231A. Moraliter, quid sit lepra domus, 234B'.

LEPUS, inter immunda animalia reputatur, 206C. — Mystice, quid significet, 215B'.

LEVI tribus a Moyse benedicitur: Fuit post Judam dignior, 676D. Gloria ejus ex Moyse venit, 676A'. Præ ceteris Deo fidelitatem exhibuit, 676D'; ideo ad sacerdotium electa est, 677B. — Moraliter, typus est clericorum, 684C, quibus vitam perfectiorem ducere competit, 684A', et offerre sacrificia, 684C'.

LEVIRATUS. *Vide* Matrimonium *et* Vidua.

LEVITÆ. An quis eorum vitulum adoraverit, 101A', vel unquam idola coluerit, 101C', vel crucifixionis Christi particeps fuerit, 102B. An fuerint in populi condemnatione impliciti, 330D'. — De idololatris ultionem sumunt, 102D. — Cum populo non numerantur, 327B, 560B'; sed in primogenitorum vicem Deo deputantur, 334C. — De nocte circa tabernaculum excubias egisse videntur, 333C'. — Licet a militia exempti, quandoque pugnare poterant, 330C'. — A vigesimo quinto anno ad ministerium tabernaculi assumebantur, 337D, 363A, usque ad quinquagesimum, 363B. Eis cavendum erat ne sacerdotalia officia usurparent, 416A'; et qui deformitate aliqua laborabant, ab altari prohibebantur, 275B, 711A, licet de panibus oblatis vesci potuerint, 275A'. — Levitarum consecrationis ritus, 362A. — Sortem inter ceteros possidere vetantur, 418C; sed eis conceduntur quædam urbes ad manendum et suburbia ad pecorum pastum, 508B; et insuper decimæ universæ, 418D, pars in sacrificiis, 589B, et primitiæ, 589A'. — Eorum domus, etiam urbanæ, in jubilæo eis reddebantur, 296C'; et suburbia vendi nequibant, 296D'. — Levitis extraneis Jerusalem commorari volentibus, eadem quæ indigenis sors concedebatur, 589C'. — Mystice, Levitarum suburbia, quid, 512A'. — Tres Levitarum familiæ numerantur: 1° Caathitæ,

Digitized by Google

inter Levitas primi, 341 A', quorum alii sacerdotes, alii Levitæ tantum fuerunt, 337 C. Ad meridiem tabernaculi morabantur, 335 B, sub manu Eleazar, 339 B'. Arcam et omnem tabernaculi supellectilem custodiebant, 335 B, et in itinere deportabant, 337 D', in humeris, 341 A'. Allegorice, fervidos signant, 343 A. — 2° Gersonitæ, Caathitis inferiores, ad occidentem tabernaculi manebant, 334 C', sub manu Ithamar, 341 C. Super tentoria, vela et operimenta tabernaculi constituebantur, 334 C', quæ, in itinere, cum vasis ministerii deportabant, 340 C', in duobus plaustris, 341 B'. Mystice, tepidos designant, 343 A'. — 3° Meraritæ, Levitarum ultimi, 341 B', ad septentrionem tabernaculi sedebant, 335 D, sub manu Ithamar, 341 B'. Super tabulas, vectes et columnas tabernaculi constituebantur, 335 D, quæ in itinere deportabant, 341 D, in quatuor plaustris, 341 B'. Moraliter, imperfectos exprimunt, 343 A'.

LEVITICUS liber, cur ita dictus, 137 D.

LEX multipliciter dividitur, 692 B. — 1° Lex æterna, quid sit in Deo, 692 B, in se, 692 D, et in homine, 692 A'. Necessaria est rationali creaturæ, 691 B'. — 2° Lex divina, quid sit, 694 A'. Homini necessaria est, 694 C; sed in omnibus eam custodire arduum, 695 B'. In veterem et novam dividitur, 696 A. — Lex vetus primo Ismaelitis et Idumæis oblata, 674 B, sicut narrant Judæi, 672 D', Hebræis data est, 39 C', non immerito, 697 D, tempore Moysis, quum jam mundus ad idololatriam devenerat, 697 C'. — Dicitur etiam fœdus, 41 A, 545 B, et ignea lex, 674 C'. — Terribiliter promulgata est primo in Sinai, 541 A, B, et solenniter secundo in Hebal, 633 D', et seq. — Triplicis generis præcepta continebat, 133 A, 698 A (*vide* Præcepta), et insuper quædam mandata, 698 C'. An caritativam eorum impletionem requisierit, 267 A, 268 B', D'. — Finis ejus fuit æterna populi felicitas, 267 C', et virtuosa ejus in hac vita conversatio, 268 A; imo ejus consecratio cultui divino, 268 B; et Hebræorum viribus accommodata fuit, 646 C'. — Ad Christum disponebat, 696 B', sed insufficiens fuit ad salutem, 696 C'; ideo, respectu novæ legis, recte dicta est imperfecta, 696 B, et non bona, 696 C; imo occasionaliter fuit nociva, 696 D; et Gentiles ad eam observandam non tenebantur, nisi quantum ad præcepta moralia, 697 B'; et nunc antiquata est quoad majorem partem, nempe judicialia et cærimonialia, 420 B, 720 C. — Lex nova, in tribus veteri præstat, 697 A. Sola lex perfectionis et gratiæ dicitur, 697 C, lex ignea, 682 C', in dextera Dei, 682 A'; et veterem complet, 721 B'. — 3° Lex humana, quid sit, 694 C', et quæ ejus dotes, 695 C. Ipsa quoque homini necessaria est, 694 D'. Licet imperfecta, divina auctoritate instituta putatur, 624 C. — In principio, leges severius applicari solent, 197 D', 403 A'. — Legis meditatio a nobis requisita, quæ, 548 A', D'. — Allegorice, V. L. promulgatio, figura Pentecostes, 8 D. — *Cf.* Benedictio *et* Maledictio.

LIBAMEN, modo pro liquidi oblatione sumitur, 137 B, modo pro similæ oleatæ et thuris oblatione, sacrificiis adjuncta, 173 B, modo pro portiunculis a sacerdotibus degustandis, 49 A'. — Quantum fuerit per singula animalia occisa, 401 C. — Pars in altari cremabatur, 173 C; residuum in atrio comedebatur, 173 C, a solis Aaronicæ stirpis maribus, 173 A'. — Quid mystice, 404 B.

LIBER vitæ, quid sit, 103 C', et cujus vitæ, 103 D'. — Quomodo quis in eo scribi vel de eo deleri dicatur, 103 D', 104 A.

LIGNUM. Suspensus in ligno, eadem die deponendus et sepeliendus erat, 600 A'. — Quo sensu dicatur : Maledictus qui pendet in ligno, 600 B', 601 B'.

LIGURIUS, ornamentum rationalis, quid sit et quid significet, 79 A'.

LOCUSTA, juxta diversas species suas, munda declaratur, 209 B.

LUCUS. Circa altaria et templa lucos plantare pagani solebant; secus Judæi, 581 D.

LUNA menstruo fluxui præesse credebatur; ideo a feminis præcipue colebatur, 237 A.

LYRA (Nicolaus de), Ord. Min., notissimus postillator, 1 A, 6 B, 8 A', 14 D', etc. Sæpe, tacito nomine, designatur verbo « Quidam », scilicet quum improbanda est ejus sententia, 21 B', 28 B, 32 C, 80 B, etc.

M

MACELOTH, XXIIa Hebræorum mansio, quid significet, 505 A.

MACHTOC, liber apud Hebræos authenticus, allegatur, 618 B.

MADIANITÆ. Filiæ eorum Hebræos seducunt, 472 A, 492 C'. — A filiis Israel depopulantur, 473 D', 492 B.

Digitized by Google

MAGI. Eos interrogare non licet, 263A', sub qua pœna, 270D'. — Tres Magi, Christi adoratores, e Balaam orti perhibentur, 456A, 465A'. — *Cf.* Malefici.

MAGISTER in historiis. Sic vocitatur Petrus Comestor, auctor Historiæ scholasticæ, 8A', 12C, etc. 47C, 50A.

MALEDICTIO, interdum in lege pro opprobrio sumitur, 600B'. — Quænam maledictiones legem transgredientibus decernantur, 303B, 638C. Ex his aliæ ad Babylonicam, aliæ ad Romanam captivitatem respiciunt, 640C; ceterum, non in singulis impiis, sed in tota gente verificatæ sunt, 306B, 640B'. — Tam secreta quam publica delicta eis subjiciebantur, 646A'. — Quæ maledictiones malis Christianis immineant, 309B, 641C'.

MALEFICI, quid sint proprie, 590C, et qua pœna mulctandi, 24D. — In magicis actibus utebantur certis instrumentis, 446C, et ossibus mortuorum, 273B; seduloque tempora et loca observabant, 456B', 459B'. — Ex animalibus coeuntibus vel ex avibus incubantibus varios effectus procurare tentabant, 603C.

MALOGRANATA in tunica pontificis LXXII fuerunt, 73B'. — Quid figurative, 77A, et tropologice, 77A', 78C.

MANASSE. Quibusdam Manassæ filiis traditur pars terræ Galaad, 497D', 498A. — Moraliter, hi religiosos et clericos carnales significant, 498A', licet in bono accipi possint, 499A. — De benedictione ejus, *vide* Joseph.

MANDATUM differt a præcepto, 698D'. — Quædam mandata in V. L. continentur, 698C'.

MANNA, cujus figuræ et coloris, 375B', usus et saporis, 375C', 437C. — Cur illud mola fregerint, 375D'. — Triplex mannæ sapor, 376A. — Urna aurea plena manna in arca reposita erat, 47C.

MANZER, seu de meretrice natus, a civilitate Hebræorum excludebatur, 609C; quare, 611C. — Mystice quid, 614B.

MARA, Hebræorum v^{a} statio, 500C', quid spiritualiter figuraverit, 503D.

MARCUS evangelista, non idem qui Joannes Marcus, 319A', in Alexandria natus et passus est, 319B'.

MARE Rubrum, Hebræorum VII^{a} statio, 500D', quid moraliter designet, 503D, D'.

MARIA Virgo, a lege immunditiæ puerperii excepta fuit, 216A; imo absque semine paritura prænuntiata est, 216A. — Illi singulare privilegium fuit sine semine concepisse, 348C'. — Ejus uterus clibanus fuit ubi nobis coctus est panis cœlestis, 149C, 151D'. — Sublimiori modo facta est ei revelatio, 389C, B'. — Fuit pauper, ut in Purificatione sua apparet, 217A'. — Rhinocerota cicuravit, 458D', 470B'. — Per virgam ex Israel orituram intelligitur, 466A', et per virgam Aaron floridam, 415A. — Sua opulentia nos ditat et potentia tuetur, 289A'.

MARIA soror Moysis, cur contra Moysen murmuraverit, 388A. — Quodnam fuerit ejus peccatum, 387C. — Lepra inficitur, 391A, et extra castra ejicitur, 391B'. — In Cades sepulta jacet, 428A'.

MATRIMONIUM. Quot fines ejus, 254B'.

De contrahendo matrimonio. Ex parte cognationis aut affinitatis illicitum erat cum matre, filia, 253B, noverca, 253C, sorore, nepte, 253D, fratria, glore, 253B', amita, matertera, nuru, privigna, 254A'. Decursu temporis, multiplicatæ sunt prohibitiones, 254D. Quo jure cognatio aut affinitas matrimonio obstet, 254B', 255A. — Ex parte religionis, illicitum erat cum Chananæis, 551D, 599C'; et cum alienigenis, nisi ad judaismum converterentur, 599A', 609C'. — Filiabus non licebat nubere, nisi in sua tribu, 514B; quod, juxta quosdam, de puellis heredibus intelligendum est, ne commiscerentur hereditates, 514C, et juxta alios, de quibusvis feminis, ne commiscerentur tribus, 514B'. — Per legem leviratus, fratris viduam frater quandoque accipere debebat, 628D. — Sacerdotum matrimonia speciali lege ordinabantur, 273C'.

In matrimonio : Copulam cum menstruata exercere non licebat, 253C', 271D', nec etiam nunc licet, 237C. Ex usu matrimonii oriebatur obligatio lavandi se, 235C', cum immunditia per unum diem, 235C', et per septem, tempore menstrui, 236B. — Omnium uxorum filii æque diligendi erant, 600A. — Novus sponsus per annum a cunctis oneribus eximebatur, 596D, 621A'.

De dissolutione matrimonii : Ob quas causas uxores dimitti potuerint, 616A, et quo ritu, 616D'. — Uxorem repudiatam et alteri nuptam nunquam revocare licuit, 617D. — Repudiatio semper vituperabilis visa est, 618B, et in Scriptura vituperatur, 620B; unde, licet permissa, non videtur culpa caruisse, 617C', 621D. — In N. L. qui

Digitized by Google

uxorem, adulterii causa dimisit, aliam ducere nequit, 618B', 619A. — Indissolubilitas matrimonii est de lege naturæ, 618A', 620A, licet nusquam, nisi in lege Christi sancita inveniatur, 620B. — *Adde* Copula, Menstrua, Zelotypia.

MEL in sacrificiis prohibetur, 149A'; quare, 150A, 703A'. — Primitiæ tamen mellis solvi jubentur, 149B'; cur, 153A. — Quomodo mel de petra Hebræi suxisse dicantur, 659D. — Mystice, quid sit, 152A'.

MENDACIUM, nec dicendum est, 30A, 256D, nec credendum, 28B. — Semper Deo displicet, 265A'. — An quandoque mentiri liceat, 256B'.

MENSA propositionis describitur, 48D. — In Sancto reposita erat, 125D, ad aquilonem, 361B; quare, 361C', 705C, A'. — Quid allegorice significet, 54C, 61C', 63A'.

MENSIS quilibet a solennitate inchoabatur, 287B. — Mensis septimus apud Hebræos totus solennis erat, ut septima dies, 287B', 486B.

MENSTRUA a lunæ motu pendent, 237A. Alia sunt naturalia, alia innaturalia, 237A'. Sunt fœda et nociva, 237B. Quid significent, 236C'. — In fluxu naturali mulier, apud ethnicos spurca censebatur, 236D'; apud Hebræos septem diebus immunda erat et separanda, 235D'; quare, 236A', D'. — Copula cum ipsa scienter habita amborum morte puniebatur, 271A'; inscienter vero, immunditia septem dierum, 236B.—An menstruatæ liceat debitum petere, 237C; aut saltem reddere, 237C'. — Menstruata, mystice quid, 238B'. — In fluxu innaturali mulier, similiter immunda erat, 236C; sed cum ea coire, præsertim in N. L. non prohibetur, 237A'. Moraliter, quid talis designet, 236B', 238B'.

MERARITÆ. *Vide* Levitæ.

MERCENARIUS. Ejus merces eodem die solvenda erat, 257A. — Mercenarii mercedem protelare aut subtrahere, quale peccatum, 265C', 623B. Qui sic agit, ad damna resarcienda tenetur, 623C.

MERGULUS, avis immunda, describitur, 208C. — Typus est gulosorum, 214D, 713C'.

MERITA per peccatum mortificata, pœnitentia reviviscunt, 356B. — Damnatorum præcedentia merita non pereunt, sed ad Ecclesiam transmittuntur, 482C.

METHCA, xxv^a Hebræorum mansio, quid exprimat, 505C.

MIGLODORUS allegatur, 205C.

MILVUS, avis immunda, describitur, 207D. — Dolosos figurat, 214B, 713A'.

MISSA. Sacrificium Missæ, quanti pretii, 196A. — An plus valeat boni quam mali sacerdotis missa, 196B. — Quos ad fines offerenda, 196C.

MOABITÆ. Terra Ar eis a Deo concessa est, 534D'. — Filiæ eorum Hebræos ad idololatriam pellicientes, 471B, cur ultionem evaserint, 474A'. — Quodnam fuerit Moabitarum peccatum in Israel, 609B', 610A. — A cœtu Israel in perpetuum arcentur, 609B'. — Moraliter, libidinosos designant, 474D, et schismaticos, 614C.

MOLOCH, Ammonitarum idolum. Turpis ejus cultus, 253C', sub mortis interminatione prohibetur, 269D', et vindictæ Dei in populum, 270D. — Semen dare Moloch, mystice quid, 255B'.

MONS, spiritualiter virtutum perfectionem significat, 482A'. — Sunt montes vitandi et montes adeundi, 533A. — In renovata terra montes non erunt amplius, 678B.

MORS, etiam casualis, non sine rationabili causa a Deo permittitur, 14C. — Mortuos generaliter lex immundos declarat, quare, 166B', 273C. — Immundos reddebant domum cum supellectili, et omnes illuc ingredientes, 273D, et omnia vasa aperta, per septem dies, 425D. — Moderate sunt deflendi, 202B'. — *Adde* Funus.

MORTARIOLUM, quid ad litteram, 338A', 359D, et mystice, 360B'.

MOSEROTH, xxvii^a Hebræorum statio, quid exprimat, 505D.

MOYSES, quot quadragesimas in monte fecerit, 43A, 120C', 559A. — Cur, ut acciperet secundo legem, in montem solus ascendere jussus sit, 117B, B'. An tunc majores revelationes acceperit, 117D; et propria manu secundas tabulas exaraverit, 119A'. — Mysticam legis intelligentiam habuit, 673D'. — A destructione populi Deum semel et bis avertens, 98D', 397D, quo sensu e libro vitæ deleri rogaverit, 103D. — An et cur faciem Dei sibi ostendi petierit, 111C', et quomodo Deum viderit, 115A. Sat communiter tenetur Moysen sicut et Paulum in hac vita Dei essentiam vidisse, 390C; verumtamen alii hoc negant, 390B'. Utra verior sententia, 390D'. — Facies ejus, quomodo et unde cornuta, 120A, et quamdiu, 120B'. Quid mystice significet,

Digitized by Google

121 A'. — Qua auctoritate Aaron consecraverit, 189 D, et sacrificium obtulerit, 126 C, 187 A. Sacerdos fuisse videtur, 189 C'; imo in ipso, sicut in Papa, fuit spiritualis et temporalis potestatis plenitudo, 190 A. — Murmurationes plebis pertæsus, et mortem exoptans, 377 B, C', an impatientia peccaverit, 378 A. — An de potentia Dei carnes promittentis dubitaverit, 382 D, B'. — De Moysis culpa : In Cades dubitavit, 431 B; quomodo, 431 A'. Cur bis petram percusserit, 431 D'. Fuit incredulus, non infidelis, 431 C'. Peccatum ejus non fuit petram percutere, 432 B', nec Judæos acriter arguere, 432 D', sed Deo diffidere, 530 A'. In pœnam incredulitatis, ab ingressu Terræ promissæ arcetur, 432 B. Cur tantopere eam ingredi optaverit, 537 B'. Ejus lapsu docemur salutem cum timore operari, 435 C'. — Ultima ejus verba ad XII tribus, 672 B, ultimæ Christi orationi comparantur, 681 C. — Annos CXX natus, minime decrepitus fuit, 648 C; imo optima sanitate viguit, 648 B', 689 A. — In Phasga moritur, 688 C', extra Terram sanctam; quare, 689 C; et sepulcrum ejus permanet ignotum adhuc, 688 C'. — Humilitate et caritate eximius, 387 B, omnes coætaneos præcessit lenitate, 388 D', et fide, 389 C'; evangelicas sub lege virtutes exercuit, 412 B'; et, Deo præ omnibus dilectus, 113 A, sub multiplici respectu omnium fuit præstantissimus Prophetarum, 689 B'. — Allegorice, Christi figura fuit, 51 C, 329 C, 360 B, etc., et perfectorum, 342 A', C'.

MULIER. Corpus mulierum intra LXXX dies efformari dicitur, 216 B'. — Cur in conceptu femellæ immunditia diuturnior, 217 D'. — Ab originali labe per fidem parentum mundabantur, 216 C. — Mulieri pudenda viri tangenti, manus truncabatur, 629 B. — Feminæ viriles vestes gestare non licet, 602 D, nec viriles mores affectare, 602 B', 607 D'. — Mulierum prostitutio vetita erat, 263 D, 612 C', et prostitutæ merces rejicienda, 612 D'. Prostibuli merces, mystice quid, 615 C'. — *Adde* Menstrua *et* Puerpera.

MUNDITIA, quanta a ministrantibus altari requiratur, 170 C'. — Corporalem munditiam Deus diligit, 612 B; et eam a Judæis exigebat, quoad ventris purgationem, 612 B, immundorum contactum, 209 D, D', 210 D..., multiplices lotiones, 89 A', 209 A', 211 A', 226 C', 235 C, C', etc.

MUNERA, mentem excæcant, 32 A, 580 D'; ideo judicibus interdicuntur, 31 C', 580 C', et testibus, 32 A. — Triplicis sunt generis, 32 A'.

MURMURATIO. Tepidi Christiani et religiosi de asperitate vitæ murmurant, 385 A, licet hoc grande peccatum sit, 385 C. — Murmuratores Hebræi sæpe puniuntur, 373 B, 398 C', 437 C. Quid tropologice significent, 400 A.

MUS, inter animalia immunda reputatur, 209 D'.

MUSTELA, animal immundum, quid sit, 209 D'.

MUTUUM, in quo a deposito differat, 24 A, 717 D. — Lex mutui : circa animalia, 23 C', 717 C; circa pecuniam, 25 B, 574 D, 717 B.

MYGALE, immundum animal, quid sit, 210 B.

MYRRHA, in oleo unctionis adhibita, quid sit, 90 A.

N

NADAB, Aaron primogenitus. *Vide* Abiu, quocum vixit et occubuit.

NAZARÆUS, quid sit, 351 B. Alii erant perpetui, alii ad tempus, 351 B'. — Lex Nazaræorum : Consecrationis tempore a vino abstinebant, 351 D, et a quacumque re de vite orta, 351 B'; comam non radebant, 351 D', nec mortuorum luctum ducebant, 352 B. — Si eos a mortuo pollui contigisset, 352 A', radebant comam, 352 C', et nova consecratione indigebant, 353 B. — In die liberationis, comam radebant, 353 D', quam Deo comburendam offerebant, 354 A, et communi vitæ reddebantur, 354 A'. — Sacerdotibus in multis assimilabantur, 352 A; imo et ipsi pontifici, 352 D. — Quo sensu Joseph dicatur Nazaræus inter fratres, 678 C; item Christus, 685 A'. — Spiritualiter, religiosorum typum gerebant, 355 B.

NEBO mons, Abarim etiam dictus est, 666 C', et Phasga, 688 B. — Ibi mortuus est Moyses, 688 C'.

NEOMENIA, unde dicta, 485 A, et cur in novitate lunæ celebrata, 287 C, 485 D', 706 C. — In memoriam gubernationis Dei servabatur, 287 C, 484 C'; et in ea peculiare sacrificium offerebatur, 484 A'. — Figurate, quid expresserit, 287 D', 488 A, 706 D'.

NEPHTHALI, quam benedictionem a Moyse acceperit, 680 A. — Allegorice, Christum Deum significat, 686 D.

NESCIENTIA, distinguitur ab ignorantia, 162 A'.

NISAN mensis, quis, 485 B, 559 B'. — Dictus est etiam novorum mensis, 34 A. — In eo incipiebatur annus et messis fiebat, 578 B.

Digitized by Google

NOCTUA, seu nycticorax, avis immunda, describitur, 207D'. — Tropologice, sapientes sæculi designat, 214C, 713B'.

NOX, tempus aptissimum revelationibus Dei, 389A', 446A', et dæmonum, 446A'. — Quid mystice, 176A.

NUBES opaca de die, et lucida de nocte, tabernaculum protegens, an eadem, 366A, 530B. — Suo motu, itineris et requiei dux fuit, 127A'. — In consecratione tabernaculi, (sicut et templi Salomonis), visum impediebat, et ipsum Moysen introire non sivit, 126B'. — Gloria Domini dicitur, et præsentiam Dei indicabat, 397A, 409B, 411A, etc. — Tropologice, Sancti Spiritus gratiam figurabat, 366B', 533B. — In Scriptura, Apostoli nubes dicuntur, 687D.

NUMERUS. Numerare est actus rationis, bestiis ignotus, 451A. — Numerus xxx est perfectus, 342C. Tricesimo anno manifestatus est Christus et multi Prophetæ, 342C; eligebantur Levitæ, 337B'; ordinabantur olim sacerdotes, 337C'. — Numerorum liber, cur sic dictus, 323. — Populum Israel cur toties dinumerari Deus jusserit, 323, 326A', nunquam autem populum christianum, 323. — Populi dinumeratio, quando et quomodo facta, 325B; et unde tam multi reperti sint, 326D'.

O

OBLATIO, quid sit proprie, 137B, 147B'. — Verum sacrificium erat, 149D. — Quid inter inanimata Deo offerre licuerit, 137A', 147C', 703A'. Prohibebantur fermentum et mel, 149A'; adhibebantur autem sal, 149C', et thus, 147C', quare, 149D'. In oblationibus tamen pro peccato, nec thus nec oleum admittebantur, 168A. — Ritus oblationis similæ, 147B', 148A; panum, 148D; spicarum virentium, 150C; item oblationis in die unctionis sacerdotum, 173B, et pontificum, 173C'. — Exigua oblationum pars in altari cremabatur, 148A, C', 150B', 168C; reliquum erat sacerdotum, 148C, D', 168D, inter quos dividebatur, 175B'. — A quibus oblata comedi potuerint, 279B; et quæ pœna indebite utentibus indicta, 279A'. *Cf.* Libamen.

OBOLUS, moneta et pondus, quanti valoris, 311A'.

OBOTH, xxxvi[a] Hebræorum mansio, quid significet, 505D'.

OCULUS, quomodo «fornicans» vocetur, 403C'. — Oculorum custodia necessaria est, 406A.

OG, rex Basan, a filiis Israel profligatur, 441D'. — Cujus staturæ, 537A. — Stulte fabulantur Judæi eum immensæ fuisse magnitudinis, 442A'; plus quam cccc annos vixisse, 537A; et solem in prælio contra eum stetisse, 536B. — Allegorice, persecutores Ecclesiæ figurat, 444A'.

OLEUM, in sacrificiis adhibebatur, 147C', 148D, etc., exceptis pro peccato oblationibus, 168A; quare, 150C', 151C, 404C; quantum, 401C, 404B'; et cur eadem mensura qua vinum, 404C. — Oleum candelabri ex olivis et purissimum erat, 66C, C', 289C; publico sumptu ministrabatur, 289C'; et ab Eleazar, quotidie, infundebatur, 339D'. — Oleum unctionis : Ejus compositio, 90A. Ex eo ungebantur tabernaculum cum supellectili, 90A', 186C'; pontificis caput et manus, 81C, 90C', 186D'; sacerdotum manus, 81A', 90C', et vestimenta, 82D', 188A'; et reges, 91A. Illud in privatum usum convertere haud licebat, 91A. Mystice quid, 93B'. — Tropologice, oleum pietatem exprimit, 68B', 150C', etc.

ONOCROTALUS, avis immunda, describitur, 208D. — Moraliter, avaros figurat, 214A', 713D'.

ONYCHA, sive ungula, ostrea fragrans, in thymiamatis compositione adhibebatur, 91C.

ONYX, lapis pretiosus, 46A; tropologice, argumenta fidei exprimit, 52A'. — Onychini lapides duo in superhumerali disponebantur, 70D, quorum uterque sex tribuum nomina portabat, 70A'. — Solem et lunam figurabant, 77A, et plura mystice significabant, 77C'.

OOLIAB, e Dan, viliori tribu, Beseleel in adjutorium datur, 94B'; quare, 94C', 96A'. — Allegorice, chorum Apostolorum designat, 96A, vel prælatos, quorum est ex diversis ingeniis unam compingere societatem, 95B'.

ORATIO. Ad orationis efficaciam juvant sanctitas loci, 429C, et corporis situs, 429C, et horæ opportunitas, 117A.

ORDO est optimum quid in rebus, 462C'.

ORIGENES reprehenditur, 166B'. — Profitetur Petro neminem eminentiorem in terris fuisse, 215B'. Passim allegatur.

ORYX, mundum animal, quid sit, 573A.

OVIS, de immolaticiis animalibus fuit, ob varias ejus qualitates, 142C, ad confutandam gentilium idololatriam, 142D', et quia Christi figura fuit, 143B. — Ad quædam sacrificia

Digitized by Google

præscribitur, 161 D', 234 A, 353 A'. — Ovis primogenitum nec redimere licebat, 418 A, nec tondere, 576 B'. Similiter non tondebant oves quæ pro asini primogenito commutabantur, 576 B'. — Pars lanæ ovium sacerdotibus cedebat, 589 A'. — Pro ove furtim ablata quatuor reddebantur, 20 D; quare, 20 D'. — Quatuor ovis utilitates, 21 C. — Mystice, quid significet ovis, 26 D, 156 A', 669 D', et primogenitus ovis, 577 D'.

P

PACIFICA. *Vide* Sacrificia.

PANIS. Diversi generis panes Deo offerri poterant, 148 D, quare, 149 A, et quo ritu, 148 D. — Semper fermento carere debebant, 149 A', 178 A, excepto sacrificio in gratiarum actionem, 149 A', 178 D. Triplex panum in templo usitatorum genus, 275 B'. — Mystice, quid signetur per panes, 149 C, 151 D', azymos, 183 A, et fermentatos, 183 A'. — Panes propositionis, quales, 49 B'. Sex in utroque mensæ latere ponebantur, 290 A, thure superposito, 338 A'; sumptu communi conficiebantur, 290 C; per singula sabbata, ad diluculum mutabantur, 290 C, D; et non nisi a sacerdotibus in loco sancto edi poterant, 290 C, excepto necessitatis casu, 290 A'. Spiritualiter, quid signaverint, 54 D', 61 C'.

PAPA, nullis exsequiis interest, 275 D'. — In arduis causis illum ad Concilium recurrere oporteret, 406 D. — An a solenni continentiæ voto dispensare possit, 319 B. — An ei solvenda sit decimarum decima, 421 B. — Omnium bonorum ecclesiasticorum dominus est, 421 B'. — A cunctis ad ipsum et ab ipso ad nullum alium appellare licet, 584 D.

PAPIAS, lexicographus, 167 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 141, col. 1437.)

PARENTES, qualiter honorandi, 4 D', 5 D, 265 A. — Filios ad bonum excitare debent, 10 C; sed peccantibus mortem aut mutilationem infligere nequeunt, 600 D. — Eis sæpe dissimilis proles datur, 4 A. Sæpe, ob eorum merita, posteris conservatum est regnum, 587 A'. — Valde peccant, qui parentes percutiunt, 14 D', vel eis maledicunt, 601 C; et in lege morte puniebantur, 14 C', D', 271 B, 600 C.

PARISIENSIS, 205 A'. *Vide* Guillelmus.

PASCHA. *Vide* Agnus, Festivitates.

PASSER, fuit de immolaticiis avibus, quare, 143 D. — In purificatione leprosi et domus leprosæ adhibitus est, quomodo, 226 C, 231 A, et cur, 227 D, D', 228 A.

PASSUS mensura, quanta, 508 B', 509 D.

PAULUS (Rabbi), « venerabilis vir ex Judaismo conversus et venerandus antistes », 619 A', modo approbatur, 1 B', 4 D, 6 C, 15 A, etc., modo, et forsan sæpius, carpitur, 1 B, 76 C, 115 B', 117 D, etc. Verumtamen, si quandoque erraverit, bona fide errasse credendus est, 619 A'.

PAUPER. Salva justitia, pauperibus judex favere potest, 29 C, 257 D, et debet, 30 A. — Eis pars in segete et vindemia quotannis concedebatur, 256 C; decimæ tertiæ tertii anni, 573 C', 631 C; et messis septimi anni, 32 D'. — Eis lex mitius applicabatur, 217 D, 229 C, 312 B; et eos mitius tractari jubebat, 25 C, 575 C', 576 C, 622 D', 624 C'. — Pauperum oblationes, quam Deo gratæ, 147 C. — Christianos decet misericordia in pauperes, 577 A'.

PECCATOR dæmonibus assimilatur et consecratur, 475 C; et peccando fit parvus et vilis, 277 B, licet nonnunquam ei magnitudo tribuatur, 277 D. — Alieno peccato consentire peccatum est, 355 C'; et qui peccatorem pro posse non curat erigere, peccat, 607 D'; attamen erga peccatores agendum est discrete, 300 D', et in pœnitentes misericorditer, 392 C', ne in via virtutis animo deficiant, 310 C.

PECCATUM omnium gravissimum, quid sit, 106 B'. — Quoad reatum in peccatis quadruplex gradus invenitur, 627 D, 718 A; et cum delinquentis gradu delicti gravitas crescit, 416 B. — Peccata non spontanea, quæ, 402 A'. — Nullum peccatum Deus inultum relinquere potest, 664 D, sed serius ocius punit, 552 D. Peccato mortali debetur mors æterna et etiam temporalis, 180 D. — Peccatum ex superbia lex morte mulctabat, 402 D', 403 B; peccatum ex ignorantia sacrificiis expiabatur, 402 B, C'; quid de peccato ex fragilitate, 403 B. — Peccatum quodlibet idololatria vocari potest, 9 D, 107 B. — Ad salutem necessarium est odisse super omnia peccatum saltem mortale, 547 C'; et magna ad illud vitandum opus est diligentia, 392 A, 400 B'. — Quantum animæ noceant repetita peccata, 300 A', 400 C. — Ad abluenda peccata septem fontes in N. T. aperti sunt, 164 B. — « Peccatum » nonnunquam pro sacrificio sumitur, 415 D.

PECTUSCULUM hostiæ pacificæ sacerdoti cedebat, 181 A', 589 B; quare, 182 B', 702 C'. —

Digitized by Google

Dictum est pectusculum elevationis, 181 B', cur, 188 B. — Mystice quid, 184 A'.

PELLIS hostiarum, modo sacerdotis erat, ut in holocaustis, 140 C, 175 C, 566 C, 589 C; modo comburebatur, ut in sacrificiis pro communitate, 159 C', 243 D', 566 C. — Pelles, non secus ac vestimenta, afficiebantur immunditia, 210 A', 235 C', et lepra, 222 B. — *Adde* Aries.

PENTECOSTES. *Vide* Festivitates.

PEPO, quid sit ad litteram, 375 D, et tropologice, 386 B.

PEREGRINUS, quis sit proprie, 32 C', 573 C. — Eum contristari non licet, 32 B'. — Eadem lege, pro offerendis sacrificiis, qua Judæus regitur, 401 C'.

PERIRE de populo, quid proprie significet, 180 B, 425 B.

PETRUS de Tarentasia (Innocentius V), Ord. Præd. theologus, 99 D, 106 C.

PHARAN desertum, ubi situm, 393 A. — Quonam sensu de Pharan apparuisse dicatur Dominus, 672 C, 673 D, 674 A'. — Allegorice, Ecclesiam signat, 682 B.

PHASGA, mons grandis, 440 A'; ex eo Balaam filiis Israel benedixit, 456 B', et Moyses Terram promissam contemplatus est, 538 A, 688 C.

PHIALA, quid sit ad litteram, 49 D, 359 C, et mystice, 54 C', 360 B'.

PHIHAHIROTH, IV[a] Hebræorum statio, 500 A', quid moraliter designet, 503 C.

PHILOSOPHIA, ab Ægyptiis instituta, a Græcis magnificata, a Chaldæis et Arabibus multum provecta fuit, 571 A'. — Sapientissime Judæi ab ea diu abstinuerunt, 571 C.

PHINEES, filius Eleazar, zelo suo iram Dei avertit, 473 A, et perpetuum pontificatum meruit, 473 B'. — Exercitui contra Madianitas præficitur, 491 B'. — Tropologice, fervidos figurat, 476 A.

PHOGOR mons; ex eo Balaam filiis Israel benedixit. 459 B', et contra eum sepultus est Moyses, 538 A', 688 C'. — Phogor idolum, quod et Beelphegor dicitur, 474 A, 492 C', deus Madianitarum, 472 A. Huic initiati sunt Hebræi in deserto, et prostrati sunt, 472 A.

PHUNON, XXXV[a] Hebræorum mansio, 501 A', quid exprimat, 505 C'.

PIGNUS, debitoris arbitrio eligebatur, 622 D'. — In pignus necessaria vitæ accipi nequibant, 622 A, nec pauperum vestimenta, 624 C'. — Quotidie ante noctem reddendum erat, 25 A', 623 A'.

PILATUS, ab occisione Christi excusari nequit, 31 B.

PISCES, quo sensu carnem habere dicantur, 206 B'. — Cur ex eis nullus ad sacrificium electus, 143 B'. — Pisces mundi ab immundis qua regula discernendi, 206 D. — In Ægypto sunt frequentes, 375 C. — Piscibus, sicut et carnibus, moderate utendum est, 385 C'. — Piscium squamæ et pennulæ, mystice quid, 214 A, 713 A'.

PLATO fuit castus et virgo, 693 B'. — Ejus error circa animationem siderum, 2 D, 583 A', et mundi, 409 C'; et circa sensibilium informationem, 450 C'. — *Adde* 654 A.

PLATONICI auctores : Proclus et Plotinus, 409 C'. Porphyrius et Apuleius, 454 B'.

PLUMA pro « acu » quandoque sumitur : hinc plumarium dicitur opus acu factum, 56 C, 74 C'; et plumarius, qui acu pingit, 124 B'.

POENA, quoto sensu considerari, et quibus infligi queat, 3 D. — Juxta modum culpæ taxanda est, 20 D'; sed multis de causis augeri potest, 21 A, 627 C'. — Octo pœnarum genera in lege reperiuntur, 626 C', 718 A'. — Unus pro alio interdum plectitur, 497 C; et propter paucorum peccata populus sæpe percussus est, 570 B'. — Quorumdam pœna hic incipit, et in inferno perseverat, 661 A'. — Malum pœnæ recte Deo adscribitur, 550 C. Synopsis pœnarum a lege sancitarum : 1° Morte per ignem plectitur fornicatio filiæ sacerdotis, 274 A. — 2° Morte per lapidationem, sabbati violatio, 95 C, 403 D; blasphemia, 291 C; adulterium, 606 B', D'; fornicatio cum alterius sponsa, 607 A, A'; in parentes rebellio, 600 C; provocatio ad idololatriam, 570 A, B; idololatria, 24 A', 582 C'; cultus Moloch, 270 A; divinatio, 272 C. — 3° Morte simplici, magia, 24 D; quodcumque homicidium voluntarium, 14 B, 15 C', 16 A', 21 B', 291 A'; plagium, 14 B', 622 B; parentum percussio, 14 C', vel maledictio, 14 D', 271 B; negligentia in custodiendis nocivis pecudibus, 17 D; præcipua luxuriæ peccata, 24 A', 271 C; transgressio legis ex superbia, 402 D', 403 B; detrectatio sententiæ pontificis, 584 A'; in Levitarum vel sacerdotum officium obreptio, 327 B', 334 C. — 4° Mutilatione, quæcumque voluntaria vulneratio, 16 C', 291 B'; obscena viri attrectatio a muliere, 629 B. — 5° Vapulatione, fornicatio

Digitized by Google

cum ancilla, 260 C; injusta uxoris criminatio, 605 B', 606 A'. — 6° Pecunia. *Vide* Damnum et Furtum. — In flagellationibus non excedebatur quadragenarius numerus, 626 A'. — In suspensione, deponendum et sepeliendum erat cadaver ipso die, 600 A'.

POLENTA, Puls, Pulmentum, quid ad litteram, 283 B', C', 402 A, et mystice, 404 C'.

POLLUTIO nocturna, variis causis contingere potest, 611 B', et aliquando fit culpabilis, 611 C'. — Immundum faciebat usque ad vesperam, 611 D'.

POLYMITUM dicitur opus varium, 70 B; et polymitarius hujus operis opifex, 124 B'.

PONTIFEX. Ejus institutio, 80 B, et ornamenta, 69 C', 75 B', 711 B. — Cur in humeris nomina XII Patriarcharum portaverit, 70 C', 72 B, 77 D'. — A quorumcumque defunctorum deploratione abstinebat, 274 C, et funere, 274 A'. — Nullam, præter virginem de sacerdotali vel regali tribu, uxorem ducere fas illi fuit, 274 C'. — Ad eum in difficilioribus causis fiebat appellatio, 583 C'. — Verumtamen in veteri lege regi inferior erat, 481 D'. — Ipsius erat juge sacrificium offerre, 173 B, expiare populum, 160 B', 240 A, et tabernaculum, 240 C', 241 C', 244 A', et Domini oracula dare, 72 A', 481 C'. — Non intrabat tamen in Sanctum sanctorum, 239 B, nisi semel in anno, 84 A, 239 B', vel ex accidentalibus causis, 239 C', et solus, 242 B'. — Pontificum octo virtutes, 77 C, 711 D'. Prædicationis officio insistere debent, 78 B, et castitatis custodiæ, 78 C.

PORCUS, cur immundus, 204 C, D', 206 D.

PORPHYRIO, avis immunda, quid sit ad litteram, 208 A', et tropologice, 214 A', 713 D'.

PRÆCEPTA, a mandatis nonnunquam distinguuntur, 563 C, 571 C'. — Quomodo adimplenda sint, 539 D'. — Negativa obligant semper et ad semper, affirmativa non item, 563 D; sed utraque ad opus ordinantur, 538 D'. — Ea scrutari non est illicitum, 179 A'. — Quot fuerint in lege, 571 A, B'; et cur tam multiplicata, 571 B. — An præcepta legis transgrediens semper morte puniendus fuerit, 180 B. — Lex triplicis generis præcepta continebat: 1° Præcepta moralia, 11 B, 133 A, 698 A. De rationis dictamine sunt, et cunctos obligant, 11 B, 647 B, 692 D'; sed non omnia æque manifesta sunt, 699 A. Decem principaliora sunt, ad quæ cetera reducuntur, 699 A'; ex quibus primum ad fidem, 2um et 3um ad latriam pertinent, 546 D, 699 B, septem alia ad justitiam, 546 D'. Adhuc sub nova lege vigent, 11 B, 420 C, 720 B. *Vide* Decalogus. — 2° Præcepta cærimonialia, 11 C, 133 B, 698 A'. In Levitico præcipue continentur, 134 B'. Unde illis hoc nomen, 134 A. Moralia in ordine ad Deum determinabant, 133 A', 546 D'; duplici de causa introducta sunt, 701 C; et diversimode dividebantur, 134 B, 701 A. Patriæ et novæ legis cultum præfigurabant, 700 B'; ideo umbra futurorum dicuntur, 700 D', et præcepta non bona, 696 C; et jam sunt mortua et mortifera, 420 B, 720 C. Quædam ante legem jam instituta esse videntur, 721 A. Cærimonialia novæ legis puriora sunt et expressiora, 721 C. — 3° Præcepta judicialia, 11 C, 133 B, 698 A', in Numeris potissimum tradita, 134 B'. Moralia in ordine ad proximum determinabant, 133 A', 547 A; et quadrupliciter distinguebantur, 582 A. Nunc mortua sunt, sed non mortifera, 420 B, 720 B'. Ante legem quædam jam vigebant, naturali ratione ordinata, 721 A.

PRÆDESTINATI, in Scripturis ab electis distinguuntur, 551 D'. — Ad prædestinationem, ex parte Dei electio et dilectio requiruntur, 552 A.

PRÆDICATIO recte tuba vocatur, 371 A. — Prædicatorum duæ tubæ, quid, 371 C, B'. — Cum audientibus spirituale commercium ineunt, 299 D'. — In meditatione haurire debent, quæ postmodum audientibus eructabunt, 44 B', 386 C'. — Eorum verba, ut prosint, tempestive cadere debent, 306 C'. — Ad Dei honorem, non ad propriam laudem prædicare habent, 667 B'. — Situlæ comparantur, 470 D.

PRÆLATUS. Qui sint ad prælaturam evehendi, 342 A', 386 A', 532 B'. — Boni prælati est cum inferioribus modeste agere, 43 B; plebem instruere, 43 D', 532 A; sapientiam acquirere, 44 B; in contemplatione se exercere, 44 B'; de bonis custodibus gregi providere, 44 D', 532 A', C'; subditos diligenter considerare et tractare, 329 A; et eos ad spiritualem pugnam formare, 495 B; ab externis negotiis, quantum licet, se segregare, 532 A'. — Dubia subditorum verba in deteriori sensu interpretari possunt, 496 B'. — Quandoque eis imputantur subditorum peccata, 20 A', 98 D, 475 A'. — Quomodo subditos corrigere debeant, 108 B, 350 B. Qui corripere negligunt, consentire censentur, 270 A', et gravius pec-

Digitized by Google

cant ipsis delinquentibus, 270 C'; qui indiscrete increpant, rei sunt perditionis subditorum, 19 C'. — Male plebem instruens indignus est præsidere amplius, 20 A; et illi imputatur gregis damnatio, 340 D. — Subditis quantum prælati noceat absentia, 106 D, et prosit oratio, 107 B', 385 A'. — Prælatis valde necessaria est mansuetudo, 389 A. — In successorum electionem se admiscere non debent. 482 D'; et graviter peccant, quum ex carnali affectu aliquem ad prælaturam evehere conantur, 483 B. — Prælaturæ et dignitates servitutes sunt et gratiæ gratis datæ, 587 C; et multi in ipsis pereunt, qui in subjectione salutem operati fuissent, 427 C'.

PRIMITIÆ, ter in anno, et de septem fructuum speciebus reddebantur, 286 B'; similiter et de cibis, 402 A; sine mora, 26 A. — Solenniori ritu semel quotannis offerebantur, 630 C, in Scenopegia, 633 B. — Primitiarum quantitas inter 40^am et 60^am fructuum partem extendi poterat, 420 C. — Levitis, sortis vice, tribuebantur, 418 D; et a mundis tantum comedi poterant, 417 A'. In nova lege primitiarum loco sunt oblationes, 421 B'. — Primitiæ, quid mystice, 35 D. — « Primitiæ » etiam nuncupantur voluntaria plebis dona in ædificationem tabernaculi, 45 A; quas anima quæque etiam nunc solvere potest, 51 C, 52 A.

PRIMOGENITI, pro Levitis commutantur, 335 B', C'; et superabundantes redimuntur, 335 D'. — Omnes primogeniti Deo consecrabantur, tam de hominibus, 26 A, quam de pecudibus, 26 B, 576 A', octava die, 26 C. — Voveri non poterant, 314 A', quia de jure sacerdotibus pertinebant, 417 B'. — Hominum et animalium non immolaticiorum primogeniti redimebantur, 314 B', 417 C', non autem animalium immolaticiorum, 418 A. Ili, in locis a templo remotis, occidi poterant et comedi, dummodo alii ejusdem pretii sacerdotibus offerrentur, 568 C; imo nonnullos in Jerusalem ab offerentibus comedi potuisse videntur, 567 A'. — Primogenitus asini ove redimebatur, 417 D', quam tondere non licebat, 576 B'. — Primogenitus canis occidebatur, 417 D', 576 B'. — In primogenito bovis arare nefas erat, 576 B', sicut primogenitum ovis tondere, 576 B'. — Primogeniti, mystice quid, 318 D'.

PRINCEPS. Ei detrahere nefas, 25 D'. — Principum excessus sunt gravissimi, 163 D'; quomodo expientur, 161 C. — Principum oblationes in consecratione tabernaculi, 357 B, 358 D'. — Fidelium principum est Ecclesiam ab hostibus tueri et vindicare, 495 A. — Spiritualiter, princeps rationem significat, 164 A.

PROMISSA terra, quanta, 38 B, 506 D, 565 C; an eam Judæi integre occupaverint, 38 B. — Fuit irrigua, 555 A, ferax, 555 B, et metalli gravida, 555 C; et ibi est terræ vertex, 659 C. — An Ægypto uberior fuerit, 564 A. — Eam haud semel sterilitate laborasse ex historia constat, 645 A. — Ejus dominium Deus sibi vindicabat, 295 B', ideo nec gentili nec in æternum vendi poterat, 295 C'. — — Quomodo inter tribus dispertita, 478 B. — Allegorice, Ecclesiam significat, 298 D, 556 C, 565 B', etc., et regnum cœlorum, 479 A'.

PROPHETIA. Duplex habetur, una prædestinationis, quæ est infallibilis, 592 D, altera comminationis, quæ mutari potest, 592 A'. — Nulla fit prophetica illuminatio, nisi per ministerium angelorum, 381 B. — Triplici modo fieri potest, 389 C : quarum quæ sit sublimior, 389 B'. — Tempus nocturnum et somnus valde ad eam disponunt, 389 A'. — Prophetæ situlæ comparantur, 463 C. — A voce Dei contremiscunt, 546 A'. — Propheta, si idololatriam suaserit, occidendus, 569 B, D. — Pseudoprophetæ pœna, mors, 591 D'; ex duplici causa dignosci potest, 592 C, C'. Nonnisi de naturaliter cognoscibilibus vaticinari solent, 592 D'; verumtamen eis futura Deus quandoque revelat, 569 D; imo sæpe vera et salubria diabolus suggerit, 569 C. — Hebræis repromittitur Propheta futurus, 590 C', sive Josue, sive Prophetarum chorus, 590 D', sive, potius, Christus, 591 B; hæc promissio dupliciter intelligenda videtur, 591 B'.

PROPITIATORIUM arcæ, quid fuerit, 47 A', 138 B. — Dictum est oraculum et propitiatorium, quare, 48 B, 138 D, 239 C. — Cur in Sancto sanctorum repositum, 62 B'. — Fuit quasi sedes unde Deus loquebatur, 88 A, 138 B. — Allegorice, Christum figurabat, 53 B'.

PROPRIETAS. Ad bonam proprietatis ordinationem expedit, ut possessiones sint distinctæ, et usus earum, partim proprius, partim communis, 478 D', 716 C'; ut pro rata necessitatum unicuique dividantur, 716 C'; et, quantum licet, eisdem conserventur, 294 C, 717 A; et sic fuit ejus institutio apud Hebræos, 294 A, 478 B, D', 716 C'. — Bona

Digitized by Google

proprietatis ordinatio plurimum ad bonum commune confert, 294 C, 717 A.

PROSPERITAS temporalis, licet V. T. justis repromittatur, 7 C', non est condigna virtuosorum operum merces, 539 B; nec fuit principale observantiæ legis præmium, 575 D'. — Impiis sæpe conceditur, 396 C'; sed prosperitas ista omnino fallax, 387 A'. — Ad libidinem incitat, 474 C.

PROXIMUS. Amare proximum, an de lege naturæ sit, 267 D, 269 B'. — Proximorum solerter salus procuranda est, 369 B', 372 D. — Proximum offendens aut seducens peccat graviter, 19 D, 20 B. — Proximi vitia indiscrete detegentes, Cham comparantur, 255 A'.

PSALMI, an omnes a David compositi, 477 C'.

PUER, multimodis in Scripturis accipitur, 110 D'.

PUERPERA, ab aliorum consortio arcebatur, per septem dies si masculum pepererat, 216 B, per quatuordecim dies, si feminam, 216 A'; a sanctis et a Sanctuario, per xxxiii dies, 216 C, vel per lxvi, 216 B'. — In die purificationis agnum anniculum, vel turturem offerebat, 216 C', 217 D, et pro peccato, turturem vel pullum columbæ, 216 C', 217 D. — A quo peccato purgari indiguerit, 216 D'. — Moraliter, quid designet, 217 B'.

PUPILLUS, judicibus commendatur, 624 C'. — Pupillorum oppressio, peccatum ad cœlum clamans, 24 C'; quomodo puniatur, 24 D'. — Pupillus, mystice quid, 28 A.

PURPURA, quid sit ad litteram, 45 D, et tropologice, 52 C, 61 D, 62 D.

PUTEUS, in Scripturis diversimode sumitur, 443 C'. — Possunt, hoc nomine, Scripturarum libri intelligi, 443 D'.

PYGARGUS, mundum animal, quid sit, 573 A.

PYTHON, sive Apollo, divinationis inventor, 272 A'. — Pythones et pythonissæ, quid, 590 C. — Ars pythonica, quot modis exerceatur, 272 B'; et quibus pœnis subjaceat, 272 C.

Q

QUADRUPEDIA in sacrificiis adhibita, quæ, 142 C, D, 701 C'. Qua regula munda ab immundis secerni potuerint, 204 D, 205 D'. — Quadrupedia volantia, alia munda, alia immunda censebantur, 209 A; quadrupedia super manus ambulantia, omnia immunda, 209 C'.

R

RABBI, quid significet, 29 A. *Vide* Judæi auctores *et* Paulus.

RAMESSES, urbs Ægypti, i^a Hebræorum statio, 499 D', quid exprimat, 503 A.

RAPHIDIM, xi^a Hebræorum statio, 501 A, quid figuret, 504 C.

RATIONALE, pontificis ornamentum, describitur, 71 B, 186 C. — Cum superhumerali connectebatur, 71 B'. Quatuor lapidum ordines cum tribuum nomine habebat, 71 C; quare, 72 B. — Speciale rationalis ornamentum, Doctrina et Veritas, 72 D, quid fuerit, 72 A', 186 D; quomodo responsa dederit, 72 B', et quamdiu, 72 D'. — Quid spiritualiter expresserit, 52 B', 77 A, 191 A'.

REFUGIUM. Sex Levitarum urbes in refugium casu homicidarum constituuntur, 509 B', 593 C; ex quibus tres in terra Galaad, 510 B. — Tres aliæ postea addi permittuntur, 593 D'. — Ibi a vindicta tutabantur, 509 D'; sed exire nequibant ante mortem pontificis, 510 D', 511 B'. — Voluntarius homicida ex illis ejiciendus erat, 510 A', 594 A. — Moraliter, quid designent, 512 B', 594 C'.

REGIMEN. Politici regiminis quatuor formæ, 715 C. — Quæ ad bonum regimen conferant, 379 A. — Optima regiminis species est ea quæ ex monarchia, aristocratia et democratia contemperatur, 379 C; et talis fuit Hebræorum politia, 379 D, 715 D.

RELIGIOSI peccantes facilius resurgunt, 300 C'; sed gravius scandalizant, 327 D'. — Eis vitanda est omnis sensualitas gustus, 355 B, et tactus, 355 D, et inordinatus in proximos affectus, 355 C'.

REMMONPHARES, xvi^a Hebræorum mansio, quid designet, 504 B'.

RENES hostiarum cum renunculis, semper Domino cedebant, 153 C'; quare, 156 D.

REPTILIA universa immunda declarantur, 211 A'. — Quot eorum genera, 211 B', 662 B. — Mystice, dæmones avaritiæ significant, 670 D'.

REPUDIUM. Libellum repudii, quandonam conscribere licuerit, 616 A; et quomodo, 616 D'. *Amplius require verbo* Matrimonium.

RESSA, xviii^a Hebræorum statio, quid significet, 504 C'.

RETHMA, xv^a Hebræorum mansio, quid moraliter, 504 B'.

Digitized by Google

RETICULUM jecoris, id est, adeps hepatis, semper Domino cedebat, 81D', 153C', etc; quare, 156A'.

REX. Monarchia, licet optimum regimen, facile in tyrannidem vertitur, 588A, 716B; ideo ægre, et cum temperamentis Hebræis concessa est, 585A', 588B, 716C. — Videtur tamen Deus eis saltem permisisse ut regem sibi constituerent, 585D, cum et ipse regiam dignitatem in tribu Juda præordinaverit, 585B. — In quo ergo peccaverit populus, regem postulando, 585D, 588A'. — Reges Israel sacerdotibus præstantiores erant, 481D', 676D. — De eorum officiis : Eis prohibentur equorum multitudo, 586A, regressus in Ægyptum, 586A, immoderata uxorum copia, 586C, et divitiarum, 586D, fastus et superbia, 587A; eis jubetur Deuteronomii exemplar describere, 586A', et legere, 586C', et in omnibus æquitatem servare, 587C. — Regalium officiorum synopsis, 587B'. — Rex imago Dei in terra, subditos in omni virtute præcellere debet, 587D. — Ei valde necessarius est timor Domini, 586D'.

RHINOCEROS, unde dictus et quid sit, 458C. — A virgine facillime capitur, 458D; sed in captivitate moritur, 458A'. — Cornu ejus, quantum, 458B'. — Allegorice, Christi figura est, 458D', 470A'.

RICHARDUS de Mediavilla (de Midletown), Ord. Min. theologus, « venerabilis doctor », 462C'.

RUBEN tribus ad meridiem tabernaculi manebat, cum duabus aliis, 330A', quibus præerat, 331C'. — In ejus vexillo hominis figura fuit, 331B. — Rubenitis pars terræ Galaad traditur, 496B, 497C'. — A Moyse benedicitur, 675B'. — Rubenitæ, mystice quid, 498D, 499A, 683B'.

RUMINATIO quadrupedia munda ab immundis separabat, 206A. — Signum bonæ digestionis est, 206A. — Tropologice, quid indicet, 213D', 713D.

S

SABBATUM, in memoriam creationis institutum, 4C, 287B, 706C, in requie celebratur, 4A', 33A', 282A, per peculiare sacrificium, 484C, 486A. — Sabbatum violantibus lapidationis pœna indicitur, 95C, 403C. — Quomodo nunc a Judæis colatur, 4D. — Allegorice, requiem a Christo datam figurabat, 287D'. — Sabbatum Christianorum, quomodo colendum, 10D. In eo mortaliter peccans dupliciter peccat, 10B.

SABBATICUS annus, seu septimi anni requies, instituitur, 32D', 292C, 574C. — Quo durante, non seminabatur terra, 33A, 292D; sponte nascentia non colligebantur, 293B, sed omnibus communia erant, 293C. Debita exstinguebantur, 574D, aut saltem solutio differebatur, 575B; servi libertate donabantur, 12A. — Eo etiam anno, Scenopegiæ diebus palam legebatur Deuteronomium, 649C. — Allegorice, evangelicam legem præfigurabat, 576D', et requiem æternam, 299B.

SACERDOS. Ritus consecrandi sacerdotes V. L. explanatur ad litteram, 80B, 173C', 185D, et mystice, 86B, 190B. Tria complectebatur : purificationem, consecrationem, applicationem, 184D, 710C'. Cur uncti dicantur, 81A', 158D, 333C. — Ex filiis Aaron eligebantur, 333C, 337C, 413A, certis dotibus præditi, 275B, 276A. — De officiis sacerdotum : Eorum erat victimas probare, 139A, C, 312B'; offerre sacrificia, 140A, 141D, C', 250D, etc., libamina, 148A, C', 283B, incensum et panes, 273B', 290A; holocaustorum ignem nutrire, 172C', tuba in festivitatibus et bellis clangere, 367C, D', 368A; bellatores adhortari, 595C; votiva æstimare, 312B, B', 313A, A', 314A; immundos declarare, 218A', D', 219B, 220B, etc., et reconciliare, 217D, 226A, 230B, etc.; sacra tangere et involvere, 337C', 416C'; plebem instruere, 649C, et illi benedicere, 354B'; jus cum judicibus dicere, 584B, 594D. — Tempore ministerii sui, vino abstinere debebant, 199A', C'. A funeribus, paucis exceptis, arcebantur, 273A. Comam nec penitus abradere, nec integram servare poterant, 273A'; nec nisi honestas feminas sibi conjungere, 273C', 275D'. — Hereditatis vice eis tribuebantur restitutiones nemini obvenientes, 345B, primitiæ, 345D, 417A', 589A', fidelium oblationes, 345A', 417A, decimæ, 345B', pars in plerisque sacrificiis, 173C, 174B, 175A', etc., 589B, et in spoliis hostium, 418C, 493D'. — Quandonam immolatis uti potuerint ipsi, 278A', servi eorum et filiæ eorum, 279B. — De ornamentis eorum. *Vide* Vestes.

Qui ad sacerdotium admitti possint, 86B, 185C, 190B, 342A, 363A', 364B'. — Sacerdotalis dignitas recte onus dicitur, 416A; nec decet ea gloriari, sed magis timere, 201C. — Quomodo sacerdotes Dominum sanctificare

Digitized by Google

possint, 202B, et iniquitatem sanctuarii portare, 415C. — A Deo specialiter diliguntur, 336C; et a populis specialiter quoque diligendi sunt, 199B. — Sacerdotalis ordinis officia, 329B' : Celebrare debent, 195B; circa sancta solliciti esse, 192A', 278A; alienis peccatis mederi, 419A; pro sæcularibus principibus orare, 483A'; et populo christiano invigilare, 337A. — Sacerdotes immaculatos esse oportet, 275C; virtutibus fulgere, 77C, 276B', maxime castitate, 78C, 176D ; a vitiis refugere, 276B, 711C', præsertim a vinolentia, 202C', 203A, et avaritia, 421A; nec minus sanctitate quam dignitate tenere primatum debent, 329B'. — Eorum benedictiones plurimum valent, 355A. — Eorum peccata gravissima sunt, 163C, et populos valde scandalizant, 327D'. — Omnes Christifideles aliquo modo sunt et dicuntur sacerdotes, 177A.

SACRAMENTA V. L. ad cærimonialia pertinebant, 701A. Quot fuerint, 707C. — Quædam N. L. sacramenta in his præfigurabantur, 708C'.

SACRIFICIA V. L. ad cærimonialia pertinebant, 701A. — Cur per animalium mactationem Deus honorari voluerit, 134C. — Hostiarum occisione inculcabatur justitiæ Dei memoria, 135A; earum comestione homines Deo conjungebantur, 135A', et sibi invicem, 135B, ad Dei cultum incitabantur, 135C', et ad sanctificationem propriam, 135D'. — Sacrificiorum variæ distinctiones, et ordo, 136B, 702B, D'. — De eorum materia, 137C, et efficacia, 140D'. — Sacrificiorum odor cur suavis dicatur, 82D, 140C'. — In sacrificiis, paupertati offerentium lex providit, 147B. — Moraliter, sacrificia Dei et diaboli, quæ, 474D'.

De ritibus sacrificiorum communibus : 1° In loco a Deo electo offerri debebant, 7A', 251C', 566B, 703D'. Ex dispensatione Dei facta sunt in Carmelo et in Hebal, 634A'. 2° Hostia ad ostium tabernaculi præsentabatur, 250B, D, D'. 3° Offerens in caput hostiæ manus imponebat, 139D, 158D', 160B', etc. 4° Sanguis totus effundebatur, nec unquam in alicujus usum veniebat, 140B. 5° Adeps totus comburebatur, 140B, et Domino pertinebat, 154B'. 6° Cuilibet victimæ jungenda erat oblatio similæ et vini, 401A, C.

De ritibus sacrificiorum propriis :

I. Holocaustum. Ejus natura et significatio, 7D, 136B, 138A'. Primum locum inter sacrificia obtinuit, 136C', 702D'. Victima de bobus, ovibus, aut capris eligi poterat, 138A', 141A, masculis, anniculis, 138B', aut de avibus, 141B'. Prope altare, ad aquilonem immolabatur, 141C. Corpus concisum in frusta, 140D, novem, 162C, penitus adolebatur, 140B', 141B', 142A'. Pellis sacerdotibus pertinebat, 140C', 175C. Hoc sacrificium duodecim sacerdotum ministerium requirebat, 162C.

II. Sacrificia pro peccato. Eorum natura et significatio, 136C, 702D. Præstantiora erant pacificis, 136D', 703A; et quatuor erant, 157C. 1° Pro ignorantiis sacerdotum vel populi, immolabatur vitulus immaculatus, 158D, D', 160C, A', 402B, cujus sanguine adspergebatur velum Sancti sanctorum et altare thymiamatis, 159B, 160C'. Corpus ejus partim in altari cremabatur, 159A', 160D', partim extra castra, 159C', 161A. Pellis comburebatur, 159C', 243D'. Nihil inde percipiebat sacerdos, 160A, sicut nec in qualibet oblatione pro sacerdotibus, 174A. Pro quibus sacerdotibus fuerit oblatum, 158D, et pro quibus peccatis, 158B'; et quid mystice significet, 163B'. — 2° Pro ignorantiis principum vel privatorum offerebatur hircus, 161D, 402C, vel capra, 161D', 402C', cum præcedenti ritu, 161B. Sed hostiæ in duas partes dividebantur, quarum una in altari adolebatur, altera in usum sacerdotum cedebat, 136C, 702D. In atrio comedenda erat, 174C, a solis masculis de genere sacerdotali, 174D'. Omnia contactu ejus sanctificabantur, 174D. A pauperibus aves offerri poterant, 217D, 702D'. — Simili prorsus modo offerebatur sacrificium pro delicto, seu peccato omissionis, 175A, 228B'.

III. Sacrificia pacifica. Eorum significatio, 136B', et ritus, 178A, 181D. Victima, quæ de bobus, ovibus, vel capris eligi poterat, 153C, 154B, A', masculis vel femellis, immaculatis, 153C, 154B, in introitu tabernaculi immolabatur, 153B', et in tres partes dividebatur, 136B', quarum una, id est adeps cum renibus et renunculis, incendebatur, 153B', alia, id est pectusculum et armus dexter, sacerdoti deputabatur, 181A', 702C', tertia pars offerentis erat, 155C, 178C'. Hostia pacifica, ubique intra Jerusalem comedi poterat, 179C', a mundis, 179D', eadem die, in sacrificiis pro gratiarum actione, 178C', eadem die et

Digitized by Google

sequenti, in sacrificiis pro obtinendo beneficio, 179B; quare, 179A'. Residuum igni tradendum erat, 178C', 179C', sub qua pœna, 179C'. Aves in pacificis non adhibebantur, 154C', 155B', 702D'. Hostia pacifica, allegorice quid, 155D, 156B, A', D'.

Sacrificia incruenta. *Vide* Oblationes. — *Cf. etiam* Avis, Hostia, Libamen.

SÆCULUM. Consummatio sæculi duplex, una per sabbaticum annum figurata, altera per annum jubilæi, 299B, B'.

SAGUM, quid sit, 57A, 340D'. — De sagis tabernaculum operientibus, 57A. — Quid significent, 61D, 63A, B'.

SAL in omni sacrificio requirebatur, 149C'; quare, 149D'. — Moraliter, discretionem designat, 152B'.

SALMONA, xxxiv^a Hebræorum mansio, 501A'; quid allegorice, 505C'.

SALPHAAD, quis fuerit, 480B. — Filiarum ejus petitio, 480B, causa fuit cur statueretur mundo jus hereditatis, 480D'. Mystice, quid exprimant, 482B.

SAMSON, Philistiim segetes succendens, non peccavit, 22D'.

SANCTI semper in gratia Dei proficere cupiunt, 112C. — Ab eis fervor spiritualis nonnunquam subtrahitur, 642B. — Omnes sunt in manu Dei, 675A, 683A; et salus eorum miseratio ejus est, 550B'. — Sanctorum mors populis calamitas est, 435B'. — Quot sint homines gloriæ prædestinati, 657C'. — An quibusdam, non attentis meritis, mercedem daturus sit Deus, 479A'. — Sancti in gloria quibus volunt visibiles vel invisibiles se præbere possunt, 450B. — Sanctum in Scriptura dicitur quidquid divino cultui mancipatur, 264D — Sanctum et Sanctum sanctorum. *Vide* Tabernaculum.

SANGUIS hostiarum totus effundebatur, 140A, in idololatriæ detestationem, 155A, 702A'; ubi, 143B'. — Imo Hebræis quocumque modo interdicebatur, 154C', 181B, 251B; quare, 155A', 181C, 251C. — In sanguine est vita, 251C, 568A', et per sanguinem fit expiatio, 251D. — Tropologice, sanguinem comedere, quid sit, 157B, 252B.

SAPIENTIA et scientia, modo ad gratiam gratis datam, modo ad gratiam gratum facientem pertinent, 94A.

SAPPHIRUS, Rationalis gemma, cujus virtutis, 79B. — Mystice, sapientiæ donum signat, 79C.

SARDIUS, Rationalis gemma, describitur, 78A'. — Moraliter, patientiam exprimit, 78B'.

SATISFACTIO. Tria satisfactionis opera, quæ, 183B'.

SCABIES, lepræ species, non inquinabat, 219C. — Quid mystice, 224D, B'.

SCANDALUM summopere vitandum est, 9C', 625C, et omni modo reparandum, 349D'. — Non scandalizantur, nisi pusilli, 277D. — A scandalosa societate, corpore aut saltem mente recedendum est, 412B.

SCORPIO, quid sit, 555B'. — Typus est adulatorum, 556C'.

SCRIPTURA, cur in varios libros divisa, 137D'. — Plures sensus litterales habere potest, 666A'. — Non sine indumentis verbum Dei profert, 145B'. — Sæpe communitati quod est paucorum adscribit, 492C'. — In tentationibus ad eam recurrere expedit, 372A. — Infirmioribus caute exponenda est, 20B'. — Verbum Dei, quanti pretii, 122C'. — Allegorice, per propositionis mensam designatur Scriptura, 63A', 343C, et per puteos solitudinis, 443D'.

SCULPTILIA et simulacra apud Hebræos prohibita, 2B', 7C, 581A'; quare, 2C'. — Nunc non prohibentur, 581B'. — Deorum simulacra animata putabantur, 2C'. — Tropologice, simulacra sunt cogitationes noxiæ, 636B'.

SEGETES, quo tempore maturæ in Palæstina, 283A. — Ex eis nihil, ante primitiarum oblationem, communi usui deputandum erat, 283B'. — Segetum pars quædam pauperibus relinquenda erat, 256C. — Quinquagesimo ab incepta segete die, unusquisque festivale epulum faciebat, 580A. — Seges animæ, quid, 265B'.

SEHON, rex Amorrhæorum, a rege Moab urbem Hesebon abstulerat, 441B, et regionem usque Dibon, 441B'. — A filiis Israel profligatur, 440B'. — Mystice quid, 444A'.

SEIR, quid significet, et quomodo Deus de Seir ortus perhibeatur, 672C, 673B. — Moraliter, Judæos infideles signat, 681D'.

SEMINIFLUUS, tanquam immundus, 234D, a Levitarum castris prohibebatur, 344B, et omnia contactu suo polluebat, 235B; sed in castris populi manere poterat, 344B. — Sanatus, corpus lavabat et vestimenta, 235C, et in sacrificium duos turtures offerebat, 235A'. — Tropologice, quid sit, 238A. *Cf.* Copula.

SENECA, « magnus philosophus, » idolis non

Digitized by Google

credebat, 693A'; ideo damnabilior, quia ea coluit, 693B'.

SENEX, cur honorandus, 263C'; et a quibus maxime, 263D'. — Ad contemplationem aptior est, 363D'; et ad consilium melior, 378D. — LXX senes in adjutorium Moysi dati, 378B', cur ab ipso fuerint electi, 378B', et quonam sensu de spiritu ejus accepisse dicantur, 379A', C'. — Gratia LXX senioribus concessa non fuit simplex prophetiæ donum, sed gratia gratum faciens, 380D, D'. — Licet de charismate Moysis sumpta fuerit, non illud minuit, 379C'; nec inde orta est effective, 380B, nec a Moyse ministrata, 381C, quandoquidem nec ipse lumen propheticum immediate a Deo acceperat, 381B'. — LXX seniores, quamdiu prophetaverint, 383A. — *Adde* Eldad.

SEPHER, XX[a] Hebræorum mansio, quid significet, 504D'.

SERPENS. Igniti serpentes describuntur, 437D. — Serpentis simulacrum Moyses erigere jubetur, 437A'; ubi, 673B'; quare, 437C'; cur ex ære, 438A; cur erectum, 438A. — Non propria virtute adspicientes curabat, 438B. Usque ad tempus Ezechiæ duravit, 438D. Christi figura fuit, 437D', 673D. — Mystice, quid sint serpentes, 443A', 670D'.

SERVUS. Judæus alienigenæ serviens semper redimi poterat, 298A; Hebræo serviens non in perpetuum servus erat, 12B, sed septimo anno libertate donabatur, 12A, cum honesto amictu, 12A', cum vel sine uxore, 12B'. — Quid, si in servum perpetuum assumi voluerit, 12D'. — Benigne tractandus erat, 15C', 297D; nec occidi poterat ab hero, 15B', nec vulnerari, 17A. — Fugitivus, quandonam domino suo tradi potuerit, 612A'. — Sacerdotum servos quandoque de immolatis vesci licebat, 279B. — Servæ Hebrææ, quomodo tractandæ, 13C. — Servi alienigenæ in perpetuum servari poterant, 297C'; et vapulare, vel usque ad mortem, 15C', quare, 15D'. — Servi christiani per Christum nobilitati, pie tractandi sunt, 16C, 18C, 301B; et eos Judæis servire indecens est, 298C'.

SETH, filius Adam. Ab eo descendit universum genus humanum, 466C'; ideo omnes filii Seth dici possunt, 466B'.

SETIM, lignum imputribile, a Jacob in deserto satum dicitur, 45B'. — In confectione arcæ, altaris, vectium, tabularum, etc., adhibebatur, 46D, D', 48D, 58A, etc.; quare, 68B. — Mystice quid, 52D.

SICLUS moneta, cujus valoris, 89B, 168B', 311C. — Duplex fuit, 311A', 314A'.

SIDERA propter hominem facta sunt, 542A; et non videntur animata, 542C, 583B'; ideo colenda non sunt, 542B, 583C'. — Post resurrectionem moveri desistent, 542C. — Juxta quosdam, gentibus singulis singula sidera deputata sunt, 542D.

SIGNUM multipliciter accipitur, 437B'.

SIMEON tribus nullam a Moyse benedictionem accepit, quare, 680D. — Princeps hujus tribus fornicans interficitur, 472D'.

SIMIA inter immunda animalia reputatur, quare, 209C'.

SIMILA in libamine, quanta pro qualibet hostia subministrari debuerit, 401C, 404D, et quare, 484B'. — In oblatione, vel cruda offerebatur cum oleo et thure, 147B', vel cocta diversimode, 148D; ex qua exigua pars super altare adolebatur, 148A, C, C', residuum vero sacerdotibus deputabatur, 148C, D', 175B'. — Cur tot modis eam offerri licuerit, 149A. — Moraliter, quid sit simila, 151A, 404B; simila cocta, 183D; in clibano, 151D'; in sartagine, 152B; in craticula, 152B.

SIN, XIII[a] Hebræorum mansio, quid ad litteram, 500D', et mystice, 504A.

SINAI, XII[a] Hebræorum statio, 501A, quid designet, 504D. — Sinai mons, quam terribilis dum daretur lex, 540D'.

SMARAGDUS, Rationalis gemma, describitur, 78D'. — Ubi et qualiter inveniatur, 79A. — Tropologice, mansuetudinem significat, 79B.

SOCCOTH, II[a] Hebræorum statio, 500C. — Quid mystice, 503A. — Plures urbes sic dictæ inveniuntur, 500C.

SOMNIUM. Variæ somniorum causæ, 261B'. — Quatenus ea observare liceat, 261A, 262A, B'. — Vigiliarum curas repræsentare solent, 548B'.

SOMNUS et sopor, quid sint, et quatenus ad intellectus actus conferant, 462B.

SPICÆ virentes in oblationem dari poterant, 150C; quo ritu, 150A'. — Secunda Paschæ die, solenniter præsentabantur, 282D. — Quid tropologice figurent, 152D'.

SPIRITUS Sanctus, in quibus requiescat, 380D'. 387A. — Illi gratiarum largitio tribuitur, 383D'. — Spiritu Sancto repleri, quid in Scripturis, 93D'. — Per columnam ignis et nubis præfiguratus est, 366B', 533B.

Digitized by Google

SPURIUS, quid sit proprie, 609D. — A civilitate Hebræorum spurii excludebantur, 611 C, 719B', et nunc a sacris arceantur Ordinibus, 609A'.

STACTES, species myrrhæ, in thymiamatis compositione adhibebatur, 91 C.

STELLA. *Vide* Sidera.

STELLIO, immundum animal, quid sit, 210C.

STRUTHIO, avis immunda, describitur, 207B'. — Moraliter quid, 214C, 713B'.

SUBDITI, a prælato correpti, indignari non debent, 25C'. — Interdum, ob superiorum delicta, corporaliter puniuntur, 199A. — Prælatum delinquentem quomodo corrigere debeant, 225B. — Quatuor modis in prælatos peccare possunt, 411D. — Subditi anima uxor est prælati, 350B.

SUPERBIA, vitiorum regina, 405D. — Dupliciter quis ex superbia peccare potest, 405B, et utrobique gravissime, 405B. — Peccator ex superbia nullis sacrificiis expiabatur, 403A; sed morti adjudicabatur, 402D, et cui morti, 403B. — Ad salvandos superbos aliqua adulatione sæpe opus est, 369B'.

SUPERHUMERALE, pontificis ornamentum, describitur, 70A, 71A. — Duodecim lapides tribuum nominibus inscriptos habebat, 70D. — Quid moraliter significaverit, 77A, D, C', 191D.

SURDUS. Ei maledicere nefas, 257B, 265D'.

SUSPICIO, quid sit et unde oriatur, 350C'. — Semper mala est, 350D'. — Triplex suspicionis gradus et reatus, 350D'.

SUSURRO, quis sit proprie, 258A, et quam graviter peccet, 258B.

SYNDERESIS, quid sit, 692C'.

T

TABERNACULUM aut templum cur sibi erigi Deus voluerit, 703 C'. — Cur vocatum tabernaculum fœderis, 110D, et testimonii, 138C. — Juxta formam Moysi ostensam factum est, 46C, et ex donis a plebe sponte oblatis, 45A. — Ex tabulis setim constabat, 58A, variis cortinis opertum, 56A, 60B. — Tabernaculi ostium in quo victimæ præsentabantur, quid, 138C'. — Cur semper in medio castrorum positum, 330B, et quo ordine circa illud Hebræi castrametati, 330C. — Tabernaculi consecratio, quandonam facta, 356D, 357B', et quo ritu, 357A, 358D'. — In eo, sicut nunc in ecclesia consecrata, Deus habitabat, 632A'. — Indiscrete ad illud accedentes peribant; devote vero, gratiam reportabant, 414A'. — Tabernaculum in tres partes divisum fuit : 1° Atrium, seu pars anterior, longior sed humilior ceteris, 68C. Atrii descriptio, 64D'. Populo patebat, 62B, D; et continebat altare holocausti, 67A, 125C', et labrum æneum, 125D'. Ibi comedebatur illa pars hostiæ quæ solis sacerdotibus, exclusis feminis, deputabatur, 174C. — 2° Sanctum, ad occidentem atrii, 61D', 64D'. In ipsum intrabant sacerdotes, non populus, 62B, A', 704C'; et continebat candelabrum aureum, 66A', 125D, altare thymiamatis, 87D', 125D, et mensam propositionis, 125D, 705C. Mystice quid, 61C, 62A, B, 704B'. — 3° Sanctum sanctorum, ad occidentem Sancti, 61D', 704A', a quo per velum separatum erat, 59B', 62A, 704B'. Solus pontifex, semel in anno, in ipsum intrabat, 62A, C, 84A, 704B'. Tria continebat, arcam, Cherubim et propitiatorium, 59C', 62B', 704D'. Spiritualiter quid, 61C, 62A, 704A'. — Allegorice, tabernaculum figura fuit universi, 61C; vel Synagogæ et vitæ præsentis, 704B; vel Ecclesiæ militantis, 52C', 62D'; vel triumphantis, 145A. Ejus columnæ, bases, tabulæ, operimenta, mystice explicantur, 63B, 707A. — Tabernaculorum festum. *Vide* Festivitates.

TABULÆ testamenti primæ, a quo conscriptæ, 42A, 95B'; item secundæ, 116C, 560B. — Cur primæ a Deo, secundæ ab homine exaratæ, 116C'. — Ex utraque parte inscriptæ fuisse videntur, 99D. — Quot præcepta continuerit utraque, 105D'. — Earum confractio, quid indicaverit, 108A. — In arca repositæ erant, 47B. — De tabulis tabernaculi, 58A. Moraliter, fideles signant, 63B.

TALENTUM, pondus, triplex fuit, 51B.

TALIO. Lex talionis, quæ, 16C', 291B'; quatenus licita, 16C'; et quomodo observata, 16D'.

TALPA, immunda declaratur, 204C, 210B. — Vescitur terra, 210D. — A paganis colebatur, 205C.

TEMPLUM cur sibi erigi voluerit Dominus, 703C', unicum, 704C; et potissimum tempore Salomonis, 703D'. — Homicidas voluntarios ab occisione non liberabat, 14A'. — In templo Zorobabel quinque deerant notabilia, quæ in priore fuerant, 73B. — Ecclesiæ et patriæ figura fuit, 704B.

Digitized by Google

TENTATIO Dei, quid sit et quotuplex, 549B'. Est per se mortalis, 550A. — Tentationes quinam affectare possint, 533B'. — In tentationibus per Scripturæ verba se confortare oportet, 372A. Quo sensu Deus hominem tentare dicatur, 554A, C.
TENTORIUM. Sic dicitur velum atrii, 59D'. — Baptismum præsignabat, 68D.
TERRA, in Scripturis, modo genus humanum designat, 651C', modo elementa, 652A. — Quo sensu polluta vel sancta dicatur, 511D'; testificari aut obstupescere perhibeatur, 652B. — Immortale elementum recte dicitur, 652B'. — Ante finale judicium igne purgabitur, 661C'; et in renovata terra montes amplius non erunt, 678B. — Moraliter, insipientes et imperfectos designat, 667C. — *Cf.* Promissa terra.
TESTIMONIUM in arca repositum, quid, 125D'. — Testimonium falsum vitandum, 5C', 28B'.
TESTIS. Cur duo ad minus testes requirantur et sufficiant, 511C, 717B'. — Testibus non licet munera accipere, 32A, nec testimonii pretium, 32D. — Testis tacens veritatem in judicio peccat, 165B, et ad damnorum compensationem tenetur, 165C. — Quandonam urgeat obligatio confitendi veritatem, sive in judicio, 165C, sive extra judicium, 170B. — Falso testi talis pœna infligitur qualem proximo infligi volebat, 594D. — Testes primum lapidem in reum mittebant, 570B.
THURIBULUM, quid ad litteram, 49D, 338A', et mystice, 54C', 201C'. — Coritarum thuribula altari affigi jubentur, quare, 410D, 412C.
THUS. Oblationibus addebatur, 147C'; quare, 150A: non tamen in oblationibus pro peccato, 168A, neque in zelotypiæ sacrificio, 346D, 703B'. — Mystice quid, 150C', 151D.
THYMIAMA. Ejus compositio, 91C, et usus, 91C'. — In altare thymiamatis ponebatur, 87B', mane et vespere, 88C, ab Eleazar, 340A, ad pellendum sacrificiorum odorem, 88D; nec in usum communem usurpari debuit, 91C'. — Tropologice, ferventem orationem signat, 93B'.
TIARA duplex fuit, pontificis et sacerdotum, 76B, B', 186B'. — Utraque describitur, 74B', 75C'. — Cœlum empyreum significabat, 77B, 711B'.
TINTINNABULA LXXII e tunica pontificis dependebant, 73B'. — Quid spiritualiter, 77A, D, 78B.
TOPAZIUS, Rationalis lapis, describitur, 78C'. — Tropologice, caritatem signat, 78D'.
TRAGELAPHUS, mundum animal, quid ad litteram et mystice, 572D'.
TRIBUS, tot familiis constabat quot Patriarcha filios habuit, 325B'. — Unicuique fuit peculiaris princeps, 326B, et proprium vexillum, 330A. — Quomodo inter tribus divisa sit Terra promissionis, 478B. — Quibusdam absque sorte data fuit possessio, 478A'. — Quam unaquæque benedictionem a Moyse acceperit, 675B' et seq.
TRISTITIA homini valde nocet, 203B'; ideo in tristitiam proximum inducens graviter peccat, 25A.
TUBA. Duplicis generis tubæ apud Hebræos usurpabantur, 492A. — Earum forma, 367C, et usus, 367B. Diverso sonitu Hebræos ad conventum vocabant, 367C, vel ad profectionem, 367B'. Tubarum clangore annuntiabantur bella, 368A, 491D', festivitates et neomeniæ, 368B, et jubilæus, 293B'. — Allegorice, prædicatorum voces exprimunt, 371A. — Tubarum festum. *Vide* Festivitates.
TUNICA, ornamenti genus pontifici et sacerdotibus commune, 75B'. — Pontificalis tunica describitur, 73C. Quid significaverit, 77A, D, 191D, 711C. — Sacerdotis tunica, quæ, 74A', D'; et quæ moraliter expresserit, 77C, 176D, 191C, 711D'.
TURTUR in sacrificiis adhibebatur, 143C; sed tantum pro peccato, 702D'. Pullos turturis offerre non licebat, 142C, 143D'. — Turturis offerendæ ritus, 141C'. — Spiritualiter, Christi figura fuit, 145B'; et vidualem castitatem significat, 143C.

U

ULCUS. Lepra ulcerum, quomodo dignoscenda, 220B. — Tropologice, ulcus est peccatum, 224D', et ulceris lepra, proclivitas ad relabendum, 225A'.
ULTIO. *Vide* Injuria.
UNGULA. Divisa ungula animalia munda ab immundis distinguebat, 206A. Signum est temperatæ complexionis, 206A. Mystice, quid significet, 213C', 713D.
UPUPA, avis immunda, quæ, 208D'. — Tristium speciem gerit, 214B', 714A.
URBS. *Vide* Refugium.
URSUS immundus reputatur, quare, 209C'.
USURA est contra naturam et rationem, licet

Digitized by Google

a legibus civilibus tolerata, 613B'. — Hebræis erga Hebræos prohibebatur, 25C, 297A; erga extraneos, ad majus malum vitandum, concessa fuisse videtur, 576A, 613B. — Serpenti comparatur, 25D.

UVÆ. Nazaræis omnino interdicebantur, quare, 351B', C'. — Mystice, quid significet uva, 355D', 663C'. *Adde* Vinea.

UXOR. Moysis uxor, cur dicta Æthiopissa, 387C', 388B'. — Dicunt aliqui eam Æthiopum reginam fuisse, 388A'. — Qua de causa cum Maria contenderit, 388D. — Figura Ecclesiæ exstitit, 392A. — *Cf.* Matrimonium.

V

VACCA rufa, quæ, 245D. — Vaccæ rufæ sacrificium explanatur, 421D'. — Ratio ejus litteralis, 709B', et figuralis, 426A, 709C'. — Quanto tempore ejus cineres servare licuerit, 423B'. Ad conficiendam aquam lustralem adhibebantur, 424A, 425B'. — Cur omnes hujus sacrificii ministri immundi fuerint, 424C.—Mystice, Christi figura fuit, 426A.

VALERIUS MAXIMUS citatur, 134A.

VASA tabernaculi describuntur, 49C, 66B. — Vasa sancta, quæ, 491C'. — Septem erant quæ non nisi velata portabantur, 338B, et quæ tangere capitale fuit, 340A'. — De vasorum contaminatione: Polluebantur omnia vasa, in quibus cocta fuerat hostia pro peccato, 174A'; intra quæ vel super quæ ceciderant morticina, 210A', D'; quæ ab immundis personis tacta fuerant, 216B, 235B; omnia vasa domus leprosæ, 230B; et domus mortui, 425D. — Vasa contaminata, si fictilia, confringebantur, 174A', 210B'; si lignea, lavabantur, 210A'; si saxea aut ænea, defricabantur, 174B'. — Mystice, quid sit vas fictile, 177A'; et vas æneum, 177B'.

VELUM. Describuntur vela duo ad ornatum tabernaculi pertinentia, 59D; unum in introitu tabernaculi, 59D'; alterum, ante Sanctum sanctorum, 59B', opere plumario, depictos habens omnes flores quos humus gignit, 59A'. — Velorum quatuor colores, quid significent, 61D, 62D. — Mystice, obscuritatem fidei exprimunt, 92A'.

VENDITIO. Bono regimini expedit ut possessionum venditiones quam raro fiant, 294C; ideo in V. L. sapienter statuta est possessionum restitutio quinquagesimo anno, 294C. — Possessiones tanto vilius venibant, quanto proximior erat jubilæi annus, 294A'. — Terra promissionis nec gentili vendenda, 295C', nec in perpetuum, 295B'. — Quodcumque prædium venditum, semper vel a venditore vel a propinquo ejus redimi poterat, 296A. — Domus urbanæ in perpetuum vendi poterant, 296C, non autem rusticæ, 296D; quare, 296D. — Levitarum domus, etiam urbanæ, in jubilæo restituebantur, 296C'.

VESPERTILIO, avis immunda, 207A', quæ sit ad litteram, 209A, et moraliter, 214B', 714A.

VESTES pretiosiores regibus ad honorem conceduntur, 69A. — Vestibus populum suum a gentibus differre Deus voluit, 405C', 406A'. — De sacerdotalibus vestimentis, 69D' et seq.; quæ pontifici, quæ sacerdotibus propria, 75B, B', 76A, 172D, 186A', 711B. Quid spiritualiter significaverint, 76D, 77B', 711B, D'. — Vestes ex duobus contextæ prohibentur, 259C; quare, 259B', 260A, 605B. Quid mystice, 266A'. — Vestes alterius sexus assumere, multis de causis vetitum, 602D, 607D'. — Vestium lepra, quid, 229C', 231C'; et quomodo tractanda, 222A. — Vestes scindere, antiquitus a lugentibus usitatum, 198A'. — *Cf.* Pignus.

VEXILLUM unicuique tribui proprium fuit, 330A. — Vexilla Dan, Ephraim, Juda et Ruben, quæ, 331B.

VICTIMA, unde dicta, 82A'. — In victimarum immolatione passio Christi figurabatur, 145B. — *Vide* Hostia.

VIDUA. Vexatio viduarum, ad cœlum clamans peccatum, 24C', quomodo puniatur, 24D'. — Viduæ, quandonam sub V. et N. Lege novum accipere virum liceat, 621D'. — Viduæ vestimentum in pignus tollere, nefas, 624C'. — Fratriam viduam quandoque Hebræi ducere debebant, 628D; quare, 628C'. — Vidua, quid tropologice, 28A.

VINEA diversis seri non debuit, 603D'. — Per tres primos annos uvæ non colligebantur, 596B; quarto anno Deo offerebantur, 596C; quinto domini erant, et sexto vinea communis dicebatur, 596C. — In anno sabbatico nec putari nec vindemiari poterat, 293A. — Uvæ remanentes vel decidentes pauperum erant, 256C. — In vinea aliena poterat quisque uvas comedere, 596D, 613C'. — Vinea, tropologice quid, 299A, 663B'.

VINUM in quolibet sacrificio offerebatur, quanta copia, 401C. Cur tantum vini quantum

Digitized by Google

olei offerendum, 404 C. — Sacerdotibus, tempore ministerii, vetitum fuit, 199 B', C', et Nazaræis, 351 C. — Unde vinum asportaverint Hebræi ad bibendum in Sinai, 643 A'. — Sanguis vocatur, 659 C'; et luxuriosa res est, 351 D. — Vinum, tropologice quid significet, 404 C, 663 D'.

VIR, quoto tempore in utero formetur, 216 D. — A viro major quam a femina perfectio requiritur, 318 A, et quam a pueris et senibus, 318 C. — Vir uxorem de fornicatione injuste accusans, vapulabat, 605 B', 606 A'; sed a falsorum testium pœna eximebatur, 606 C'. *Vide* Matrimonium *et* Zelotypia.

VIRGA Aaron, quomodo inter ceteras sola floruerit, 413 A, 414 C. Quot fuerint virgæ cum ea oblatæ, 413 A, 414 B. — In arca reposita fuit, 47 C, 430 B. — An ea fuerit qua Moyses petram Cades percussit, 429 B'. — Allegorice quid, 414 C'. — Virga ex Israel surrectura, juxta Balaam, 465 D', Christum recte significat, 466 A', vel B. Virginem, 466 A'.

VIRGO desponsata fornicans lapidabatur, 606 B' — Quid de seductore virginis non desponsatæ, 24 B, 607 A'; de deflorante virginem desponsatam in civitate, 607 A, et in agro, 607 A'. — Virginitas, quomodo probanda, 605 D', 606 D. — Moraliter, virgo est anima innocens, 27 B', 608 C'.

VIRTUS. Numerus virtutum quadragenarium non excedit, 571 B. — Arboribus optime comparantur, 307 A. — Qui ad virtutum profectum apti sint, 328 D. — Ad virtutum probationem externa malitia necessaria est, 449 B'.

VISUS, sæpe pro cujuslibet sensus actu sumitur, 6 A', 540 B'. — Certior est auditu, 563 B'.

VITULUS, fuit de immolaticiis animalibus, 139 D'; et ad multa sacrificia, maxime pro peccato præscribitur, 158 D', 160 A', 187 A, etc. Mystice quid, 144 B, 146 A, 248 C. — Vitulus aureus, a quo et quomodo formatus, 97 B, 100 B'. An unus tantum vel plures exstiterint, 97 A'. Vituli adoratio, an causa fuerit captivitatis Babylonicæ, vel Romanæ, 104 A'.

VOTUM, quid sit, et quæ requirat quoad materiam, 490 A'. — Est latriæ actus, virtutes perficiens, 317 D, 491 A', et magis obligans quam juramentum, 490 C'. — Tres comites habere debet, 489 B. — Vota personalia personaliter adimplenda sunt, 318 D. — De voto circa illicitam materiam, quid, 318 A'. — A solenni continentiæ voto an Papa dispensare possit, 319 B. — Quid de votis puellarum, 489 C, puerorum, 489 A', sponsarum, 489 C', viduarum, 490 B, maritorum et uxorum, 489 A, 490 C, servorum, filiorum, et religiosorum, 490 D'. — Duplex in lege votiva consecratio habebatur, 312 D', 315 C. — De consecratione personarum : Quo sensu quispiam Deo devoveri potuerit, 311 A, et quot modis, 315 A'. Ita vovens, determinato pretio, pro rata ætatis et sexus redimi poterat, 311 C. — Animalium : Animal immolaticium nec redimi nec mutari poterat, 312 C, sed immolabatur, 316 A ; animal immundum vendebatur, pretio a sacerdote determinato, 312 A', 314 B', vel ad ministerium templi deserviebat, 316 A. — Domorum : Domus Deo devota, pretio a sacerdote taxato, venundabatur, 313 A; et vovens eam redimere poterat, 313 B. — Agrorum : Ager hereditarius a sacerdote pro rata amplitudinis et temporis, æstimabatur, 313 B ; a vovente redimi poterat, 313 C', et in jubilæo ad eum revertebatur, 313 D, C'. Si vero alteri quam voventi venditus fuisset, in jubilæo templo cedebat, 313 D'. Ager non hereditarius, ab emptore Deo dicatus, redimi debebat, 314 A, et in jubilæo, ad herum redibat, 314 B, 315 D'. — Vota V. L. religiosorum votorum præfigurativa erant, 317 C.

VULNUS quodcumque pari vulnere expiabatur, 16 C', 291 B'. — Vulnerans proximum in rixa, a reatu homicidii absolvebatur, 15 C, sed ad damna resarcienda tenebatur, 15 B'. — Vulnerum cicatrices lex exhorruit, quare, 220 B', 224 D'. — Vulnerum lepra, quomodo dignoscenda, 220 D.

VULTUR, avis immunda, describitur, 207 D. — Moraliter quid, 214 B, 713 B'.

Z

ZABULON, quam benedictionem a Moyse acceperit, 678 D'. — Mystice, Apostolos significat, 685 C'.

ZAMBRI cum Madianitide congrediens interficitur, 472 D'. — Ejus scelus et protervia, 473 C. — Tropologice, induratos exprimit, 475 D'.

ZARED torrens in solitudine Moab, 535 A', a filiis Israel siccis pedibus transmittitur, 438 A'.

ZELOTYPIA, quid sit, 3 A, 346 A; et quo sensu Deo tribuatur, 2 D'. — Est grande peccatum,

Digitized by Google

346B, cui dæmon peculiaris præesse creditur, 346A. Zelotypiæ lex, 345C', et sacrificium, 346C. — Zelotypiæ potionis effectus in sonte muliere, 348D; et in insonte, 348A'. Ad duritiam cordis Hebræis concessa videtur hæc probatio, 346C, 348D'; et in illa exigenda vir sæpe peccare potuit, 349A. — Cur uxoribus non concessa licentia sic viros probandi, 346C'.

ZELUS Deo acceptissimus est, si discretione condiatur, 473A', 476B.

ZONA linea sacerdotum, 239D'. *Vide* Balteus.

ADDENDA

BEELPHEGOR, idolum Madianitarum, 472A. — Huic initiati Hebræi in deserto, 472A, prostrati sunt, 472B, 539B'. *Cf.* Phogor.

BRITO (Guillelmus) Ord. Min., commentator et grammaticus, allegatur, 154B'.

CIVIS. Dupliciter quis dicitur esse civis, 611C. — A civilitate Hebræorum nonnulli repellebantur, 610B'.

ECCLESIA Domini, quomodo olim intelligenda, 609A; et quinam ab ea exclusi, 609A et s.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN EXODUM.

Articulus XL. Expositio capituli vicesimi : Locutusque est Dominus cunctos sermones hos. 1
Articulus XLI. De mystico hujus capituli intellectu 8
Articulus XLII. Elucidatio litteralis capituli vicesimi primi : Hæc sunt judicia quæ propones eis 11
Articulus XLIII. De mystico ejusdem capituli sensu 18
Articulus XLIV. Explanatio litteralis capituli vicesimi secundi : Si quis furatus fuerit bovem vel ovem 20
Articulus XLV. De spirituali intelligentia hujus capituli 26
Articulus XLVI. Expositio capituli vicesimi tertii : Non suscipias vocem mendacii 28
Articulus XLVII. Expositio litteralis capituli vicesimi quarti : Moysi quoque dixit, Ascende ad Dominum 39
Articulus XLVIII. Spiritualis elucidatio ejusdem capituli 43
Articulus XLIX. Elucidatio litteralis capituli vicesimi quinti : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel 45
Articulus L. De spirituali, mystico atque multiplici intellectu hujus capituli . . 51
Articulus LI. Elucidatio litteralis capituli vicesimi sexti : Tabernaculum vero ita fiet 56
Articulus LII. Elucidatio spiritualis ejusdem capituli. 61
Articulus LIII. Declaratio litteralis capituli vicesimi septimi : Facies et altare de lignis setim 63
Articulus LIV. De intellectu mystico ejusdem capituli. 67
Articulus LV. Declaratio litteralis capituli vicesimi octavi : Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum 69
Articulus LVI. De spirituali ejusdem capituli intellectu. 76
Articulus LVII. Elucidatio litteralis capituli vicesimi noni : Sed et hoc facies . 80
Articulus LVIII. De spirituali hujus capituli sensu. 86
Articulus LIX. Explanatio litteralis capituli tricesimi : Facies quoque altare ad adolendum thymiama. 87
Articulus LX. De spirituali hujus capituli intelligentia 92
Articulus LXI. Declaratio capituli tricesimi primi : Locutusque est Dominus ad Moysen. 93
Articulus LXII. Expositio capituli tricesimi secundi : Videns autem populus quod moram faceret Moyses 96
Articulus LXIII. De spiritualibus documentis atque mysteriis hujus capituli. . . 106
Articulus LXIV. Expositio litteralis capituli tricesimi tertii : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens 108
Articulus LXV. Declaratio capituli tricesimi quarti : Ac deinceps : Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas 116
Articulus LXVI. Declaratio capituli tricesimi quinti : Igitur congregata omni turba filiorum Israel 121
Articulus LXVII. Declaratio capituli tricesimi sexti : Fecit ergo Beseleel . . . 123
Articulus LXVIII. Expositio capituli tricesimi septimi : Fecit autem Beseleel et arcam 123
Articulus LXIX. Expositio capituli tricesimi octavi : Fecit et altare holocausti . 124
Articulus LXX. Expositio capituli tricesimi noni : De hyacintho vero et purpura. 124
Articulus LXXI. Elucidatio capituli quadragesimi : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Mense primo. . . . 125

Digitized by Google

ENARRATIO IN LEVITICUM.

Prologus 131
Articulus I. De triplicibus veteris Testamenti præceptis : et qualiter cærimonialia dividantur 133
Articulus II. Cur Deus voluerit sibi animalia sacrificari 134
Articulus III. De multiplici distinctione sacrificiorum legalium 136
Articulus IV. Expositio litteralis capituli primi : Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus 137
Articulus V. Introductio atque solutio quæstionum occurrentium circa capitulum istud 142
Articulus VI. Spiritualis explanatio ejusdem capituli. 144
Articulus VII. Elucidatio litteralis capituli secundi : Anima quum obtulerit oblationem. 147
Articulus VIII. Explanatio spiritualis ejusdem capituli. 150
Articulus IX. Expositio litteralis capituli tertii : Quod si hostia pacificorum fuerit. 153
Articulus X. Elucidatio spiritualis ejusdem capituli 155
Articulus XI. Declaratio litteralis capituli quarti : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens 157
Articulus XII. De mystico ejusdem capituli intellectu 163
Articulus XIII. Elucidatio litteralis capituli quinti : Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis. 164
Articulus XIV. Spiritualis expositio ejusdem capituli. 170
Articulus XV. Declaratio litteralis capituli sexti : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe Aaron 171
Articulus XVI. Spiritualis ejusdem capituli elucidatio 175
Articulus XVII. Explanatio litteralis capituli septimi : Hæc est lex hostiæ pacificorum. 178
Articulus XVIII. Spiritualis elucidatio ejusdem capituli. 182
Articulus XIX. Declaratio litteralis capituli octavi : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Tolle Aaron 184
Articulus XX. Spiritualis capituli hujus expositio 190
Articulus XXI. Expositio litteralis capituli noni : Facto autem octavo die. . . . 192
Articulus XXII. De spirituali ejusdem capituli intelligentia 195
Articulus XXIII. Elucidatio litteralis capituli decimi : Arreptisque Nadab et Abiu, filii Aaron, thuribulis suis 196
Articulus XXIV. De mystico hujus capituli sensu 201
Articulus XXV. Explanatio litteralis capituli undecimi : Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron 203
Articulus XXVI. De spirituali hujus capituli intellectu 213
Articulus XXVII. Elucidatio litteralis capituli duodecimi : Locutusque est Dominus ad Moysen 215
Articulus XXVIII. Declaratio litteralis capituli tertiidecimi : Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron 218
Articulus XXIX. Spiritualis ejusdem capituli intellectus 223
Articulus XXX. Expositio litteralis capituli quartidecimi : Locutusque est Dominus ad Moysen 226
Articulus XXXI. Expositio spiritualis ejusdem capituli. 232
Articulus XXXII. Expositio capituli quintidecimi : Locutusque est Dominus ad Moysen. 234
Articulus XXXIII. Explanatio litteralis capituli sextidecimi : Locutusque est Dominus ad Moysen 238
Articulus XXXIV. De spirituali ejusdem capituli intellectu 247
Articulus XXXV. Expositio litteralis capituli septimidecimi : Et locutus est Dominus ad Moysen 250
Articulus XXXVI. Declaratio capituli octavidecimi : Locutusque est Dominus ad Moysen. 252
Articulus XXXVII. Explanatio litteralis capituli nonidecimi : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens 255
Articulus XXXVIII. De spiritualitate hujus capituli, et quibusdam verbis Rabbi Pauli. 264
Articulus XXXIX. Expositio litteralis capituli vicesimi : Locutusque est Dominus ad Moysen 269
Articulus XL. Declaratio litteralis capituli vicesimi primi : Dixit quoque Dominus ad Moysen 272
Articulus XLI. De spirituali intellectu hujus capituli 276
Articulus XLII. Elucidatio litteralis capituli vicesimi secundi : Locutusque est

Digitized by Google

Dominus ad Moysen, dicens : Loquere, etc. 278
Articulus XLIII. Expositio litteralis capituli vicesimi tertii : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens 282
Articulus XLIV. De spirituali significatione hujus capituli, et verbis quorumdam doctorum 287
Articulus XLV. Expositio capituli vicesimi quarti : Et locutus est Dominus ad Moysen. 289
Articulus XLVI. Elucidatio litteralis capituli vicesimi quinti : Locutusque est Dominus ad Moysen 292
Articulus XLVII. De spirituali ejusdem capituli intellectu 298
Articulus XLVIII. Elucidatio litteralis capituli vicesimi sexti : Ego Dominus Deus vester 301
Articulus XLIX. Spiritualis expositio ejusdem capituli 306
Articulus L. Explanatio litteralis capituli vicesimi septimi : Locutusque est Dominus ad Moysen 311
Articulus LI. Spiritualis intelligentia ejusdem capituli 317

ENARRATIO IN NUMEROS.

Præfatio 323
Articulus I. Expositio litteralis capituli primi : Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai 325
Articulus II. De spirituali hujus capituli sensu 328
Articulus III. Declaratio litteralis capituli secundi : Locutusque est Dominus ad Moysen. 330
Articulus IV. De spirituali ejusdem capituli intellectu 332
Articulus V. Explanatio litteralis capituli tertii : Hæ sunt generationes Aaron et Moysis 333
Articulus VI. De spirituali hujus capituli intelligentia 336
Articulus VII. Declaratio litteralis capituli quarti : Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron. 337
Articulus VIII. Spiritualis explanatio ejusdem capituli. 342
Articulus IX. Declaratio litteralis capituli quinti : Locutusque est Dominus ad Moysen 344
Articulus X. Elucidatio spiritualis hujus capituli 349
Articulus XI. Declaratio litteralis capituli sexti : Locutusque est Dominus : Vir sive mulier 351
Articulus XII. Expositio spiritualis capituli hujus 355
Articulus XIII. Explanatio litteralis capituli septimi : Factum est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum . 356
Articulus XIV. De mystico ejusdem capituli intellectu 360
Articulus XV. Declaratio litteralis capituli octavi : Locutus est Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron 361
Articulus XVI. Explanatio litteralis capituli noni : Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai 364
Articulus XVII. Declaratio litteralis capituli decimi : Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Fac tibi, etc. . . 367
Articulus XVIII. De spirituali ejusdem capituli intellectu. 371
Articulus XIX. Elucidatio litteralis capituli undecimi : Interea ortum est murmur populi 373
Articulus XX. De spirituali ejusdem capituli sensu. 385
Articulus XXI. Declaratio litteralis capituli duodecimi : Locutaque est Maria et Aaron. 387
Articulus XXII. De moralitate et allegoria hujus capituli 392
Articulus XXIII. Explanatio litteralis capituli tertiidecimi : Profectusque est populus de Haseroth 393
Articulus XXIV. Explanatio litteralis capituli quartidecimi : Igitur vociferans omnis turba 396
Articulus XXV. Expositio litteralis capituli quintidecimi : Locutus est Dominus ad Moysen. 401
Articulus XXVI. De spirituali intelligentia hujus capituli 404
Articulus XXVII. Expositio litteralis capituli sextidecimi : Ecce autem Core filius Isaar, filii Caath, etc. 406
Articulus XXVIII. De spirituali hujus capituli significatione atque doctrina. . . 411
Articulus XXIX. Declaratio litteralis capituli septimidecimi : Et locutus est Dominus ad Moysen 413
Articulus XXX. Expositio capituli octavidecimi : Dixitque Dominus ad Aaron . 415

Digitized by Google

Articulus XXXI. De ejusdem capituli intelligentia spirituali 419
Articulus XXXII. Expositio litteralis capituli nonidecimi : Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron. 421
Articulus XXXIII. De mystica hujus capituli interpretatione 426
Articulus XXXIV. Elucidatio litteralis capituli vicesimi : Veneruntque filii Israel et omnis multitudo 428
Articulus XXXV. Expositio litteralis capituli vicesimi primi : Quod quum audisset Chananæus, rex Arad, etc. . . . 436
Articulus XXXVI. De spirituali hujus capituli sensu. 442
Articulus XXXVII. Expositio litteralis capituli vicesimi secundi : Videns autem Balac, filius Sephor 444
Articulus XXXVIII. Expositio capituli vicesimi tertii : Dixitque Balaam ad Balac. 453
Articulus XXXIX. Elucidatio litteralis capituli vicesimi quarti : Quumque vidisset Balaam quod placeret, etc 461
Articulus XL. Expositio spiritualis ejusdem capituli 469
Articulus XLI. Expositio litteralis capituli vicesimi quinti : Morabatur autem Israel eo tempore 471
Articulus XLII. De morali ejusdem capituli intellectu 474
Articulus XLIII. Elucidatio litteralis capituli vicesimi sexti : Postquam noxiorum sanguis effusus est. 476
Articulus XLIV. Expositio litteralis capituli vicesimi septimi : Accesserunt autem filiæ Salphaad. 480
Articulus XLV. Declaratio litteralis capituli vicesimi octavi : Dixit quoque Dominus ad Moysen 483
Articulus XLVI. Elucidatio litteralis capituli vicesimi noni : Mensis etiam septimi prima dies 486
Articulus XLVII. Expositio capituli tricesimi : Narravitque Moyses filiis Israel . 488
Articulus XLVIII. Expositio litteralis capituli tricesimi primi : Locutusque est Dominus ad Moysen 491
Articulus XLIX. De spirituali sententia hujus capituli 495
Articulus L. Expositio litteralis capituli tricesimi secundi : Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa . . . 496
Articulus LI. Declaratio litteralis capituli tricesimi tertii : Hæ sunt mansiones filiorum Israel 499
Articulus LII. Expositio spiritualis capituli hujus 502
Articulus LIII. Expositio litteralis capituli tricesimi quarti : Locutusque est Dominus ad Moysen 506
Articulus LIV. Declaratio litteralis capituli tricesimi quinti : Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen 508
Articulus LV. Expositio litteralis capituli tricesimi sexti : Accesserunt autem et principes familiarum. 513

ENARRATIO IN DEUTERONOMIUM.

Præfatio 519
Articulus I. Expositio litteralis capituli primi : Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel 521
Articulus II. De spirituali hujus capituli intellectu 531
Articulus III. Expositio capituli secundi : Profectique inde venimus in solitudinem. 533
Articulus IV. Expositio capituli tertii : Itaque conversi, ascendimus per iter Basan. 536
Articulus V. Elucidatio litteralis capituli quarti : Et nunc, Israel, audi præcepta. 538
Articulus VI. Declaratio litteralis capituli quinti : Vocavitque Moyses omnem Israelem. 545
Articulus VII. Explanatio litteralis capituli sexti : Hæc sunt præcepta et cærimoniæ. 546
Articulus VIII. Elucidatio litteralis capituli septimi : Quum vero introduxerit te Dominus in terram 550
Articulus IX. Explanatio litteralis capituli octavi : Omne mandatum quod ego præcipio 553
Articulus X. Elucidatio litteralis capituli noni : Audi, Israel : Tu transgredieris hodie Jordanem 557
Articulus XI. Explanatio litteralis capituli decimi : In tempore illo dixit Dominus ad me : Dola tibi duas tabulas lapideas. 560
Articulus XII. Elucidatio litteralis capituli undecimi : Ama itaque Dominum Deum tuum 563
Articulus XIII. Expositio litteralis capituli duodecimi : Hæc sunt præcepta atque judicia quæ facere debetis 566
Articulus XIV. Explanatio litteralis capi-


Digitized by Google

tuli tertiidecimi : Si surrexerit in medio tui prophetes. 569
Articulus XV. Expositio litteralis capituli quartidecimi : Filii estote Domini Dei vestri. Et de multitudine præceptorum veteris legis 571
Articulus XVI. Elucidatio litteralis capituli quintidecimi : Septimo anno facies remissionem. 574
Articulus XVII. Declaratio litteralis capituli sextidecimi : Observa mensem novarum frugum 578
Articulus XVIII. Explanatio litteralis capituli septimidecimi : Non immolabis Domino Deo tuo bovem et ovem in quo est macula. Et de divisione judicialium præceptorum. 582
Articulus XIX. Explanatio litteralis capituli octavidecimi : Non habebunt sacerdotes et Levitæ, etc. 589
Articulus XX. Explanatio litteralis capituli nonidecimi : Quum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes. 593
Articulus XXI. Elucidatio litteralis capituli vicesimi : Si exieris ad bellum contra hostes tuos 595
Articulus XXII. Explanatio litteralis capituli vicesimi primi : Quando inventum fuerit in terra, etc. 598
Articulus XXIII. Declaratio litteralis capituli vicesimi secundi : Non videbis bovem fratris tui 601
Articulus XXIV. Explanatio spiritualis ejusdem capituli. 607
Articulus XXV. Declaratio litteralis capituli vicesimi tertii : Non intrabit eunuchus, etc. 609
Articulus XXVI. De spirituali ejusdem capituli intelligentia 614
Articulus XXVII. Elucidatio litteralis capituli vicesimi quarti : Si acceperit homo uxorem 616
Articulus XXVIII. Explanatio litteralis capituli vicesimi quinti : Si fuerit causa inter aliquos. 626
Articulus XXIX. Elucidatio litteralis capituli vicesimi sexti : Quumque intraveris terram. 630
Articulus XXX. Expositio litteralis capituli vicesimi septimi : Præcepit autem Moyses et seniores populo 633
Articulus XXXI. Explanatio litteralis capituli vicesimi octavi : Si autem audieris vocem Domini Dei tui 637
Articulus XXXII. Expositio litteralis capituli vicesimi noni : Hæc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi. . 642
Articulus XXXIII. Declaratio litteralis capituli tricesimi : Quum ergo venerint super te omnes sermones isti 646
Articulus XXXIV. Expositio litteralis capituli tricesimi primi : Abiit itaque Moyses, etc. 648
Articulus XXXV. Elucidatio litteralis capituli tricesimi secundi : Audite, cœli, quæ loquar 651
Articulus XXXVI. Spiritualis expositio ejusdem capituli. 667
Articulus XXXVII. Expositio litteralis capituli tricesimi tertii : Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei filiis Israel 672
Articulus XXXVIII. Mystica expositio hujus capituli 681
Articulus XXXIX. Expositio litteralis capituli tricesimi quarti : Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab. . . . 688

EPILOGATIO ET CONCLUSIO PENTATEUCHI.

Articulus I. De distinctione inter legem æternam, legem naturalem, legem divinam, et legem humanam 691
Articulus II. De distinctione legis divinæ in legem antiquam et novam 696
Articulus III. De triplici præcepto veteris legis, et specialiter de præceptis moralibus. 698
Articulus IV. De præceptis cærimonialibus veteris legis, et de rationibus sacrificiorum legalium 700
Articulus V. De sacris et rationibus sacrorum veteris Testamenti 703
Articulus VI. De sacramentis antiquæ legis et rationibus eorumdem. 707
Articulus VII. De observantiis, observantiarumque causis veteris legis. . . . 712
Articulus VIII. De præceptis judicialibus veteris Testamenti ad principes ac popularem convictum pertinentibus . . 715
Articulus IX. De præceptis judicialibus veteris legis ad extraneos atque domesticos pertinentibus 719
Articulus X. De duratione atque cessatione prædictorum præceptorum, et de nova lege. 720
Index locorum S. Scripturæ 725
Index analyticus 733

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FRITZ WERNER JR
BUCHBINDEREI
GESCHÄFTSBÜCHERFABRIK
MÜNCHEN

Digitized by Google

Digitized by Google